OPERVM

THEOLOGICORVM

D. HIERONYMI ZANCHII

Tomus Quintus.

COMMENTARIVM IN HOSEAM PROPHETAM CONTINENS.

Accesserunt quinque INDICES. 1. *Capitum totius prophetiæ.* 2. *Locorum Scripturæ.* 3. *Rerum, phraseωn & vocum.* 4. *Autorum.* 5. *Quæstionum illustrium, quæ in Commentario explicantur.*

ILLVSTRISSIMIS AC POTENTISSIMIS PROVINCIARVM BELGII CONFOEDERATARVM ORDINIBVS

generalibus, dominis suis clementissimis salutem.

QVANTA librorum Propheticorum sit præstantia, Illustrissimi Ordines, demonstrat cumprimis naturæ eorum dignitas, & vtilitas singularis. Etenim si quis eam contempletur, comperiet autorem DEVM, cuius instinctu Prophetæ locuti sunt: materiam & argumentum, doctrinam legis diuinæ & promissi Euangelij: formam verò, veritatem Dei salutarem, ad Ecclesiæ veteris conditionem, & nouæ adumbrationem, sapientissimè compositam: finem denique, Dei creatoris & redemtoris in Christo, gloriam, & Ecclesiæ veteris & noui Testamenti salutem. Ex quibus non solùm insita scriptis Prophetarum præstantia, sed etiam vtilitas admiranda apparet. Quamobrem vt fidei nostræ fundamentum, & lucerna in obscuro loco splendens appellantur: sic etiam ad seriam & diligentem eorum lectionem & examen diuinitùs inuitamur & incitamur.

Quod præclarè, vt multa, Græcorum Patrum disertissimus Iohannes Chrysostomus obseruauit: Propterea (inquit ille) Christus Iudæos ad scripturarum non simplicem & nudam lectionem, sed ad inuestigationem perquàm diligentem relegauit. Non dixit, legite scripturas, sed scrutamini. Diuina enim summa indigent diligentia. In vmbra enim Maioribus illis non abs re locutus est: idcirco effodere profundiùs iubet, vt quæ altè delitescunt, inuenire possimus. Non enim rem in superficie & in promtu positam effodimus, sed quæ tanquam thesaurus profundè reconditur. Qua ratione, summa est Prophetarum difficultas, & ne ea nos à lectione deterreat, thesauri comparitione, vtilitas & officium nostrum declarantur.

Itaque probandum & laudandum est eorum institutum, qui ad eruenda hæc Prophetarum arcana, & ad eadem Ecclesiæ Dei cum fructu & vtilitate exponenda, omnem suam vitam & industriam contulerunt. Quo in numero Hieronymum Zanchium, parentem nostrum, beatæ memoriæ, non esse postremum, nobis verecundia quadam, silentibus, testantur quam plurimi viri grauissimi & doctissimi, qui partim illius disciplina coram in diuersis Academiis instituti sunt, partim scriptis illius se profecisse non parum, ingenuè & grato animo profitentur. Nam (vt alia omittamus,) crebris literis, & quotidianis fere flagitationibus ad reliqua parentis nostri scripta, in lucem, communi Ecclesiæ bono, proferenda hortantur & stimulant: præsertim verò eos Commentarios mirificè efflagitant, quos olim in celeberrima Argentinensi Academia, magna accuratione in HOSEAM Prophetam conscripsit. Vt enim summam huius operis vtilitatem, & ad horum tempo-

rum conditionem, doctrinam illius maxime accommodatam. sic obscuritatē non exiguam inesse, quę à doctis interpretibus lucem desideret, Hieronymi autoritate confirmant: Difficultatem (inquit ille de Hosea) huius Prophetiæ testatur, quod in fine eius scriptum est: Quis sapiens & intelligat ista? intelligens, & cognoscat ea? Ac quamuis multi viri magni in eo argumento illustrando, feliciter & magna cum laude laborarint: non parum tamen adiumenti ex coniuncta Zanchij industria accessurum esse, sibi pollicentur.

Quamobrem & Ecclesiæ Christianæ vtilitate, & iustis rationibus eorum adducti (quorum auctoritas sola nos permouere deberet) obtemperandum duximus.

Itaque quod felix & faustum sit. Commentarium Hieronymi Zanchij, parentis nostri, cuius memoria in benedictione, emittimus ac publici iuris facimus: & vestræ Clementiæ, Illustrissimi ac potentissimi confœderatarum Belgij prouinciarum Ordines generales, lubentes & meritò dedicamus. Quam ad rem nos non solùm allicit eximium vestrum in vera religione promouenda, studium: sed etiam debitum gratitudinis officium excitat & inflammat. Nam non tantùm vnum è nostro numero è Germania superiori, ad Euangelij ministerium benignè euocatum, Vltraiectensis ciuitas fouet ac tuetur: sed alterum etiam, nimirum Ludouicum Zanchium, communis vestræ Clem. liberalitas Lugduni Batauorum, in bonarum & sacrarum literarum curriculo munificè alit ac sustentat. Quorum beneficiorum magnitudini, cùm pro tenuitate nostra, alia ratione, hoc tempore, gratias referre non possimus, publica operis huius dedicatione, gratum animum, pro modulo nostro, testandum esse arbitramur.

Quamobrem freti singulari clementia vestra, vt hoc qualecunque studium nostrum, serena, vt soletis, fronte suscipiatis, munusculúmque hoc chartaceum boni consulatis, & nos omnes V. Clementiæ commendatos habeatis, submissè etiam atque etiam rogamus.

Quod reliquum est, Oramus Deum Opt. Max. Spiritu suo sancto vos regat, vt difficillimis hisce temporibus Remp. vti cœpistis, quàm felicissimè ac diutissimè gubernetis, ad gloriam Dei, doctrinæ cœlestis propagationem, & regionum vestrarum incolumitatem ac salutem. Amen Calend. Martij, Anno M. DC.

Vestræ Celsitudini
Addictissimi

Henricus Courhardus Ecclesiæ
Vltraiectensis Minister.
Georgius Gabelus Pastor Ecclesiæ
Marburgensis: in Palatinatu,
Ludouicus & Hieron. Robertus
Zanchij

INDEX

I. INDEX IN HOSEAM PROPHETAM PROLEGOmenon & capitum summa complectens.

Prior numerus arithmeticus columnam, alter paginae columnam primam 1. aut secundam 2. denotat.

E Hoseae ... amor ... [illegible]

Prolegomena.

i. Persona ipsius Prophetae.

ii. Tempus prophetiae & tempus quando vaticinatus sit. *ibid.*

iii. Ad quem & contra quem populum sit vaticinatus. *ibid.*

iv. Doctrina totius prophetiae. *ibid.*

Capita Doctrinae sunt.

1. De peccatis ... 9.1
2. De ... *ibid.*
3. De ... Evangeli... *ibid.*

Loci Communes.

Idololatria
Idololatriae ... origo.
...
Falsi ...
Cultus Dei
Vita sancta
Opera charitatis
Oratio
Remissio peccatorum
Iustificatio
Evangelium
Regnum Christi ... 3.2
Fides
Resurrectio
Christi persona & officia
Ecclesia
Gratia Dei
Liberum arbitrium
Promissione Dei
Reprobatio Israelis
Electi

Cap. i. Vocationem propheticam indicat, & sub quot regibus vaticinatus sit. 2. Israelitarum peccata, idololatriam in primis acriter obiurgat. 3. De ... pluralis ... 4.1 c.

ii. Constat tribus partibus. 1 Obiurgatione peccati. 2. ... irae Dei contra peccatorum, 3. ... gratiae sub Christi regno pro remissione peccati. Duae partes priores ... [illegible] continentur v. 4. & seq. ... Tertia sequitur v. 18. &c. ad capitis finem 27.

iii. ... [illegible] ... Ecclesiam ... Primum est praedicatio amoris Dei ... Alterum ... Tertium ... 9.1

iv. ... tribus partibus ... Hoseas magna ... Deus videns prophetam ... Hosea ... 6.1

v. Hoc caput Concio continet reprehensionem ... Deus ... ad finem ... ad Dominum qui ... 8.2

vi. Praecipuas partes ... Deum ...

... sequitur, ne hypocritae ... [illegible] 14.1

vii. Nihil continet tota ... capite ... Israel ... Deum & ... Hoseas ...

viii. Tota huius capitis concio ... Hoseas ...

ix. Noni capitis concio continet reprehensionem peccatorum, tum irae Dei contra peccata denunciationem ... Hoseas ... Deus ad tempus ... 14.0

x. Concionem capitis decimi concio ... reprehensionem peccatorum & denunciationem irae Dei contra peccata Israelitarum, sicut aliae praecedentes.

xi. xii. xiii. xiv. Capitibus ... argumenta ... Zanchio diligenter ... in his analysi ... recenseri decuit.

II. INDEX IN QUO LOCI SCRIPTURAE QUI IN Commentariis Hoseae explicantur ... occurrunt.

	Ex Genesi.		10.	8	44.1.191.2	18	9.	92.1
Cap.	v.	pag.		5.	18.1		*Ex Iudic.*	
6.	3	63.7	22.	2.	8.2	10.	1.	8.2
[illegible]	[illegible]	1		*Ex Levitico.*		16.	1.	87.2
15.	[illegible]	[illegible]	4	2	73.1		*Ex 1. Sam.*	
17.	1.	44.2	31.		7.2	2.	3	[illegible]
		6 2.		*Ex Numer.*		15.	22.	192.1
	5.	18 & 193	18.		72.1			
	6.	18.2		*Ex Deuteron.*			*Ex 2. Samuel.*	
	7.	44.1.& 46.	10.	18	44.2	7.	14	182.2
	17	[illegible]		[illegible]	76.2			
[illegible]	4	181.6		22.	16.2		*Ex 1. Reg.*	
27.	13.	188.1	33.	3.	195.1	12.	2.	64.1
28.	19	76.1		4.	44.1	18.	27.	[illegible]
	33.	[illegible]	17.	12	[illegible]	19.	18	193.1
32.	24. &c.	18.& 87	28.	18.	191.1		*Ex II. Regum.*	
38.		180.&187.188	17.	17.	93.1	8.	22.	[illegible]
	19.	200.1	28.	23.	41.1	15.	19.	[illegible]
48.	10.	13.2			77.1	16.	17.	[illegible]
49.	*Ex Exodo.*		32.	21.	20.1		*Ex Iob.*	
	13.	32.1		*Ex Iosue*		1.	21	194.1

Index

III. INDEX, RES, PHRASES ET VOCES in Commentario ad Hoseam, obseruatu digniores complectens.

B

C

Inanis

IV. INDEX

Avctorvm, *qui in Hosea commentario Zanchiano citantur, nomina exhibens.*

V. INDEX QUAESTIONES QUASDAM
illustres explicatas proponens.

FINIS.

HIERONYMI ZANCHII
IN HOSEAM PROPHETAM
ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

HOSEAM Prophetarum priorem inter duodecim Prophetas interpretaturo nonnulla primum de ipsis duodecim Prophetis, déque ipso duodecim Prophetarum volumine, deinde de ipso Hosea, præfanda sunt. Sunt autem illa numero septem.

I. Volumen hoc, in quo continentur hi duodecim Prophetæ non tantum vulgo à nobis, sed ab ipsis etiam Hebræis interpretibus, liber duodecim Prophetarum vocatur. Sic enim illis appellatur *sepher tere hasar*. liber duodecim, scilicet, Prophetarum: & quidem ii duodecim, minores: reliqui vero quatuor Iesaias, Ieremias, Daniel, Ezechiel, maiores Prophetæ vocantur.

Primum igitur, quod notare debetis, est hoc.

Non est putandum, hosce duodecim Prophetas eodem simul tempore omnes vixisse & prophetasse, & suas prophetias collegisse, atque in vnum volumen redegisse, (nam neque omnes eodem tempore vixerunt, neque ipsi omnes hasce prophetias in vnum volumen seu librum collegerunt,) sed, cum diuersis temporibus plerique illorum prophetassent, & suarum concionum summam singuli scriptam reliquissent, postea Dei prouidentia factum est, vt omnes hæ Propheticæ conciones vel potius summæ concionum ab ipsis Prophetis scriptæ, & posteritati variis in locis diuersísque temporibus relictæ, in vnum volumen collectæ fuerint.

A quo, vel à quibus? scriptum non exstat in scripturis, verisimile tamen est, cura & sumptibus piorum regum Iehuda, id factum fuisse, sicut Iustinus Martyr in Apologia ad Antoninum pro Christianis secunda, scriptum reliquit, in hæc verba: [illegible]

In quem verò finem hæ diuersorum Prophetarum conciones in vnum volumen redigi curarit Dominus per pios illos reges: vt melius in Ecclesia conseruarentur. Nisi enim collectæ fuissent simul in volumen vnum, potuissent facilè propter ipsarum breuitatem (vt sæpè fieri solet) euanescere, vt ergo melius asseruarentur, curarunt illi pii reges, à Deo inspirati, eas in vnum volumen redigi. Hinc factum est, vt totum hoc volumen appellatum fuerit.

II. Etsi verò in hoc volumine duodecim tantùm Prophetarum conciones continentur: cogitandum tamen non est, præter illos priores quatuor, quos maiores Prophetas vocant, & præter Danielem, hosce duodecim tantùm Prophetas in populo Dei, vaticinatos fuisse. Vaticinati sunt & alii quam plurimi Prophetæ in Israel & in Iuda, vt in scripturis patet de Nathane, Gade, Helia, & Helisæo, atque aliis.

Verùm vel non omnes Prophetæ suas conciones scriptas reliquerunt, vel, si scriptas reliquerunt, non omnium tamen, sed horum duntaxat duodecim præter illos quatuor priores, scripta reperiri potuerunt. Hinc factum est, vt volumen hoc duodecim tantùm Prophetarum scripta contineat, licet multò plures Prophetæ fuerint, qui in populo Dei vaticinabantur.

Quòd verò quidam putant, hoc ideò factum fuisse, vt ii duodecim Prophetæ typus essent duodecim Apostolorum, & illi quatuor maiores typus essent quatuor Euangelistarum, nihil habet firmi, perinde ac si Matthæus & Iohannes fuerint tantùm Euangelistæ, non etiam ex duodecim Apostolis.

III. Quod verò ii duodecim, Minores, alii verò quatuor, Maiores Prophetæ appellati fuerint in Ecclesia: hoc non ideò factum esse putandum est, quasi illi primi quatuor vel ætate hos omnes duodecim præcesserint, vel dignitate aut autoritate his omnibus duodecim antecelluerint (Nam, vt de vno Hosea loquar Hoseas ante Iesaiam vaticinari cœpit, & dignitate, autoritate & dono spiritus Prophetici, non fuit vlli secundus aut inferior. Sed ideò meo iudicio, obtinuit, vt illi quatuor maiores, isti verò duodecim Minores appellati sint, quòd illorum quatuor scriptæ & relictæ conciones longè maiores seu plures & longiores, & de pluribus rebus, quam conciones horum duodecim, sint.

Quare etsi ii duodecim Minores appellantur: non sunt tamen minoris faciendi, quàm illi quatuor maiores.

IV. De tempore quo quisque prophetauit, illud cognitu facile est de multis Prophetis ex suis ipsorum titulis. In quibus autem tempus non reperitur, de illis non ita facile est pronunciare.

Iesaias ergo (vt [illegible] de quatuor etiam primis maioribus dicam) prophetauit sub Vzia, Iotham, Achaz, & Ezechia regibus Iuda: & quidem, vt aliàs ostendimus, anno circiter 15 regni Vziæ cœpit. Continuauit autem per totum tempus regni Ezechiæ, donec à Manasse serra sectus est.

Ieremias sub Iosia rege Iuda cœpit, anno Iosiæ 13. Ieremias & prædicauit etiam post captam Hierosolymam, & abductum populum in Babylonem captiuum. nam ipse etiam cum transfugis in Ægyptum abductus prophetauit. Intercesserunt autem anni, à morte Iesaiæ, vsque ad initium, quo prophetare cœpit Ieremias, circiter 65.

De Baruch nihil dico, quia ille scriba fuit seu amanuensis Ieremiæ.

Ezechiel prophetare cœpit anno 5, quo Ioachim rex Iuda abductus fuerat captiuus in Babylonem, in eius locum suffecto Mathania, qui & Zedechias vocatur. Eodem tempore, quo Ezechiel prophetauit in Babylone ipsis Iudæis captiuis, Ieremias prophetabat Hierosolymis aliis Iudæis qui remanserant, donec omnes abducti sunt. Cæterùm Ieremias annos circiter 4. prædicauerat Hierosolymis, antequam Ezechiel vaticinari cœpisset in Babylone.

Daniel prophetare cœpit in Babylone, anno captiuitatis Babylonicæ 65.

Hæc de tempore, quo Prophetarum maiores Prophetæ. Vt verò de minoribus dicam.

Hoseas vaticinari cœpit sub Vzia, anno Vziæ circiter 15. (quanquam Funccius ait, anno 18. Vziæ cœpisse) & vaticinatus est vsque ad annos aliquot Ezechiæ regis Iuda. Ab initio igitur prædicationis Hoseæ vsque ad initium prædicationis Iesaiæ, intercedunt saltem anni 10.

Ioel prophetare cœpit (de quorundam sententia) sub *Iotham*, tempore, quo etiam *Iesaias* vaticinabatur, de quorundam verò aliorum sententia sub Manasse, vel etiam paulò post: nã titulus tẽpus non habet. Alii sub *Ioram* filio Achab.

Amos eodem tempore, quo Hoseas in diebus Vziæ regis *Iudæ*, & *Iaroboam* regis *Israel*. vt habet eius titulus. Funccius tamen vult anno 4. ante Hoseam.

Abdias seu Obadias secundùm Hebræos, ignoratur quo tempore & sub quo rege prophetarit. At secundum *Latinorum* sententiam, prophetauit sub Achab rege *Israel* & *Iesabele*, eo tempore, quo & Helias prophetauit. Et esse illum, de quo 1 Reg. 18. mentio fit, & *Idumæum* fuisse scribunt: sed ad legem Dei conuersum, id est [illegible] fuisse.

Funccius in Chron. sub Ozia rege *Iuda*, annis ferè 6. ante, quam prophetare cœpisset *Iesaias*.

Ionas vaticinari cœpit in diebus *Iaroboam* regis *Israel* quo tempore etiam Hoseas & Amos. Etsi enim titulus non habet hoc tempus. de *Iona* tamen mentio fit in 4. libr. Reg. 14. eum sub *Iaroboam* prophetasse, id est, tempore Oziæ re-

gis Iuda, vt habet Augustinus Tom.5.lib.18 cap.27.

Micheas vaticinatus est sub Iotham, Achaz, & Ezechia, vt ipsius habet titulus.

Nahum prophetare cœpit sub Iotham rege Iuda, secundum Funccium in Chronologia: secundùm Chronologiam Hebræorum sub Manasse. Nam in sacris literis nulla huius temporis fit mentio.

Habacuc, iuxta Hebræos, eodem tempore quo & Nahum sub Manasse rege Iuda.

Sophonias sub Iosia rege Iuda.

Haggæus anno 2. Darii regis Persarum anno scilicet post expletum tempus septuaginta annorum in captiuitate Babylonica, decimooctauo prophetare cœpit, vt titulus indicat.

Eodem etiam tempore prophetare cœpit Zacharias, vt eius titulus docet.

Malachias etiam eodem tempore prophetauit quo ferè & Haggæus & Zacharias, iuxta interpretum & Hebræorum sententiam. Nam certum tempus non habetur in sacris literis. Certum est ex ipsius prophetia, eum post reditum à captiuitate prophetasse, & post hunc Prophetam nullius Prophetę vaticinium reperiri, quare hunc vltimum faciunt Prophetam.

Hæc de tempore quo quisque Propheta vaticinari cœpit.

V. Hinc patet, quid dicendum sit de ordine, quo collocati sunt ij Prophetæ in hoc volumine. Eo ordine sunt collocati, quo iam eos recensuimus, sed non certè omnes iuxta ordinem temporis, quo quisque vaticinatus est, vt ex iis, quæ de tempore diximus, perspicuè apparet.

Hoseas tantùm, iuxta ordinem temporis videtur collocatus fuisse, priori scilicet loco, quoniam etiam prior omnibus ferè aliis vndecim (loquor de iis quorum certum tempus legitur in Scripturis) prophetare cœpit excepto Amos, qui citra controuersiam eodem, quo etiam Hoseas, vaticinatus est. Iuxta verò quorundam sententiam 4. etiam annos ante Hoseam, excepto etiam Iona, qui eodem tempore quo & Hoseas & Amos, vaticinatus est. Quare isti tres debebant iuxta rationem temporis simul collocari. Deinde subdendus Micheas, qui sub Iotham cœpit prophetare. Certum enim de iis, in Scripturis tempus constat. Illi etiam postremi quatuor, Sophonias, Haggæus, Zacharias, & Malachias, iuxta hunc temporis ordinem rectè sunt collocati. Cæterùm hæc parui sunt momenti.

VI. Illud vtilius est, ad quem quisque populum destinatus fuerit, seu, ad quos sua dirigant vaticinia, paucis dicam. Horum Prophetarum omnium primò alii pertinent ad Israelitas, alii autem ad Iehudæos, alii verò ad gentes varias.

Ad Israel pertinent ij quatuor: Hoseas, Ioel, Amos, Micheas præcipuè ij contra Israelem vaticinati sunt. Atque si hoc spectemus, videmus rectè ordine Ioelem coniunctum cum Hosea & Amos. Sed Micheas posteà statim subiiciendus erat. Omnes enim ij quatuor contra Israelem vaticinantur.

Ad Iehudæos pertinent alii quatuor, Sophonias, Haggæus, Zacharias, Malachias. Nam Sophonias præcipuè vaticinatus est contra Hierosolymam. Haggæus verò, Zacharias, & Malachias post captiuitatem vrgebant Iehudæos ad ædificandum templum.

Ad gentes spectant reliqui quatuor, scilicet Ionas, Nahum, Habacuc, Abdias.

Ionas enim & Nahum contra Niniuitas præcipuè vaticinati sunt. Habacuc autem contra Babylonem, Abdias verò contra Edom.

Hoc plurimum refert scire, ad quem quisque Propheta populum sua dirigat vaticinia, facit enim ad veram cuiusque Prophetæ intelligentiam.

VII. De materia verò, quam in genere tractant omnes Prophetæ, seu quæ sit summa totius doctrinæ Propheticæ in singulis Prophetis, hæc pauca accipite.

Prophetæ omnes nihil aliud sunt quàm Mosis seu legis interpretes. Legis autem summa iis capitibus continetur, quorum,

Primum est, salutis & æternæ vitæ, deinde aliorum etiam in hoc seculo bonorum gratuita promissio. Deus enim ex sua bonitate, populo, quem sibi gratis adoptauit, bona etiam omnia gratis promittit.

Secundum est, regula piè & sanctè viuendi, populo præscripta à Deo. Deus enim, sicut quantum ad se attinet, promittit salutē & æternam vitam: ita vult vt populus vicissim piè & sanctè viuat, sicut ipse sanctus est, vt populus sit tali Deo dignus.

Hinc sequitur tertium, nempe, nisi quis suæ respondeat vocationi, peccatorum obiurgatio & variarum pœnarum comminatio quibus duobus rebus homines ad timorem Dei & ad resipiscentiam reuocantur. Quia verò nulla est spes post admissa peccata cum Deo reconciliationis, & promissę salutis, nisi per Mediatorem illum, quem de principio promiserat Dominus Adæ, & Abrahæ & aliis patribus: ideò proponit Christum, qui pro peccatis satisfaciat, & per quem fiat reconciliatio, Atque hoc est

Quartum caput Mediatoris promissio. Legis enim scopus, ad quem homines dirigit & ducit sua doctrina, suis obiurgationibus, & comminationibus est Christus Iesus, vt Gal.3. *Lex pædagogus noster fuit ad Christum*. Nam huius gratia homines cum Deo reconciliantur, regula piè & sanctè viuendi seruatur & salutis atque æternæ vitæ promissiones in nobis implentur.

Ita in summa lex quatuor facit. Promittit salutē & alia bona, docet regulam viuendi, obiurgatione peccatorū & comminatione iræ Dei ad pœnitentiam inuitat, & postremo ad Christū, vti ad scopū & finem per quē illa tria habētur, ducit.

Sic fecit Moses, sic & Prophetæ, legis & Mosis interpretes faciunt.

Cæterùm in hoc differunt à Mose Prophetæ.

1. Quæ ad comminationes quæ est tertia pars legis Moses in genere mala omnia minatus est, & omnes comminationes est complexus, vt Deuter. 28. patet. Nec certum illorum designabat tempus. Prophetæ verò hoc habent præ illo peculiare. 1. vt certas pœnas & certa Dei iudicia denuncient, verbi gratia, huius vel illius regni destructionem, per hunc vel illum tyrannum. 2. vt etiam certum tempus, quo hæc futura sunt, nisi resipiscant homines, prædicent & designent.

2. Quo ad scopum legis, id est, quo ad Mediatorem. Hoc est discrimen inter Mosen & Prophetas: quòd Moses in genere promittit Mediatorem è suo populo. At verò Prophetæ certa quædam de Mediatore, déque gratia Dei edunt vaticinia: vt verbi gratia, cùm vaticinatur Iesaias, è qua muliere sit nasciturus Messias: *Ecce virgo*, inquit & è qua familia, *Dauidis*: vt etiam cap. 11. incipit: *Egredietur virga de radice Iesse*, è qua terra vt Mich. *Et tu Bethlehem terra Iehuda*.

Ex iis perspicuum fit, quæ sit materia Prophetarum, quęve sit summa Propheticæ doctrinæ.

Materia est lex, seu doctrina à Mose tradita, cuius scopus & finis est Christus. Ita duo priora & quartum sunt essentialia, tertium accessorium.

In illa ergo tria capita intenti sunt Prophetæ.

1. Vt persuadeāt populo Dei, quòd Deus eum diligat, quòd velit salutem & vitam æternam eis donare, sicut promisit. Huc spectat illa frequentissima in Propheticis tum præteritorum beneficiorum Dei erga populum commemoratio, tum promissionum de futuris bonis inculcatio. Finis huius doctrinæ est: vt populum prouocent & incitent ad fiduciam in Deum collocandum, ad Deum amandum, colendum, adorandum, inuocandum, vt Deum & patrem suum.

2. In hoc alterum sunt intenti, vt populum doceant Legem Dei tam de cultu diuino & interno & externo, quam de caritate, déque operibus caritatis in proximum, & denique de animi & corporis nostri sanctificatione, inque Dei obsequium consecratione. Huc, inquam, sunt intenti, vt populum doceant legem Dei, ad eamque faciendam exstimulent. Huc spectant omnes illorum adhortationes, admonitiones, &, si qui deflectant à via, suæque vocationi non respondeant, obiurgationes & diuersarum pœnarum, nisi resipiscant, comminationes. Finis huius doctrinæ est, vt populum legem Dei edoctum in eius obedientia & obsequio retineant.

3. Et quoniam tam primùm, quàm secundum obtineri non potest, nisi per & propter mediatorem Christum: ideò Prophetæ in hoc tertium tanquam in summum & finem omnium intenti sunt, vt promissum Messiam proponant, describant eius personam, officium, regnum, beneficia, & quod in hoc vno nos amat Deus, in hoc placatur ira Dei, in hoc implentur promissiones, per hunc recipitur gratia, qua legem implere possimus, per hunc denique recipitur peccatorum remissio, salus, & vita æterna.

Huc spectant omnia, quæ in Prophetis sunt de Christo déque regno Christi vaticinia.

Finis huius doctrinæ est, vt populum Dei ad totam fiduciam, omnem spem, & affectum in Christum mediatorem, & per illum in Deum patrem, collocandam impellant, atque ita è potestate tenebrarum & regno Sathanæ, transferant in regnum Christi & Dei.

Habemus summam totius doctrinæ Propheticæ, quæ probè & firmiter est retinenda illis, qui volunt cum fructu Prophetas legere & audire.

Atque hæc in genere de vniuersis Prophetis dicta sunto. Nunc ad ipsum Hoseam, qui ideò reliquis vndecim præponitur, quia prior etiam aliis omnibus esse videtur, & tempore & maiestate.

De Hosea itaque quatuor præfanda sunt.

1. De persona ipsius Prophetæ 2. de tempore quo Pro-

pheta

phetauit. 3. populo ad quem concionatus est. 4. de genere doctrinæ, quam tradidit suo populo.

1 Quod ad primum, ipse Propheta aperte docet, de sua persona, 1. quis fuerit, nempe Propheta Dei à Deo missus, & nihil nisi verbum Dei vaticinatus, sic enim ait: *Serm. o Iehouæ, qui fuit ad Hoseam* 2. Cuius fuerit filius, nempe Beeri. 3. Qualis verò & quantus sit, seu quantæ autoritatis fuerit, docet cum Paulus, qui Rom. 9. huius autoritate ad probandam vocationem gentium vtitur. 1. Cor. 15. ad probandam resurrectionem citat Hos. c. 13. *O mors* &c. tùm ipse Dominus Iesus, qui hunc vatem ad suam doctrinam confirmãdam citare dignatus est, & quidem in grauissimis disputationibus.

Matth. 9. Vbi agitur de officio Christi, qui se conuiuaerat cum peccatoribus: *Euntes, inquit,* discite, quid sit, Misericordiam volo, non sacrificium. Hos. 6 Matth. 12. Eandem Hoseæ sententiam citauit in aliud propositum, nempe, sacrificium Deo gratum esse, si afficiamur aliorum necessitate, & alios non iudicemus. Magnæ igitur autoritatis fuit Hoseas. Hæc de persona.

2. Quod ad alterum, de tempore, quo vaticinatus est: illud bifariam considerari potest. 1. quo tempore cœperit suum officium exercere. 2. quamdiu illud exercuerit, vtrúmque ipse indicat in contextu.

Quando cœperit, docet, cùm dicit: *In diebus Vziæ regis Iuda.* Et, quoniam Vzias regnauit Hierosolymis, annis 52. ne quis putet, Hoseam cœpisse vaticinari postremis tantum annis Vziæ, seu sub finem regni Vziæ: adiecit Iarobeam, regis nomen, qui in Israel regnabat anno etiam Vziæ 15. vt ex 2. Reg. 14 & 15. colligitur. Necesse est autem, Hoseam, qui ait: *Et in diebus Iarobeam*, vltimo saltem huius Iarobeam anno, qui fuit 15. regni Vziæ, cœpisse Vatis officio fungi. Quare colligitur ex verbis Prophetæ, Hoseam cœpisse vaticinari anno Vziæ saltem 15.

Quamdiu verò vaticinatus sit, indicat idem Propheta subdens: *Et in diebus Iotham, Achaz & Ezechiæ.* Sub hoc enim mortuus est. Indicat, se ab anno 15. Vziæ, per reliquos eiusdem Vziæ annos, qui sunt 37. (regnauit enim Vzias 52. annos) & per annos Iotham qui fuere 16. (tot enim annis regnauit Iotham) & per annos 16 Achaz. (tot enim regnauit Achaz) & per aliquot annos vel vnum saltem annum Ezechiæ: indicat, inquam per hosce omnes annos, qui sunt circiter 70. munus Propheticum continuasse.

3. Ad quem verò & contra quem populum sit vaticinatus, indicat ipse vates sua prophetia, & quidem in hoc ipso primo capite. Vaticinatus enim est contra regnum Israel, id est, decem tribuum vt patet in primo capite vsque ad finem totius libri. Et ad hunc populum indicat se fuisse missum à Domino, cum ait: *Sume tibi vxorem fornicationum quæ concipit & pepe-rit filium, & dixit voca nomen eius Iezreel, quoniam adhuc breui futurum est vt visitem sanguines Iezreelis super domum Iehu, & abolebo regnum domus Israel.*

Item ex eo apparet missum fuisse ad Israelem, non ad Iudam, quia cùm contra Israel acriter fulminet, Iudæ parcit, cum tamen non parum corruptum esset regnum Iehuda. Verùm quia non ad Iudam, sed ad Israelem tantum missus fuit: idcircò pepercit Iudæ, & Israelem acriter obiurgauit. Est enim hæc consuetudo Prophetarum, vt illis populis, ad quos non sunt missi, videantur parcere, nec multum in eos inuehantur. Aduersus verò populum, ad quem missi sunt, acerrimè inuehuntur.

Iesaias & Micheas acerrimè obiurgant populum Iuda, non ita faciunt contra Israelem, quia ad Iuda obiurgandum, non ad Israel missi fuerant. Secuti sunt autem vocationem suam.

Sic contra Hoseas & Amos, qui eodem tempore prophetarunt in Israelem inuehuntur & Iudæis blandiri videntur, quia non ad Iudæos, sed ad Israelitas vterque missus. Cùm enim ea non multò minus eo tempore corruptæ essent Hierosolymis, quam in Israel, vt apparet ex Iesaia & Michea, qui eodem tempore vaticinabantur in Iuda, quo Hoseas & Amos in Israel: Certe Hoseas non pepercisset Iudæis, si ad eos missus fuisset. Aduersus quem igitur dirigantur vaticinia Hoseæ, seu, apud quem populum sit vatis officio functus, ex iis apparet.

4. Doctrina huius prophetiæ eadem est in genere cum doctrina aliorum Prophetarum. Est enim legis explicatio, quatenus in lege continetur etiam fœdus Domini & Euangelium, vt superius explicatum à nobis fuit, cùm declararemus quæ esset summa doctrinæ propheticæ.

Specialiter verò doctrina huius prophetiæ, præcipua hæc complectitur capita.

I. Est de peccato, & præsertim de idololatria. Fuit autem Israelitarum idololatria hæc: quòd cum Deus disertis verbis dixerit, se solum velle, idque Hierosolymis tantum, & in templo Salomonis adorari & coli: (Ps. 132. *Hæc requies mea, hic* est, *hic habitabo*) *ipsi decem tribus*, autore Iarobeam filio Nabat, denisi à tribu Iuda, duos alios locos Dan & Bethel sibi delegerunt, in quibus adorarent, & vitulos duos aureos conflarunt, altaria extruxerunt, ibique Deum in vitulis aureis & aliis idolis colere se profitebantur: cùm tamen colerent diabolum in idolis, non Deum. Et hæc idololatria continuata fuit per annos circiter 185. cùm Hoseas prophetare cœpit. Quare vetus erat morbus & incurabilis. Circa igitur hanc idololatriam Propheta, & per omnes fere conciones acriter in eam inuehitur, & populum de hoc grauissimo peccato grauiter accusat atque obiurgat.

2. Docet, quàm graue sit peccatum, quàmque Deo displiceat idololatria dùm eam vocat modò fornicationem, modò adulterium his enim nominibus indicat. Deum ita offendi & irritari idololatria, atque maritus offenditur & irritatur fornicatione & adulterio vxoris suæ.

3. Docet, vnde nascatur idololatria, duabus præcipue ex caussis. 1. ex neglecto Dei verbo cap. 4. 9. & alibi. 2. ex vino, rerum affluentia & aliis rebus secundis c. 13.

4. Docet, effectus idololatriæ esse excæcationem, dementationem, impulsum ad omnia vitia & peccata c. 4. cùm idololatriam comparat fornicationi & vino, quæ auferunt cor, & dementes faciunt homines

5. Varias plagas & pœnas idololatriæ inculcat, quarum hæ sunt præcipuæ. Vna est, quod Dominus propter idololatriam solet summittere falsos doctores & stultos Prophetas, qui populum cæcum magis ac magis seducant. Sic etiam Paul. 2. Thess. 2. ait: *Quia non receperunt veritatem immittet ipsis efficaciam errorum, vt credant mendacio* Cap. 9. *Propter tuam iniquitatem, & vehementi odium, Propheta stultus est & furit, qui gloriatur de spiritu.*

II Caput doctrinæ huius Prophetæ est exhortatio ad resipiscentiam ad verum cultum, & sanctam vitam, & opera pietatis erga proximum c. 6. *Misericordiam volo, non sacrificium.* Cap. 10. *Seminate vobis ad iustitiam,* Cap. 12 *Conuertere ad Deum tuum.*

Doctrinam etiam subiicit, quomodo debeant conuerti ad Dominum fideli & humili oratione, qua petant remissionem peccatorum a Domino, & id quod est bonum Spiritum sanctum, iustitiam, c. 13. *Accipite vobis:* cum verba hæc: *Conuertimini ad Deum vestrum, & dicite: Remitte nobis omnem iniquitatem, & da nobis bonum.* Et qui sic faciunt, pronunciat esse filios Dei per Christum, liberatos à morte & inferno: & certam esse eorum salutem.

III. Igitur caput est prædicatio Euangelij de Christo, déque regno Christi, & certa salute per fidem in Christum: de iustificatione & resurrectione mortuorum, & aliis locis Euangelicis. De Christo, quod sit Deus & homo, & caput Ecclesiæ, locus est in c. 1. & 3. quòd ipse redimat à morte & inferno electos suos. cap. 13. De Ecclesia seu regno Christi tria præcipua tradit. 1 Ecclesiam & sacerdotium Dei ibi esse, vbi est verbum Dei: contrà, vbi non sit verbum, ibi non esse Ecclesiam. c. 4 *Quia repulisti verbum meum, repellam Ego te, ne sacerdotio fungaris mihi.* 2. Qualis sit Ecclesia Christi, quàm firma, quàm semper florens, quàm ampla, quàm pulchra, quàm vtile sit esse in Ecclesia, describit c. 14. 3 Quòd vera Ecclesia & populus Dei nunquàm deficiat: licet illa quæ videbatur esse Ecclesia deficiat, c. 1 *& erit vbi.* De gratia Dei & libero arbitrio nostro, quòd ex nobis nihil boni, sed tantùm perditio ex nobis sit, ex Deo tantùm auxilium & gratia, cap. 13. *Perditio tua ex Te Israel tantùm in Me auxilium tuum.*

De promissionibus Dei, quod numquam fiant irritæ, quia semper implentur in Electis: licet illi, quibus fuerant factæ, illis frustrentur, docet c. 1. *Licet Israel perdatur: tamen promissio Abrahæ de multiplici semine implebitur in gentibus.*

De reprobatione Israel secundùm carnem, & vocatione etiam gentium, id est, Israel secundùm Spiritum, docet cap. 1. *Et erit, vbi dictum est.*

De iustificatione: quod ex misericordia Dei per fidem in Christum fiat, docet c. 2. *Despondebo te mihi in fide & misericordia.*

De oratione & cultu idololatrarum quàm displiceat Deo & inutilis sit. c. 7.

De Electis, quod perire non possint, quia Deus stat suis promissis: nec mutat æternum suum propositum, vt homo, cap. 11. *Non perdam te Ephraim, quia Ego Deus, & non homo*

De resurrectione mortuorum, clara testimonia sunt in cap. 6 & 13.

Sed ij & alij loci, meliùs suis locis videbuntur & discutientur.

Habemus summam doctrinæ huius Prophetæ tàm in genere quàm in specie.

Nunc videndum argumentum primi capitis.

ARGVMENTVM PRIMI CAPITIS.

PRimò paucis indicat præfationis loco, se à Domino vocatum, & cum verbo Domini ad Israelem missum, idque tempore quo regnabat in Iuda Vzias, in Israel verò Iarobeam: & sub quot regibus prophetarit. Atque hac ratione attentos reddit auditores & lectores. 2. Loco populis sui, id est, Israelis peccata atque imprimis idolatriam acriter obiurgat.

3. Loco subiicit, pœnam idololatriæ, quam de populo illo Deus sumturus est breui. Ea est enim animaduersio Dei in familiam Iehu, cuius tunc Princeps Iarobeam felicissimè regnabat in Israel, animaduersio inquam, in familiam Iehu, ne ampliùs regnet in Israel: tum destructio totius regni Israel: idque sine vlla misericordia, vt deinceps neque nomen populi Dei populus ille sit retenturus.

In tres igitur partes distinguo caput hoc:

In prima continetur titulus seu Προοίμιον præfationis loco. Ea est in versu primo & partim secundo.

In secunda continetur reprehensio peccati, & præsertim idololatriæ populi Israel obiurgatio. Ea est in versu 2. & partim 3.

In tertia continetur pœna idololatriæ. Ea est in versu 3. & deinceps vsque ad finem. Quanquam in versu 7. continetur promissio de saluando Iehuda quæ ad maiorem exaggerationem pœnæ Israelis facit.

Notandum hic in genere de titulis, qui præfiguntur libris Prophetarum.

Tales tituli præfationis loco Prophetiis præfiguntur: 1. quidem ad demonstrandum, quis illius prophetiæ autor fuerit, tùm primus & principalis, qui est Deus: tùm instrumentalis & secundarius, qui est Propheta ipse. Ideo solent præponere tùm nomen Dei, tùm nomen Prophetæ, vt, *Sermo Domini, qui factus est ad Hoseam.* Item, *Visio Abdiæ: Hæc dicit Dominus ad Edom.*

2. Præponuntur sæpe, vt materiam etiam, de qua dicturi sunt, indicent, vt cùm aiunt. *Onus Niniue. Liber visionis Nahum.* Indicant, se infausta & infelicia denunciaturos.

3. Aliquando, vt ostendant, ad quem pertineat ea prophetia: vt, *Hæc dicit Dominus Deus ad Edom Abd.* 1. *Onus Niniue.*

4. Vt ostendant, quo in loco verbum illud Domini acceperint, vel etiam, vbi prophetare cœperint, ideo addunt sæpe etiam χωρογραφίαν, vt Ezech. 1 Et factum est in trigesimo anno, in quarto mense, quinta mensis, vt essem inter captiuos iuxta fluuium Chobar.

5. Aliquando, vt indicent, quo tempore cœperint prophetare, vel etiam quamdiu, seu quot annos prophetarint. Ideo sæpe addunt χρονογραφίαν, & regum, sub quibus prophetarunt, nomina, vt Esaias vt Hoseas hic & alii multi Prophetæ.

Huiuscemodi autem χρονογραφίαι ad tria præcipue faciunt. 1. ad prophetiæ certitudinem. Ne quis enim putet hæc vaticinia ficta fuisse, aut postquam res euenerunt, fuisse de illarum euentu prophetatum: remittunt Prophetæ ad publicum testimonium, quod dare possunt omnes, qui eo tempore fuerunt, quo prophetæ hæc sunt vaticinati, quare de certitudine & veritate prophetiæ dubitandum non esse.

2. Faciunt ad prophetiæ etiam intelligentiam. Illa enim temporis & regum commemoratio, remittit nos ad legendas illius temporis, &, quæ sub talibus regibus contigerunt, historias. His verò lectis aperitur qualis tum fuerit Ecclesiæ status. Hoc verò perspecto, facilis ad prophetiæ intelligentiam aditus patefit.

3. Faciunt etiam sæpe ad prophetiæ ipsius laudem & autoritatem, vt cùm indicant sua Chronographia, se permultos annos vaticinatos fuisse.

Hinc certè inferre licet: magna igitur animi fortitudine & constantia illos præditos fuisse, qui per tàm longum tempus tàm onerosum munus, & omnibus calamitatibus expositum obire potuerint, vt cùm Iesaias ait, se prophetasse sub Vzia, sub Iotham, sub Achaz, sub Ezechia, & sicut Hoseas hic facit.

Huiuscemodi igitur tituli eo ferè spectant, vt autoritatem tùm prophetiæ, seu verbo, quod ibi continetur, tùm ipsi etiam Prophetę concilient, atque ita auditores & lectores attentos, sæpe etiam dociles reddant. Hæc de titulis Prophetarum in genere.

Hinc perspicuum fit, quò spectet titulus iste Hoseæ: nempe ad autoritatem tùm Prophetæ ipsi, tùm prophetię conciliandam: ideòque ad reddendos auditores attentos. Id quod vt meliùs pateat, videamus singula verba.

1. *VErbum* Iehouah, *quod fuit factum ad* Huscheah, *filium Beeri, in diebus Huzyah, Iotham, Achaz, Ie Chizkyah, regum Iehuda & in diebus Iarobeam filii Ioas regis Israel.*

Debar, verbum, sermo, prophetia, quæ reuelata fuit Hoseæ. Est autem singularis pro plurali. Est enim titulus totius huius libri, in quo multæ continentur prophetiæ.

In diebus, id est, temporibus Vziæ, quia enim tempora constant diebus: ideò dies pro tempore accipiuntur apud Hebræos. Phrasis Hebræorum frequentissima in Scripturis.

2. *Principium verbi* Iehouæ *in Hosea* fuit hoc. *Et dixit* Iehouah *ad Hoseam. Vade, accipe tibi vxorem fornicationum, & filios fornicationum: quoniam fornicando fornicabitur hæc terra de post* Iehouah

Escheth Ischah mulier ab *Isch* vir.

Illud *Hezn haarets*, accipio pro *Chezh Haiodea* hæc terra Illud *Meachare Iehouah* ad verbum est: de post Iehouah. Munst. a Domino. Sant. agni ne eat post Dominum. Sic Calu. ne sequatur Iehouam.

Hoc fuit præceptum Domini ad Hoseam in visione: addita etiam significatione huius visionis, modò sequitur obedientia Prophetæ itidem in visione. Ait enim sic:

3. *Et abiit* Hoseas, *& accepit Gomeram filiam Diblaiim &* Gomera *concepit & peperit ei* Hoseæ *filium.*

Gomer est consumtio, putrefactio, item consummatio, à *Gamar* consumere & consumi.

Diblaiim est plurale secundùm formam masculinam, à *Dabal* radice inusitata. Vnde *Debelach* fœmininum, & plurale masculinum. *Diblaiim* massæ ficuum siccorum seu caryicarum, quæ simul collectæ compressæque vnum efficiunt corpus, ait R. D. Kimhi. Ergò Gomer Diblaiim est massa ficuum consumta putrefactaque. Sunt enim nomina ficta.

4. *Et dixit Iehouah ad eum* Hoseam: *voca nomen eius* Iezreel, *quoniam adhuc pauxillum & visitabo sanguines* Iezreel *super domum Iehu, & cessare faciam regnum domus Israel.*

Iisreel. Duplex Iezreel prima ciuitas fuit, quæ in sortem tribus Iehuda cecidit, vt est in libro Iosua c. 15. ad calcem. De hac non loquitur hic Propheta.

Altera erat in regno decem tribuum, de qua 3. Reg. 18 ad calcem, & 21. item 4. Reg. 9. 10. Hæc & Samaria erant metropoles Israelitarum.

Est autem allusio inter Iezreel & Israel. Sanguines Iezreel, id est, qui effusi sunt in Iezreel à Iehu. Ibi enim etiam Iezabelis sanguis est fusus: vt est in 3. Reg. 21. Eliah sic nomine Domini dixit, Canes comedent Iezabel in agro Iezreel. Sic etiam ibidem Naboth ab ea occisus. Iehu historiam lege in 3. Reg. 19. & 4. Reg. 9. 10. *Hisch bathi* cessare faciam, id est abolebo.

5. *Et erit in die illa, & conteram arcum Israel, in valle Iezreel.*

6. *Et concepit adhuc, & peperit filiam, & dixit ei* Hoseæ ipse Dominus: *voca nomen eius* Lorucchama: *quoniam non adiiciam ampliùs, vt misericordia prosequar domum Israel quando (vel quoniam) eleuando eleuabo contra eos,* *scilicet* Esbhao Iebh, hoc est, inimicum Assur, quasi dicat, sicut hactenus feci quando contra eos excitaui hostem: postea misertus sum, post hac non faciam, vel, vt Calu. quoniam tollendo tollam *labem* pro *othem* ipsos per enallagen, id est, penitùs a conspectu meo sum illos amoturus.

Aracham est miserebor, ad verbum est, quoniam non adiiciam ampliùs miserebor, seu misericordia prosequar domum Israel.

Ki verti Quando: alii Quoniam: alii Sed. Omnia hæc significat.

7. *Et domum Iuda misericordia prosequar, & saluabo eos in Iehouah Deo eorum, & non saluabo eos in arcu & in gladio, & in bello, in equis & in equitibus,* id est, per arcum.

8. *Et ablactauit* mater *Loruchamam, & concepit, & peperit filium.*

Id est, vix ablactauit filiam: & statim concepit.

9. *Et dixit Dominus. voca nomen eius Loammi, quoniam vos non populus meus: & Ego non ero vobis in* Deum.

SEQVITVR EXPLICATIO RERVM.

1 *Verbum* sermo *Iehouah.*

PArticula hæc pertinet ad autoritatem prophetiæ. Prophetia hæc non est humanum verbum, sed verbum Domini, ad quod etiam pertinet, quod non contentus dixisse Verbum Domini, iterum & tertiò repetit idem Dei nomen versu altero, dicens: *Principium quo locutus est Iehouah in Hosea*, Item, *Et dixit Iehouah.*

Pro-

Prophetia igitur hæc non est ab Hosea, sed à Domino tanquam primo & principali autore, sed per Hoseam (vt postea sequitur) tanquam per os Domini ad populum Israelis relata, ac postea per eundem tanquam per manum Domini literis commissa.

Quod fuit ad Hoseam.

Particula hæc facit ad autoritatem prophetiæ, quo etiam pertinent illæ duæ locutiones in altero versu: *Principium quo locutus est Dominus in Hosea.* Item: *Et dixit Dominus ad Hoseam.*

Omnes hæ locutiones indicant Hoseam fuisse verum Dei Prophetam, à Domino ipso missum, & per quem locutus sit Dominus, non autem ex numero Pseudoprophetarum: de quibus per *Ierem.* 23. Currebant, & Ego non mittebam eos, prophetabant. & Ego non loquebar ad eos.

Cæterum harum locutionum, vna est significantior alia. Illa postrema: *Et dixit Dominus ad Hoseam*, simpliciter indicat, Hoseam fuisse verum Dei Prophetam, qui non sua, sed quæ à Domino acceperat, vaticinatus sit. Potest autem loqui Dominus ad aliquem, vel per Angelum, vel per aliquam speciem externam.

Illa verò secunda: *Principium quo locutus est Dominus in Hosea.* hoc quiddam amplius docet. Docet enim, Deum non solùm per Hoseam simpliciter: sed in ipso spiritu Hoseæ inhabitantem, per eum, ceu per suum os, locutum fuisse. Hoc enim significat locutio hæc *in Hosea Dominum loqui.*

Quidam illud ב. simpliciter vertunt PER Hoseam. Sed aliquid plus significat in Hosea, quàm per Hoseam. Dominus enim etiam per asinam Balaam locutus est, tanquam per suum instrumentum, sed non in asina, quia non habitabat in illa Dominus. In Prophetis verò Dei sanctis, non solùm per Prophetas loquebatur Dominus. Sic Hebr. 1. Paulus in hunc finem hac locutione vsus est, dicens: *Olim Deus locutus Patribus in Prophetis vltimis diebus hisce locutus est in filio: quia & in illis & in hoc (quanquam in hoc excellentiori modo) inhabitans Deus, per illos & per hunc locutus est.* Sic Christus Matth. 10. *Non enim vos estis qui loquimini: sed Spiritus Patris qui loquitur in vobis* 2. Cor. 13. *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus*, Gal. 1. *Vt reuelaret filium suum in me.*

Omnes hæ locutiones docent, Deum in hominibus inhabitantem per eos locutum fuisse. Hoc autem plurimùm facit ad commendandam Prophetæ autoritatem, quod scilicet Dominus in eo habitans, per eum loquebatur.

Illa porrò prima locutio, *verbum Domini, quod factum est ad Hoseam*, aliquid addit illis duabus aliis Specialiter enim significat Prophetam non tantùm fuisse verum Dei Prophetam, nec tantùm habitaculum Dei, in quo & per quem locutus est Deus, sed etiam insignem quendam Dei legatum cum specialibus quibusdam Dei mandatis, & diuina autoritate ad populum admonendum, corrigendum, erudiendum, regendum quasi in persona Dei missum. Hoc enim significat hæc phrasis: *Verbum Domini, vel sermo Domini factus ad Hoseam*, sicut indicauit Christus Ioan. 10. *Si Deos vocat eos ad quos sermo Dei factus est.* Loquitur ibi de regibus, principibus & magistratibus, quibus Deus tradit suã autoritatem populi regendi: ideò ad eos dicitur sermo Dei factus, sic ad Prophetas dicitur sermo Dei factus, qui specialibus Dei mandatis instructi cum Dei authoritate ad populum erudiendum & gubernandum in religione mittuntur. Atque hoc etiam non parum habet momenti ad autoritatem Prophetæ conciliandam.

Ex quo consequitur, quòd qui Prophetam hunc cum verbo, cum autoritate & potestate Dei missum audierit, Deum ipsum audiet, & qui contemserit, Deum ipsum contemnet, iuxta illud Christi: *Qui vos audit, me audit.*

Ad Hoseam.

Nomen etiã ipsum Prophetæ quodãmodo facit ad authoritatem ei conciliandam. Significat enim Seruatorem. Indicat hoc nomen, (quod certe à Domino ei impositum fuisse, idque non temere, dubitandum non est:) indicat, inquam, hoc nomen, *Hoschea*, Prophetam hunc venisse ad populum illius salutis caussa, & tãquam saluatorem, quo ad doctrinam, si populus voluisset resipiscere, & vt illis prædicaret verum Iesum Christum. Deinde fuit typus quidam ipsius Iesu Christi, in ea vxore fornicaria, quam iussus est ducere, vt postea explicabitur, iuxta sententiam Irenæi Ideò etiam videmus, ab hoc Hosea ipsius veri Iesu tum diuinitatem, tum humanitatem, tùm regnum & eius Ecclesiam, tùm salutem per eum suæ Ecclesiæ partam, singulariter prædicati: vt postea suis locis videbimus. Ergo ipsum etiam nomen *Hoschea*, ad authoritatem Prophetæ pertinet.

Filium Beeri.

De isto Beeri nullibi Scripturarum, nisi hic, mentio fit. Nã quod Hebræi aiunt hunc fuisse illum Beera qui fuit Princeps Rhubenitarum, de quo 1. Paralip. 5. parùm firmum est, & illud nomen sic est scriptum *Beerah*: istud verò *Beeri.*

In diebus Vzia.

Describit tempus, quo & cœperit & perrexerit prophetare. Quando cœperit? Si spectes reges Iuda, ait In diebus. id est, tempore Vziæ. Quia enim tempora cõstant diebus, ideò dies pro tempore accipiuntur. Vzias iste Azarias quoque appellatus fuit, filius fuit Amaziæ, & annos 52. regnauit Hierosolymis, vt est 4. Reg. 15. Quantum igitur ad initium sui vaticinij, si reges Iehuda spectes, cœpit in diebus, id est, tempore Vziæ regis Iehuda Si verò spectes reges Israel, cœpit in diebus, id est tempore Iarobeam regis Israel. Ideò ait: *Et in diebus Iarobeam filij Ioas, regis Israel.* Addidit *filij Ioas*: differentiæ caussa. Duo enim fuere reges Israel, id est. decem tribuum, nomine Iarobeam. Primus, filius fuit Nabath. Ephratæus, Salomonis seruus. Hic primus post Salomonis mortem, diuiso regno Dauidis, propter idololatriam Salomonis, in duas partes, à decẽ tribubus, quæ Israelis cognomen retinuerunt, in regem electus fuit Israelitarum, Rhoboam Salomonis filio in sola tribu Iuda, & partim in tribu Benjamin regnante: vt est 3. Reg. 11. De hoc Iarobeam non loquitur Propheta: neque enim sub hoc vaticinari potuit, cùm inter huius mortem, & Hoseæ Prophetæ natiuitatem intercesserint anni supra 120.

Alter Iarobeam filius fuit Ioas regis Israel, & pronepos Iehu: de hoc loquitur. Sub hoc igitur Iarobeam rege Israel, prophetare cœpit Hoseas noster. At cur adiecit: *Et in diebus Iarobeam?* Nónne satis erat dixisse: *in diebus Vzia*: scilicet verbum Domini factum est ad Hoseam, hoc est, Hoseas prophetare cœpit?

Resp Notandũ, consuetudinẽ esse prophetarum, vt nomina Regũ Israelis in suis titulis ponant rarò: vt hic & Amos. Et notandum, quòd nullius regis Israel nomen inuenitur in titulis propheticis, nisi istius Iarobeam. Cur? quia illi non erant digni, qui recenserentur quia non erãt successores Dauidis, nec reges, sed tyranni. Ob hanc etiã caussam. iste Iarobeam, qui omnes illos 4. Iuda præcessit, postremo loco ponitur. Cur verò huius nomen posuerit Propheta, 4. sunt caussæ.

1. Hoc fecit, vt multiùs explicaret, quo tempore cœperit prophetare. Quia enim absolute dixerat: *in diebus Vzia.* Vzias autem regnauit annos 52. in Ierusalẽ: Potuisset quis forte suspicari, Hoseam cœpisse prophetare sub finem regni Vziæ, quo tempore regnum Israel à variis opprimebatur tyrannis. Ne quis igitur hoc putaret, adiecit hãc particulam, *Et in diebus Iarobeam.* Particula hæc indicat aperte, quoto fere Vziæ anno cœperit vaticinari. Quoto? Anno Vziæ, iuxta Fũccium, saltẽ 18. vel forte, meo iudicio, anno Vziæ 15. quod hinc perspicuum fit. Annis enim 15. regnauerat Vzias quando moriebatur Iarobeam. Nam Vzias (vt est 4. Reg 15.) regnare cœpit in Iuda, anno regni Iarobeam 27. Iarobeam autem regnauit in Israel annos 41. Iam à 27. anno regni Iarobeam, quo cœpit Vzias regnare in Iuda, vsque ad annum 41. id est, vltimum ipsius Iarobeam, intercedunt anni ad summum 15. quibus regnauerat Vzias in Iuda, quando moriebatur Iarobeam. Atqui Hoseas prophetauit etiam in diebus Iarobeam (vt hic ait) idque saltem anno vltimo regni Iarobeam illius.

Ergo ex eo, quod adiecit, se prophetasse in diebus Iarobeã, manifestum facit Propheta, se prophetasse, non sub finẽ regni Vziæ, sed anno regni Vziæ ad summum 15. vel forte etiam citiùs. Et loquor de annis, quibus ipse Vzias regnare cœpit personaliter Hierosolymis. Sic enim intelligitur illud 4. Reg. 15. Anno 27. Iarobeã Vzias annum agens 16. regnare cœpit Hierosolymis. Quę verò de annis interregni tradit Funccius, pa. 128. non est operæpretium huc referre.

2. Hac etiam particula adiecta indicauit, se Prophetam fuisse Israelis, in quo regnabat Iarobeam. Neque enim Prophetæ, qui ad Iudæos tantum concionabantur, soliti sunt in sua χρηματισμῷ suisque titulis ponere nomina regum Israel, sed tantùm Iehuda: vt patet, si quis legat Prophetas.

Qui verò in Israel vaticinabantur, sæpe cum nominibus regum Iehuda coniungunt nomina regum Israel, vt facit Amos, & hic Hoseas.

3. Hac particula indicare etiã voluit, se nõ prædixisse vltionẽ Domini cõtra iniquitates Iehu, quando iam erãt punitæ: (id quod fuisset ridiculũ) sed quãdo etiamnũ pronepos Iehu. i. Iarobeã filius Ioas felicissime regnabat in Israel, neq. prędixisse futurã breui totius rgni destructionẽ cùm vehemẽter afflictũ per tyrannos & seditiosos homines, ab hostib. etiam vexaretur: (non enim ita magnum aliquid & mirabile prædixisset Propheta) sed tunc se hoc prędixisse, cùm regnũ hoc florentissimũ esset, & nihil minùs, quàm illius regni destructio ex-

spectaretur. Et hoc facit ad maiorem Prophetæ autoritatem, vt antea dixi.

4. In hac particula, *Et in diebus Iarobeam*, indicare voluit, se primum fuisse, qui illius regni destructionem prædixerit. Nemo enim ante Iarobeam prædixit eius regni destructionem, vt est etiam in 4. Reg. 14. Hæc locutus erat Dominus, quòd vellet delere nomen Israel de sub cœlo. Ideò seruauit eos per manum Iarobeam filij Ioas.

Hoseas autem primus cum Amoso Propheta, suo collega in Israel ausus est hanc regni destructionem prædicare, & quidem cùm regnum esset florentissimum. Quæ res certe periculosior fuit tùm, quam si postea afflicto regno id prædixisset, sicut fecerunt postea alij Prophetæ. Magna ergo animi fortitudine præditum fuisse Hoseam, necesse est. Quare hæc etiam particula facit ad magnam commendationem Prophetæ, & autoritatem, & animi fortitudinem. Videmus igitur, hanc particulam non fuisse temere adiectam, *Et in diebus Iarobeam*.

Habemus, quo tempore cœperit prophetare Hoseas: anno scilicet Iarobeam saltem 41. ideóque anno Vziæ regis Iuda saltem 15. si non citiùs.

At verò, quamdiu prophetare perrexerit? Ex iis quæ diximus, & ex iis, quæ subnectit Propheta, colligere licet: *Et in diebus Iotham, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda*. Colligimus necessariò, prophetasse supra annos saltem 60. Nã si prophetare cœpit (vt ostensum est) anno Vziæ 15. Ergo sub Vzia prophetauit annos minimùm 37. Annis enim 52. regnauit Vzias. Deinde sub Iotham annos 16. Tot enim annis dicitur regnasse. Quanquam verò fieri potest, vt intra hos 16. annos, quibus dicitur Iotham regnasse, connumerentur illi etiã, quibus viuente patre Vzia, sed leproso, regnum administrauit ipse Iotham. Nõ desunt tamẽ, vt Funcc. in Chron. p. 154. qui velint Iothamum post patris mortem regnasse annos 16. Iam ex 37. Vziæ, & 16. Iothami habebimus annos 53. deinde accedunt 16. anni, quibus regnauit Achaz, sub quo etiã prophetauit Hoseas, vt ait. Iam habebimus annos 69. Sequuntur etiam aliquot anni sub Ezechia. Nam etiam sub hoc vaticinatus est Hoseas annos aliquot. Iuxta sententiã Hieronymi prophetauit sub Ezechia, annos saltem 5. & amplius. Ait enim, Hieronymus Hoseam & prædixisse futuram, & luxisse præsentem regni Israelitici destructionem. Fuit autem destructum postremò à Salmanassar anno Ezechiæ 6. Iam habebimus annos saltem 74. Igitur, etiamsi adimantur aliquot anni ex illis, quibus dicitur regnasse Iothamus: fieri tamen non potest, quin vltra 60. annos Hoseas noster prophetandi munus obierit.

Quò autem spectat tota χρονολογία? Vt ante dixi, ad certitudinem prophetiæ.

2. Ad prophetiæ intelligentiam. Quia remittit nos ad historias earum rerum quæ sub iis regibus contigerunt, legendas. Ex iis autem historiis facilis aditus patet ad prophetiæ intelligentiam.

3. Facit ad Prophetæ autoritatem, fortitudinem & constantiam commendandam. Si enim sub iis omnibus regibus, & tàm longo tempore, tàm laboriosum & omnibus malis expositum munus, nempe Propheticum, inter populũ tam perditum & contumacem, qualis Israeliticus erat, sustinere potuit Propheta: quanta igitur animi fortitudine & constantia præditus fuit?

Hæc etiam chronologia facit ad magis patefaciendam populi pertinaciam: supra annos 60. Hoseas concionatus est illis, & prædixit ruinam regni per tot annos: & tamen non resipuerunt.

Principium

Hæc etiam particula facit ad commendationem Prophetæ. Indicat enim hæc particula, Hoseam initio suæ concionis ad Israel non esse vsum verbis mollibus & blandis, vt eorum beneuolentiam sibi conciliaret: sed acriter & vehemẽter & duriter cœpisse eos arguere, quòd essent idololatræ, scortatores, nati ex scortatione, & quòd illorum regnum erat lupanar, vbi sine pudore quotidie scortarentur: ideóque quòd Deus illud regnum destructurus esset, & illos à se reiecturus. Insurgere autem tali tempore, hoc modo, contra talem regem, & tantum regnum non fuit hominis plebei animi, sed heroici & diuini spiritus.

Ex iis perspicuum factum est id, quod initiò dicebamus, totum hunc titulum pertinere ad commendandam tùm Prophetæ autoritatem & veritatem: tùm ipsius prophetiæ autoritatem simul & dignitatem: ideóque ad reddendos auditores attentos ad audiendum talem ac tantam prophetiam à tali ac tanto Propheta prædicatam. Habemus titulum.

Audiamus igitur, quid initiò concionatus sit Israelitis his noster Propheta.

Principium, inquit, quo locutus est Dominus in Hosea, hoc fuit. Vade, &c.

Dubium non est, quin Dominus hæc iusserit Prophetæ, vel in somnis loquens et sine spectro, vel in visione, id est, in spectro aliquo ei apparens. Hi enim sunt duo modi ordinarii, quo Deus solet Prophetis sua mysteria reuelare, & eos spiritu prophetico afflare. Num. 12.

Dubium igitur non est, quin Dominus vel in somnio, vel in visione mandarit Prophetæ hoc, quod sequitur. *Vade*, inquit, *Accipe tibi vxorem* (vel mulierem in vxorem) *fornicationum*. Non ait fornicariam vel fornicationis: sed fornicationum, vt etiam Hieron. annotat, id est, quæ non semel aut cum vno, sed sæpenumerò, & cum multis fornicata sit. Nam mulier fornicationum dicitur velut scortum, id est, quod dicitur, quòd passim, quòd ad omnium libidines expositum fuit: *Et filios fornicationum* scilicet accipe etiam tibi in filios, filios, inquam, illos, qui ex ea muliere fornicationum nati sunt, qui ideò appellantur filii fornicationum, quia ex fornicationibus nati sunt. Vel etiam sic. Et filios ex ea muliere fornicaria suscipe: vtramque interpretationem adfert Hieronymus. Prior quibusdam, altera aliis magis probatur. Hactenus præceptum Domini ad Hoseam.

In quem verò finem mandat Deus rem hanc Hoseæ? In mysterium & symbolum quoddam, hoc est, vt hac re, ceu symbolo quodam, indicaret, synagogam Israel & eius filios scortatores esse, hoc est, & eorum maiores, vnde nati sunt, scortatos fuisse cum Sathana atque idolis & ipsos filios natos esse ex scortatione, maiorúmque suorum mores sectari. Ideò subdit huius præcepti significationem, dicens: *Quia fornicando fornicabitur terra scilicet Israel de post Dominum*, hoc est, auersa penitus a Domino, ne amplius post eum eat. Ideò Munsterus sic vertit (*Accipe vxorem* (in signum) *quod fornicando*. Illud fornicando fornicari, est vehementer sine vlla intermissione & pudore fornicari. Sicut etiam *Eundo ire*, & *gaudendo gaudere*, id est, celeriter ire, vehementer gaudere. Phrasis Hebræa.

Illud *fornicabitur* in futuro, sic accipio, vt Propheta indicet, terram Israel non tantum fornicatam esse, quasi iam desierit fornicari, sed etiamnum pergere & perrecturam fornicando.

Illud *De post Dominum*, quidam sic accipiunt, ne eat post Dominum. Alii, A Domino. Ego vtrumque complector ad hunc modum, quia auersa est a Domino penitus ne amplius eum sequatur. Vocat autem fornicationem idololatriam, id quod vsitatissimum est in scripturis, & ratio huius metaphoræ est, quoniam, sicut cùm colimus verum Deum, vera pietate & cultu, cum Deo coniungimur, sicut sponso sponsa. Vnde 1. Cor. 6. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus efficitur cum eo, ideoq; duo in carnem vnam. & tunc verum est ac sanctum matrimonium spirituale*, vnde & Dominus Ecclesiam suam vocat sponsam in Scripturis. Ita contrà cum deserto vero Deo, sponso vero, & vero eius cultu, falsis cultibus & superstitionibus colimus idola, vel potius dæmones in idolis: tunc violata fide matrimoniali copulamur cum idolis, & hæc est fornicatio spiritualis.

Dum autem idololatriam appellat fornicationem, indicat Dominus grauitatem huius peccati. Sibi enim ita displicere idololatriam populi sui, atque bono marito displicet fornicatio vxoris suæ. Quanto autem dolore afficitur bonus maritus, cùm videt vxorem suam, quam alioqui vehementer amat, proprio marito deserto, corpus suum alicui alii, aut etiam pluribus stuprandum præbere: ideóque per consequens indicat, quanta pœna digni sint Israelitæ qui fornicantur à Domino, nempe, vt à Deo penitus repudientur, vt postea sequitur: Sicut etiam vxor fornicaria bono marito repudianda est, ne amplius vel sit vel appelletur ipsius vxor.

Hæc est significatio illius præcepti Domini ad Hoseam, *Vade, sume tibi vxorem fornicationum*. Et in hunc finem Dominus illud Hoseæ mandauit, vt hoc, quod dixi, ei primùm, deinde per eum populo indicaret. Hæc enim res, quam Dominus mandat Prophetæ, vt scilicet ducat talem vxorem, symbolum fuit & ceu reale verbum illius, de quo Dominum volebat per Prophetam disertis etiam verbis populum reprehendi, redargui & obiurgari: illum nimirum esse idololatram, ideóque a Domino reiiciendum. Quia quod iubetur facere Propheta, typus est illius, quod facit Dominus. Dominus enim Israeliticum populum acceperat in vxorem, sed hæc vxor per idololatriam facta est fornicaria. Et hoc est, quod Dominus volebat per Prophetam populo exprobrari, non verbis tantùm, sed etiam symbolis. Quare cùm ait Dominus, *Vade & accipe*, perinde est, ac si dicat: Vade, & tum hoc symbolo vxoris fornicariæ, ac filiorum ex fornicatione natorum proposito, tum disertis verbis argue populum

dicens

meum Israelem, cùm de peccatis aliis, tùm inprimis de idololatria, per quam auersus à me fornicatus est cum Sathana & idolis, & quidem initio totæ prædicationis hoc facito, & dicito: Acceperat vos Dominus in castissimam vxorem, & variis beneficiis affecerat, sed vos inuenti estis esse scorta, progenies praua & adultera, omnes nati ex fornicatione, & regnum istud vestrum Israel, est publicum & fœdissimum lupanar, vbi sine intermissione & sine vllo pudore iam olim & quotidiè cum Sathana & idolis scortamini. Proinde Dominus vos repudiat, & abdicat à se, & domo sua nec vos agnoscit amplius pro vxore sua, aut filiis suis. Nec dubium est quin Propheta tali exordio in sua prima concione vsus sit.

At cur Dominus voluit, Prophetam tam duro & acri exordio vti, vt initiò Ecclesiam suam vocaret scortum, & singulos quosque filios scortationum, nec priùs iussit, vt lenibus verbis omnes inuitaret ad pœnitentiam?

Resp. Quoniam idololatria illa in populo à tempore primi Iarobeam, vsque ad illum alterum etiam Iarobeam, sub quo cœpit prophetare Hoseas, continuata semper fuerat & aucta sine vlla emendatione, ita vt morbus esset incurabilis.

Mihi etiam dubium non est (vt etiam ex 2. cap. patet) quin Iarobeam & populus ille felicitatem & omnium rerum suarum prosperum successum, quem habebant sub Iarobeam, acceptum ferrent idolis suis, & suæ religioni: Sicut etiam videmus facere hosce impios reges, & Papistas omnes. Hoc autem erat malum intolerabile, quòd non solùm idola colerent, sed etiam felicitatem, quam habebant à Domino, acceptam ferrent idolis & falsæ religioni. Iure ergò iussit Dominus Prophetæ, vt initio ipso suæ concionis populum appellaret scortum, meretricem, ingratum, filios ex fornicatione natos, qui sunt ingrati, & nihil vnquam sciunt, nisi malefacere, dicens, *Vade sume tibi.*

Habemus præceptum Domini ad Prophetam Habemus & præcepti explicationem, seu quid Dominus illo præcepto voluerit à Propheta. Atque in hoc præcepto continetur reprehensio idololatriæ populi Israel.

Non est autem dubium, vt antè dixi, quin Dominus in visione, vel in somno mandatum hoc dederit Prophetæ. Sequitur obedientia Prophetæ. Ait ergò,

3. *Et abijt Hoseas & accepit Gomer filiam.*

Describitur hic obedientia Prophetæ, in qua continetur tùm tacita obiurgatio peccati & idololatriæ populi, tùm expressa iræ Dei aduersus regnum illud comminatio.

Manifestum est præceptum illud Domini *Vade accipe vxorem fornicationum*, fuisse factum Hoseæ in somnis, vel in visione, vt antè dictum est. Cæterùm an Prophetæ etiam obedientia, quæ hic describitur, fuerit in visione, an verò reapse impleta, non conuenit inter interpretes.

Principio igitur recitabo quatuor diuersas sententias. Deinde iuxta eam, quæ mihi magis probatur, verba Prophetę interpretabor.

Prima est. Hanc fuisse veram & certam historiam: nempe Hoseam, accepto Domini mandato, simpliciter iuisse ad quandam publicam meretricem nomine Gomer, filiam parentis nomine Diblaim: filios etiam qui ex ea, cùm esset fornicaria, nati fuerant, sibi in filios accepisse. Deinde ex eà Gomer iam honesta & legitima sibi vxore facta, alios tres liberos suscepisse, vt posteà commemorat, & hoc quo ad historiam.

Quod verò ad significationem historię attinet, aiunt, historiam hanc & reale factum, symbolum & visibile signum fuisse eius rei, quę in contextu explicatur: nempe, Synagogam Israeliticam ductam fuisse à Deo in vxorem, quæ tamen deprehensa est esse fornicaria, & alios eius ex fornicatione natos: ac proinde iuxta significationem nominum aliorum trium liberorum, populum Israeliticum fuisse dispergendum inter gentes, idque sine vlla spe reditus seu misericordię, ita vt neque populus Dei deinceps sit appellandus. 2. Illud etiam matrimonium Hoseę cum meretrice, fuisse typum matrimonij futuri inter Christum & Ecclesiam, ex gentibus peccatricibus & idololatris, in quas etiam abierant Israelitæ, collectam: sed ita, vt sicut de horum sententia, fornicaria hæc ex coniunctione cum Hosea sancto Propheta, ipsa quoque sanctificata est, & facta proba ac pudica. 1. Cor. 7. *Sanctificatur enim mulier infidelis per virum fidelem.* Ita Ecclesia ex impiis peccatoribus collecta propter coniunctionem cum Christo sancto, ipsa quoque facta est sancta, non autem contrà.

Hæc est prima sententia. Fuisse autem historiam, duabus potissimum rationibus ducuntur vt affirment. 1. Quoniam Propheta expressit nomen proprium illius mulieris, quod appellaretur Gomer, & nomen parentis, quod appellaretur Diblaim: & nomina liberorum trium, quos dicitur Propheta suscepisse ex vxore sua. 2. Quod, quoniam si debuit esse signum & symbolum Israelitis alterius rei: oportuit igitur reale fuisse factum, alioqui quale signum fuisset Israelitis si fuisset simplex soli Prophetæ oblata visio. Item, Sicut reuera impositum fuit nomen filio Iesaiæ *Sceiear Iasc hubb*, vt hoc nomine ipse visibile esset signum Iudæis, quòd reliquiæ reuersuræ essent ad Dominum. Sic necesse est, inquiunt, vt reuera tres hos filios habuerit Hoseas ex ea Gomera, & reuera iis tribus nominibus nominarit, vt essent visibile signum Israelitis quod ipse Israel esset dispergendus, & futurus sine misericordia, non populus Dei.

Habemus rationes, cur sentiãt multi, fuisse veram historiã.

At quoniam si demus fuisse veram historiam consequi videntur aliquot absurda ideò, ad ea respondent.

1. Absurdum hoc est Leuit. 21. mandatur, ne quispiam sacerdos (per consequens etiam Propheta qui verbum Dei ministrat) ducat in vxorem primò *Mi.chab Zonah* mulierem fornicariam, id est, scortum 2. nec *Challalah* profanam, id est infamem. 3. nec *Gerusehah* repudiatam a marito suo.

2. Iam si & Dominus hoc verè factum præcepit, & realiter Propheta obtemperauit: primùm Dominus id, quod turpe & malum est mandat, dùmque se coniungit Propheta cum meretrice, fit vnum corpus cum illa, & ex membro Christi facit se membrum meretricis, quod damnat Spiritus sanctus per Apostolum.

3. Accedit etiam illud malum, quòd gignit filios fornicationum seu ex fornicatione. Sic enim ait textus, *Et filios fornicationum scilicet suscepe.*

Respondent ad primum. Dominus supra legem est, & ipsius voluntas regula est omnis æquitatis & iustitiæ. Ideò enim aliquid est honestum, æquum bonum & iustum, quia Dominus illud vult & mandat, non contra ideò mandat, quia æquum & honestum est. Sicut igitur non iussit rem iniquam Abrahæ, quando ei iussit vt occideret filium, Quod tamen videbatur pugnare cum præcepto, Ne occidas, præsertim innocentem, præsertim priuatus. Ita nec rem iniquam aut turpem iussit Prophetæ. *Vade, accipe vxorem fornicariam.*

Ad secundum. Sicut Abraham non peccabat, cum volebat occidere filium, quia non erat hoc facturus animo iniquo, sed tantùm, vt obtemperaret Domino, qui non nisi æqua & iusta mandare potest: Sic neque Hoseas peccauit, dùm accepit eam meretricem, quia non libidinis caussa, sed tantùm, vt obtemperaret Domino, accepit.

Deindè aiunt, non Prophetam ex coniunctione cum fornicaria immunda immundum fuisse factum: sed contra illam immundam ex coniunctione cum Propheta sancto & mundo, ipsam quoque mundam & sanctam fuit factam, sicut 1. Cor. 7. *Sanctificatur mulier infidelis per virum fidelem.* Et in hac re, typo egregiè respondere rem ipsam significatam. Ecclesia enim ex coniunctione cum Christo sanctificata est, non autem Christus ex coniunctione cum Ecclesia immundâ, factus est immundus.

Ad tertium resp. Non est iussus Propheta gignere filios ex fornicatione, sed illos qui iam nati erant ex fornicatione, sibi in filios vnà cum matre accipere, & eos in timore Dei instituere. Hoc autem nec impium, nec turpe est.

Nihil ergò obstat, quò minùs sentiendum sit, quod hic narrat Propheta de se, veram fuisse historiam.

Habemus primam huius loci interpretationem. Hanc ferè secuti sunt patres.

Irenæus lib. 4. c. 37. pag. 246. apertè huius est sententię, quam expleuimus, vbi ait: quòd Prophetę tribus modis vaticinabantur, mysteria & res prædicebant. 1. visionibus, id est, rebus visis, quas posteà populo recitabant. 2. apertis sermonibus, vt, Ecce virgo concip. &c. 3. actionibus quoque & operationibus, quas Dominus per illos operabatur. Exempla duo adfert. Vnum Mosis: qui Æthiopissam accepit in vxorem, & hac secum coniunctione, eam fecit esse ex populo Israel. Hac actione præfiguauit, & quasi prędixit Moses, fore, vt oleaster, id est, gentilis insereretur in bonam oliuam, id est, in populum Dei per Christum. Moses enim ea re typus fuit Christi, Æthiopissa typus Ecclesiæ ex gentibus.

Alterum est exemplum ex hoc loco Hoseæ sumtum, ait Iren. *Per operationem prophetans, quòd fornicando fornicabitur terra à Domino*, hoc est, qui super terram sunt homines: & de huiusmodi hominibus beneplacitum habebit Deus assumere Ecclesiam sanctificandam communicatione filii eius, sicut & illa sanctificata est communicatione Prophetę. Et ideò dicit Paulus, *sanctificatam mulierem infidelem in viro fideli.* Ad hæc etiam filios suos nominauit Propheta. Non misericordiam consecuta. Id, quod à Propheta typicè per operationem factum est, respondit Apostolus verè factum in Ecclesia & Christo. Hæc ille.

Augustinus quoque Tom. 6. contra Faust. Manich. libr. 22. cap. 80. & 89. eandem sequitur interpretationem, quam & Irenæus. Vult primùm, historiam fuisse, & verum factũ. 2. typum

matrimonii inter Christum & Ecclesiam ex gentibus peccatricibus & idololatris. Ostendit autem, quantum ad factum Prophetæ, Prophetam nihil mali fecisse, quòd eam duxerit in vxorem. Quis eam duxit, fornicatione relicta. Quid enim (inquit *augustinus*) aduersum clementiæ veritatis, quid inimicum fidei Christianæ, si meretrix, relicta fornicatione, in castam coniugem commutetur? Et quid tàm incongruum & alienum a fide Prophetæ, quàm, si non crederet, omnia peccata impudicæ dimissa esse in melius commutatæ? Itaque cùm meretricem Propheta fecit vxorem, & ad vitam corrigendam, molieri consultum est, & figuræ sacramentorum, de qua mox loquemur, expressum.

Hieronymus in præfatione in Hoseam ad Pammachium, videtur negare, hoc fuisse verè factum & veram historiam, sed simplicem fuisse visionem.

At vero in commentariis exponens verba illa, *Ac filios fornicationum*, non omninò damnat priorem sententiam, sed ita tamen admittere videtur historiam, vt factum Prophetæ typum esse velit matrimonii inter Christum & Ecclesiam.

Meo iudicio Hieronymus sensit, hanc fuisse simplicem visionem, sicut in præfatione apparet, sed tamen posse defendi, fuisse historiam. Sic enim in commentariis, quasi per concessionem ait: *Nec culpandus*, inquit, *Propheta vt interim sequamur historiam*. Notandum illud, Vt interim: est concessio.

Habemus primam interpretationem, quam R. Esia, quam Irenæus, quam Augustinus sequuntur, quam Hieronymus non damnat.

Altera sententia est omnium fere Hebræorum quam etiam plerique ex nostris doctissimi viri amplectuntur. Ea est totum hoc contigisse Prophetæ in visione, & ita verba sunt intelligenda: ET ABIIT scilicet in visione eadem, in qua etiam Dominum alloquentem se audiuerat, *& accepit*. id est, Visus est sibi abiisse, & duxisse in vxorem scortum quoddam, cui etiam videbatur nomen esse Gomer, & filia esse videbatur cuiusdam, qui appellaretur Diblaiim. Visus est etiam sibi coniungi cum ea Gomer, & ex ea liberos tres suscepisse, vt sequitur.

Qui hanc interpretationem sequuntur, has adferunt rationes.

1. Si fateamur, fuisse historiam sequuntur illa superiùs citata absurda, & præsertim illud, quod eludi non potest nempe Prophetam hoc facto suum ministerium polluisse, & in contemptum apud Israelitas adduxisse, & huiusmodi contemptus autorem fuisse Deum, qui rem tam absurdam mandarit Prophetæ. Debent enim nuptiæ, præsertim doctorum Ecclesiæ, esse quam honestissimæ. Vnde & lex Dei prohibet Leu. 21. ne sacerdos in vxorem ducat scortum. Et Canones qui appellantur Apostolorum can. 17. tales nuptias, in sacerdotibus præsertim & doctoribus Ecclesiæ, damnant. *Oportet autem Episcopum esse* (ait Paulus) *irreprehensibilem*.

2. Nulla ratio cogit vt veram demus fuisse historiam. Nam quod primò alii adferunt, ibi propria esse nomina ipsius mulieris Gomer, parentis Diblaim, trium liberorum, Iezreel, Loruchama, Loammi, nihil est. Nomina enim sunt fictitia ad significandum id, quod postea disertis verbis explicat Propheta. Neque hoc nouum est in scripturis, præsertim in Prophetis, vt in Ezech. de Hoola & Hooliba, & in Apoc. de multis.

Ad 1. Quòd verò aiunt: Quale signum fuisset Israelitis, si non fuit res gesta, sed tantùm visio: Nihil enim vidissent Israelitæ, ideò non fuisset illis signum vllum. Respondent. Etiamsi non fuit res gesta: fuit tamen signum Israelitis, quia visionem hanc ex mandato Domini Propheta recitauit Israelitis, vt in ea visione recitata, tanquam in tabella quadam viderent id, quod etiam disertis verbis expressit: Israelem fornicatum esse à Domino. Est enim hypotyposis in qua res non tantùm simplicibus verbis, sed etiam figuratis, quasi visibili symbolo oculis subiicitur.

3. Tales visiones frequentes sunt in Prophetis, quæ primo aspectu videntur esse historiæ, cum non fuerint, vt patet in Ezech. in Apoc. vt verbi gratia, etiam Iesaias 20. quòd discalceatus per annos tres incesserit per vrbem: vt Ezech. 4. quòd dormiuerit tot annos supra latus. Sicut igitur illa nemo ait fuisse reipsa impleta, quia vel impossibilia sunt, vel turpia: Ita hoc, quod refert Hoseas de se quia per se turpe est, non debemus dicere fuisse historiam, sed visionem. Alioqui cur non etiam dicemus, reipsa Iesaiam per triennium, nudum & discalceatum per vrbem incessisse: Ies. 20. Cur non etiam dicemus, reipsa Ezechielem cubuisse ad latus suum sinistrum pro peccatis Israelis annos 390. & super alterum latus annos 40. pro peccatis Iudæ?

4. Si fuit historia. Ergò propheta posteaquam præceptum accepit à Domino concionandi ad populum Israelem, mansit saltem annos duos & ampliùs, antequam officio suo fungi cœpisset: nempe, donec nascerentur ii tres liberi ex Gomer vxore. Hoc autem absurdum est.

5. Si, quod hic narrat Propheta, historia fuit. Ergò etiam quod cap. 3 habetur, pro historia habendum erit, cum ait: *Et dixit Dominus ad me: adhuc vade, ama mulierem dilectam à marito, & quæ adultera est*. Quid ergò Propheta primò fornicariæ, deinde paulò pòst adulteræ, quæ virum habebat, se coniunxit? Si igitur illud, quod est in 3. cap. non aiunt interpretes, fuisse historiam, sed visionem, cur non etiam hanc quæ est in primo capite?

6. Sensus Prophetæ non est, inquiunt, quòd eam, quæ fornicaria erat in vxorem assumserit, & ex ea cum Propheta mundo coniunctione, facta sit & ita ipsa vxor munda: (nam hoc modo non responderet typus rei cuius Prophetam volebat Dominus esse typum.) sed sensus est quòd Propheta scortatus est cum scorto, vt indicaret, quòd sic terra fornicata est a Deo.

Hoc autem si intelligatur reapse factum fuisse à Propheta nimis absurdum est. Consequitur igitur contigisse tantùm in visione.

His & aliis rationibus adducuntur permulti viri doctissimi, vt sententiam Hebræorum sequantur, hanc fuisse meram visionem, non historiam. Itaque sicut mandatum Domini fuit factum Prophetæ in somno, vel in visione sic etiam obedientiam Prophetæ fuisse in visione completam.

III. Tertia sententia est quorundam, qui primò negant fuisse simplicem visionem. 2. negant talem fuisse historiam qualem alii fuisse putant nempe, quòd Propheta vel reipsa scortatus fuerit cum eo scorto, quia hoc certè nimis impium est sentire & cogitare de sancto viro, vel, quòd illam, quæ erat scortum, in vxorem duxerit. Quia, inquiunt, non decuisset Prophetam tale coniugium, & suum ministerium in contemptum adduxisset, sed talem fuisse historiam putant nimirum, quòd acceperit Propheta in legitimam vxorem, illam Gomeram, quæ erat honesta mulier, & filia honestis parentis Diblaim, & filios etiam ex ea legitimos & honestos susceperit. Cæterùm, cùm vellet Dominus, vt ipse Propheta argueret populum idololatriæ, & quòd esset fornicatus à Deo, quòdque filii Israel essent nati ex fornicatione, id est, quòd non solum illi præsentes idololatræ, sed etiam ipsorum maiores, è quibus prognati fuerant, fuissent idololatræ: idque à tempore primi Iarobeam primi regis Israel, in illud vsque Hoseæ tempus. Cùm vellet, inquam, vt Propheta hoc indicaret populo, non solùm verbis, sed etiam symbolo aliquo, vt res autem vt hoc symbolum ostenderet Propheta in seipso: Icircò Dominum iussisse Prophetæ, vt & suam, honestam alioqui mulierem, hoc infami nomine, scorti scilicet, & eius liberos, honestos alioqui & legitimos, hoc infami nomine spuriorum vocaret. & se hoc facere iussu Domini testaretur. in hunc finem, vt Israelitæ ipsi intelligerent, se reapse tales esse coram Deo, quales nomine tantùm diuinitùs audiebant appellari honestam Prophetæ vxorem & legitimos eius filios, quasi Propheta in medium progressus ad concionandum, tale habuerit initium. Dominus misit me ad vos, ô Israelitæ, vt non verbis tantùm, sed etiam meo exemplo, quasi in depicta tabella vobis indicem, quales & vos sitis, & maiores vestri fuerint cum Deo, ideòque quid Dominus de vobis facturus sit. Ego honestam quidem duxi vxorem, vt nostis, Gomer nimirùm, filiam Diblaim, & ex ea etiam liberos legitimos suscepi. Cæterum Dominus iussit, vt eam vobis proponam ceu scortum, & filios meos ceu ex scortatione natos, licet reuera non sint, in figuram & typum, quòd Dominus accepit populum Israel, id est, maiores vestros in vxorem, & vos in filios: sed reuera populus ille, id est, maiores vestri, ex quibus, tanquam ex vxore Dei & matre vestra, nati estis, deprehensus est esse totus idololatra, & ceu mulier scortationum, & vos ex scortatione, id est, & idololatræ, & nati ex idololatris. Icircò ea nominibus etiam, quibus tres mei legitimi filii ex mea legitima vxore Gomer suscepti, ex mandato Domini appellantur, discite & memoria retinetote, quoties illos videritis, quid facturus sit Dominus aduersus vos & regnum istud vestrum, primus appellatus est ex mandato Domini Iezreel, vt vobis sit visibile symbolum, quòd Dominus primùm quidem sanguines Iehu proaui tui, ô rex prouinguus sit in valle Iezreel, hoc est, breui facturus, ne ampliùs vllus ex familia Iehu proaui tui regnet in Israel. Deinde, breui totum istud regnum tàm florens & potens aboliturus est, vniuersis vobis, partim interfectis, partim in captiuitatem abductis, & huius rei symbolum esto vobis primus meus filius, qui Iezreel appellatur. Secundo loco est mihi filia, quæ etiam ex mandato Domini appellata fuit Loruchama, &c.

Hæc expositio mihi non displiceret, nisi verbis ipsis Prophetæ

Prophetæ vim quandam inferri viderem. Iuxta enim hanc interpretationem cogemur sic verba interpretari: Accipe vxorem fornicationum, id est, voca vxorem tuam fornicariam, & filios tuos filios ex scortatione natos vel intelligendum fuerit. Tanquam aut aliquid tale, hoc modo: Accipe vxorem, tanquam sit vxor fornicaria, etiamsi non sit, in exemplum populo Israel, quòd ille sit fornicarius.

Quarta interpretatio videtur mihi simplicissima, atque ea est Chaldæi interpretis. Is sensit, hanc fuisse meram allegoriam, vt nomine fornicariæ simpliciter intelligatur Ecclesia Israel. Iubetur Propheta eam assumere, id est, ire ad hanc Ecclesiam tanquam ad suam vxorem, sed fornicariam, & illi prædicare. Principio autem Propheta narrat suam vocationem, qua vocatus & missus fuit ad populum Israel fornicarium, qui fuit vt massa ficuum corrupta.

Verba Ionathæ sunt hæc. Dixit Dominus ad Hoseam, vade & annunciato prophetiam habitatoribus ciuitatum post idola errantium, qui addunt, vt peccent. Quoniam errando errant incolæ terræ, à cultu Domini recedentes. Abiens igitur prophetaui contra illos, hoc est, accepi Gomer. Quòd si pœnitentiam facerent, dimitteretur eis peccatum, si non, marcescerent, quasi folia ficulnearum, (ecce Gomer Diblaim) adiiciendo & faciendo mala. Dixitque Dominus ad me, voca nomen eorum Dispersos, quoniam adhuc parum est & exiguum, & Ego visitabo sanguinem idololatrarum.

Ego priorem sententiam, quæ est Patrum, præsertim Irenæi & Augustini, damnare non audeo nec possum. Alteram tamen, quæ dicit, hæc omnia fuisse in visione facta, magis amplector, propter rationes superiùs allatas. Et quia nullum absurdum secum adfert, & denique, quia præsens locus similis est illi, qui est in cap. 3. Sensus igitur est. Audite Israelitæ, quid iusserit Dominus me ad vos referre. In visione apparuit mihi Dominus, & iussit, vt scortum mihi assumerem, cum illo scortarer, & filios haberem ex scortatione natos in hunc finem, vt Ego vobis essem ceu speculum, in quo contemplaremini publicam huius terræ turpitudinem, & fornicationem, & ita mihi visus sum in ea visione accepisse insigne quoddam scortum nomine Gomer filiam Diblaim (vel illud insigne scortum, quod nemini vestrum est ignotum, nomine Gomer) & turpissimam rem cum eo egisse, & filios ex scortatione natos suscepisse. Vos scitis hanc turpitudinem re ipsa me nō commisisse, sed ita visus sum in visione, quia Dominus voluit per hanc visionem in mea persona, tanquam in depicta tabella vobis indicare vestram, maiorúmque vestrorum publicam turpitudinem, & spiritualem scortationem. Ergo in mea persona cognoscite, vos scortatos esse à Domino, imò & natos esse ex scortatione, seu originem vestram esse adulterinam. Qui ex parentibus idololatris nati, illorum idololatriam sequimini.

Ergo iuxta hanc sententiam verba Prophetæ sic interpretor. *Et abyt*, Hoseas ille, ad quem factum est verbum, abiit inquam, in visione eadem, in qua hoc præceptum Domini audiuit, hoc est, sibi visus est abiisse. *& accepit*, scilicet in visione, hoc est, sibi visus est accepisse *Gomer filiam Diblaim*, id est, mulierem & scortum insigne, cui videbatur esse nomen Gomer, & videbatur esse filia parentis, qui appellaretur Diblaim. Hæc duo nomina sunt fictitia, vt antè dixi. Significāt autem ambo simul, Massam ficuum seu caricarum corruptā. Nam Gomer est corruptio, Diblaim caricæ simul in vnum corpus compressæ. Vsus verò est hac metaphora, quia frequentes sunt caricæ in illa regione Palæstinæ, ac si non corrumpantur, suauissimæ sunt, si corrumpantur, pessimæ. Porrò hac metaphora significare voluit & peccatum populi & pœnam peccati. Peccatum, quòd populus ille Israel multus quidem erat & compressus, sed totus erat corruptus, deprauatus, & putrefactus vitiis & idololatriis. Pœnam verò, quòd quia corruptus est populus, illius quoque regni corruptionē & interitum imminere. Sed hoc meliùs & apertiùs facit nominibus trium liberorum, quæ sequuntur. Et vt summam habeatis earum pœnarum, quas in versibus sequentibus minatur Israeli propter suam idololatriam, notandum eas esse tres, iuxta nomina trium liberorum.

1. Est, quòd punita priùs familia Iehu, quæ tunc regnabat in Israel, postea totum regnum abolebitur, fractis illius viribus per Assyrium in valle Iezreel. Ipsis verò partim occisis, partim in captiuitatem abductis, atque inter gentes disseminatis.

2. Et quoniam in ipsa captiuitate resipiscere noluerunt (si enim resipuissent, consecuti fuissent misericordiā, & reuocati in patriam, vt aliàs) ideò subdit secundam: nempe quòd nolit vlla misericordia populum prosequi, indicans, quòd velit illā captiuitatem fore perpetuam: nimirūm, quia etiam illorum impœnitentia futura erat perpetua.

3 At licet in perpetua mansuri essent captiuitate: si tamen resipuissent, potuissent & reuera esse populus Dei, & nomen etiam populi Dei retinere, & ita saluari, quoad animam. Cæterùm, quia noluerunt resipiscere, ideircò subiicit tertiam pœnam, quòd scilicet nolit, vt amplius iste præsens populus Israel appelletur populus Dei, quoniam nec reuera esse volt. Quibus verbis indicat, illos non solùm futuros in perpetua captiuitate, in hoc seculo, sed etiam in alio damnatum iri, subintellige, propter perpetuam illorum impœnitentiam. Solus enim Dei populus in æternam vitam ingreditur.

Habemus summam, vbi notandum hoc præsertim postremum, referendum esse ad populum illum carnalem, & impium, non autem ad reliquias, vel præsentes, vel futuras. Nam de iis aliter mox pronunciat. Ait ergo. *Et concepit illa* Gomer imaginaria. *& peperit ei filium*, id est, visa est concepisse, & peperisse filium ei Hoseæ.

4. *Et dixit Iehouah ad eum* Hoseam in visione: etiam hoc indicat, Hoseam in visione tantum accessisse ad illud insigne scortum, & in visione suscepisse ex ea filium. Nam statim in eadem visione Dominus mandat ei quo nomine debeat appellare filium, qui in visione conceptus & natus esse videtur.

Voca, inquit, *nomen eius Iezreel.*

Nomina ista trium liberorum ad tria genera pœnarum populi referuntur. Repræsentant enim suis significationibus, quid facturus sit Dominus de Israelitis.

Primum igitur nomen est Iezreel. Hoc nomine tria indicare voluit Dominus per Prophetam.

1. Oblique indicare voluit ipsum populum Israel nomine tantum appellari Israel, sed reipsa degenerasse à vero Israel. Hoc facit allusione eleganti, quæ est inter hæc duo nomina, quo ad sonum Israel & Iezreel, cùm significatio sit valde diuersa, quasi dicat, iste populus appellat se nomine honorifico & pietatem redolente, nempe Israel: sed tu voca eum Iezreel, id est, degenerem & adulterinum Israelem.

Sicut enim inter Iezreelem & Israelem, si sonum spectas, maxima est affinitas, sed significatio diuersa: Ita inter hunc populum & Patriarcham Iacob, quo ad nomen seu cognomen, magna est affinitas. Quia tam iste impius populus, quam ille sanctus patriarcha appellatur Israel, sed quo ad rem ipsam longissime inter se differunt.

Ille fuit verus Israel, quia sua pietate & fide certando cum Domino, præualuit, iste populus, sicut fornicatus est à me suis idololatriis, ita degenerauit à fide & pietate Israel. Qua te Iezreel potius quàm Israel eum appellato, vt indicet, eum degenerasse à vero Israel. Nec dubium est, quin Propheta tali nomine eos appellarit, ideóque per ludibrium, ô Iezreelitæ, potius, quàm Israelitæ, id est, ô degeneres & adulterini Israelitæ. Sicut etiam, si quis concionator volens perstringere impietatem & lasciuiam Cardinalium, dicat, carnales potius quàm Cardinales.

2. Loco hoc nomine Iezreel indicare voluit pœnam, quam Dominus de eo sumpturus erat, propter suam idololatriam & defectionem à vero Israel: nempe, quòd erat illum populum disseminaturus & dispersurus inter gentes, hoc facit significatione illius nominis Iezreel. Hoc nomen *Iezrehel* est à *Zarah* quod est, seminare, & semen, & *El* quod est Deus. Illi Israelitæ gloriabantur, quòd essent semen Dei seminatum & altis radicibus iam firmatum in terra Canaan. Sed Dominus respondit, quod alio modo, quàm ipsi putent, fint Israelitæ, quoniam scilicet disseminandi sunt & dispergendi à Domino inter gentes ad omnes ventos, id est, quod abducendi erant captiui inter gentes.

3. Loco hoc etiam nomine indicare voluit, vbi potissimum facienda erat hæc dispersio populi, & regni destructio: in ea nimirum regni parte, vbi antea multus sanguis effusus fuerat à Iehu, in valle Iezreel, vbi se firmiores esse putabant. Hoc ipse diserte expressit in contextu, dicens: *Quoniam adhuc modicum est, & visitabo sanguines Iezrehel super domum Iehu, & cessare faciam regnum Domus Israel, eritque in die illa, frangam arcum Israel in valle Iezreel.*

Verisimile igitur est, prophetam iuxta hæc tria, quæ diximus, ita compellasse in sua concione Israelitas, ô Iezreelitæ potius quàm Israelitæ, id est, ô degeneres & adulterini Israelitæ, quia etiam degenerastis à vero Israel, & eritis Iezreelitæ. Dominus enim disperdet & disseminabit vos in varias orbis partes inter gentes, vt non amplius censeamini, in populo Dei, & inter veros Israelitas connumeremini, sed tantum inter gentes, abolito vestro regno. Et quidem fractis vestris viribus omnibus tum vbique, tum inprimis in præcipua & munitiore parte regni vestri: nempe in valle Iezreel, vbi multus sanguis iamdudum effusus fuit

1. Iehu proauo tuo, ô Rex, ibi enim Dominus incipiet visitare sanguines Iezrael super domum Iehu, & ibi franget arcum, id est, vires omnes regni Israel. Ait ergo; *Voca nomen eius Iezrael*: quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguines.

Duo duobus minatur. 1. minatur regi & familiæ regiæ, quòd breui punietur a Domino, ne amplius regnet in Israel, idque propter iniquitates non tantùm suas, sed etiam proaui sui Iehu. 2. minatur toti regno, quòd Dominus breui sit regni vires fracturus, & regnum destructurus, Israelitis ipsis partim occisis partim abductis.

Quo ad primum, ait: *Modicum adhuc, & visitabo*. 1. Quid est illud modicum? Quò ad vltionem familiæ regiæ, fuit vnus ferè annus, quo adhuc regnaturus erat Iarobeam: deinde menses 6. quibus filius eius Zacharias regnaturus erat. Iis verò expletis mensibus, nullus ampliùs è domo Iehu regnaturus erat in Israel. Nam intra modicum tempus illud, puniuit peccata Iehu super domum, id est, familiam ipsius Iehu. Habemus illud *Modicum* temporis, de quo hic loquitur Propheta, *Adhuc modicum*, fuit annus ferè vnus cum dimidio.

At cur ait, *Adhuc*? Cur non citiùs puniuit? Respond. Propter promissionem factam ipsi Iehu. Ea est 4. Reg. 10. Iusserat Dominus ipsi Iehu, vt occideret impios reges in Israel & in Iuda, fecit hoc Iehu. Occidit Ioram regem Israel, & Achabi filium, & Iezabelem, & totam Achabi familiam in Iezreel, & deinde Ochoziam regem Iuda, impium generum Achabi.

Propter hoc opus igitur Iehu, quod certè in se egregium fuit, (quanquam haud recto animo Iehu illud fecerat) Dominus promisit Iehu, quòd vellet, vt eius proles regnaret in Israel, vsque ad quartam generationem. Et quidem stetit Deus suis promissis. Nam postquam regnauit Iehu annos 28. vt est 4. Reg. 10. primo Ioachas filius Iehu, regnauit annos 17. vt est 4. Reg. 13. hæc fuit prima generatio. 2. Filius Ioachazi Ioas, ideóque nepos Iehu, annos 19. 4. Reg. 13. hęc est secunda generatio. 3. Iarobeam filius Ioas, & pronepos Iehu, annos 41. 4. Reg. 14. hæc est tertia generatio. 4. Zacharias filius Iarobeam mensibus 6. 4. Reg. 15. Ecce quartam generationem Iehu.

Tunc regnum vi occupatum à Sellumo, qui per coniurationem occidit Zachariam, & sic deinceps à variis coniuratis vsque ad Hoseam vltimum Israelis tyrannum vexatum & afflictum fuit illud regnum Israel. Quia igitur seruanda erat promissio, vsque ad quartam generationē Iehu, ideò ait, *Adhuc modicum*, id est, superest adhuc sesquiannus ferè.

2. Qui sunt isti sanguines Iezreelis? Respond.

1. Quidam accipiunt in genere pro peccatis Iehu. Peccata enim enormia in scripturis significari nomine *Sanguinum*.

2. Alij nomine *Sanguinum* intelligunt idololatriam Iehu, quòd idololatria ferè non sit sine sanguinis effusione. Idololatræ enim, præterquam quòd mactant pecudes in victimas: vt etiam defendant suas superstitiones, piorum, quòd arguāt idololatrias, sanguines effundunt.

3. Sed simplex sensus est, vt sanguines accipiamus pro sanguinibus Iezabelis, Ioram, & omnium filiorum Achab, qui effusi fuerunt a Iehu in Iezreel, de quibus paulò ante locuti sumus. Docet hoc, particula Iezreel, id est, qui effusi sunt in Iezreel à Iehu: Quoniam igitur effudit hunc sanguinem, non recto animo: ideò Dominus puniuit hoc peccatum Iehu in eius domo. Est enim obseruanda illa particula *Iezreelis*, non simpliciter ait, *Sanguines*, sed *Iezreelis*, id est, qui effusi sunt in Iezreel. innuit igitur sanguines effusos à Iehu in Iezreel.

At hic dices, si Dominus iussit ipsi Iehu, vt effunderet illum sanguinem, & propter hanc effusionem fecit illi eam promissionem, effecturum se, vt illius familia regnaret in Israel, vsque ad quartam generationem, quomodo igitur propter sanguines illos punietur eius familia?

Resp. In hac sanguinum effusione duo sunt. 1. Est sanguinis impij effusio mandata à Deo, hoc opus fuit bonum in se, ideò propter hoc fecit Deus promissionem. 2. Alterum fuit, animus seu intentio (vt loquuntur) Iehu, hæc non fuit recta, quia non fuit conformis intentioni & voluntati diuinæ. Dei voluntas erat, in illa sanguinum effusione, vt sublatis idololatriæ autoribus & defensoribus tolleretur etiam è regno idololatria ipsa. Iehu verò finis fuit, vt regnaret ipse, non autem vt tolleretur idololatria, & repurgaretur Ecclesia, id quod res ipsa demonstrat. Nam ipse Iehu non recessit, sicut neque alij, à Iarobeami Nabathi filij viis, retinuit vitulos aureos, & omnes alias superstitiones confirmauit, contentus autem fuit præda. Igitur si spectes opus ipsum, illa sanguinum effusio fuit iusta virtus, & mandata à Deo, & propter hoc opus facta fuit promissio Iehu. Si spectes animum Iehu, illud opus fuit latrocinium, ideò propter hoc punitur Iehu in sua familia. Soluta est quæstio.

Quo ad secundum, ait: *Et cessare faciam regnum Israel*, quasi dicat, Et punitis peccatis Iehu, hoc est, interfecto Zacharia vltimo Rege, desinet esse regnum, sed erit ἀναρχία non ita multo post abolebo etiam regnum Israel. Quomodo hoc fuit? Primò, statim post mortem Zachariæ filij Iarobeam, tyranni domestici oppresserunt regnum. alter alterum occidebat, & vi regnum occupabant, vt patet 4. Reg. à ca. 15. vsque ad 18. in quo 18. cap. destructio regni, & captiuitas populi totius describitur: illi autem tyranni domestici, qui post Zachariam filium Iarobeam Israeliticum occuparunt regnum, fuerunt hi:

Sellum filius Iabes, conspirat contra Zachariam & eum occidit, & ipse regnat vno tantum mense.

Manahem filius Gad occiso a se Sellumo, occupat vi regnum.

Pechaia succedit, & biennium tantùm regnat.

Pechac filius Rhomeliæ occiso ab se Pechaia, regnum inuadit.

Hosee filius Ela, regnum etiam inuasit, interfecto à se Pechac filio Rhomeliæ. Et hic Hosee fuit postremus tyrannus Israelis. Hoc fuit initium destructionis regni Israel: nempe per domesticos tyrannos.

2. Postea à variis hostibus externis vexatum & tandem per Salmanassarem destructum, abductis Israelitis in perpetuam captiuitatem.

Ecce complementum, ideóque declarationem huius vaticinij *Et abolebo regnum Israel*.

Verùm Israelitæ, cùm hæc audirent à Propheta in publica concione, non solùm non credebant hæc futura, sed etiam (vt fieri solet) verba Prophetæ deridebant, quamobrem? 1. quoniam videbant, illud suum regnum nunquam fuisse tam potens, & tàm munitum tum fortissimis vrbibus ac castellis, tum armis & viris bellatoribus, tùm etiam pecuniis: atque tunc erat sub Iarobeā filio Ioas, vt in historiis apparet. 2. Adde, quòd ex omnibus Israel regibus nullus ferè tàm felix fuit & fortunatus contra hostes, atque ille Iarobeam. 3. Habebant præterea ipsam metropolim Iezreelem, præter alias ciuitates & oppida, ita munitam, fortem & instructam rebus omnibus, vt prorsus inexpugnabilis videretur. Cùm itaque Israelitæ hęc perpenderent, atque ideo putarent, se prorsus esse inexpugnabiles, inflati illa præsenti fortuna, & confisi suis viribus & armis, deridebant verba Prophetæ. Quid? Ergo regnum hoc tam potens, & tàm munitum reb. omnibus, armis, viris, pecuniis, breui destruetur?

Cum igitur Propheta hanc Israelitarum vanam in suis armis, viris, pecuniisque confidentiam videret, per quandam occupationem in sua concione occurrit, & ostendit, tantam regni munitionem non esse obstaculo, quo minùs Dominus illud destruat, & de Israelitis debitas pœnas sumat. Et dixit:

5. *Et erit in die illa.*

Quæ? Qua Dominus constituit, vos, vestrúmque regnum propter vestras idololatrias perdere. Est enim constituta dies & tempus. Cùm ergo maturum hoc vindictæ tempus aduenerit, quid fiet? *Conteram*, ait Dominus, *arcum Israel in Iezreel*. Duo dicit 1. Quòd Dominus, vbi venerit maturum vindictæ tempus, contriturus sit omnia arma, vires & munitiones Israelitarum, ne possint Deo resistere. Hoc exprimit, cùm ait, *Conteram arcum*. Est enim συνεκδοχὴ & nomine *Arcus* intelligit omnia armorum & munitionum genera, quibus confidebant Israelitæ. 2. Quod id maximè atque in primis facturus sit in ea regni parte, in qua maximè securos se esse & fortes & inexpugnabiles confidebant, & in qua maximè suas se vires habere existimabant Israelitæ: nempè in Iezreel, in ipsa metropoli, quæ in medio terræ Israel sita erat, & omnium vrbium munitissima. Est & hic συνεκδοχὴ intelligit enim, quod Dominus in omni regni parte vires & arma Israelitarum sit in nihilum redacturus. Sed Iezreelem nominauit, quia illa & Samaria erant Metropoles regni, & fortè Iezreel omnium munitissima erat. Est igitur perinde ac si dicat: Quia instructi estis armis, viris, pecuniis, armatissimis ac fortissimis vrbibus, putatis, vos prorsus esse inexpugnabiles, & fieri non posse, vt vestrum illud regnum à Domino aboleatur.

Atqui isti vestri arcus, ista vestra arma, istæ vestræ vires & munitiones non poterunt manum Domini impedire, quin, vbi peruenerit maturum tempus, vos regno vestro deleat. Maximum vestrum propugnaculum est hic in vestra hac metropoli in valle Iezreel, & in hoc maximè confiditis. At verò Dominus hic maximè vestras vires in nihilum rediget, & vos conficiet, vbi maximè confiditis, vbi maximè putatis vos esse securos & inexpugnabiles.

Habe-

Habemus primum flagellum Dei contra Israelitas, significatum nomine primi filij, quem in visione suscepit Hoseas è suo scorto Gomer. Sequitur alterum,

6. *Et concepit adhuc*, id est, rursum: *& peperit filiam.*

Non est hic curiosiùs inquirendum cur primùm dixerit, se filium habuisse masculum: deinde fœmellam: tertiò iterùm masculum.

Hebræi adferunt suas quasdam phantasias, sed frigidas. Si tamen licet in iis etiam diuersis generibus philosophari, dicendum esse puto. Iis diuersis sexuum generibus iudicari diuersas animorum & morum qualitates in tribus Israelitarum, qui defecerunt à Iudæis, gentibus: priores fuisse animis masculis, medios effœminatiores, postremos etiam masculos. Etsi enim omnes quod ad religionem attinet, fuerunt spurij ex scortatione nati, hoc est, idololatræ: tamen quod attinet ad alios mores & ad ciuilia negotia, illi priores qui fuerunt sub Iarobeam primo Nabathi filio fuerunt masculi, & in suis negotiis domi forisque, bello & pace mascule se gesserunt, vt historiæ docent. Quid enim eos mouit, vt defecerint à Iuda, nisi quædam masculi animi superbia atque altitudo, qua non voluerunt ferre Roboami Salomonis filij tyrannidem, quam minatus illis fuerat? 3. Reg 1. Multa etiam ædificarunt. 3. Reg. 12. bello se strenue gesserunt, & defenderunt contra hostes: immo & multa conquisiuerunt, & regnum Iuda vehementer turbarunt. Fuerunt igitur illi primi masculi sed impij idololatræ.

Medij fuerunt effœminati, & moribus & animis, lasciuiis & vino dediti, vt tempore Eliæ regis Israel, de quo etiam Scriptura ait: 3. Reg. 16. quòd regnauerit tantùm duobus annis, & quòd contra eum rebellarit seruus eius Zambri, & quòd fuerit temulentus. Seditiones multæ secutæ sunt, cùm multi nebulones se inuicem pellerent regno, quibus ex rebus apparet, quam effœminati essent Israelitæ, qui hosce nebulones non coercebant.

Postremi etiam masculis fuerunt animis, non ad bonum sed ad malum, quoniam res ab ipsis gestæ demonstrant, vt à tempore Iehu qui occidit totam familiam Achabi, fere vsque ad finem regni.

Hac de caussa puto, liberos Gomeræ tres ita in visione Prophetæ fuisse ostensos, vt videretur primus masculus, altera fœmella, tertius itidem masculus.

Cæterùm illud potiùs quærendum videtur, quomodo intelligendus sit iste comminationum & pœnarum ordo bifariam. I. Historia expositio est Prophetæ.

Populus primò dispersus fuit per Tiglathpelassar, duæ scilicet tribus cum dimidia. Primum hoc flagellum indicatum est per primum filium Iezreel. Sed interim misericordia facta est reliquis tribubus: quia non omnes tunc abductæ fuerunt. Expectabat enim Dominus illorum resipiscentiam, ad exemplum saltem aliarum duarum cum dimidia tribuum. Ideò illæ reliquæ tribus fuerunt ceu Ruchama. At verò vbi noluerunt resipiscere. Tunc misit Salmanassarem, qui cepit omnia oppida Israelitarum, excepta Samaria, quam obsedit per annos tres. 4. Reg. 17.

Hæc calamitas indicata fuit à Propheta per filiam quæ dicitur Loruchama. Tunc enim reliquus populus qui misericordiam consecutus fuerat, postea priuatus omni misericordia propter suam impœnitentiam, & capta tandem Samaria, omnes abducti. Et hoc est quod hic ait.

Hoc verò non contigit Iudæis obsessis à Senacheribe, sed misericordiam consecuti sunt, quia liberati per angelum, non in curru.

Etsi verò abducti in captiuitatem: tamen non statim amiserunt nomen populi Dei, adhuc spes erat reuocationis si resipuissent, diu adhuc exspectauit Dominus, an vellent resipiscere. Et hæc est ablactatio, quam subdit. Cæterùm vbi omninò populus inuentus est in ipsa etiam captiuitate præfractus, desperatus, perditus. Tunc penitus desertus à Deo, ita degenerauit in populum gentilem, & mixtus sanguis Israel cum sanguine gentium in matrimoniis, vt penitus cum fœdere Dei, nomen etiam populi Dei amiserit, & connumeratus fuerit inter gentes, vt gentilis populus.

Hoc postremum flagellum indicauit Propheta tertio filio, qui vocatus fuit Loammi.

Hic sensus fluit & cum historia conuenit, si misericordiam factam Iehuda (de qua per ambages quandam contra Israel subijcit: *Iuda verò miserebor*) intelligamus illam misericordiam, quam fecit Dominus Iehudæ, quando obsessum à Senacheribe populum Iudaicum Hierosolymis non permisit Dominus expugnari, & in captiuitatem abduci. Tum erit è contrario Loruchama Israelis intelligenda: quando permisit Dominus Samariam à Salmanassare expugnari, & omnia oppida Israelitarum capi, & vniuersum populum Israeliticum in captiuitatem abduci.

Ex illa enim misericordia Iudæ, colligenda est, qualis fuerit Loruchama Israelis: Illa enim misericordia facta Iudæ opponitur Loruchama Israelis, seu, salus Iudæ opponitur excidio Israelis, de quo præcedenti versu 6. sub nomine Loruchama locutus fuerat.

Et huic primæ expositioni videntur fauere verba Prophetæ: cùm ait: *Quia tollendo tollam eos*, id est, penitùs omnes in vniuersum Israelitas tollam e suo regno, & inter gentes captiuas disseminabo Id quod non fecit Iehuda.

II. Cæterùm quoniam misericordia facta Iehudæ videtur illa fuisse, quando Iudaicum populum in Babylonem abductum post annos 70. illum in suam patriam reuocauit, & reducit liberum: (de hac enim misericordia videtur loqui Propheta in v. 7.) Iccircò à contrario Loruchama Israelis videtur fuisse illa, quando populum Israeliticum in captiuitatem abductum, à captiuitate nunquam in suam patriam Deus reuocauit, sed in perpetua deseruit captiuitate. Huic etiam sensui non repugnant verba Prophetæ, cùm ait: *Quia tollendo tollam eos*. Sensus est, expellendo expellam eos & longiùs, quam potero, eos proiiciendo proiiciam, vt non ampliùs sim eos reassumturus ad me, id est, in suam patriam, vt perpetuam captiuitatem indicet his verbis.

Vtraque expositio bona est, sed hæc altera mihi magis probatur. Indicat ergò Propheta per primum filium, quòd Deus omnes Israelitas velit inter gentes idololatras disseminare, hoc est, in captiuitatem abducere.

Per tempus verò quod intercessit inter natiuitatem primi filij & filiæ secundæ, indicauit tempus, quo Deus à populo in captiuitatem abducto, pœnitentiam exspectauit, vt ei faceret misericordiam. Si enim populus resipuisset, etiam in captiuitatem abductus, Dominus dignatus illum fuisset sua misericordia, & reuocasset in regnum suum.

Verùm quoniam noluit populus resipiscere, propterea Dominus 2. noluit ei hanc misericordiam facere, vt eum reuocaret, sed deseruit in perpetua captiuitate. Et hanc indicauit per filiam secundo loco natam, cui nomen Loruchama.

Per ablactationem verò filiæ indicauit adhuc patientiam quandam Dei, qua etsi decreuerat iam, vt populus ille in perpetuam captiuitatem redigeretur: tamen noluit statim eum abdicare à fœdere, quod pepigerat cum patribus eorum, & ita repudiare, vt non amplius esset & nominaretur populus Dei, sed exspectauit adhuc pœnitentiam à populo, vt scilicet quoad animam seruaretur, & nomen ac rem populi Dei retineret in perpetuum. Verùm quoniam populus non resipuit, iccircò tandem prorsus à se reiecit, deseruit, abdicauit, repudiauit, omnem illius curam deposuit, vt noluerit eum amplius esse vel nominari populum Dei, & se esse ac vocari illius Deum.

Et hoc indicauit per nomen tertij filij, quod fuit Loammi.

7. *Iuda miserebor.*

Cur? 1. Quia resipuerunt sæpe, vt sub Ezechia, Iosia, non sic Israelitæ, sed continuatũt suam idololatriam. 2. Propter promissionem factam peculiariter Iehudæis, vt ex ea tribu nasceretur Messias. Erat ergò seruanda tribus illa propter Messiam. Loquitur autem de misericordia temporali & terrena: nempe de seruanda tribu. Duplex enim misericordia Dei: spiritualis & corporalis. Spirituali etiam multis Israelitis misertus est, vt postea sequitur in 2. capite. Corporali autem non, sed tantum tribui Iudæ, ob caussas prædictas.

At in quem finem Propheta hoc recitauit populo suo?

Resp. Præcipua caussa fuit vt retunderet superbiam & inanem confidentiam Israelitarum, id est, sui populi. Ea erat hæc: Regnum Iuda erat tunc dissipatum. Regnum Israel florebat. Iudæi erant pauciores, tribus tantum vna cum dimidia. Israelitæ decem tribus cum dimidia. Iudæi pauperes, spoliati ab ipsis etiam Israelitis. Spoliarant enim templum, & quidquid auri argentíve reperire potuerunt, abstulerant, Israelitæ diuites. Itaque contemnebant Iudæos, vt pauperes, afflictos. Ecce superbiam.

Vt ergò hanc superbiam retunderet Propheta, introducit Dominum dicentem, *Dominus Iuda miserebor*. Hoc igitur faciebat ad augendũ dolorem Israelitis. Licèt verò Iudæi pauci, infirmi, pauperésque essent, cõrtà autem Israelitæ multi, potentes, diuites: tamen fauor Dei erat apud Iudæos, non autem Israelitas. Ideò de Iudæis ait, *Seruabo eos non in arcu.*

Primò eos seruauit ab Assur, non per arcum, sed per angelum.

Secundò ab exsilio Babylonico, non armis, sed fauore suo, excitato Cyro, deinde Dario, qui populum dimiserunt.

Ait autem primò, *Misericordia prosequar*. secundò, *Saluabo*

Ergò salus à misericordia Dei, à fauore Dei; & vbi fauor, ibi salus.

In Deo eorum, secundùm Tertullianum, loquitur de Christo, vel mutat personam Deus. Cur? vt ostēderet se non esse Deum Israelitarum, sed Iudæorum. Ideo circuitione vsus est, quod non ostendisset, si dixisset, Saluabo per me. Ergo cum ait *Eorum*, perstringit Israelitas, quasi dicat, Deus Iehoua non est Deus vester, Dij vestri sunt idola. Iehoua est Deus Iudæorum, quia non idola colunt. Item, Deus est in templo Iudæorum, vbi vult coli. Vos extra templum colitis non Deum, sed Diabolum. Vestri cultus non ad Deum, sed ad diabolū pertinent.

At cur sic loquitur Propheta? Annon Deum Israel colebant? Resp. Quia contra præceptum Dei colebant extra templum in vitulis & in hypocrisi: denique quia non accepti erāt Deo propter peccata: vnde dicit, quòd non Deum colerent, nec esset illorum Deus. Non enim est Deus, nisi illis qui se colunt ex præscripto sui verbi.

Populus primò abductus in captiuitatem, in terrisque Medorum, quæ erant tunc sub imperio Assyriorum, collocatus ibi suos retinuit cultus & cæremonias, & ita populus adhuc fuit etiam confirmatus in captiuitate. Cùm verò per Deiocem primum Medorum regem liberati fuissent à potentia Assyriorum, ob multas caussas ex terris Medorum expulsi, & in varias partes Mundi disseminati fuerunt Israelitę, vt non potuerint ampliùs conuenire simul & suas ceremonias cultúsque exercere. Et ita non fuerunt ampliùs populus.

Hac de re vide Funccium in comment. suæ Chronolog. li. 2. pag. ... in locum Iesai. cap. 7.

Tunc impletum fuit vaticinium Prophetæ, *Appellabitur Loammi*.

ANALYSIS HOSEÆ.

PRIMVS VERSVS IN HAS RESOLVITVR PROPOSItiones VI.

1. AIT, verbum *Iehouah*. Autor igitur huius Prophetiæ est, Deus, ac proinde quicquid hic continetur, est verbum Domini.

2. Dominus locutus est per Hoseam. Hoseas igitur fuit ceu os Domini.

3. Fuit verbum Domini factum ad Hoseam. Fuit ergò Hoseas verus Propheta Dei.

4. Vaticinari cœpit Hoseas anno Iarobeam filij Ioas & regis Israel, saltem postremò, id est, 41. Ergo vaticinari cœpit anno Vziæ regis Iehuda circiter 15.

5. Vaticinatus est reliquis annis omnibus Vziæ, nempe 37. & in diebus Iothami & in diebus Achazi & sub Ezechia. Igitur vaticinatus est supra annos nimirùm 60.

6. Ait se prophetasse in diebus Iorabeam filij Ioas regis Israel. Ergò ad Israelitas, non ad Iudam missus fuit.

SECVNDVS VERSVS RESOLVITVR IN PROPOSITIONES V.

1. Quia Dominus nec illicita, nec inhonesta mandat. Scortari autem nemini licet. Scortum etiam in vxorem ducere, non decet Prophetam. Leuit. 21. Est igitur credendum, Dominum in visione, & in significatione tantùm alterius rei mandasse Prophetæ vt acciperet sibi scortum, non autem, vt vel re ipsa scortaretur, vel scortum sibi in vxorem duceret.

TERTIVS VERSVS RESOLVITVR IN PROPOSITIONES V.

1. Nomina Gomer, Diblaiim, corruptam carycarum massam significant. Indicauit ergò Propheta totam illam populi Israelitici massam esse putrefactam & modis omnibus probrosam.

2. Quia nec scortari licet, nec scortum in vxorem ducere, Prophetam decet. Ideo sicut præceptum à Domino in visione accepit Propheta, vt non re ipsa, sed in alterius tantùm rei signum scorto se coniungeret, & ex eo filios scortationis susciperet: ita credendum est, Prophetam totum hoc in visione tantùm fecisse.

3. Quòd Propheta narrauit Israelitis, se scortum in mandato Domini accepisse in visione, & ex eo filios scortationis in visione suscepisse, symbolo ostendit in sua persona Israelitis, quòd & ipsorum patres totáque synagoga fuerit scortata cum Sathana in idolis, & ipsorum liberi nati essent ex scortatione & maiorum suorum scortationes sequerentur, & totum illud regnum Israel esset fœdissimum lupanar.

4. Hoseas initio suæ prædicationis duriter tractauit suum populum, & scortum filiósque scortationum appellauit, quia ad summum impietatis cumulum peruenerant Israelitæ. Ergò ministris verbi, cum populis Israelis similibus, non blande, sed duriter agendum est.

5. Spiritualis scortatio est, deserto Deo in suo verbo, sequi idola & cultos alienos à verbo Dei. Ergò spiritualis castitas est sequi Deum in suo verbo.

VERSVS QVINTVS RESOLVITVR IN PROPOSITIONES VIII.

1. Primus imaginarius Prophetæ filius è scortatione natus, iubetur vocari Iezreel, vt signum esset Israelitis, & quid essent, & quid de eis facturus esset Dominus.

Degeneres autem & adulterini, fuerunt Israelitę, quia à fide & pietate Israelis degenerarunt. Ideò non Israelitæ, sed per ludibrium Iezreelitæ eleganter à Propheta sunt appellati.

2. Erant verò a Domino, quia adulterini, Israelitæ proiiciendi, & inter gentes disseminandi. Ideò in filio Prophetæ imaginario, Iezreelitæ iure appellati fuere. *Zarach* enim seminare est.

3. Frangendus etiam erat arcus, id est, vires Israel in vallo Iezreel. Meritò igitur filius ille imaginarius Iezreel vocari iussus fuit.

4. Si Hoseas non citiùs, quàm postremo Iarobeæ anno, vaticinari cœpit: Ergò intra hanc primam Hoseæ concionem & visitationem Domini super domum Iehu, non intercesserunt, nisi sesqui circiter annus. Atque hoc est illud propheticum *bedhemehat*.

5. Non citiùs visitauit Dominus sanguines Iezreelis super domum Iehu ne promissio Domini facta Iehu vsque ad quartam generationem (vt est in 4. Reg. 10.) irrita fieret.

Sanguines autem Iezreelis, sanguines fuerunt Iorami, Iezabelis, & totius familiæ Achabi à Iehu ex mandato Domini fusi in Iezreel. Dominus igitur mauult impios repugnare ad tempus quàm suis non stare promissis.

6. Cædes à Iehu, etsi ex mandato Domini factas in Iezreel, vltus est Dominus in familia Iehu quia nō eo recto animo & cōsilio factæ fuerunt à Iehu, quo mandata ei fuerāt a Iehoua.

(Consilium enim Domini fuerat, vt sublatis è medio idololatriæ defensoribus, ipsa quoque idololatria tolleretur. Cōsilium verò Iehu, contemto Dei consilio, hoc tantum fuit, vt ipse regnaret.

Non sufficit igitur, si quis coram hominibus tantùm Dei mandata seruans præclare se gerat, nisi etiam coram Domino syncere ambulet, id est, rectum & syncerum animum præclaris exterois operibus adiungat.

7. Hinc manifestum fit, opera etiam suapte natura bona & per se grata, nisi ex animo fide purificato proficiscantur, nobis esse peccata, ideóque puniendà.

8. Abolitum se regnum Israel prædicit Dominus, quod tamen & potentissimum & florentissimum erat, & faciem aliquam habebat Ecclesię Dei, idque per spiritualem scortationem, & paulò pòst etiam aboleuit. Ergo regna vbi viget idololatria, licet potentissima ac florentissima sint, & nomen etiam Ecclesiæ Dei retineant, perpetuam sibi securitatem, felicitatem, aut stabilitatem ne promittant.

VERSVS QVINTVS RESOLVITVR IN PROPOSITIONEM I.

1. Vbi venit dies irę Domini contra Israelitas matura, cōfregit Dominus arcum seu vires omnes Israelis, idque cum in omnibus regni locis, tùm maxime in ipso regni vmbilico, vbi se maxime fortes & inexpugnabiles esse putabant Israelitæ: nempe in ipsa valle Iezreel, vbi metropolis erat munitissima.

Nullæ ergò humanæ vires, terrenáque propugnacula impedire manum Domini possunt, ne vel regna destruat, vel debitas de impiis pœnas sumat, cùm tempus vindictæ maturum aduenerit: ac proinde cùm Deus minatur, & se nobis infensum esse declarat, etiamsi maximæ vires nobis suppetant, & omnes mundi principes in nostram salutem conspirent: non est tamen, cur debeamus esse securi: quia sicut inermes saluat, ita omnia nostra præsidia in nihilum redigere facile potest.

SEXTVS VERSVS RESOLVITVR IN PROPOSITIONES III.

1. Per illud imaginarium tempus, quod fuit inter natiuitatem primi imaginarii filij Prophetę, & natiuitatē alterius filiæ imaginariæ, nomine Loruchama, illud verum tempus indicare voluit Hoseas: quo Dominus à populo in captiuitatem abducto, pœnitētiam diu exspectans, vt ei faceret misericordiam,

cordiam, atque in patriam reduceret.

Quia verò noluit populus resipiscere, sed in deterius prolapsus est, vt filia impudica: Iccircò hac populum misericordia prosequi vicissim noluit Dominus.

Filia itaque imaginaria, nomine Loruchama, signum fuit Israelitis oblatum duo significans. Vnum, quod ipsi peiores suis maioribus facti sunt, & in deterius prolapsi, ideòque intolerabiliores, sicut filia impudica intolerabilior est patri, quam filius impudicus. 2. Quod Dominus nollet amplius eos propter suam ipsorum impudicitiam & impœnitentiam hac misericordia prosequi, vt eos è captiuitate liberaret. Proinde illorum captiuitatem fore perpetuam.

2. Cùm ait Dominus, *Tollendo tollã eos*, sensus est. Ita sicut quisquilias ad ventum proiiciendo proiiciam eos ad gentes in captiuitatem, vt non ampliùs sim eos redempturus & in patriam reducturus idque quoniam resipiscere nolunt.

Exspectat igitur Deus peccatores diu ad pœnitentiam, vt eos misericordia prosequatur & fiant Ruchama. Sed si postea vocemur & reapse fiamus Loruchama id nostro vitio, id est, nostra intolerabili impudicitia & impœnitentia fieri, manifestum est.

1. Est autem duplex Dei misericordia. Vna spiritualis, qua condonat peccata: altera temporalis, qua liberat a præsentibus malis.

Non negauit autem in loco absolute priorem vniuersis Israelitis, sed tantùm posteriorem. Pij igitur & resipiscentes, semper remissionem assequuntur peccatorum, & non semper communi eximuntur flagello.

VERSVS SEPTIMVS RESOLVITVR IN PROPOSITIONES VII.

1. Misericordia, qua noluit Dominus Israelem prosequi, prosecutus est Iudam.

Huius autem differentiæ duplex fuit ratio. 1. Quòd Iudæi licet & ipsi sæpenumerò fuerint idololatræ: sæpenumerò tamen etiam resipuerunt & sub piis principibus ad verum cultum Dei redierunt Israelitę verò postquam segregarunt se à tribu Iuda, & autore Iarobeamo Nabathi filio vitulos erexerunt semper in deterius sine vlla vnquam resipiscentia prolapsi sunt. 2. propter promissionem ipsi tribui Iehuda & Messia ex ea nasciturо, specialiter factam.

Iehudam igitur in Babylonicam captiuitatem abductum, ab ea tandem expletis 70. annis Dominus liberauit, atque in propriam patriam reuocauit, propter promissum Messiam, sed non sine pœnitentia.

2. Opponit autem Propheta misericordiam factam Iehudæ, Loruchamæ Israelis. Sicut ergò misericordia Iudæ facta fuit, quòd non in perpetua captiuitate Iudęos reliquerit Dominus: ita Loruchama Israelis fuit, quòd Dominus Israelitas in perpetua captiuitate deseruit.

3. Connectit Propheta misericordiam & salutem dum ait, *Misericordia prosequar, & saluabo eos*. Ergo vbi misericordia & fauor Domini, ibi & salus.

4. Præponit autem misericordiam: deinde subdit salutem. Fons igitur salutis est misericordia & fauor Domini.

5. Non saluauit Iehudæos per arcum, aut gladium, aut prælia, aut equos, aut equites, sed per solum ipsorum Deum Iehoua. Salus igitur nostra non ab humanis viribus aut operibus & meritis nostris, vel sanctorum, sed ab eo solo, qui est Iehoua Deus noster, pendet & in eo solo fundata est.

6. Pendet autem à Christo, quia nemo saluatur, nisi per Christum. Christus igitur est noster verus Deus Iehoua, vna cum Patre & Spiritu sancto.

7. Dum dixit, *Saluabo eos Iehudaos in Deo eorum*, docuit, se Deum non esse Israelitarum, licet eius nomine gloriarentur, quia verbum eius deseruerant & veram religionem. Esse vero Deum Iehudæorum, quia verbum Dei retinebant. Non est igitur Christus, nisi illorum, qui versum eius retinent & sequuntur, vere Deus & saluator.

VERSVS OCTAVVS ET NONVS.

1. Imaginaria filiæ Loruchamæ ablactatio, symbolum fuit confirmatæ sententiæ Dei, de non prosequendo vlla misericordia populo, seu de populo à captiuitate nunquam reuocando. Cùm enim ablactantur filij argumentum est, filios esse ita viribus firmatos, vt lacte opus non habeant.

2. Illud verò imaginarium tempus, quod à filia Loruchama & nata & ablactata, vsque ad conceptionem, natiuitatémque tertij filii Loammi intercessit, symbolum fuit veri temporis, quo Deus populũ in perpetua captiuitate positum & firmatum, ad pœnitentiam tamdiu exspectauit, antequam illum prorsus a fœdere populi Dei, vt nec ipse illi esset peculiaris Deus, nec illi vicissim essent peculiaris populus, abdicaret.

3. Cæterùm quoniam populus nunquam resipuit, sed in deterius semper est prolapsus. Ideò tãdem illum penitùs à reiecit Deus, ne ampliùs suus esset & vocaretur populus, neque ipse illius esset & appellaretur Deus, sed in genere & censu gentium populus ille deinceps reputaretur.

4. Huius autem à fœdere Dei reiectionis, symbolum fuit tertius imaginarius Prophetæ filius nomine *Loammi*.

5. Etsi verò toti populo in genere dicat Deus, vos estis Loammi, reliquiæ tamen aliquot piorum excipiendæ sunt.

6. Dubium enim non est, quin multi pij, cum res desperatę essent in Israel, coniunxerunt se cum vera Ecclesia Hierosolymis, & ita rem & nomen populi Dei retinuerint.

7. Totus verò ille populus ex Israel, qui in captiuitatem perpetuam fuit abductus, reiectus fuit à veteri seu legali fœdere Dei. Ideòque quo ad fœdus hoc, totus fuit ex populo Dei factus Loammi. Nam omnes amiserunt nomen populi, id est Ecclesiæ Dei.

8. Cæterum ex toto illo populo in perpetuam captiuitatem expulso, inter gentes disseminato, a veteri fœdere Dei reiecto & Loammi effecto, non omnes in vniuersum a gratia noui testamenti, ideòque ab æterna salute exclusi sunt. Permulti enim postea (id est, reliquiæ & electi) ad fœdus noui testamenti assumti fuerunt, & audiuerunt vocem filii Dei viuentis, vt postea sequitur.

QVÆSTIO.

Quomodo toti populo dictum fuit Loammi, & eidem postea dictum, Filij Dei vos?

Resp. Populus ille diuiditur in præsentem populum & futurum. Præsens diuiditur in duas partes in pios & impios. Piorum quidam, antequàm reliqui in captiuitatem abducerentur, cum viderent res quo ad religionem, in Israel esse desperatas. Coniunxerunt se cum vera Ecclesia, quæ erat Hierosolymis. Hi retinuerunt & nomen Ecclesiæ quia erant externo vinculo vniti cum vera Ecclesia, & rem Ecclesiæ, quia pii erant. Reliqui verò pij vnà cum reliquo toto populo impio capti, abducti sunt. Hi retinuerunt quidem rem Ecclesiæ, quia pij & reuera ad Ecclesiam Dei pertinebant, sed tamen nomen Ecclesiæ non retinuerũt, quia sine notis externis Ecclesię erant coniuncti cum eo populo, qui non erat Ecclesia, nec notas habebat Ecclesiæ: ita reiecti à fœdere veteri, sed non à gratia.

Impij verò omnes, qualis erat reliquus, & fere totus populus, nec Ecclesia erant, nec Ecclesiæ nomen retinuerunt. Quare reiecti fuerunt à fœdere & veteri, & nouo, i. gratię.

Hinc manifestum fit, quo pacto toti pręsenti populo Israelitico (pręter paucos, qui se cum Iudæis coniunxerant) dictum fuerit: *Non populus meus vos* Et sic nomen istud *Loãmi* continuatum in omnibus reliquis Israelitis, qui vsque ad aduentum Christi nati sunt ex illis, qui abducti fuerant in captiuitatem.

Futurus ergò Israel diuiditur in duas partes: in reprobos & electos Reprobi retinuerunt nomen Loammi, & quo ad rem ipsam, quia non fuerunt vnquam Ecclesia Dei, & appellationem, quia non fuerunt cum Ecclesia Dei coniuncti. Pij verò electi noluerunt nomen Loammi, quò ad appellationem tantum (nisi forte aliqui subinde, vt credendum est, se coniungebant cum Ecclesia Dei, quę erat Hierosolymis) quoniam erant cum eo populo, qui notas verę Ecclesię non habebant. Sed quo ad rem, non retinuerunt, quia cum essent pij, erant vera Ecclesia, & de Ecclesia Dei.

Patet ergò, quomodo totus populus Israel futurus post Hoseam, vsque ad Christi aduentum fuit Loammi.

Cęterum post ascensionem Christi in cœlum, cum per Apostolos vbique terrarum ad gentes prędicaretur Euangelium. Electi qui ex Israel nati erant, quia crediderunt Euangelio, resumti sunt ad fœdus Euangelij, ingressi regnum Christi, etiam quo ad externam professionem, & connumerati cum reliqua Ecclesia Christi ex Iudęis & gentibus colligentur. Ita de non populo, quo ad externas Ecclesię notas, facti sunt populus & filij Dei, etiam quo ad externas populi Dei notas.

Patet ergò, quomodo vbi dictum fuerat, Loammi, dictum est eis, & dicetur adhuc in finem vsque seculi: *Filij Dei viuentis vos*.

Sic contingit Ecclesiæ Græcæ, sic contigit Ecclesiæ Papæ

CAPUT II.

1. *ET erit numerus filiorum Israel sicut arena maris, quæ non mensurabitur nec numerabitur. Et erit in loco, vbi dicetur eis, Non populus meus vos, dicetur eis, Filij Dei viuentis.*

Malalh Mensurare, metiri, quasi dicat, mensurari non potest. Vel vt Hieronymus. Quæ est sine mensura Est futurum.

Saphar Numerare, quæ numerari nequit. Est in futuro.

Bimkom Ascher Septuaginta & Paulus ad Rom Et erit in loco, vbi dictum fuerit eis, non populus meus vos, ubi vocabuntur filij Dei viui. Ergò *Ascher* erit pro *Beascher*, in quo, seu, vbi Sanct. Pagn. Et erit pro eo quod dicebatur eis. Sic ergò ad verbum, iuxta Sang Pagninum. *Et erit in loco*, id est, loco, *quod dicebatur*, id est, loco illius quod dicebatur eis, *Non populus meus vos.*

1. *Icamer* futurum est, sed pro præterito imperfecto ponitur.

2. *Icamer* in suo futuro retinendum est.

Hæc ergò erit simplex versio. *Et erit illius quod dicebatur* vel etiam dictum fuerit *eis, Non populus meus vos, dicetur eis, filij Dei viuentis.* Sed propter autoritatem Pauli ad Rom. malo retinere priorem lectionem: *Erit in loco vbi.*

Veruntamen erit numerus filiorum Israel magnus, *vt arena maris quæ mensura & numero caret, & pro eo quod dictum fuerit eis à Domino, Loammi vos, dicetur eis, Filij Dei viuentis vos estis.*

De Israele secundùm fidem. Sic autem coniungitur superioribus. Hoc quod dixi intelligi debet de iis, qui permansuri sunt in incredulitate. Nam alioqui numerus filiorum Israel, id est, Ecclesiæ erit maximus.

Pro eo Rom. 9. de gentibus interpretatur sicut Act. 15. Tamen 1. Petr. 2. de Israele conuerso intelligit.

2. *Et congregabuntur filij Iehuda, & filij Israel simul, & ponent sibi caput vnum, & ascendent de illa terra, quoniam magnus dies Iezreel.*

Samu ponent id est constituent sibi caput vnum.

Min haaretz de illa terra vbi scilicet captiui fuerant.

Gadhol magnus, id est, celebris dies Iezreel. id est, vt habet Ion. Chald congregationis eorum, id est, celebris erit dies populi dispersi, colligendi, seu cùm colligetur. Alij sic, quamuis magnus fuit dies Iezreel.

Congregabuntur) scilicet conuersi ad Dominum.

Caput vnum id est Christum in regem.

Ascendent de terra) id est, liberabuntur à captiuitate, seruituteque diaboli & peccati, & asserentur in libertatem filiorum Dei & iustitiæ. Allegoria ab iis, qui à captiuitate domum redeunt.

Et congregabuntur filij Iuda & filij Israel pariter, constituentque sibi caput principem & regem *vnum, atque ascendent de terra captiuitatis, quamuis magnus fuerit dies Iezreel.*

Diem Iezreel vocat destructionem regni Israel, & sempiternam captiuitatem, quasi dicat, maximus numerus Israel, fide seruabitur ad æternam vitam, licet acerbissima futura sit visio propter idololatriam.

3. *Dicite fratribus vestris Ammi, & sororibus vestris Ruchama.*

Hunc locum explicat Petrus 1. Epist. 2. Est autem mutua gratulatio fidelium.

4. *Disceptate* expostulate aut litigate, *in cum matre vestra disceptate, quia ipsa non vxor mea, & Ego non vir eius, & igitur auferet* auferat *fornicationes eius* suas *à facie eius* sua: *& adulteria eius*, id est, sua *è medio vberum suorum.*

Rubb litigare, contendere.

Vethaser futurum est fœminini. in Hiphil. in 4. ordine ordinariè deberet habere *Iod* cum chiric *Tasir*: sed aliquando *Iod* vertitur in alterum chiric: & ita duo chiric faciunt *esiri Taser* sicut *rakem* à *kum.*

Naaph adulterare, inde *Niuph* adulterium, hic est gemi-natum.

Schad mamma, vber, plur. *Shadaim* & *Schade.*

Expostulate cum matre vestra, expostulate, (non est enim vxor mea neque Ego sum maritus eius,) vt auferat scortationes suas à se, & adulteria ab vberibus suis.

Sub eadem imagine, reprehensionem idololatriæ Israel cũ pœnis fusius persequitur, consolationem in Christo perpetuis sedulò inculcans.

Alloquitur Prophetam & fideles, qui tùm erant in Israel. Explicat autem quod dixerat *Vade: & duc vxorem.*

Non enim) Parenthesis est, rationem indicat, ut non vocaretis eam vxorem quia scilicet deserto marito idola colit.

Scortationes suarum. Mundus meretricius, quo ad adulteria incitantur homines. Hæc sunt ornamenta idolorum in suis templis superstitiones.

Adulteria ipsa idololatria. Vult igitur Dominus, vt nõ solùm cessent ab idololatria: sed etiam ornamenta omnia idolorum, & instrumenta omnia ad idololatriam tollantur.

5. *Ne fortè exuere faciam illam nudam*, ne ita eam exspoliare faciam, vt maneat nuda, *& statuam eam sicut die Alter quo gigni ipsam* contigit, id est, quo genita & nata est *& ponam eam quasi desertum* solitudinem, *& ponam*, inquam, *eam quasi terram siccitatis*, id est, terram desertam, *aridam, & perire faciam in siti.*

Paschath exuere & exspoliare. Est in hiphil quasi dicat, ne fortè faciam vt exspolietur nuda, scilicet per Assyrium.

Herom nudus à *haram.*

Iatzag est in hiphil Est autem statuere & locare.

Hiualdha à *Ialadh* est in Niphal. & est mashor. Ergò sic ad verbum, *sicut die* quo *gigni* edi in lucem, nasci *ipsam* contigit.

Sanct. Pagn. *secundum dum natiuitatis suæ.* Sic Cal. Ne reddam eam nudam, ne restituam in eum statum, in quo erat die quo nata est.

Shartiha ponam eam à *schuth.*

Vahamittiha in Hiphil in præterito, à *Muth*, ad verbum est: *Et perire faciam in siti*, id est, siuam eam mori siti.

Ne exspoliando eam denudem, & reddam eam nudam, *sicut erat die natiuitatis suæ, faciámque eam similem deserto, atque redigam adinstar terræ aridæ, & interficiam eam siti.*

Dies natiuitatis tempus durissimum, cùm in Aegypto seruiebat Ezech. 16 Iosuã dies adolescentiæ Israel vocabit tempus, quo submersis Aegyptiis & persecta quoque & adulta fide cecinerunt gratias Deo.

6. *Et filios eius non misericordia prosequar, quoniam filij fornicationum sunt ipsi*, id est, nati ex matre fornicatrice, hoc mox explicat, recensens fornicationes matris *Filiorum quoque eius non miserebor. Hi enim sunt ex fornicationibus* progeniti.

Ii sunt increduli, & idolis prostituti singuli Israelitæ, declarat illud. *Et filios fornicationum* Æras eum ætatẽ & Maiores posteros doctrina & institutione formabant ad cultum idolorum, & iis idolis, liberorum procreationem & populi incrementum, sicut alia bona, impie accepta ferebant.

7. *Etenim fornicata est mater ipsorum, pudore affecta* (Cal. probris fœdata est) *genitrix eorum* conceptrix. *Nam dixit, ibo post meos amatores*, ad verbum, amantes me valde, *dantes* mihi *panem meum*, id est, qui dant, *& agnas meas, lanam meam, linum meum, oleum meum, & potum meum.*

Hobhischah à *Iabhasch* pudore suffundi In hiphil. est igitur pudore, propter impudicitiam, suffusa, censsus, ignominiosa & erubescenda admisit.

Horathum conceptrix vel genitrix eorum.

Horah nomen Toar: ab *Harah* concipere, generare.

Meahabhai ab *Ahabh* est participium in Piel. Verba autem in piel augent nominis significationem, vt amare in piel est valde amare. Est igitur ad verbum sic: *Ibo post* vehementer *amantes me.*

Pischtah linum à *Paschath.*

Schekuiai potus meus a *Schakah* irrigare, potum dare, seu propinare. Habet autem nomen hoc loco *He*, radicalis ipsum Vau, & alterum Iod loco iisdem *He*, Sensus, sequar idola,

idola, quia dant omnia necessaria.

Si quidem mater eorum fornicata est, & pudori patuit, quæ concepit eos: quia dixit: Ibo post amatores meos qui dant mihi panem & aquam, lanam & linum oleum & potiones.

Pudore confusione pudefacta propter idololatriam.

Amatores) Dii peregrini Ægypti & Assyrii, iis confidebat Israel. Rectè autem comparat hos amatoribus, quia Israel scorto comparauit.

Vestes) præcipua beneficia ad vitam hanc spectantia. Sed sub iis reliqua omnia etiam intelliguntur.

Temporalia etiam recenset, quia idololatræ nil curant nisi temporalia.

8\. *Proinde ecce me concludentem* vel sepientem, id est, Ecce ego sepiam *vias tuas in spinis*, id est, spinis, *& sepiam* (Vau vertit præteritum in futurum) *sepem, & semitas eius suas, non inueniet.*

Sath est participium præsens pro verbo futuro à *Such* sicut *Ban* à *Bun* & est sepire, intercludere, concludere.

Sir spina.

Gadhar sepire *Gedherah* sepes, maceria.

Nathibah semita, semitas eius, id est, suas, est ἐναλλαγὴ in persona, seu mutatio personæ. Sensus.

Intercludam vias omnes spinis & macerie, ita vt non possit egredi, & ire, quò velit.

Iccircò Ecce Ego obsepiam viam tuam spinis; & struam circa eam maceriem, vt non inueniat semitas sibi.

Mutatio personæ & præsens pro futuro.

Iccirco) id est, quia beneficia à me accepta, fertis accepta idolis.

Spinis.) Spinæ sunt tribulationes, vt obsessio & postea captiuitas. Iis circumuenti Israelitæ, frustra respiciebant ad auxilia idolorum aut confœderatorum.

9\. *Et persequetur* ipsa *amantes eam*, i. se seu amantes & amasios suos *& non apprehendet*, id est, assequetur eos, *& quæret eos, & non inueniet. Et*, id est, igitur *dicet, ibo & reuertar ad maritum meum primum*, seu priorem, *quoniam benè mihi tunc* fuit magis *quam nunc*, hoc est, quia melius mihi tunc fuit, quàm nunc.

Ve ridpha vau conuertit præteritum in futurum. Est in piel. ideò significat anxie & vehementer persequi.

Nasagh in hiphil, & apprehendere, vt hic, futurum est fœm, *thasigh* apprehendet.

Bakasch quærere.

Harischon a *Rosch*.

Sensus Non fruetur illis, seu ope illorum idolorum, quæ sequetur.

Et anxiè sequetur amatores suos, neque assequetur eos, quæret, neque inueniet. Tum dicet apud se, *vadam, & reuertar ad maritum meum priorem, quia melius erat mihi tunc* sub *eo quàm nunc.*

Anxiè, hoc est, pressa malis & ope destituta, quæret & expectabit eam à suis idolis & confœderatis, & non inueniet.

10\. *Et ipsa non cognouit, quòd Ego dederim ei triticum & mustum & oleum, & argentum quod multiplicaui*, ad verbum, crescere feci *& aurum, fecerunt* aptarunt seu accommodarunt in vsum *ipsi Baal.*

Sanct. Pagnin. Et ipsa nesciebat, quòd Ego dedissem frumentum.

Dagan frumentum, & cõplectitur omnes frumẽti species.

Itzhar oleum à *tzahar*.

Hatirosch vinum nouum. R. D. Kimhi. à rad. *Iarasch*.

Asah facere & aptare, seu in vsum accommodare, sic accipitur hic. Vel sic. Et fecerunt, id est, insumserunt, id est, conflando & ornando Baal. Vel sic,

Et ipsa non cognouit, quòd Ego dederim ei frumentum & vinum nouum, & oleum, & argentum multiplicaui ei & aurum Ascher quæ *aptarunt* accommodarũt in vsum. ἀντὶ τοῦ numeri *ipsi Baal.*

Quasi dicat; Dedi Ego hæc omnia. ipsi verò (Israelitæ) non ea recognouerunt ex me, sed accommodarunt vel præparaturi & obtulerunt ipsi Baal. Ex vino enim frumento, & oleo sacrificia offerebant Baali. Ex auro & argento conficiebant statuas Baal, in testimonium scilicet, quòd hæc omnia beneficia ei accepta referrent.

Et ipsa non agnouerat, quòd Ego dedissem ei frumentum & mustum & oleum, immò argentum quod multiplicaueram illis & aurum, insumserunt in Baal, idola scilicet ornando, & ea etiam fundenda ex auro.

11\. *Propterea reuertar, vt tollam frumentum meum in tempore suo & vinum* multum *meum in* statuto *tempore suo, & eripiam* è manibus eius *lanam meam & linum meum* Ascher quæ erant vel quæ dederant *ad tegendam turpitudinem suam* ad pudendum membrum, vel pudenda membra.

Eth à *Anath* tempus proprie καιρὸς non autem χρόνος, Eccles 3. Omnia tempus habent, tempus moriendi *Eth*.

Moedh à *Iaadh* est tempus certum & constitutum, καιρός.

Natzal est eripere, in hiphil. Et eripiam scilicet è manibus eius, lanam.

Casah tegere est machor in niphal.

Eruath turpitudo, nuditas, pudenda seu pudendum membrum à *Arah*.

Quapropter resumam frumentum meum suo tempore, & mustum meum tempore suo constituto, insuper eripiam lanam & linum meum, quæ dederat, *ad operiendam nuditatem eius.*

Tempore suo) scilicet messis & vindemiæ, quasi dicat, tanquam ab iniquis possessoribus eripiam ea.

12\. *Et nunc discooperiam fœditatem*, turpitudinem, Calu. flagitium *eius ante oculos*, alij in oculis, *amantium eam, & vir quisquam non eripiet eam è manu mea.*

Attah nunc, id est, breui.

Galah discooperire, detegere.

Nebalah stultitia, ignominia, fœditas, turpitudo. Sic *nabelath* res fœda & turpis, fœditas.

Iatzilenah à *natzal* in hiphil.

Illud *Amantium* quidam interpretantur Aegyptios & Assyrios, cum quibus Israel idolis sacrificabat. Sed meliùs, vt intelligantur idola, vt suprà.

Nunc autem retegam fœditatem eius coram oculis amatorum eius, & nullus poterit eripere eam de manu mea.

13\. *Et cessare faciam omne gaudium eius, festiuitate* alii tripudium *eius, neomeniam*, id est, nouilunium, *eius, & Sabbatha eius, & omne festum tempus eius.*

Masos gaudium à *sos* gaudere.

Chaggah festiuitas eius, à *chagag* diem festum agere & tripudiare, saltare.

Chodesch mensis, quòd in eo innouetur Luna: item primus dies mensis seu calendæ. *Chadasch* verò est nouus: vt *Itchah chadaschah* vxor noua, à *Chadasch* innouare. *Moedh* significat etiam solennem diem, seu festum, & solenne tempus, vt hic.

Præterea efficiam, vt cesset omne gaudium eius, dies lætitiæ eius nouilunia eius, & sabbatha eius, denique omnes stata feriæ eius.

14\. *Et desolabo*, id est, in solitudinem redigam, *vineam eius & ficum eius, quæ*, id est, de quibus, *dixit merces hæ* vineæ & ficus omnia fœminini generis, *mihi, quam mercedem dederunt mihi amantes mei & ponam eas* vineas & ficus *in syluam, & depascent eas bestiæ agri.*

Schamam desolare, in solitudinem redigere, est in hiphil.

Gephen vitis tàm domestica, quàm syluestris, pro vinea accipitur hic.

Ethnah & Ethnan merces, significat hoc in loco propriè mercedem, quæ datur scorto pro sui corporis prostitutione. Sanct. Pagnin. illud *Aser amerah* vertit præ eo quod dixit.

Deuastabo quoque vineta eius & ficeta, de quibus dixerat: Hæc pro mercede meretricij habeo, quam dederunt mihi amatores mei, redigámque ea in saltum vt depascant illa bestiæ agrestes, id est, hostes.

15. *Et visitabo super eam dies Baalim, quibus* diebus *adoleuit*, pro adoleuit thus *illis* Baalim, *& ornauit se inaure sua & monili torque suo, & profecta est post amatores sui vel se, & mei oblita est, inquit Iehoua.*

Sensus est, visitabo flagitia, quæ per id tempus, quo coluit idola, admisit.

Kathar suffire, adolere thus, incensum. Est hic futurum in hiphil, pro præterito imperfecto.

Adah ornare, decorare. Est futurum fœm. in Cal. sed *vau* vertit in præteritum.

Nezem inauris.

Chelach monile à rad. *Chalah.*

Schachach obliuisci.

Atque animaduertam in ea scelera dierum Baalim, quibus incendebat suffitum illis, & ornabatur inaure sua, & monili suo, sequebatúrque amatores suos, mei autem obliuiscebatur, dicit Dominus.

Incendebat) futura sunt pro præteritis imperfectis.

16. *Propterea ecce Ego inclinans ero eam*, id est, persuadebo ei, quod rectum est, *& faciam eam proficisci in ipsum desertum*, id est, deducam eam in desertum ipsum, *& loquar ad cor eius.*

Ecce ego inclinabo eam, postquam deduxero in desertum loquar tunc scilicet in deserto constituto ad cor eius.

Mephatheha in piel a *Pathah* inclinare. Sæpe accipitur in malam partem, significat que decipere, fallaciis inducere, lactare. Hic in bonam partem, & significat blande alloqui & persuadere, quod rectum est.

Illud *vau* est loco radicalis vltimæ *He*, ait Kimhi in libro Rad. Sic autem hunc locum exponit: *Dabo in corde eius, vt conuertatur ad pœnitentiam, adhuc illa in captiuitate existente.* Qui enim persuadet socio suo, facit illum à sua opinione transire ad opinionem alterius. Et sic Dominus facit transire Israelem ab opinione sua mala, quam habet adhuc captiuus, vt scilicet sequatur suum desiderium & cognitionem malam, & dat in corde eorum, vt relicto malo, accipiant bonum & propterea ait: *Remouebo cor lapideum de carne vestra & dabo vobis cor carneum.*

Hammidbar in ipsum desertum, vbi scilicet aberit ab idolis, sic resolui debent verba.

Ecce Ego inclinabo illam, postquam deduxero in desertum, tunc, inquam, loquar ad cor eius, id est, postquam ad extremum malorum deduxero populum, tunc inclinabo eum, id est, flexilem mihi reddam.

Enimuero Ecce Ego pelliciam eam, cùm abduxero eam in ipsum desertum, loquárque ei secundum cor eius

Id est, cùm eam in exsilium deduxero, & ita ab idolis, humanáque fiducia abstraxero, blandis verbis ibi eam alloquar, vt ad me redeat.

17. *Et dabo ei vineas suas ab eo loco*, seu illinc, *& vallem Achor in tarnam*, id est apertionem *spei, & canet ibi sicut diebus adolescentiæ* vel pueritiæ *suæ, & sicut die ascendendi ipsam*, id est, quo ipsa ascendit, *è terra Ægypti.*

Inde ab eo deserto, quasi dicat, vineæ eius incipient ab eo deserto, respicit v. 11. vineas & ficus. Quasi dicat, si voluerit parere verbo meo, dabo ei copiam rerum temporalium, per quæ etiam spiritualia intelliguntur.

Patach aperire, inde *Petach* ostium, ianua, apertio.

Karah exspectare, sperare, inde *tikrah* spes, exspectatio.

Anah multa significat. Hic significat canere alta voce.

Valle Achor.) Achor turbationem significat. Ita dicta illa vallis, quòd in ingressu terræ sanctæ populus Israel propter scelus Achami turbatus sit, quasi dicat. Non erit in ista mutatione tale initium, quale fuit in ingressu terræ sanctæ: Illic turbatio, hic, (id est, initio Ecclesiæ sanctæ) læta & prospera omnia.

In ostium spei) ad præbendam occasionem concipiendæ spei. Sicut fores amicitiæ aperire, est occasionem dare amicitiæ ineundæ.

Tempore iuuentutis) qua ætate præ lætitia canitur.

Die quo ascendit) alludit ad canticum Mosis Exod. 15.

Et restituam in vineas eius illinc, reddámque vallem Achor, velut ostium spei, Atque canet ibi vt tempore adolescentiæ suæ, nimirum tempore quo ascendit è terra Ægypti.

Illinc (id est, ab eo deserto, quasi dicat, in ipsa captiuitate conuertam Israel ad Euangelium, & explebo donis spiritus, restituámque cœlesti hæreditati, quæ per temporalia beneficia significatur. Vide 1. Petr. & Iacobi Epist. & Act. 2. Cum Euangelio beneficia maxima a me recipiet præsentis vitæ pariter & futuræ.

De valle Achor. Ios. 7. Ita vocata, quòd populus ob auaritiá Acham turbatus fuit: Sensus est Israel recepto Euangelio læta & prospera omnia experietur.

Nam & cruces materia gaudij erunt propter excellentem & infractam fidem, idque secus quam contigerit in ingressu terræ sanctæ. Dicitur autem ostium siue ingressus & introitus spei & exspectationis ea figura, qua Latini dicunt, fores amicitiæ aperire, hoc est, occasionem dare amicitiæ ineundæ, sic spei.

18. *Et erit in die illa, dicit Iehoua, vocabis* me *maritè mi*, vel, vir meus, *& non vocabis me Baal meus.*

Tikrei futurum secundæ personæ, fœm. gen. singularis.

Baali significat Dominum & patronum meum. Male autem sonat & audit, quia eo nomine idola vocabantur, ideò ait, Non vocabis me tali nomine, sed proprio, vir meus.

Illo tempore dicit Dominus, vocabis me Ischi, neque vocabis me vltrà Baalim.

Id est, & vocando me, dices, Mi vir, Baali est Dominus meus, quasi dicat, non vteris hac dictione Baal, quæ male audit & sonat, quòd idolis etiam tribuatur. Icircò in destructionem idololatriæ, desines me vocare Baal, licet marito quoque competat.

19. *Et recedere faciam*, id est, auferam *nomina Baalim de ore eius & non memorabuntur ampliùs in nomine eorum.*

Id est suo hoc est, in nomine honorifico Baalim, quod Dominum significat, quasi dicat nō nominabuntur ampliùs ipsa idola hoc honorifica nomine Baalim sed (subintellige) si me morabuntur & nominabuntur, nomine proprio nominabuntur idola, simulacra. Contraria sententia superiori me vocabunt Baali non proprio nomine honorifico *Ischi*, contra ipsa idola vocabunt nomine quod ipsis non conuenit. Emendata ergo, non vocabit me Baal, sed *Ischi*, & idola non ampliùs Baalim, sed idola

Izacheru est in futuro, in niphal.

Etenim auferam nomina Baalim ab ore eius, vt non memorentur vltrà nomine meo.

20. *Et percutiam illis fœdus in die illa cum animante* bestia *agri, & cum volucre cœli, & cum reptili terra, & arcum & gladium & bellum conteram de terra, & dormire faciam eos in securitate.*

Lahem id est, ipsorum nomine, fideliū scilicet, vel in ipsorū gratiam, quasi dicat, præcipuam illis, ne noceant fidelibus, alludit ad id, quod ait *Ps.* 91. Super asp idem & basiliscum ambulabis. *Et Ies.* Puer lactens oblectabit se super foramen aspidis, impletum tempore Christi. *Marc.* 16. Etsi mortiferum quid biberint, non nocebit eis, serpentes tollent. Promittit pacem & tranquillitatem fidelibus, tempore Euangelij.

Chai lah anima & omne animans seu viuens, ideò & bestia. est in regimine, ideò habet *Thau.*

Milchamah bellum. i. omnia reliqua bellica instrumenta. Pacem promittit externam quæ internam adumbrat.

E terra, id est, è regionibus, in quibus habitauerint.

Bethach securitas, fiducia.

Pangam verò eis fœdus tempore illo cum bestiis agrestibus, & cum volucribus aeriis, & reptilibus terrestribus, arcum quoque & gladium & bellum confracta profligabo è terra, efficiámque, vt habitent securi.

21. *Et desponsabo te mihi in perpetuum, & desponsabo te mihi in iustitia & in iudicio, & in misericordia, vel clementia, bonitate, & miserationibus.*

Aras cum puncto in sinistro cornu, desponsare.

Chesed misericordia, probitas, bonitas, pietas, beneficium.

Et desponsabo te mihi in sempiternum, desponsabo, inquam, te mihi per iustitiam, & per iudicium, & per bonitatem, & per misericordiam.

22. *Et desponsabo te mihi in fide, & cognosces* Iehouah.

Ve ladahart & cognouisti, pro cognosces fœm. præterit.

Te autem

Te autem desponsabo mihi per fidem, & cognosces Dominum.

Fidem) veram & firmam, qua verè iudicio legis de peccatis assentimur. & Euangelio de gratia, gratuitáque peccatorum remissione per Christum, & Deum propitium inuocamus. Contrarium, non est vxor mea.

21. *Et erit in die illa, exaudiam, ait Dominus: exaudiam cœlos, & ipsi exaudiant terras.*

Anah est respondere, ad verbum, sed pro exaudire sumitur, [illegible] est, quasi petat cœlum à Deo, vt sinat se aquam & rorem, & solem suis temporibus in terram mittere. Et Deus exaudiet vota & preces cœli, & cœli respondeant votis terræ. Sensus est. Faciam vt cœlum, quod anteà clausum erat, imbrem & rorem suis temporibus opportunè in terram demittat.

Ita fiet, vt tempore illo exaudiam dicit Dominus: exaudiam cœlos ipsos, & ipsi exaudiant terram.

24. *Et terra exaudiet triticum, & mustum* vinum nouum, *& oleum, & ipsa exaudient Iezreelem.*

Respondet superioribus versibus 2.

Terra exaudiet triticum. Fingit triticum petere à terra, vt se producat foras in vsum fidelium, & terram votis tritici, vini, & olei respondere. Quare sic fingit? vt exprimat naturale desiderium rerum. Terra enim desiderat naturaliter pluuiam, triticum humorem terræ, filii Dei triticum, vinum.

Iezreel,) id est, fidelibus, qui sunt semen Dei.

Porrò terra exaudiet frumentum & mustum, & oleum, & hæc exaudient Israelem.

25. *Et seminabo eam* mulierem, de qua hactenus, id est Israelem, sub nomine mulieris, *mihi in terra, & misericordia prosequar non consecutam misericordiam, & dicam non populo meo, populus meus es tu, & ipse dicet, Deus meus es.*

Seminabo) spargam eam super terram instar sementis.

Et miserebor) id est, agnoscam pro populo meo illos, qui antea non erant populus, & ipsi vicissim agnoscent me pro Deo suo.

Et seminabo eam mihi in terram, miserebórque ipsius Loruchamæ, atque ita dicam ipsi Loammi, Ammi es tu, & vicissim ipse dicet mihi Deus meus.

Respicit illud, quod antea, Obliuiscebatur mei. Nunc agnoscet me pro suo seruatore.

Exaudiet cœlum) [illegible], qua promittitur fidelium commodis creaturas omnes liberaliter inseruituras, Deo scilicet propitio & reconciliato per Christum, quasi dicat, cœli influent in ista inferiora, & ita respondebunt votis terræ quæ humorem desiderat. Terra autem dabit frumentum pro votis Israel, id est fidelium, qui semen sunt Dei.

Instar sementis spargam eam) id est, vehementer multiplicando numerum fidelium, sicut semen in terram iactum crescit.

Et erit numerus filiorum Israel.

CEnseo hos tres primos versus ad primam concionem, quæ primo capite continetur, omnino pertinere. Mos enim est Prophetarum, vt nullam fere vnquam concionem absoluant nisi adiectâ aliquâ de regno Christi promissione, qua pios consolentur. Patet exemplis. Videmus enim conciones Prophetarum iis tribus fere partibus constare. 1. reprehensione peccati. quod vt magis amplificent, solent commemorare beneficia Dei, & explicare legem. 2. demonstratione iræ Dei contra peccatum. 3. promissione de regno Christi & peccatorum remissione scilicet per fidem in Christum. Et certè talem concionum dispositionem, requirit ordo salutis nostræ, cuius caussa habentur conciones. 1. enim exigitur, vt peccatum agnoscamus. 2. sentiamus iram Dei contra peccatum. 3. promissione Euangelii conscientiæ perterritæ subleuentur fiducia in Christum. Concio igitur prima Prophetæ constat tribus partibus. 1. reprehensione peccati. 2. denunciatione iræ Dei contra peccatum. 3. promissione de regno Christi. populoque ex Israele & gentibus nouo ad nouum fœdus assumendo. *Hieron.* etiam exponens illud, Iudicate matrem vestram, ait, ibi incipere caput secundum & tres illos versus coniungendos cum superiori capite. Priores duas partes sumus interpretati, superest tertia.

Priori autem loco illud quærendum, cur Propheta hanc subiecerit promissionem? Responsio est, non solùm vt pios consolaretur, sed etiam, vt supercilium hypocritarum perfunderet. Quia enim concluserat Propheta populum Israeliticum prorsus à Deo deserendum, repudiandum & inter gentes dispergendum, vt non sit amplius populus Dei. Pessimum hypocritæ securi in peccatis verba Prophetæ tanquam pugnantia (illorum iudicio) cum verbo Dei, taciti deridebant hoc argumento. Si Israel repudiandus est, vt non sit amplius populus Dei, & regnum hoc destruendum. Ergo & promissio facta Abrahæ de multiplicando Israele instar arenæ maris irrita fiet, & Ecclesia Dei prorsus extinguetur. Atqui nec promissio Dei irrita fieri potest, nec Ecclesia Dei prorsus deleri. Quid igitur garrit iste Propheta, populum Israel prorsus inter gentes disseminandum, vt non futurus sit amplius populus Dei?

His igitur per quandam occupationem occurrit Propheta, & ad maiorem respondens sic ait in summa.

Etsi vniuersus hic carnalis populus inter gentes est dispergendus, vt non sit amplius populus Dei, & totum hoc regnum destruendum: non consequitur tamen, fore irritam Dei promissionem de Israele instar arenæ maris multiplicando. Promissio enim illa, de Israele secundùm spiritum, intelligenda est, non autem de illo qui tantum Israel est secundùm carnem. Futurus est autem tempore Christi istius Israelis secundùm spiritum, numerus immensus, sicut arena maris vt impleatur promissio non in vobis Israelitis secundùm carnem tantùm, sed in Israelitis veris secundùm spiritum, qui sunt omnes electi & filii promissionis tam ex Israele, quàm ex gentibus. Ergo non consequitur hæc illatio. Israel secundum carnem dispergendus est inter gentes. Ergo promissio Abrahæ facta de spirituali Israele multiplicando, irrita fiet. Neque etiam consequitur. Si regnum hoc, & præsens visibilis Ecclesia Israel destruetur. Extinctum igitur iri Ecclesiam Dei. Nam Ecclesia Dei in reliquiis Israelis seruanda est & colligenda ex veris Israelitis secundum spiritum, qui futuri sunt tempore Messiæ innumeri. Falsum igitur est assumtum hypocritarum, non enim cum eo, quòd antea de huius carnalis Israelis perditione vaticinatus sum, pugnat promissio Dei de multiplicando Israele & conseruanda Ecclesia Dei. Quare stat firmum vaticinium meum de populo hoc inter gentes disseminando vt non sit populus Dei. Proinde ne sibi promittant securitatem in suis peccatis hypocritæ. Hoc, quòd ad hypocritas attinet.

Quòd attinet ad pios, ipsi quoque non potuerunt non tentari & magno dolore affici, iis auditis comminationibus. perinde ac si de Ecclesia Dei prorsus actum foret. Propheta igitur hac subiecta promissione illos est consolatus, & in fide futuri mediatoris retinuit. Docuit enim piis in gentes abiectis, de regno Christi, seu de Ecclesia Dei, desperandum non fuisse, quasi futura foret irrita promissio Dei, de multiplicando semine Abrahæ instar arenæ maris, sed potius piis omnibus statuendum esse, ex hac quasi morte Israelis, vitam illis nouam exorituram. Deum enim hanc ruinam Israelis in melius restauraturum. quo pacto? Resumturum enim reliquias Israel, id est, Electos ex Israel. & cum eis ipsas etiam gentes, id est, electos ex gentibus, in quas dispersi fuerant Israelitæ, & ita futurum numerum verorum Israelitarum scilicet secundum spiritum, innumerabilem, ex quo constabit Ecclesia Dei. Quæ certè consolatio non tantum ad illos pios, qui præsentes erant, sed etiam ad omnes, qui futuri erant, in Israel vsque ad Christum, pertinuit. Quasi igitur dicat, piis omnibus præsentibus & futuris in Israel Propheta, Ex hac totius populi in gentes (vt prædixit) disseminatione, videbimini vobis, ô pii, in paruum numerum fuisse redacti, atque ita videbitur vobis promissio de multiplicando Israele irrita fuisse, Ecclesia Dei extincta & omnino perdita. Ac vos bono estote animo, non ita erit. Imò ex hac dissipatione carnalis Israelis, colligetur omnis, qui est secundum spiritum Israel, in regnum Christi. Proinde necessaria est & vtilissima Ecclesiæ Dei, hæc Israelis totius dispersio. Neque enim spiritualis Israel colligi potest, nisi ille, qui est secundum carnem, disseminetur. Tantum igitur abest, vt ex dissipatione ista, irrita fiat promissio Abrahæ facta, vt potius ex ea sequatur illius promissionis complementum. Habemus caussas, cur illi acri comminationi & iræ Dei denunciationi, hanc promissionem de noua Ecclesia creanda & colligenda, tam ex gentibus, quàm ex Israelitis in regnum Christi, subiecerit: nempe, vt per quandam occupationem & tacitæ hypocritarum obiectioni responderet, eorúmque supercilium retunderet, & piorum, tum præsentium, tum futurorum in Israel, animos subleuaret. Retinenda est responsio Prophetæ ad obiectionem hypocritarum in Israel, quia faciet etiam ad obiectiones hypocritarum in Papatu diluendas. Argumentum erat tale hypocritarum,

Si nos vniuerſi filii Iſrael ſumus excidendi, & inter gentes diſpergendi, ita vt non ſimus ampliùs populus Dei. Ergo promiſſio de filiis Iſrael inſtar arenæ maris multiplicandis, irrita fiet, & Eccleſia Dei prorsùs erit extincta, atque ita inuenietur Deus mendax. Nos enim ſumus filii Iſrael, nos ſumus Eccleſia Dei.

Atqui fieri non poteſt, vt irrita fiat promiſſio, & vt Eccleſia penitùs extinguatur, aut Deus mendax reperietur in ſuis promiſſis.

Ergò non poſſumus exſcindi prorsùs, vt ais. Sumus ergò in tuto.

Reſponſionis ſumma eſt Minor tota admittitur. In maiore negatur illatio illa. Si nos exſcindimur Ergò promiſſio irrita, ergò Eccleſia erit extincta. Quòd primò probant illationem dicentes. Nos enim ſumus filii Iſrael. Reſponſio Prophetæ eſt. Verum. Sed vos eſtis Iſraelitæ, ſecundùm carnem tantùm, id eſt, Iſraelitę adulterini & Iezreelitæ potiùs quam Iſraelitæ, vt ſupra dixit. Promiſſio autem de Iſraele multiplicando, intelligitur de filiis Iſrael ſecundùm ſpiritum & de filiis promiſſionis quia ii vere reputantur in ſemen, & quòd ad hos filios, fateor, fore numerum eorum, vt arenam maris.

Quòd ſecundò aiunt. Nos ſumus Eccleſia, ad id reſpond. Vos eſtis Eccleſia nomine tantùm, ſed reipſa non eſtis Eccleſia, eſtis adultera, fornicaria non amplius ſponſa Dei. Quare? quia deſerto verbo Dei & vero cultu Dei, ſecuti eſtis idola & gentium abominationes, vt ſupra patuit, & infra etiam meliùs patebit.

Non pugnát ergò denunciatio iræ Dei contra vos per me facta, quòd vniuerſi ſitis exſcindendi, & promiſſio Abrahæ facta, quia promiſſio illa non reſtringitur ad ſemen Abrahæ carnale, ſed ad ſpirituale.

At vbi igitur Eccleſia? & quæ? & quanta? ſi nos exſcindamur? Erit vbique locorum, erit ex veris Iſraelitis, erit innumerabilis ac immenſa, erit numerus filiorum Iſrael, vt arena maris. vnde? ſumetur vndique. Deus enim vocat, quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt Item. *potis eſt ſuſcitare filios Abrahæ de lapidibus*, Matth. 3. potentia Dei infinita eſt.

Sic nos Papiſtis reſpondemus. Illi ſic argumentantur.

Si nos Epiſcopi, id eſt, tota Eccleſia Romana per tot iam annos errauimus in cultu, inque doctrina Chriſti, vt vos dicitis Lutherani.

Ergò Eccleſia Chriſti errauit, & multis iam ſeculis deſerta fuit à Chriſto & ita promiſſio illa. *Ecce ego vobiſcum ſum vſque in conſummationem ſeculi*, irrita erit.

Quòd hoc conſequatur, patet Nos enim ſumus Eccleſia ab initio Euangelii prædicati per Apoſtolos, ſemper continuata per ſucceſſionem Epiſcoporum.

Atqui Eccleſia non poteſt errare, nec deſeri à Chriſto Nam Matth vltimo promiſit, *ſe nobiſcum futurum vſque in conſummationem ſeculi*, & 1. Tim. 3. *Eccleſia eſt columna & firmamentum veritatis*

Ergò.

Reſpon. Minor vera eſt tota, ſed loci illi de vera Eccleſia intelligendi ſunt, quæ ſcilicet retinet ipſum verbum veritatis purum, & Sacramenta Chriſti pura.

Maior negatur. Eſt enim ἀσυλλόγιστος.

Ad probationem illationis. Nos ſumus Eccleſia, reſpond. Nomine tantùm, non reipſa eſtis Eccleſia, quare? Quia deſeruiſtis verbum Dei, cultum Dei purum, ſequimini idola, ſuperſtitiones gentium, ἐθελοθρησκείας. Ideò non eſtis ſponſa amplius, ſed adultera, fornicaria Eccleſia. Hæc enim eſt cauſſa, cur Hoſeas Iſraelem negauit eſſe Eccleſiam, ſed ſcortum appellauit, vxoremque fornicariam, quia deſeruit purum cultum à verbo Dei præſcriptum.

At continuata eſt iſta Eccleſia Romana ſemper ab initio, quo fuit fundata, per Apoſtolos, continuata, inquam, eſt, per ſucceſſores Epiſcoporum.

Reſp. Continuata eſt in carne, in loco, in aliquot externis ceremoniis, ſed non in pura verbi prædicatione & ſyncera Sacramentorum adminiſtratione, quæ duo ſunt anima & corpus Eccleſię veræ. Et Iſraelitæ hoc pacto continuati ſunt in carne & aliquot ceremoniis externis, cum priore Eccleſia ſancta. At in doctrina & cultu puro, defecit à ſuis maioribus, ab Iſrael & à tribu etiam Iuda. Vos igitur eſtis tantum pictura quædam & vmbra Eccleſiæ, non ipſa Eccleſia.

Nunc ad ipſam promiſſionem.

Et erit numerus filiorum Iſrael.

Summa huius verſus eſt. Etſi vos, ô Iſraelitæ, excidemini vniuerſi: non tamen propter hoc aut irrita fuerit promiſſio facta Abrahæ, aut Eccleſia Dei ex filiis Iſrael exſtincta.

At nos ſumus filij *Iſrael*.

Reſpon. Sed Dominus ſuſcitabit alios veros filios Iſrael, qui erunt vt arena maris, & quidem in omni loco, vbi iſta Eccleſia fuerit extincta, ibi alia noua & melior prima excitabitur. Tria igitur in hoc verſu de regno Chriſti explicat.

1. Quam magna futura ſit, (quo ad numerum fidelium) amplitudo regni ſeu Eccleſiæ CHRISTI ex omnibus veris Iſraelitis colligendæ.

2. Quam longe lateque patebit Eccleſia Chriſti: nempe per totum terrarum orbem, vbi gentes, quæ dicuntur Non populus Dei, habitant.

3. Quod Euangelij prædicatione tanquam inſtrumento efficaci veri ſecundùm ſpiritum Iſraelitæ per omnes mundi partes diſperſi in regnum Chriſti colligentur. Vbi etiam videre eſt, quid proprie Euangelium annunciet.

Quo ad primum, ait: *Et erit numerus filiorum Iſrael, tanquam arena maris, quæ non menſuratur, & non numeratur.*

Concluſio eſt. Numerus verorum electorũ fideliúmque Iſraelitarũ, erit immẽſus & innumerabilis in Eccleſia Chriſti. Hęc ergò eſt cõfirmatio & interpretatio promiſſionis Abrahæ factæ, quæ eſt *Gen.* 15. Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes ſic erit ſemen tuum. Et eiuſdem, quæ eſt ad Abrahã *Gen.* 17. Multiplicabo te vehemẽter nimis. *Item*, Patre multarum gentium conſtitui te. *Gen.* 22. Per memetipſum iuraui, quod faciam hanc rem, multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenã maris, quæ eſt in littore maris. Ex illis enim locis deſumſit hanc concluſionem præſentem Propheta, vbi videmus, doctrinam Prophetæ eandem eſſe cum doctrina Moſis, & Prophetam Moſis fuiſſe interpretem.

Et erit.

Illud Et, coniungit hanc promiſſionem cum ſuperiori cõminatione, hoc modo Exſcindet vos Deus, ô Iſraelitæ, ne ſitis ampliùs populus Dei, vt ante prędixi Et tamen erit etiam numerus filiorum Iſrael, vt arena maris, id eſt, Etſi vos excidemini, ne ſitis populus Dei: cum hoc tamen implebitur promiſſio, Et erit ſemen tuum, ſicut arena maris. Non enim promiſsio ad ſemen Abrahami carnale reſtringetur.

Videte vim huius particulæ *Et*. Oſtendit, non pugnare inter ſe euerſionem populi à ſe prædictam, & promiſſionem factam Abrahæ, ideò vtrumque coniungit ſimul, innuens vtrumque completum iri. Illud enim *Et* habet vim huius particulæ *Et tamen erit* quaſi dicat, Reuera vos exſcindet Dominus, ne ampliùs ſitis eius populus, & tamen etiam implebitur, quod dixit Abrahæ, ſic erit ſemen tuum, ſicut arena maris. Reuera abdicabit vos Dominus, & tamen firma manebit Dei electio. Reuera repudiabit vos Dominus, & tamen non irrita erit Dei promiſſio facta Abrahæ.

Erit.

Nec prætereundum eſt illud *Erit* in futuro. Indicat, non futurum hunc numerum veri Iſraelis inſtar arenæ maris, niſi poſtquam ipſi pręſentes & adulterini Iſraelitę fuerint exciſi, quaſi dicat, vos priùs excidemini, & poſtea numerus filiorum veri Iſraelis erit ſicut arena maris. Quando? non exprimit, ſed nobis patet. Quando? Quando ſcilicet poſt Chriſtum in cælos euectum, Apoſtoli gentibus inter quas diſperſi erant Iſraelitæ iſti, de quibus hic loquitur, prædicarunt Euãgelium. *Erit* igitur ſcilicet tempore noui fœderis per Chriſtum, numerus filiorum Iſrael ſicut arena maris.

Numerus filiorum Iſrael.

Quos hic nomine *Filiorum Iſrael* intelligit?

Reſp. Tenenda diſtinctio triplex Iſraelis. Prima, alios eſſe filios carnis, alios promiſſionis, Rom. 9. de filiis carnis, non loquitur hic, ſed de filiis promiſsionis.

Secunda, Iſrael diuiditur in 10. tribus, & Iudam. De Iuda non loquitur hic.

Diſcrimen enim facit apertum inter filios Iehuda & filios Iſrael, de quibus hic loquitur, in verſu ſequente, cum ait: *Et congregabuntur filij Iuda & filij Iſrael.* Non ergo propriè hic loquitur de Iuda, ſed de aliis Iſraelitis.

Tertia, Iſrael aliâ etiam diuiſione triplex in ſcripturis legitur.

1. Et Iſrael tantum ſecundùm carnem, de quo Rom. 9. *Non enim omnes qui ſunt ex Iſrael, hi ſunt Iſraelitæ*, quaſi dicat, Iſraelitæ ſunt ſecundum carnem omnes qui ſunt ex Iſrael. Non autem omnes ſunt ſecundum ſpiritum & promiſſionem. 1. Cor. 10. *Videte Iſraelem ſecundùm carnem.*

Hi ſunt omnes reprobi, qui ex Iſraele ſecundum carnem tantum nati ſunt, non autem ſecundum promiſſionem & gratiam electionis.

De his Iſraelis filiis minimè hic loquitur, neque ex iis conſtat Eccleſia Dei, quia nec ſunt Eccleſia, nec de Eccleſia Chriſti.

Ad hos

Ad hos verò propriè pertinet vaticinium, quod antea promisit Propheta de dispergendo & sine vlla misericordia reijciendo Israele, ita, vt non amplius sit populus Dei: nempe nec secundùm vetus, nec secundùm nouum testamentum, quia non credidit in Christum mediatorem. Ita iste Israel secundum carnem tantum vere repudiatus & reprobatus a Domino vt nullo modo pertineat ad Ecclesiam.

Secundus Israel est, & secundùm carnem & secundum spiritum. *Mat.* 15. Non sum missus, nisi ad oues perditas domus Israel.

Hi sunt omnes illi electi, qui & ex Israele carnali generatione nati sunt, & fide Israelis donati, ex Deo nati sunt, seu qui ex Israele & secundùm carnem & secundùm promissionem (vt Paulus Rom. 9. loquitur) nati sunt. Tales fuerunt Apostoli & alii ex Israel pij. *Matt.* 15. Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt, domus Israel, id est, electos ex Israele. *Ioa.* 1. Hic est verus Israelita, Nathanael, in quo non est dolus, verus, & secundùm carnem, & secundùm spiritum. *Gal.* 6. Israel Dei appellatur.

De iis filiis Israel locutus Propheta in primis hoc in loco. Hi enim collecti tempore Christi. Euangelio, & translati à potestate tenebrarum in regnum Christi, & quotidie colliguntur in finem vsque seculi. De quo *Rom.* 11. Cum autem plenitudo gentium intrauerit, tùm omnis Israel saluus fiet. Et ad hos colligendos propter Christus dixit se missum à Patre fuisse, tanquam sub hoc Israele, & secundùm carnem, & secundùm spiritum, de quo loquitur Christus & Paulus, continetur etiam populus Iuda. Illæ sunt illæ Israelis reliquiæ, quas prædicunt Prophetæ necessariò saluas fore. De iis ipsis ait Hoseas hic: Et erit numerus filiorum Israel sicut arena maris.

Tertius est Israel non secundum carnem, sed secundum spiritus tantum.

Hi sunt electi ex gentibus, qui credunt in Christum. Horum enim etiam pater appellatus fuit Abraham *Gen.* 12. Patrem multarum gentium constitui te, Rom. 9. declarat Apostolus, hos etiam reputari in semen: quia filii promissionum.

De iis igitur etiam loquitur Propheta in hoc vaticinio: *Erit numerus filiorum Israel, sicut arena maris.* Testis est Paulus, Rom. 9. qui vaticinio hoc, ad probandam gentium vocationem in regnum Christi, vtitur.

Iam tenemus, de quibus filiis Israel hic loquatur Propheta, ideóque ex quibus constet Ecclesia Christi, ex filiis scilicet Israel secundum promissionem seu secundum spiritum. Ij autem sunt electi omnes tam ex Iudæis, quàm ex gentibus.

Ecclesia igitur Christi, cœtus est Electorum Dei, qui sunt veri Israelitę, isque innumerabilis, nobis scilicet. Ideò sequitur:

Sicut arena maris, quæ mensurari & numerari non potest.

Ad verbum est, Quæ non mensurabitur nec numerabitur. Phrasis Hebraica est, pro, Quæ nunquam poterit mensurari nec numerari, à quo? ab hominibus nimirum. Nam à Deo mensurata est & numerata. Talis erit numerus filiorum Israel, id est, verorum electorum & fidelium.

Duo iis verbis innuit Propheta. 1. Numerum electorum & fidelium tantum, & tam multum esse & fore, vt prope sit infinitus & ab hominibus numerari non possit. Ideóque Ecclesiam Christi amplissimam esse, sicut etiam arena maris ab hominibus numerari non potest. 2. Si verò Deum spectes, numerum electorum omnium certum ac finitum esse sicut etiam arena certi est numeri & quantitatis apud Deum.

Primum verbum, refertur ad quantitatem continuam, quę mensuratur, alterum, ad discretam, vt vocant, quæ numeratur.

Indicat, Ecclesiam sanctorum nec certo spatio & finibus circumscribi & concludi, nec certo fidelium numero terminari à nobis definirique posse. Itaque regnum Christi, & quo ad fidelium numerum, & quo ad spatii, quo continetur, magnitudinem, esse amplissimum. Sed hoc alterum membrum statim etiam apertius declarat. Sensus ergò primi membri huius versus est. Postquam ad illam paucitatem redacti fueritis, ô Israelitæ, vt penitus ista vestra Ecclesia extincta videatur, tum emerget vera Ecclesia præter humanum sensum, & apparebit, Deum non frustrà pollicitum fuisse Abrahæ, semen tuum erit sicut arena maris. At vnde sumetur tantus Israelitarum numerus? Ait.

Et erit in loco, vbi.

Ex omni loco sumetur iste numerus, in quo fuerit repertus ille, qui dictus est Non populus, vndique.

Diximus antea, tria in hoc versu à Propheta de regno Christi explicari. 1. Regni Christi amplitudinem, quo ad fidelium numerum: nempe illum futurum innumerabilem. Hoc est explicatum. 2. Amplitudinem regni Christi, quo ad loca, per quæ diffundenda erat Ecclesia: nempe per vniuersum terrarum orbem. 3. Instrumentum, quo Ecclesia erat ex omni terrarum loco colligenda: nempe Euangelij prædicatione. His igitur paucis verbis hæc duo reliqua capita tangit Propheta, cum ait: *Et erit in loco.*

Quòd ad alterum igitur caput attinet: nimirum quàm longe lateque patebit Ecclesia Christi, conclusio hęc est. Per totum terrarum orbem patebit Ecclesia Christi, non autem in sola Palæstina, vel in alio certo loco erit conclusa. Hanc sic exprimit Propheta: *Et erit in loco.*

Sensus est, Omni in loco vbi reperti fuerint aliqui ex illis, quibus anteà dictum fuerat, Non populus meus vos estis, ibi efficaciter prædicabitur Euangelium eis dicendo, vos estis filii Dei, & per consequens, ibi erit Ecclesia Dei. Hęc est propositio Prophetæ.

Atqui in vniuerso terrarum orbe aliqui ex illis reperientur in finem vsque seculi. Hi enim quibus anteà dictum fuerat Loammi, hoc est, & gentes exclusæ à fœdere, & Israelitæ à fœdere, in quo erant, reiecti, atque in genere & censu gentium contenti. Hæ, inquam, gentes gentilésque Israelitæ, vbique terrarum habitant habitabúntque.

Ergò Ecclesia Dei, quæ ex iis Israelitis & gentibus colligitur, vbique terrarum erit diffusa, ac proinde non solum quo ad numerum fidelium, sed etiam, quo ad locorum amplitudinem, amplissima. Hæc est summa.

Quò ad tertium caput de instrumento, quo colligenda erit Ecclesia, hæc est conclusio Prophetæ.

Euangelii prædicatione per totum terrarum orbem annũciati, idque à tempore Messiæ, in finem vsque seculi, Ecclesia Dei, quæ ex filiis, seu, electis Dei constat, colligetur. Hanc conclusionem facile colligimus ex his verbis Prophetæ. *Et erit in loco, vbi dictum fuerit eis, Non populus meus, ibi dicetur eis, filij Dei viuentis.* Cum enim ait, *Dicetur*, subintelligendum est, à Deo per Apostolos, ideóque efficaciter dicetur. Indicat igitur, Electos ex Israel & gentibus colligendos in regnum Christi, prædicatione Euangelii, quæ est, *Vos estis filij Dei.*

Expendamus singula verba. Primo ait:

Et erit.

Intelligit, non ante recolligendam esse nouam & veram Ecclesiam, quàm vetus & adulterina Ecclesia Israel fuerit à fœdere Dei abdicata, & quasi exstincta. Tũc, veteri sed adulterina Ecclesia exstincta, noua & secundum nouum fœdus, vera Ecclesia nascetur, tàm ex gentibus quàm ex reliquis Israel collecta. Ideò ait, *Et erit in loco*, id est, non priùs dicetur, *Filij Dei*, quàm dicatur, *Loammi*, id est, non prius noua creabitur, quàm hæc vetus & adultera exscindatur.

Secundò ait: *In loco* (scilicet omni) *vbi dictum fuerit eis*: Non ait, vbi dictum est eis, sed, vbi dictum fuerit. Indicat igitur, futurum, vt huic populo in captiuitate constituto, dicatur à Deo, non tantum verbis, sed effectis, Non estis populus meus vos, quia tunc inter gentes dispersus in censu gentium continebitur. Hoc fuit dicere Dei, Loammi.

Tertiò, Non ait, Dictum fuerit *Israelitis*, sed *Eis*, quibus? Israelitis simul & gentibus. Simul enim erant coniuncti, & in eodem censu, ita, vt & Israelitæ reputentur inter gentes. Ideò illud *Eis*, refertur non ad Israelitas solum, sed etiam ad gentes, quoniam etiam ad has pertinet illud Loammi. Quòd ad Israelitas pertineat illud Loammi, patet ex superioribus in versu 9. De Israele enim loquens, dixit: *Quia non populus meus vos*, cuius Israelis typus fuit ille tertius imaginarius filius.

Quòd verò etiam ad gentes pertineat, illud Loammi, patet. Primò quia illud quod sequitur in 3. versu, *dicite fratribus vestris Ammi*: intelligitur etiam de gentibus fidelibus, quæ cum non antea essent populus, postea facti sunt populus. 2. Rom. 9. Paulus interpres est huius loci. Non solùm enim de Israelitis, sed etiam de gentibus ipsis hunc locum interpretatur, dicens, *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Sic etiam Hoseas dicit, *Vocabo non plebem meam, plebem meam.*

Ad Israelitas igitur & gentes simul pertinet illud Loammi: Non populus meus.

Quæstio, qui propriè Loammi.

At numquid ad omnes gentes & ad omnes Israelitas pertinuit illud, *Non populus meus vos*, an verò ad aliquos tantum?

Vt hoc bene intelligatur, respondebo primum de gentibus deinde de Israelitis. Est autem pro responsione tàm de gentibus quàm de Israelitis, tenenda hæc distinctio.

Aliquem esse vel non esse populum Dei, trifariam intelligi potest.

1. Secundum prædestinationem. De hoc modo loquitur Paulus *Rom.* 11. Non repulit Deus plebem seu populum suum quem præsciuit, id est, prædestinauit, & elegit ab æterno in suum populum, vt Augustinus exponit. Hoc pacto non est dicendum, ad omnes gentes pertinere hoc, Non populus meus vos. Non enim omnes fuerunt reprobati. imò Rom. 9. pronunciat, ex gentibus multos fuisse vasa misericordiæ præparata in gloriam.

2. Secundùm assumtionẽ ad fœdus, vel exclusionem à fœdere. De hoc modo passim apud Mosen & Prophetas Deut. 7. Hoc modo gentes omnes semper fuerunt Non populus Dei. Quia ab hoc fœdere legis exclusi, & solùm semen Abrahæ erat assumtum.

Sic frequentissime in Scripturis legimus, gentes appellari non populum Dei.

Deut. 32. Ipsi me prouocarunt in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis. Et Ego prouocabo eos in eo, qui nõ est populus, in gẽte stulta irritabo eos. Id est, sicut illi sua sacrificia obtulerũt statuis, & eas adorarũt, non autẽ me. Ita & Ego quasi inuidetem ei, qui non est Deus: ita Ego beneficia mea conferam in gentes, quæ non sunt populus & efficiam, vt Israel inuideat gentibus, quæ non sunt populus.

3. Dicitur quis populus vel non populus, secundùm admissionem vel exclusionem à fœdere Euangelij. De hoc Hoseas hic vers. 3. *Dicite fratribus vestris Ammi* populus meus, secundùm scilicet fœdus Euangelij, & *Tit.* 2. Elegit sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

Hoc modo gentes omnes per aliquot tempus nempe, antequam assumerentur ad fœdus Euangelij, fuerunt Non populus Dei: sed post promulgatum Euangelium, nõ ad omnes pertinuit istud, Non populus meus. Electi enim ex non populo, facti sunt populus. Electi, inquam, qui erant populus secundùm prædestinationem, ex non populo, scilicet secundùm fœdus Euangelij.

Hoc Paulus ait *Rom.* 9. Vocabo non plebem meam, plebem meam.

Habemus quomodo ad gentes omnes pertinuerit illud, Nõ populus meus, & secundùm fœdus legis, & secundùm fœdus Euangelij.

De Israelitis verò vt respondeam, hæc distinctio retinenda est præter ea quæ supra dixi.

Israel distinguo in præsentem, tempore Hoseæ, cum hæc loqueretur, & futurum, id est, nasciturum in captiuitate.

Præsens itidem distinguitur in pios ac impios. Iam vt principiò de piis dicam. Illorum quidam, cùm res in Israel essent desperatæ, quòd ad religionem attinet, coniunxerunt se cum pura Ecclesia, quæ erat Hierosolymis Iudæorum. Ita isti & rem & nomen Ecclesiæ retinuerunt. Rem, quia pij erant, & vera Ecclesiæ membra. Nomen, quia coniuncti, præsentia etiam corporali cum publica vera Ecclesia. Proinde ad hos nõ pertinet illud, *Non populus meus vos.*

Alij pij qui remanserunt cum reliquo populo Israel, abducti in captiuitatem fuerunt, vbi nec sacrificia, nec Prophetas, nec alia Ecclesiæ ministeria habuerũt, vt alibi ait idem Propheta Hoseas.

Illi pij rem Ecclesiæ retinuerunt, quia cùm essent pii, spiritu coniuncti erant cum vera Ecclesia, & erant membra Ecclesiæ, sed nomen tamen vnà cum reliquo populo impio amiserunt. Ad istos aliquo modo pertinet illud Loammi, hoc est, Non populus meus vos. Quomodo? Secundùm appellationem populi Dei, quia non ampliùs appellabantur populus Dei nec formam Ecclesiæ habebant. Item, secundùm abdicationem à fœdere legis, sed nec quo ad prædestinationem, nec quo ad fœdus Euangelij seu pietatem desierunt esse populus Dei. Ac proinde secundùm hos duos respectus, non pertinebat ad illos hoc Loammi.

De impiis verò præsentibus sic respondeo. Si qui illorum per hypocrisin coniunxerunt se cum Ecclesia Iudæorum, nomen quidem Ecclesiæ retinuerunt, sed rem non habuerunt. Qui verò abducti in captiuitatem, neque rem habuerunt, quia impij, neque nomen retinuerunt, quia nulla amplius inter illos forma erat Ecclesiæ.

De futuris verò Israelitis summa responsionis est.

1. Omnes tàm pij, quàm impij nomen populi Dei non habuerunt, sed omnes erant quo ad appellationem, seu quo ad fœdus legis *Lo Ammi.*

2. Cæterum pij quo ad rem ipsam, fuerunt populus Dei, & quo ad electionem, & quoad fœdus Euangelij occultum, & posteà tempore Apostolorum, ex non populo secundum fœdus legis, facti sunt populus secundum publicatum fœdus Euangelij.

3. Impij verò omnibus modis fuerunt non populus, & secundum æternam reprobationem, & secundũ abdicationẽ à fœdere legis, & secundùm exclusionem à fœdere Euangelij.

Ex iis omnibus facile est videre an ad omnes tum gentes, tum Israelitas pertinuerit illud Loammi non populus meus, necne, & quomodo pertinuerit?

Iure igitur diximus illud *Seu* referri tum ad Israelitas, tum ad gentes, & quomodo.

4. *Non ait* Et erit vt omnibus, quibus dictum fuerit Loammi, dicetur eis filii Dei viuentis *sed tantùm ait*, Et erit vt in loco, *scilicet omni*, vbi dictum eis fuerit Loammi, dicatur eis filij Dei viui. Tria igitur indicare voluit. 1. Non omnibus quibus dictum fuerat, Non populus meus vos, prædicatum fuisse Euangelium: patet. Illis enim Israelitis, qui abducti fuerant in perpetuam captiuitatem, & illis, qui ex eis nati sunt, vsque ad Christum, tam piis, quàm impiis, Euangelium non fuit prædicatum, sed tãtum illis omnibus, qui post Christum superstites & nati fuerunt. 2. Neque omnes vel gentes, vel Israelitas, quibus dictum est, Loammi vos, fuisse efficaciter vocandos & iustificandos, & ita veraciter eis dicendum esse, vos filii Dei. Nam soli electi efficaciter vocati, iustificati, & veraciter illis dictum, vos filii Dei. Proinde videmus, latius patere illud Loammi, quàm istud filii Dei. 3. Vbiq. terrarum prædicandum fuisse Euangelium. In omni loco, vbi fuerint gentes aut Israelitæ qui fuerint Non populus Dei, prædicabitur Euangelium. Hoc enim significat illa locutio *Et erit in loco vbi*. Erant autem partim reipsa, & partim futuri erant gentiles vbique terrarum. Ex Israelitis etiam permulti erant dispergendi inter gentiles in omnibus locis. Ergò vbique prædicabitur Euangelium.

5. Ait, *Dicetur* absolute, non ait ab hoc, vel ab illo homine, sed absolute *dicetur eis*, a quo igitur? ab eo nimirum a quo etiam illis dictum est, *Non populus meus vos*. Iste fuit Deus, vt patet ex affixo *Meus*, & ex particula, *Nec ego vester Deus*.

Ergo primum ab eodem Deo, sed per Apostolos prædicabitur eis, Filii Dei viui vos. Indicat igitur primùm hoc verbo *Dicetur* scilicet a Deo, Deum illum esse, à quo (quanquã per Apostolos & alios) prędicatur euangelium. Confirmat Christus dicens Apostolis, *Matt.* 10. Non vos estis qui loquimini. *Ioh.* 16. Spiritus S. arguet mundum de peccato, quod tamen fecit per ora Apostolorum.

Quoniam autem Deus semper loquitur efficaciter & quod annunciat, semper in aliquo præstat & implet. Ideo hinc sequitur alterum, à Propheta indicatum fuisse hac locutione, dicetur: nempe non tantum vbique prædicandum Euangelium, sed vbique efficaciter fuisse prædicandum. Ideóque in omni terrarum loco aliquos fuisse iustificandos, ideóque in omni terrarũ loco aliquos futuros esse electos ac filios Dei, ideóque in omni terrarum loco aliquam futuram fuisse Ecclesiam, & ita vbique locorum, aliquos qui non fuerunt populus Dei, cooptandos in populum Dei. Sic *Rom.* 9. Vocaui, non plebem meam plebem meam.

Sicut enim illud, Non populus meus vos, efficaciter per Prophetam protulit Deus, quoniam reipsa eos reiecit, ne essent populus. Ita istud vos filii Dei efficaciter per Apostolos erat annunciaturus, quia reipsa vi Euangelii erat eos facturus filios Dei.

Sextò, Neque ait, *Et erit in loco vbi incipient esse*, vel gignentur vel adoptabuntur filii Dei sed ait, *ibi dicetur*.

Nec ait, *Et erit in loco vbi dictum est*, *Non populus meus vos*, ibi erunt, vel ibi gignentur filij Dei: sed ait, ibi dicetur. Indicare voluit modum & rationem, qua homines electi ex non populo, fiant populus, ex non filiis, fiant filii Dei viuentis esse prædicationem Euangelii, sed, subintelligendum, fide recepti Rom. 1. Euangelium virtus Dei est in salutem, cuique omni credenti. 1. *Cor.* 4. Per Euangelium Ego vos genui.

Sed hic duo notanda veniunt.

1. Per Euangelium fieri filium Dei, seu nasci ex Deo per fidem in Euangelium reipsa neminem, nisi qui antea erat filius Dei secundum prædestinationem. *Io.* 11. Vt filios Dei, qui erant dispersi congregaret in vnum. *Ioan.* 10. Habeo alias oues, (*id est filios*) quæ non sunt ex hoc ouili.

2. Hinc consequitur Etsi non omnes Euangelium audiant, ideóque nec actuali fide Euangelio, quod nec audierunt, credant: nec ideò tamen sequi, eos nullo modo esse filios Dei. Si enim sunt filii Dei per prædestinationem, etiam si non possint audire Euangelium, non desinunt tamen esse filii Dei. 2. Dubium etiam non est, quin ii filii Dei per prædestinationem, qui Euangelium audire nequiuerunt. (vt sunt infantes, qui decedunt ante quàm possint audire Euangelium.) Dubium inquam, non est, quin antę, quam moriantur spiritu fidei interno donentur, quo regenerentur & fiant etiam reipsa filii Dei, & ita seruentur. Quòd verò hic docet Propheta, prædicatione Euangelii fieri filios Dei, de via & modo ordinario intelligendum est.

Septimò

Septimò. Neque ait, *erit vbi dictum fuerit Non populus meus vos, vbi dicetur populus meus vos*: id quod certè perfecta ratio ἀντιθέσεως exigebat, sed ait *Ibi dicetur Filij Dei* Quid ita? multis de caussis: 1 Vt meliùs beneficium Dei per Christum in nouo testamento explicaret, atque ita consequenter indicaret, quàm magnum discrimen inter populum Dei in veteri testamento & inter populum Dei in nouo testamento, futurum erat

Prima caussa Plus enim est, esse filium alicuius regis, quàm eius esse populum. 1. Quia primo filius est patre natus, patris quoque (ἀξίωμα, ἦθος) ingenium trahit, mores, & nouit arcana: non ita populus, sed aliunde genitus, talis, qualis est, in populum assumitur.

2. Filius, quia filius, ideò hæres est patris Non ita populus. Indicauit ergò Propheta, magnum futurum discrimen inter populum veteris testamenti reiectum, & populum noui testamenti assumtum: Quia ille carnalis & seruus. Ille verò mansurus in perpetuum, quia filius, iste hæres, ille non.

Habemus primam caussam cur non seruarit ἀντίθεσιν verborum, nimirùm, vt meliùs ἀντίθεσιν rerum exprimeret. Allusit enim certè Propheta hoc dicto, *Et erit vbi*, ad statum Legis & Euangelii. Sub statu legis dictum est quodammodo omnibus. Non populus meus vos, quare? quia nemo legem seruabat. Erat autem promissio talis legis, Si feceritis, quæ præcipio, ero Deus vester, vos populus meus. Quoniam igitur populus non seruauit legem, ideò dictum est ei, Non populus meus vos. Id quod etiam multò magis (vt antè dixi) gentibus dictum est. Sub statu verò Euangelii dicetur omnibus in Christum credentibus, Filii Dei vos. Quare? quia fide in Christum recipitur υἱοθεσία seu adoptio diuina.

Altera caussa fuit, vt meliùs explicaret, salutem nostram totam esse gratuitam.

Si dixisset, prædicatum iri gentibus, vos populus meus estis, non tam benè explicasset, salutem nostram esse à sola gratia citra merita nostra, quàm cùm ait, prædicandum esse omnibus gentibus, vos filii Dei. Ratio. Populus enim propriè non generatur ab eo principe, cuius fit populus, sed assumitur ab aliis generatus & educatus. Filius verò propriè non potest alicuius esse filius, nisi per generationem. Cùm autem assumitur aliquis populus à Rege, vt fit eius populus, fieri potest vt aliquid præcesserit, vel, sit in eo populo, cuius merito in populum assumatur & iure assumendus esse videatur. Quare locutio hæc, vos populus meus, non necessariò includit, illum gratis esse assumtum in populum. Cùm verò filius generatur, ibi certè nihil præcessit in filio, cuius merito generandus fuisse videretur. Quæ enim habebat merita, si nondum genitus erat? Proinde locutio hæc, Filii Dei vos, concludit apertè, suapte naturâ in eis nihil præcessisse meritorum, propter quod geniti sunt filii.

Tertia caussa, vt meliùs hac locutione indicaret rationem, qua iustificamur & saluamur: nempe per fidem verbum Dei apprehendentem. Si enim filii Dei sumus, ergò nati ex Deo. Si nati ex Deo, ergò per semen Dei in nos illapsum, & à nobis apprehensum, & in nobis retentum. Semen Dei est verbum Euangelij, in nos illabitur per virtutem Spiritus sancti, à nobis verò fide, quæ itidem opus est Spiritus Sancti, sola recipitur. Ergò fide sola sumus filij Dei, ideòque & sola fide, & per consequens merè gratis, citra merita nostra salua mur

Hoc autem non fuisset ita benè explicatum, si dixisset, Vos populus meus.

Quarta caussa, vt meliùs hac locutione explicaret, quę sit prædicatio Euangelij. Hæc est enim summa prædicationis Euangelii, si nobis annuncietur, quòd sumus filii Dei viui. Quia propositio hæc, reliqua omnia, quæ Euangelium annunciat, complectitur.

1. Primùm includit prædestinationis prædicationem. Quia si filii Dei sumus. Ergò prædestinati, vt essemus filii, Dei.

2. Amorem Dei æternum erga nos, quia si filii, Ergò dilecti à Patre.

3. Reconciliationem & remissionem peccatorum. Si filii, & tamen in Deum peccaueramus. Ergò nobis placatus est, & peccata condonauit.

4. Mediatorem Christum. Si enim reconciliati. Ergò per aliquem mediatorem. Hic est solus Christus. Item. Si filii, Ergò filiatione naturalis filii, id est, Christi, nobis communicata, sumus filii.

5. Denique vitam æternam. Si enim filii Dei. Ergò hæredes. Hæreditas hæc vita est æterna. Ergo habituri vitam æternam.

Ecce quo pacto prædicatio hæc, *Vos filij Dei viui*, totum Euangelium complectitur. Ideò Paulus sic Euangelium annunciauit Galatis: *Galat. 3.* Vos estis filii Dei per fidem in Christo.

Quinta caussa cur non dixerit, Populus meus, sed filii Dei, vt plus fiducię adferret electis auditoribus. Plus enim fiducię in cordibus nostris concipitur plus animi datur, plus amoris etiam excitatur in nobis erga Deum, cùm audimus, Vos estis filii Dei, quàm cùm audimus, Vos estis populus Dei, ideòque & meliùs excitamur ad studium bonorum operum, vt exhibeamus nos sicut decet filios

Hæ sunt præcipuè caussę quinque, cur non seruarit ἀντίθεσιν verborum, vt diceret, vbi dictum fuerit. Non populus meus vos, ibi dicetur, populus meus vos, sed dixit, ibi dicetur filii Dei viui.

O igitur optimam compensationem! Reiectus est populus Israel, ne esset populus, gentes exclusæ fuerant à principio ne essent populus. Postea beneficio Christi factum est vt tàm illis quàm istis dictum sit veraciter, vos filii Dei viui, id est verè facti sint filii Dei.

Nec simpliciter ait: *Vos filij Dei*, sed addit *viui seu viuentis*. Duo igitur facit. 1. Hæc particula primò facit ad meliùs explicandam illorum felicitatem & beneficium Christi. Cum enim hæc prædicatio adferenda esset ad gentes & Israelitas qui colebant Deos falsos, Deos vel mortuos, vel mortales, imò muta & surda simulacra, perinde est, ac si dicatur eis: Non estis filii alicuius ex vestris Diis, qui vel nunquam vixerunt, vt statuæ, vel mortui sunt, vt Heroes relati in numerum Deorum post mortem: Vel mortales sunt, vt Heroes, qui ad tempus viuunt, sed tandem moriuntur. Sed vos estis filii Dei, qui suapte naturâ viuens est semper, imò est vita ipsa, id est, cuius participatione viuunt, quæcunque viuunt.

2. Indicare item voluit hac particula, quòd ipsi quoque filii Dei, victuri sint in perpetuum. Sicut enim pater semper viuit, sic dat & filiis, vt viuant semper. Filii enim naturam & ingenium patris secum trahunt, cum nascuntur. Vnde & Christus de se dicebat: *Sicut Pater habet vitam in seipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso.* Quare & Christo in semetipso? Quia filius primogenitus & naturalis. Ergò & nobis dat vt vitam habeamus perpetuam, sed non in nobis ipsis, verùm in ipso Christo. Vnde Col. 3. *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

Si autem semper victuri. Ergò sine peccato. Quia stipendium peccati mors. Quòd non moriemini, patet, quia filij estis Dei viuentis.

Octauò, Notandum etiam, quod primùm præmittit, *Non populus meus vos*, deinde sequitur, *filij Dei viui*.

Indicat Propheta hoc ordine, gentes & omnes Israelitas dispersos fieri filios Dei, ideòque saluari gratis, per meram misericordiam & bonitatem Dei, non ex operibus. Nam si non erant populus Dei. Ergò sine Deo, & sine Ecclesia, ergo sine meritis, sine bonis operibus, quæ non nisi ab iis, qui sunt in Ecclesia, fieri possunt Et tamen statim dicetur eis, Vos filii Dei, cùm nondum aliquid boni egissent. Ergo gratis facti filii Dei. Ergo iustificatio ex fide, nō ex operibus. Nihil enim adferunt Deo, nisi fidem, quod sint reconciliati, & hanc etiā habent à Spiritu sancto. Ergo gratis saluati.

Nono, Illud vero postremo prætereundum non est, quod in comminatione seu reiectione à fœdere legis adiecit bis affixum. Primùm cum ait. *Vbi dictum fuerit eis.* Secundo cum ait: *Non populus meus vos.* In promissione autem seu prędicatione Euangelii, non adiicitur, sed generalius loquens, ait: *Ibi dicetur, filij Dei viuentis.* Non ait, vos, vel illi, vel aliquid simile, quid sibi vult hoc: Indicauit Propheta illam particulam, *Non populus meus vos*, et si etiam gentibus conueniat, quia exclusę fuerant initio, ne essent populus Dei: tamen peculiariter pertinere ad Israelitas, quia ipsa locutione *Loammi*, propriè, tunc vsus est Dominus, quando Israelem reiecit, vt superius patet. Ob hanc causam illo affixo *Vos* peculiariter ad Israelitas illam comminationem, *Non populus meus vos*, contraxit, licet etiam ad gentes referendam esse, docuerimus ex Paulo & ex ipsius Prophetæ verbis. Illi vero promissioni seu prædicationi Euangelii, Filii Dei, non adiecit, *Vos*, vt ostenderet, non solos Israelitas, quibus anteà peculiariter dixerat vos, sed ipsas etiam gentes assumendas in filios Dei, & ad gratiam Euangelij.

Ecce igitur, cur Propheta illi particulæ *Loam*, adiecit vos, illi vero, Filii Dei, non adiecit. Quia non sicut lex vni tantum populo data est, à cuius etiam fœdere ipse solus postea populus propriè propter præuaricationem legis abdicatus est: ita etiam Euangelium, sed omnibus tàm Gentibus quàm Israelitis & Iudæis prædicandum erat, ideo in genere ait, Dicetur, filii Dei. Sed inter filios Dei quidam sunt primogeniti, ij sunt Israelitæ. Alij secundogeniti, ii sunt gentes. Ideo illud etiam diffitendum non est, propriè

& quodam peculiari iure Euangelium prædicandum fuisse Israelitis & Iudæis primùm: deinde per occasionem quandam etiam gentibus. Promissiones enim factæ fuerũt Israelitis & Iudæis, non gentibus, docet hoc Paulus *Rom.* 15. Dico autem, Iesum Christum ministrum fuisse circumcisionis pro veritate Dei ad confirmandas promissiones Patrum. Gentes verò pro misericordia honorare Deum debent. *Rom.* 11. Iudæo primùm & Græco.

Proinde quia Israelitæ iure quodam, id est, propter promissiones Patribus factas vocandi fuisse videntur Euangelii prædicatione, Gentes verò videntur vocatæ per meram misericordiam & per quandam occasionem. Ideò videntur Israelitæ inter gentes dispersi tanquam semen Dei, in hunc finem, (& hoc diligenter est notandum) vt, posteaquam essent reliquiæ Israel per prædicationem Euangelij ab Apostolis recolligendæ, gentes quoque hac occasione eis oblata & audito hoc Euangelio vnà cum reliquiis Israel colligerentur, & ad Christum nouúmque fœdus adducerentur, & fierent filii Dei & hæredes.

Videte, in quem finem reiecti Israelitæ inter gentes, & per totum terrarum orbem dispersi, propter salutem gentium. Mysterium hoc quod sic obscure innuitur hic, clarè à Paulo tractatur ad Rom. cùm ait *Rom.* 11. Nunquid sic offenderũt, vt caderent? *Item cum ait*: excisos ramos naturales, vt oleastri rami insererentur.

Regnum Christi arbor magna, & bona oliua Radix, totam arborem sustentans & viuificans, Christus. Truncus, illi primi partes pij & electi, Abraham, Isaac, Iacob.

Rami naturales, Iudæi & Israelitæ, id est, duodecim tribus, quorum alii electi alii reprobi hypocritæ. Rami oleastri syluestris, gentiles, quorum alii reprobi, alii electi.

Rami qui sunt abscissi ab arbore, fuere singulariter Israelitæ, id est decem tribus. Abscissi autem fuere, cùm fuerunt reiecti, ne essent ampliùs populus Dei. & in terram longiùs proiecti, id est, inter gentes disseminati, in quem finem? Vt posteà, cùm reliquiæ istorum ramorum colligendæ essent ab Apostolis per Euangelium ad eas reliquias inter gentes dispersas allatum, (iure enim quodam debebat illis prædicari Euangelium propter promissiones factas patribus) vnà cum eis ipsæ quoque gentes colligerentur, & in populum Dei insererentur Ita per lapsum Israelis, salus contigit gentibus, & abscissis oliuæ ramis, insertus est, oleaster.

At quomodo abscindi potest ramus coniunctus oliuæ in Christo? Resp. Bifariam quis dicitur esse Ramus. 1. Coram Deo & verè, ij non abscinduntur.

2 Coram hominibus tantùm, quatenus sunt in regno Christi, sed non de regno, ij abscinduntur, cùm expelluntur è regno. Sic duplex est insitio.

Ideò Paulus subiicit exhortationem, dicens. *Dices igitur fracti sunt rami vt Ego insererer: bene propter incredulitatem fracti sunt: hypocritæ igitur fuerunt, non verè coniuncti Christo per fidem. Tu autem fide stas* (id est videre, tibi stare.) *Noli altum sapere, sed time*, vel, Tu autem fide stas? alloquitur totum corpus gentium inter quos multi verè stabant fide, alii videbantur stare, sed non stabant reuera.) Noli altum sapere, quisquis es, sed time.

2 *Et congregabuntur filij Iuda & filij Israel simul.*

Locutus est superiori versu de Electis ex Israel & gentibus, qui omnes nomine Israelis: nempe secundum spiritum, venerunt, & tria dixit.

1 Numerum filiorum Israel post illam totius Israelis secundùm carnem dissipationem, futurum immensum & innumerabilem, tempore scilicet Messiæ.

2 Vnde colligendus esset tantus numerus Israelitarum: nempe ex omni loco, vbi disseminati fuerant illi, quibus dictum fuerat Non populus meus, id est, vndique locorum, vbi erant gentes.

3 Quomodo esset colligendus iste numerus, prædicatione Euangelii ad omnes gentes delati, quæ hæc est, Filii Dei viui.

Et quoniam superiori versu non est apertè locutus de Iudæis, sed tantùm de gentibus & Israelitis, Potuisset autem quis cogitare, quid? igitur in eo numero immenso & innumerabili, velut arena maris, non erunt Iudæi? Ipsi igitur Iudæi non pertinebunt ad regnum Christi? Iccircò nunc ipsis Israelitis adiungit etiam Iudæos, & ait, Iudæos quoque, id est, electos ex Iudæis congregandos esse cum Israelitis (illis scilicet, de quibus antea locutus fuerat versu primo, Israelitis secundùm spiritum, inter quos etiam electi ex gentibus continentur) sub vno capite Christo, & ascensuros è terra.

Et congregabuntur.

Demonstrat fuisse diuisos, item cum ait, *Constituent sibi caput vnum*, indicat eos iam habere varia capita. Alludit ad historiam, quæ est 1. Reg. 11. quando decem tribus segregarunt se à tribu Iuda, & regi Rhoboam parere noluerunt, sed alterum caput, id est, regem sibi elegerunt Iarobeam. Ita regnum diuisum in duas partes a quibus? ab ipsis Israelitis, vt patet. Deus vniuerat regnum illud ex duodecim tribubus, ipsi homines illud diuiserunt. Ob quam caussam permisit Deus vt diuideretur? ob peccata populi, præsertim autem ob Salomonis idololatriam, vt patet 1. Reg. 11. Achias Propheta scidit pallium suum nouum in duodecim partes, & ait ad Iarobeam: tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Israel. Ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus, porrò vna tribus remanebit ei propter Dauidem seruum meum. Cur scindis ô Domine? Eò quòd dereliquerit me & adorauerit Astaroth bem Deum Sydoniorum. Quid est, quod ait Deus: Ego diuidam: & tamen nos diximus, quod diuisum fuit ab ipsis Israelitis, qui vltrò diuisi fecerunt à tribu Iuda? Solutio facilis est. Quatenus ista diuisio pœna fuit peccati, à Deo fuit. Ipse enim est autor pœnarum omnium, quatenus pœnæ sunt.

1. Cæterùm caussa cur diuisum, peccata fuerunt Salomonis.

2. Deinde caussa efficiens propinqua quæ diuisit, fuerunt ipsi Israelitæ.

3. Quatenus autem peccatum ab ipsis Israelitis fuit Peccarunt enim: cùm se diuiserũt a tribu Iuda quia quod Deus coniunxerat, ipsi homines separarunt.

Tria retinenda sunt in hac historia. 1. diuisum esse regnum. 2 Caussa impulsiua propter peccata & maximè propter idololatriam Salomonis. 3. Caussa efficiens immediata, ipsi Israelitæ, qui se diuiserunt.

Hic ergò prædicit ista.

1. Vniendum esse regnum, dicens, Congregabuntur.

2. Hoc futurum, cùm ablata fuerit caussa diuisionis, id est, peccata à Christo in nouo testamento. Cùm enim ait, *Congregabuntur*, in futuro, subintelligendum est, cùm venerit tempus Messiæ, quo tolletur peccatum è mundo. Peccatum ergò caussa diuisionis, remissio peccati, caussa vnionis.

1. A Deo faciendum esse hanc vnionem. Non enim ait congregabunt se, sed congregabuntur à quo? à Deo. Malum igitur a nobis, restauratio in bonum, à Deo.

1. *Congregabuntur*) Appositum verbum, à grege. segregarunt se à grege Israelitæ. Ergò congregabuntur à Deo, vt sint omnes vnus grex. Ecclesia autem grex vocatur in sacris.

Simul) id est in idem.

2. Congregabuntur, qui? filii Israel (id est, electi ex Israel & gentibus) & filii Iuda, id est, electi ex Iuda.

Ergò tres populi vnientur, Iuda, Israel, Gentes. Sed illi duo primi loco vnius accipiuntur à Paulo *Ephes.* 2. Ipse est pax nostra qui fecit vtraque vnum.

3. Quòd congregabuntur Simul, id est, in vnum eundémque populum, in vnam Ecclesiam, in vnum regnum, sub vno capite & rege Christo. Erit ergò vnum regnum, & vnus rex, vnum ouile, & vnus Pastor.

4. Quomodo? 1. Prædicatione Euangelij, hoc externum est vinculum, cui adduntur & Sacramenta. Iis enim duobus externis vinculis vnita est Ecclesia. 2. Spiritus sancti vinculo. Hæc membra vniuntur capiti, per spiritum, id est, per animam. Cuius merito fit vnio? Christi. Necessaria erat mors Christi. Ideò *Iohan.* 11. Moriturus erat pro gente, nec tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.

5. Congregatio qualis? Prima & principalis, spiritualis est, Talis est communio sanctorum, & talis est vnitas Ecclesiæ. In quibus enim rebus est sita? in vna fide, in vno spiritu, in vna doctrina, in vno baptismo, in vno spiritu, in vno capite, in vno Deo, vt Paulus docet Ephes. 4.

Christus venit, idque suo spiritu? Christus autem corpore in cœlo, spiritu suo vbique. Ergò ad vniendos fideles, non est opus locorum mutatione: Indicat igitur, licet Ecclesia vbique terrarum sit diffundenda: Vnam tamen tantum vinculo eiusdem spiritus, fidei, sacramentorum, charitatis, vnitam fore.

2. Quo ad eius fieri potest, est etiam corporalis, id est, in eodem loco. Commendatur enim hic cœtus Ecclesiasticus, quia fideles, quantum possunt, student vt se coniungant aliis fidelibus in eodem loco, in eodem cœtu. Sicut etiam *Isa.* 11. Habitabit lupus cum agno. Hebr. 10. hanc commendant, & ad hanc adhortatur fideles dicens, *Non deseratis congregationem vestri mutuam.*

Impletum hoc vaticinium esse ex parte, docet Paulus ad *Eph.* Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Et quotidiè impletur ad finem vsque seculi.

Et ponent

Et ponent sibi caput unum.

Hic est modus quo congregabuntur, cùm scilicet statuent sibi caput vnum. 1. Ponent quomodo? Eph. 1. Dedit illum, caput super omnem Ecclesiam. Quomodo igitur ipsi ponent?

Resp. Pater dat præficitque Ecclesiæ caput & regem Christum, vnicuique nostrum, caput Ecclesiæ, præfectum Christum ostendit pater quisque illum recipere tenet ex ipsi & amplectitur, quomodo? fide, cùm scilicet credimus Euangelio. Quia enim fide nos vnimur Christo, ideò dicimur caput Christum nobis ponere, cùm fide illum recipimus pro capite nostro. Exemplum in comitiis Magistratu illum nobis præficit, quisque illum recipientes amplectimur data fide, eleuata dextera. Ita Pater in Euangelio Christum nobis præficit nobis, superest modò, vt fide eum amplectamur, in rege vt in O, en Laminis filium. Imò cùm credimus Euangelio, quasi communibus suffragiis eligimus nobis Christum in regem.

Sibi.

Non potest alius alii caput hoc eligere & ponere, sed quisque sibi ipsi tantùm Rom. 1. *Iustus ex fide sua viuit.* Nemo aliena fide fidelis est, aut saluatur, sicut nec aliena doctrina quispiam doctus est. Aliena quidem fide impetratur fides alijs. Exemplum *Matth.* 9. Videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico, Remittuntur tibi peccata tua. Sic Stephanus suis precibus conuersionem Pauli impetrasse creditur. Et sic intelligitur, quòd pueri saluentur in fide Ecclesiæ, id est, Ecclesia suis precibus ex fide factis, & propter promissionem factam toti semini, impetrat filiis (si electi sint) spiritum fidei: & ita ipsi sua fide, sed in, (id est, propter fidem) Ecclesiæ saluantur. Simile de doctrina. Doctrinam suam potest quis alium docere. & ita erit doctus propter doctrinam alterius, verum non doctrina alterius sed sua. Id, ò, nisi quis (de adultis loquor) sibi ipse ponat & eligat Christum, non erit ei caput, id est, rex.

Caput.

Non ait regem, cùm tamen de regno loquatur, sed caput. Melius expressit vnionem Christianorum ciuium cum suo rege Christo. Maior est enim vnio inter caput & membra quàm inter regem & populum.

Caput quis esse nemo potest esse, nisi Christus. Nam & eiusdem est naturæ cum corpore, & præstantior corpore. Deus sine Christo solus non poterat esse propriè caput, quia nulla proportio inter illud caput, & hoc corpus. Neque purus homo quia omnes peccauerant, & nemo præstantior est alio, & nemo viuificare poterat hoc corpus. Solus igitur Christus, ut caput Ecclesiæ esse concluditur. Ideò ordo tenendus Pauli, mulieris caput vir, viri caput Christus, Christi caput Pater. Patet igitur caput Christi, sed Christus caput est Ecclesiæ.

Vnum.

Ecclesia igitur non habet, nisi caput vnum quod est Christus. Quare Papa Ecclesiæ caput esse non potest.

Videmus impletum hoc vaticinium, & quotidiè impleri. Tempore Christi, Chananæa, Samaritana, Centurio ex gentibus. Matthæus verò & aliis ex Iudæis congregati in vnum caput Christum conuenerunt. Postea tempore Apostolorum multò magis impletum fuit. In fine autem seculi, cùm totus Israel saluus fiet conuersus ad Christum cum gentibus, perfectissimum habebit complementum.

Ascendent è terra.

1. Quidam de liberatione tùm Israelitarum, tùm Iudæorum à terris illis, vbi futuri erant captiui déque reditu in Iudæam Prophetam hic vaticinari volunt, & ita interpretantur verba: *Et* (scilicet Israel & Iehuda) *ascendent* (scilicet in Iudam) *à terra*, id est, de terris illis, vbi fuerunt captiui: nempe è Babylone Iudæi & ex aliis gentium locis Israelitæ. Et ideò dicit, ascendent, respectu Iudææ, quæ altior erat Iudæa, & terris, vbi futuri erant Israelitæ & Iudæi.

Quia magnus dies Iezreel.

Id est. Quia magnus & illustris erit dies Iezreel scilicet redimendi, quia antea tanquam semen reiectum ex Palæstina à Deo inter gentes dissemiñatus fuerat, vt ita argumentetur. Erit magnus & illustris tum mundo dies (liberandi) Iezreelis antea disseminati inter varias gentium terras. Ergò omninò ascendent, id est, redibunt à captiuitate in patriam suam Iudam, omnes Iezreelitæ tam Israel quam Iuda.

Quidam etiam doctus vir hanc videtur sequi interpretationem, sed aliter exponit illam particulam. Quia magnus dies Iezreel. Probat Propheta, quòd scilicet sint ab alienis terris inferioribus Iudæa ascensuri per gratiam Dei quasi, quia magna dies Iezreel, id est quia magna futura est afflictio vestra in valle Iezreel, id est, quia inde abducendi estis captiui in terras inferiores Iudæa. Ideò, si volueritis redire, cogemini ascendere.

Illa prior, quòd sint Israelitæ & Iudæi ascensuri è terris, vbi futuri sunt captiui, in terram Chanaan, id est, in propriam quisque patriam, ita vt iste ascensus sit corporalis, stare non potest. 1. Israelitæ non fuerunt liberati vnquam à sua terrena captiuitate, nec redierunt in patriam, vt patet ex superioribus. Ideò enim appellauit eum populum *Lo Ruchamah*, quia sine misericordia in perpetua futurus erat captiuitate & nunquam in patriam rediturus. Hoc etiam historiæ docent. Abducti enim ab Assur in Assyriam & Mediam, non leguntur ab eo fuisse dimissi. Regno verò Assyriorum Babyloniis per Merodacum subiecto in captiuitate itidem permanserunt, Babyloniis subiecti. Cùm verò postea Deioces qui primus apud Medos regia dignitate vsus est, ab Assyriorum Babyloniorúmque iugo Medos liberasset, Israelitæ multis de caussis fuerunt è terris Medorum in vlteriores regiones: nempe in Septentrionem, quò omnis spes redeundi ad suos illis tolleretur, expulsi, & quidem dispersi, ita vt non amplius possent esse populus vt Iesaias prædixit cap. 7. Qua de re videatur Funcc. comment. libr. 1. pag. 13. Itaque videamus, cum Media, Babylonia, & Assyria in manu peruenit Cyri regis, facta libertate omnibus Israelitis redeundi in patriam, solos Iehudæos & Benjamin quæ coniuncta erat cum Iuda, & Leuitas (qui, quoniam noluerunt vitulis sacrificare, expulsi à Ierobeamo, redierunt Hierosolymam & cum Iudæis se coniunxerunt, vt est 2. Paralip. 12) rediisse, vt est Esd. 1. Nisi fuissent reliquæ tribus in vlteriores regiones dispersæ, illæ potuissent quoque redire. Tempore etiam, quo natus est Dominus, Samaria cum aliis terris Israelitarum occupata erat ab illis gentilibus, qui eò missi fuerant ad habitandum à rege Assur Israelitarum loco, vt est 4. Reg. 17.

Itaque videmus, Israelitas nunquam à captiuitate terrena liberatos in patriam rediisse.

De Iudæis verò fatemur, illos rediisse à captiuitate Babylonica, se id multò antè, quàm Messias venisset, contigit. Loquitur autem Propheta noster de iis, quæ futura erant tempore Messiæ. Tempore verò Messiæ, ipsi quoque Iehudæi, etsi erant in sua patria: sub ditione tamen erant Romanorum, tanquam serui.

Non igitur Propheta hoc edicto, *Et ascendent è terra*, loquitur de reditu vel Israelitarum, vel Iudæorum à captiuitate terrena in propriam patriam. Non enim ait, de terra Chaldæorum, sed simpliciter de terra in genere loquens. Quare nec ascensus iste corporaliter & carnaliter intelligendus est.

2. Sunt, qui allegoricè interpretantur, sic. Ascendent de terra, id est, fideles & electi ex illis impiis Israelitis, tanquam semen misericordiæ Dei e semine ita Dei nati, multiplicabuntur per totum terrarum orbem, & instar frumenti benè spicati & copiosi, è terra ascendent, quoniam magnus dies Iezreel, id est, seminis misericordiæ Dei colligendi erit, hoc est, tempore Messiæ. Hæc mihi non displicet & Lyrani est.

3. Glossa ordinaria hanc innuit expositionem. Ascendent de terra, id est, exsilient è terra, præ gaudio manus ad cœlum attollentes, cùm viderint, se talem habere regem & caput Christum, qui eos à potestate Sathanæ redemit, & dissipatos electos in suum regnum collegit. Et hoc esse, *Quia magnus dies Iezreelis*, id est, seminis Dei, quod est Christus, vt alludat Hoseas ad illud *Psal.* 118. Hæc dies, quam fecit Dominus: exsultemus.

4. Rupertus Tuitiensis, de ascensu à terrenis affectibus ad cœlestes affectus, interpretatur. *Quia magnus dies Iezreelis*, id est, seminis Dei, quod est Christus hoc est, quia Christus, qui tanquam semen Dei in terram proiectum, mortuus fuerat, ipse resurrexit à mortuis, & in regnum suum est ingressus. Cùm autem pij illum sibi in caput elegerint ipsi quoque cum eo resurrexerunt, iuxta illud *Eph.* 2. Et conuiuificauit, & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo: nunc quidem spe, deinde tandem reipsa. Si autem resurrexerunt cum Christo. Ergò à terrenis quoque affectibus ad cœlestes vnà cum Christo in cœlum ascendent. Et hoc spectat illud *Coloss.* 3. Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite.

5. Hieronymus de ascensu ab infidelitate, in quo mortui erant, ad fidem, per quam à terra in regnum Christi ingredimur, interpretatur. Spiritualiter accipit hunc ascensum, quia de regno Christi, quod spirituale est, loquitur. Item de Israelitis secundum spiritum in hoc vaticinio loquitur.

6. Nos igitur, tùm ex Hieronymo, tùm ex Tertulliano, tùm ex quibusdam aliis doctis viris, veram colligemus huius loci interpretationem. Ea est. Dicitur, Eligent sibi caput vnum, quod est Christus, id est, Christum in regem & caput. Quid hinc consequitur? Ergò vbi fuerit caput, ibi & ipsi, iuxta illud *Matth.* 24. Vbi fuerit cadauer, illuc congregabuntur & aquilæ. Et clariùs *Ioh.* 17. Volo vt vbi ego sum, ibi & ipsi sint. Vbi est Christus caput? In suo regno. Ergò etiam ipsi ingredientur in regnum Christi. Regnum autem Christi terrenum non est, sed cœleste, non carnale, sed spirituale: ita vt si quis in illud ingredi velit, opus sit ascensu. Et huius rei typus fuit Hierosolyma in alto loco sita. Ergò filii Israel electi è terra ascendent in spirituale & cœleste regnum Christi. *Isa.* 2. Ascendamus ad montem Domini.

Quomodo ascendent?

2. Spiritu, deinde etiam corpore. Spiritu per fidem. Quoniam cùm antea separati à Christo capite mortui essent in peccatis, ideòque quasi in terra sepulti: Postea coniuncti Christo capiti per fidem, viuificati resurgent à peccatis, quasi à terra.

Spiritu per spem. Quia enim coniuncti erunt Christo, & Christum credent à mortuis suscitatum in cœlum ascendisse cum carne nostra, ipsi quoque sciunt se in carne Christi resurrexisse è terra & in cœlum ascendisse, vsque adeò est certa spes resurrectionis. Ad hos duos modos spectat illud *Eph.* 2. Et vos cùm essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum seculum mundi huius. Sed Deus, qui diues est in misericordia, cùm essemus mortui in peccatis conuiuificauit nos in Christo & corresuscitauit, & consedere fecit nos in Christo Iesu. Atqui hunc locum Pauli expositionem esse loci Prophetæ, patet si consideremus, quid præcedat in Paulo, & quid in Propheta. In Propheta præcedit *Eligent sibi caput vnum* id est, Christum in caput. Statim sequitur: *Et ascendent.* In Paulo præcedit in fine 1. capitis: *Et ipsum Christum dedit caput super omnem Ecclesiam quæ est corpus ipsius & complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet.* Et statim subdit cap. 2. *Et vos, cùm essetis mortui, conuiuificauit & corresuscitauit.* Quid est igitur, quod ait Propheta *Et ascendent de terra*, nisi hoc quod Paulus ait: *Et vos, cùm essetis mortui, conuiuificauit & corresuscitauit.* Ascendent ergo è terra fide & spe in regnum Christi.

Spiritu etiam per caritatem, per affectus, per desideria, per nouam vitam. Quoniam sicut antea amabant terram, terrenaque: sic postea coniuncti Christo, ascendent amore in regnum Christi cœleste, affectus habebunt cœlestes, non terrenos: desiderio semper anhelabunt & adspirabunt ad cœlum, cœlestem vitam agent, exspectantes aduentum gloriæ magni Dei & resurrectionem mortuorum. Huc illud Pauli *Rom.* 6. Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius baptizati sumus, hoc est, elegit nobis caput vnum, quòd est Christus pro nobis mortuus, vt nos quoque cum illo moriamur peccato. Fide enim eligimus nobis in caput Christum, & baptismo, tanquam publico signo, illud testamur, nos velle capiti Christo pro nobis mortuo coniunctos esse. *Paul. sequitur.* Consepulti ergo sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quemadmodum Christus resurrexit à mortuis: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Hoc est, quod ait Propheta, *Ascendent de terra.* Duo dicit in summa Paulus. 1. Nos in baptismo coniungi Christo & cum illo sepeliri, vtinque mortis illius in nos deriuari. 2. Consepeliri Christo in mortem In hunc finem, vt mortui peccatis in nouitate vitæ ambulemus, vt resurrectionis illius nobis communicata. Quid igitur est: *Et ascendent è terra*, nisi consepulti Christo capiti cum illo resurgent à peccatis in nouam & cœlestem vitam, in noua, & cœlestia desideria, in nouos & cœlestes affectus. Huc & illud Pauli *Col.* 3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram, quæ? Multæ sententiæ ex Paulo huc referri possunt, quibus confirmetur quod dixi.

Primò igitur, Filii Israel, ascendent è terra spiritu in regnum Christi cœleste. Atque hæc est prima resurrectio scilicet spiritualis, de qua dixit Ioan. *Apoc.* 20. Beatus, qui habet partem in resurrectione prima.

Secundò, Ascendent tandem etiam corpore in cœlum, cùm fuerint omnes excitati à mortuis, idque quoniam coniuncti sunt cum capite Christo, qui resurrexit & in cœlo est corpore, sed spiritu nobiscum coniunctus est, & propter hanc vnionem spiritus nos quoque in gloriam resurgamus. Huc illud *Rom.* 8. Qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Ecce pulcherrimam connexionem & in Propheta & in Paulo. Propter spiritum Christi coniuncti sumus Christo. Ergò propter hunc spiritum, quo coniuncti sumus capiti, resurgemus à mortuis. Quid hoc est, nisi quod ait Propheta. 1. ponent sibi caput vnum. 2. Ergò quia vniti capiti, ascendent, id est, resurgent a terra: nempe in cœlum & hæc est resurrectio secunda, quæ primam consequitur *Apoc.* 20. Hoc illud *Matt.* 24. Vbi fuerit cadauer, ibi congregabuntur aquilæ.

Habemus de quo ascensu loquatur Propheta. Hinc manifestum fit id, quod superius dixi, hoc loco indicari à Propheta duo. 1. Quòd Ecclesia Christi sit cœlestis, quia coniuncta capiti Christo, ascendit è terra in cœlum, primò spiritu, deinde tandem etiam corpore, vt corpus sit vbi & caput Christus, & hanc adumbratam fuisse illam Hierosolymæ typo quæ in monte sita erat. & propterea Galatis Paulum dixisse *Quæ sursum est, Hierosolyma, quæ est mater nostra.*

2. Quòd vnusquisque fidelis indies proficiat: quia per sui abnegationem & mundi contemptum, quotidie in cœlum spiritu ascendit, & ibi versatur. Vnde Paulus ait *Phil.* 3. Conuersatio nostra in cœlis est.

Tenenda igitur est connexio Prophetæ. *Ponent sibi caput vnum* quod est Christus. Igitur vbi caput ibi & ipsi. Vbi caput? in cœlo. Ergo & ipsi ascendent de terra in cœlum. Primùm spiritu, per fidem, spem, caritatem, nouam vitam, deinde etiam carne.

Colligimus hinc, hoc esse proprium filiorum Dei, ascendere è terra in cœlum: cùm Sacramenta administrantur sursum ascendimus a terra. Hoc illud antiquum dictum SURSUM CORDA, cùm prædicatur Euangelium, *Sursum corda.*

Quoniam magnus dies Iezreel.

Tripliciter possumus non ineptè interpretari.

1. Vt Iezreel accipiatur pro calamitate, quæ in valle Iezreel obuentura erat Israelitis, sicut supra dixit: *Confringam arcum in valle Iezreel.* Et illud, *Quoniam*, probat, opus fore insigni & extraordinario remedio ad Ecclesiam Dei congregandam & conseruandam. Quod remedium erit? Nempe vt è variis terris colligantur, sub vno capite Christo, & ascendant è terra omnes electi, filii Israel & filii Iuda. Quare hoc erit necesse? Quoniam magna futura est clades huic populo in die Iezrael, quo scilicet in Iezreel frangetur arcus. Tunc cunctus populus abducetur captiuus. Ergo ad congregandam & conseruandam Ecclesiam, opus erit, vt è variis terris collecti, ascendant iterum ad montem Domini. Nisi forte quis malit simpliciter accipere diem Iezreelis pro iudicio & calamitate, quæ obuentura erat Iezreel, id est Israelitis, sicut antea eos ita appellauit. Cùm enim dixisset Propheta, *Ascendent*, potuissent dicere Israelitæ, quid sibi vult ille ascensus? Quid, ait, Ascendent scilicet filii Israel, tanquam firmati, in hoc nostro regno.

Respondet Propheta. Ascendent, dico, è terra, è terris alienis & inferioribus ipsa Iudæa. Nam magnus dies Iezreel futurus est, id est, magna enim calamitas & iudicium horrendum obuenturum est Iezreeli, hoc est, Israeli, vt scilicet abducatur captiuus in alienas terras. Quare conseruari non poterit Ecclesia Dei nisi iterùm per misericordiam Dei inde liberati, iterùm ascendant. Conseruabitur autem Ecclesia. Ergo ascendent. Placet mihi, modò ascensum intelligamus spiritualem, cæterùm quatenus vt voluimus, alioqui vaticinium fuisset falsum.

2. Possumus etiam sic interpretari, vt per *Diem* quidem *Iezreel* intelligamus eandem crucem & calamitatem, quæ obuentura erat Iezreeli, id est, Israeli. Sed illud, *Quoniam*, probet, calamitatem & crucem illam fore caussam scilicet instrumentalem, vt vere filii Israel cum filiis Iuda congregentur, vnum caput sibi ponant, & ascendant è terra ad cœlum, eo modo, quo declarauimus. Qua de caussa? Quoniam hac calamitate, tanquam igne, separatis impiis, & proiectis a consortio piorum. Pii ipsi eo etiam igne purgati, colligentur simul sub vno capite, & ascendent è terra, purgati scilicet, in regnum Christi. Sicut ignis caussa est, vt aurum à scoriis separatum & defæcatum clariùs, quàm antea reluceat. Et hæc loquendi forma frequens est in scripturis, & ita etiam se res habet. Crux enim Ecclesiæ salutaris est, & caussa salutis: quoniam illa impii segregantur à piis, pii etiam ea purgantur. Itaque fit, vt purgati pertæsique huius mundi adspirent ad cœlum, & spiritu, ac tandem etiam corpore illuc ascendant. Et Dominus solet primùm mortificare, deinde viuificare, ad inferos deducere, deinde reducere. Quasi igitur dicat: Ascendent, quia priùs descendent, & descensus, id est, crux, caussa erit, vt rursus ascendant.

3. Alia etiam potest adferri expositio, vt nomine *Diei magni* intelligamus tempus Messiæ, à natiuitate vsque in finem seculi. Ille est dies magnus & celebris & illustris: Nomine Iezreel vero intelligamus electos ex Iezreele, qui erant post aduentum Messiæ, & alludit ad notationem nominis Iezreel, id est, semen Dei hoc modo: *Ascendent è terra*

terra in cœlum. Quare? Quoniam magnus erit, (tunc scilicet cùm venerit Christus caput) *Dies Iezreelis*, id est, veri populi & seminis Dei, colligendi & in horrea cœlestia inferendi. Ideò ipse Iezreel, id est, semen sanctum, semen misericordiæ Dei, semen electum ortum ex Israele carnali, id est, ex semine iræ Dei, quod inter gentes disseminatum fuerat. Ipsum, inquam, semen misericordiæ Dei, spicatum, maturum, & copiosum ascendet è terra, quia tunc dies, id est, tempus erit illius colligendi. Redimitur enim à Christo. Ideò cum illo ascendent in cœlum, primò, spiritu, deinde etiam corpore.

Aliter enim accipit hic nomen Iezreel, quàm suprà. Israelem appellauit Iezreel probrosè quasi semen iræ Dei, quod erat disseminandum inter gentes: Quia defecerat à pietate Israelis. Et tunc illo nomine intelligebat Propheta impios in Israel. Hic autem honorificè eum appellat Iezreel, id est, semen misericordiæ Dei, & intelligit pios electos, qui erant nascituri secundùm carnem, ex illo priori Iezreel, id est, ex semine iræ Dei. Seminatum fuerat Iezreel, id est, semen iræ Dei ortum est in regno Christi, semen misericordiæ Dei, semen sanctum & benedictum.

Ita accipiendum esse hic Iezreel, id est, mutandum esse significationem eius in bonum, sicut antè in malum eum vocarat Iezreel. Docet mutatio etiam aliorum duorum nominum, quæ sequuntur in vers. 3. Nam *Lo Ruchamah* mutata est in Ruchamah & *Lo Ammi* in Ammi. Ita hic Iezreel mutat è mala & probrosa significatione in bonam & honorificam, id est, è semine iræ Dei disseminando inter gentes in semen misericordiæ Dei recolligendum. Illa enim prima tria trium filiorum imaginariorum nomina ad impios expellendos referebantur. Ista verò tria ad pios ex illis ortos recolligendos. Mutat igitur nomina & eorum significationem, vt ostendat Dei iram mutatam in misericordiam. Ira in veteri testamento misericordia in nouo. Ira in priores Israelitas impios, misericordia in posteriores pios.

4 *Dicite fratribus vestris.*

Coniungitur hic versus cum superiori hoc modo. Dixerat, Constituent sibi caput vnum filij Israel & filij Iuda, Christū. Et tunc, hoc constituto pro capite, ascendente terra in regnū scilicet Christi. Quia igitur ascendendum est in regnum Christi, omnibus illis qui sunt eius populus, & quibus, cùm anteà fuissent sine misericordia reiecti posteà facta est misericordia, vt redeant. Iccircò nunc admonet vniuersos & singulos sui officij, & iubet, vt quisque alterum admoneat, & hortetur ad ascendendum in regnum Christi, & ait:

Dicite.

Scilicet, ô Israelitæ & Iudæi simul collecti, dicite alter alteri, frater fratri, soror sorori.

Patribus vestris populus meus.

Tradit verba, quibus vti debeant ad adhortandos reliquos fratres, & sorores vt secum ascendant in montem Domini i. in regnum Christi è terra. Quæ sunt verba Euangelij. Vos estis verè populus meus, ait Dominus. Vos estis populus Dei. Ergò ascendite ad vestrum regem, in regnum vestri regis Christi, cuius estis & vos populus.

Argumentum est ab officio.

Officium populi absentis à suo Domino, & patria est, redire in regnum sui regis, ibi esse, ibi suo regi inseruire.

Vos estis Ammi, ait Dominus, id est, reuera estis populus Dei, & eius regnum est in alto, in monte Sion. Ergò & vos ascendite nobiscum. Vos estis fratres nostri.

At reiecit nos cum essemus populus. Resp. Nunc recipit vos iterùm, vt sitis populus. Ergò redite, discedite ab hac terra.

At reiecit nos sine misericordia, vt perpetuò essemus in captiuitate, alieni ab eius regno.

Resp. Nunc autem per Christum, per caput, quod nobis proposuit, & nos eligimus, fecit vobis misericordiam, & ex *Loruchamah* facti estis *Ruchamah*. Ergò ascendite nobiscum de terra ad cœleste regnum.

Fratribus.

Vim habet ad exhortandum, quasi dicat, Sumus fratres vestri ex eodem Deo nati, habemus eundem patrem Deum. Colligimus hinc, qui sit stimulus, quo aliquis incitetur ad ingrediendum in regnum Christi, ad deserendā terram, mundum hunc, regnum diaboli & obsequium eius. Quis est iste stimulus? Prædicatio Euangelij fide certa apprehensa & retenta, id est, certa persuasio, quòd, qui eramus non populus propter nostra peccata, facti sumus populus propter Christū, qui propter nostra scelera indigni eramus misericordia & iure ipso condemnati, sumus per Christum consecuti misericordiam, qui eramus propter nostras iniquitates *Lo Ruchamah*: propter Christum facti sumus *Ruchamah*. Hic est stimulus, quo Paulus Galatas hortabatur, vt redirent in regnum Christi *Gal* 3. vos estis filij Dei. Quasi dicat. Ergò recedite à terra, & redite in regnum Christi, ne velitis ad opera legis redire. Discedite à regno Mosis, à circumcisione, ac operibus legis, venite in regnum Christi. Sic Corinthios hortatur idem 2 *Cor.* 5. Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Quid hoc est nisi, eratis antea *Loammi*, iam estis populus. Ecce vetera trāsierunt, & facta sunt noua omnia, Eratis sine misericordia, iam habetis misericordiam. *Vnde hæc? ait:* Omnia autem ex Deo, qui nos sibi recōciliauit per Christū Ecce quomodo facti estis de non populo populus, de Lo Ruchamah Ruchamah, & nobis dedit ministerium reconciliationis, quasi dicat Nobis dixit, *Dicite fratribus vestris, populus meus vos.* Quid est dicendum? Hoc. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, id est, ex non populo faciens sibi populum. At peccauerat mundus & ideò indignus, qui iterùm admittatur in gratiam, Deóque reconcilietur.

Respondet Apostolus. Non imputans illis delicta ipsorum, id est, faciens illi misericordiam, & ita ex Lo Ruchamah Ruchamah. Et hoc verbum reconciliationis posuit in nobis. in quem finem? vt ad vos illud deferamus, & dicamus vobis, quòd Deus per Christum vos sibi reconciliauit, & estis populus, & peccata vestra vobis sunt per misericordiam eius condonata, & ita estis Ruchama.

Quid igitur superest: Nos facimus nostrum officium, Pro Christo ergò legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo, id est, Deus quidem nobis est reconciliatus per Christum, vos acceptat in populum Reliquum est, vt & vos nobiscum ascendatis, & quod ad vos attinet reconciliemini Deo, & ita reconciliati, ei seruiatis, deserta terra & terrenis affectibus.

Commendat ergò hic duo & priuatas exhortationes, quibus quisque debet fratrem excitare ad ascendendum de terra in regnum Christi, & multò magis publicas prędicationes, quibus debent omnes excitari ad deserendum mundum, & ascendendum ad Christum.

Hæc exhortatio valet 1. ad excitandos electos, qui sunt foris extra regnum Christi, vt in illud ingrediantur. Vos qui eratis propter peccata non populus, nunc condonatis peccatis per Christum, per quem sibi Deus mundum reconciliauit, facti estis populus. Vos qui eratis vestrapte natiuitate ex Adamo *Loruchamah*, facti estis per gratiam Christi *Ruchamah*. Cùm ergò sitis populus Dei, & misericordiam consecuti, quid vobis agendum est? Officij vestri est, nobiscum, qui sumus fratres vestri, qui communem habemus Patrem in cœlo ascendere è terra hac, à regno Sathanæ, ac terrenis affectibus, à mundo, à lege, & elementis huius mundi, ad cœlum, ad regnum Christi, ad cœlestes affectus, ad gratiam Euangelii. Ergò venite, ascendamus ad montem Domini. Hæc est prædicatio Euangelii ad exteros.

Sed notandum, quòd isti tantùm, qui vere per prædestinationem sunt populus Dei, huic prædicationi credent, quòd sint vere facti populus Dei, & misericordiam consecuti. Ideò etiam soli ingredientur regnum Christi, & ascendent è terra. Ita in eis impletur veritas huius vaticinij, Vos estis populus Dei in aliis non impletur, nec vera esse deprehenditur hæc propositio. Sed ipsi sunt in caussa sua infidelitate.

At igitur non est vera absolute hæc proposito Euangelij, cùm omnes dicimus, Vos estis populus Dei, cùm non omnes sint secundùm prædestinationem populus Dei.

Respon. Caussa, cur non sit in omnibus vera, est in ipsis hominibus, qui non credunt, si crederent, vera in eis esset. Ideo ipsi sua incredulitate efficiunt, vt quodammodo Deus appareat mendax, vt Iohan. dicit. 1. *Iohan.* 1. Si non credimus mendacem facimus eum. Sed absit, vt Deus sit mendax.

Cùm dicitur multis, vos estis filij Dei, vos estis populus, semper vera est propositio, quia in aliquibus vera est. Ideò notanda verba Prophetæ, non ait, Dicite huic vel illi particulari personæ, Tu es populus Dei, tu es filius Dei, quia sic deprehenderetur propositio falsa in multis, sed in plurali, *Dicite fratribus vestris, vos populus Dei.*

Est autem manifestum, quòd nunquam prædicatur Euangelium multis, quin ibi sint aliqui ex prædestinatis. Itaque semper vera est propositio generalis Euangelii.

2. Valet hortatio hæc ad illos, qui sunt intùs, excitandos à terra ad cœlum, à terrenis affectibus ad cœlestes, in hunc modum. Vos estis populus Dei. Ergò cur non ascenditis, vbi vester rex? an non pudet vos in terris hærere?

Item ad habendam fiduciam, Vos estis populus Dei, misericordiam consecuti. Cur ergò fiducia non assurgetis in cœlum? cur hæretis in terris? cur diffiditis? ascendite, sperate, confidite vestro regi.

Obseruandum, hanc esse legem, quam filiis Dei ingressis regnum Christi præscribit Christus, quam⁊ charitati, & hanc vult esse æternam. Nunquã enim excidet charitas. Charitas autem exigit, vt diligamus primò Deum supra omnia, ideòque eius gloriam & regnũ promoueamus. Hoc fit, cùm alios inuitamus ad regnum Christi dicentes: Venite, vos estis populus Dei. Deinde proximum sicut & nos, id est, optemus et & curemus salutem eam, quam & nos consecuti sumus. Ergò veris filiis Israel præscribitur hæc regula, *Dicite fratribus vestris, vos populus Dei*, quasi dicat, habete omnes pro fratribus, ideóque omnes hortamini, vt attendant, dicentes, vos populus Dei.

Obseruandum etiam iis verbis, *Dicite Ammi, Ruchamach*, duo nos doceri. 1. Quòd simus nostrapte natura peccatores impij ideóque quibus misericordia opus est. Sumus misericordiam consecuti. Ergò eramus sine meritis bonorũ operũ. Nã misericordia nõ impenditur, nisi miseris & indigẽtibus. 2. Quòd per Christum misericordiã cõsecuti, & facti populus.

Hinc sequitur gaudium, cum agnoscimus, nos esse populum Dei, præter nostra merita per misericordiam Dei.

Docetur ergò hic studium, cui veri Israelitæ in regnum Christi ingressi sub Christo reuelato incumbere debent. Studium scilicet promouẽdæ gloriæ Dei salutis proximi, & amplificandæ Ecclesiæ. Summa, nihil non agant pro gloria Dei promouenda, amplificandáque Ecclesia Christi, efficiant pro sua virili, vt omnes agnoscant Deum, se esse per Christum redemptos, misericordiam consecutos, factos Dei populum.

VERSVS PRIMVS.

Et erit numerus.

Resoluitur in propositiones XXIX.

ORdo salutis nostræ exigit, vt 1. peccata nostra verè agnoscamus. 2. Iram Dei contra peccata sentiamus. 3. Vt tùm illorum cognitione confusi, tùm istius sensu cõsternati, fiducia in Christum subleuemur. Iure ergò Hoseas post reprehensionem peccati Israelis, & post denunciationem iræ Dei contra ipsorum peccata, hanc subiicit de regno Christi, deque reliquiis Israel amplificandis, promissionem, quã & pios in Israel subleuet, & hypocritarum obiectioni atque obtrectationi occurrat.

2. Dissipatio & reiectio carnalis Israelis, cum collectione & multiplicatione spiritualis Israelis, & euersio regni terreni Israelis, cum restauratione & amplitatione regni spiritualis Messiæ, minimè pugnat. Et vtrumque nos completum fuisse videmus. Non immeritò igitur post prædictam Israelitici regni destructionem, subiecit hanc regni Christi ex Israelitis & gentibus instaurationem, ac proinde docet, Etiamsi omnia mundi regna destruantur & verò etiam Ecclesia Dei quoad externam faciem & splendorem penitùs extincta videatur: minimè tamen consequi ipsam veram Ecclesiam Dei extingui, aut Euangelicas de saluandis veris Israelitis promissiones, irritas fieri posse.

3. Imò ad stabiliendam Dei promissionem de vero Israele instar arenæ maris multiplicando, & regno Christi amplificãdo, necesse erat, vt tum ille carnalis Israel dissiparetur, tum regnum destrueretur. Sicut enim ex carnis mortificatione maior enascitur spiritus viuificatio, & ex prauarũ herbarum ab horto reiectione, lætior surgit bonarum herbarũ copia: sic ex carnalis populi dissipatione, maior exoritur spiritualis populi collectio, & ex regnorum mundi destructione emergit gloriosior spiritualis regni Christi amplitudo: sicut tùm ex visione Dan. 2. & 7. tùm ex ordine naturæ confirmatur. Vno enim contrario destructo, alterum contrarium fortius emergit. Quod, vt indicaret Propheta statim post prædictam totius carnalis Israelis & populi reiectionem & regni euersionem, subiecit maiorem spiritualis Israelis, & regni & populi futuram amplitudinem.

Tantùm igitur abest, vt reiectio carnalis Israelis pugnet cum promissione de vero, id est, spirituali Israele, instar arenæ maris, multiplicando, vt potiùs ad hanc stabiliendam illa fuerit necessaria.

4. Est autem triplex genus filiorum Israel. 1. secundũ carnem tantum. Ij sunt omnes reprobi, qui ex Israele secundum carnem tantum, non autem secundum spiritum & gratiam electionis nati sunt, de quibus Rom. 9. Ij prorsus reiecti, ne vllo modo essent populus Dei. 2. Secundùm carnem & spiritũ. Ij sunt electi ex Israele, qui ex Israele & secũdũ promissionẽ & secũdũ carnẽ nati sũt, de quibus Mat. 15. Christus: *Non sũ missus nisi ad oues perditas domus Israel.* Ad hos propter & in primis pertinet promissio: *Erit numerus filiorum Israel, sicut arena maris.* 3. Secundum spiritum tantum. Ij sunt omnes electi inter gentes, qui ex Israele non quidem secundum carnem, sed secundum gratiam electionis & promissionis nati dicuntur De quibus Paulus *Rom. 9.* Filij promissionis reputantur in semen. Ad hos etiam pertinet hæc promissio, Erit numerus filiorum Israel, sicut arena maris. Ex iis autem filiis Israel constat & amplificatur regnum Christi. Regnum igitur Christi seu Ecclesia, cœtus est tantum verorum Israelitarum, id est, electorum Dei, tam ex gentibus quam ex Iudæis.

5. Reiecit carnalem Israelem, ne esset populus, quia incredulus & inobediens verbo, quod receperat. Assumsit gentes, quæ verbum Dei non habebant, & erant sine Deo Ergò quod illos reiecit, caussa iusta fuit reiiciẽdi: ideò iusto Dei iudicio reiecti. Quòd hos assumsit, nulla fuit caussa, nisi volũtas Dei & æterna electio: ideò mera Dei misericordia assumti. Ac proinde Deus in vnis, à se & fœdere gratiæ, hominibus reiiciendis, illorum spectat peccata In assumendis verò aliis, nõ respicit personas, nec vel bona, vel mala merita, sed solam æternam illorum in Christo electionem.

6. Numerus filiorum Israel, è quibus constat Ecclesia, est, sicut arena maris, innumerabilis & immensus. Ergò Ecclesia Christi nec certo locorum spatio concludi, nec certo electorum numero terminari à nobis potest. Ac proinde regnum Christi, & quo ad locorum spatia, & quo ad fidelium numerum & est & futurum est amplissimum.

7. Erit (inquit) in futuro, scilicet tempore reuelati Messiæ, numerus filiorum Israel, sicut arena maris Ergò promissio Abrahæ facta de suo semine instar arenæ maris multiplicando, non fuit impleta, nisi post Christi aduentum.

8. Non est autem multiplicatus numerus filiorum Israel secundum carnem, sed potius imminutus. Ergò promissio ista non de carnali, sed de spirituali semine intelligenda est. Ac proinde cum Moses ait carnali populo, *Deuter. 10.* in septuaginta animalibus descenderunt patres tui in Ægyptum: & Ecce nũc multiplicauit te Dominus, sicut astra cœli. Fuit hæc promissio in illa populi multiplicatione, tanquam in typo non autem in veritate impleta Cum verò Israelitæ secundum spiritum in nouo testamento multiplicantur, promissio in veritate impletur. Sic & hic Hoseas dicit: & *Ierem. 33.* confirmat, dicens. Sicut enumerari non possunt stellæ cœli, & arena maris: sic multiplicabo semen Dauidis serui mei, id est, Christi.

Erit in loco.

9. Illi filij Israel, qui anteà etsi secundum æternam prædestinationem erant populus Dei: secundum tamen fœdus legis dicebantur *Loammi*: nimirum electi, tàm ex gentibus quàm ex Israelitis, Ex quouis loco, vbi fuerint dispersi, sine locorum tamen mutatione, in regnum Christi colligentur. In omni autem terrarum loco aliqui ex iis, de quibus loquimur, filiis Israel reperientur Sunt enim vbique terrarum diffusi Ergò per totum terrarum orbem diffusum, ideóque amplissimum erit, & est regnum Christi.

10. Non omnes, quibus dictum est *Lo Ammi*, colligentur in regnum Christi, sed ex iis illi tantum, qui in æterna Dei prædestinatione fuerunt populus Dei, secundum quam etiam nunquam reiecti fuerunt, ne essent populus Dei, vt est Rom. 11. Secundum enim triplicem modum aliquis dicitur esse vel non esse populus Dei. 1. Est secundum prædestinationem æternam de quo Rom. 11. *Non repulit plebem, quam præsciuit.* 2. Secundum fœdus legis in veteri testamento, de quo Deut. 7. 3. Secundum fœdus Euangelij in nouo testamento, de quo Rom. 9. *Vocabo non plebem meam plebem meam*, id est, quæ non erat plebs secundum fœdus legis, faciam plebem meam secundum fœdus Euangelii nouum.

Quia autem secundùm æternam prædestinationem fuerunt populus Dei, omninò assumendi sunt in regnum Christi, vt etiam secundum fœdus Euangelii fiant populus Dei. Qui verò secundum æternam prædestinationem fuerunt non populus Dei, iuxta fœdus Euangelij nunquam fient populus Dei, quia prædestinatio certa immutabilis est. Non ergò omnes, quibus secundum fœdus legis dictum est *Lo Ammi*, in regnum Christi colligentur, sed ex iis illi tantum, qui secundum æternam prædestinationem fuerunt populus Dei.

12 In omni loco, vbi dictum est *Lo Ammi*, dicetur, filij Dei viuentis, id est, prædicabitur Euangelium. In omni autem loco dictum est *Lo Ammi*. Ergò vbique terrarum prædicabitur Euangelium.

13. Dicetur in loco omni, id est, prædicabitur Euangelium, vbi prius dictum fuerat *Lo Ammi*. Ergò non prius prædicabitur Euangelium, quam Israel carnalis reiiciatur, ne sit populus Et consequenter, non prius nouum fœdus Euangelij cum omnibus gentibus sancietur, quam vetus legis fœdus abrogetur.

13. Dice-

13. Dicetur vero id est prædicabitur Euangelium efficaciter filiis Israel electis. Ergo prædicatione Euangel. colliguntur in regnum Christi, non autem per opera legis.

14. Non ait ibi incipient esse filii Dei, sed ibi dicetur eis, filii Dei. Ergo ordinarie nemo fit filius Dei, nisi per Euangelium auditum & fide receptum.

15. Non ait ibi dicetur Populus meus vos, seruata verborum ... perfecta sed ibi dicetur, filii Dei viui, vt melius perfecta rerum ... seruata, beneficium Christi in nouo testamento, & naturam, vimque Euangelii explicaret.

Populus enim neque ex rege, cuius est populus, nascitur, neque illius naturaliter est hæres. Filii verò & ex eo, cuius filii sunt nascuntur, & illius, iure filiationis, sunt hæredes. Ergo per Euangelium filii Israel & ex Deo nascuntur filii Dei & hæredes Dei iure filiationis, & ... constituuntur.

16. Nascuntur filii Dei non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo. Salus igitur illorum tota gratia.

17. Nascuntur filii Dei ex Deo. Ergo per semen Dei, in eorum corda per Spiritum sancti illapsum, ab eis apprehensum & in ipsis retentum nascuntur.

18. Semen Dei est verbum Dei, sola fide hoc recipitur & retinetur. Sola ergo fide fiunt filii Dei ideóque sola fide iustificantur, & sola fide hæredes Dei constituuntur.

19. Dicetur id est, prædicabitur eis, Filii Dei viuentis. Summa igitur prædicationis Euangelii est hæc: Vos estis filii Dei scilicet per fidem in Christum Iesum, vt Paulus explicat.

Hęc enim prædicatio, quæcunque Euangelium annunciat, in summa complectitur æternam electionem, æternum Dei amorem, mediatorem, satisfactionem, peccatorum remissionem, regenerationem, vitam æternam.

20. Dicetur Filii Dei Vnus igitur tantum Deus.

21. Dicetur, Filii Dei viuentis. Ergo ille solus vnus Deus è quo per Euangelium nascimur est per se, & æternùm viuens, vitaque ipsa, cuius participatione viuunt quæcunque viuunt.

22. Dicetur, filii Dei viuentis. Ergo non ampliùs erunt sub lege mortua sed sub spiritu viuificante.

23. Sumus filii Dei per se & æternùm viuentis, id est, in semetipso vitam habentis. Ergò sicut primogenito Christo dedit, vt vitam haberet in semetipso, ita reliquis filiis dabit, vt æternùm cum eo viuant quanquam non in semetipsis sed in Christo & Deo vitam habeant.

24. Primò præmittitur, Non populus meus vos, deinde statim & immediatè subditur Filii Dei. Ergò nihil præcessit meriti in *Lo Ammi* cur factus sit filius Dei, ac proinde gratis fit filius Dei, quicunque ex *Lo Ammi* fit filius Dei.

25. Non ait, Filii Dei vos quasi solos alloquens Israelitas, sed in genere, filii Dei viuentis ... igitur & salus non ad solos electos ex Israel, sed etiam ad electos ex gentibus pertinet.

26. Quanquam autem ita se res habet: certo tamen & peculiari priuilegio propter promissiones Israeli, & non gentibus factas ... & salus Israelitis primis quodammodo debetur, deinde gentibus ex mera misericordia donatur, vt Paulus ait: *Iudæo primum deinde & Græco.*

27. Proinde quia Israelitæ, iure quodam, propter promissiones illorum patribus factas, vocandi erant ad gratiam Euangelii Gentes verò inter quas illi erant dispersi per meram misericordiam (vt ait ad Rom.) vocandæ erant. Idcircò fuerunt Israelitæ inter gentes dispersi, in hunc finem, vt posteà dum reliquiæ Israelis per Apostolos ex quodam debito in regnum Christi colliguntur, ipsi quoque electi inter gentes per hanc occasionem, audito Euangelio, vna cum reliquiis Israel ad Christum nouúmque fœdus adducantur, & fiant filii, ideóque & hæredes Dei.

28. Dissipatio igitur Israelis carnalis inter gentes, fuit nō solùm futuris reliquiis Israel, sed etiam ipsis gentibus vtilis, vt illorum lapsu salus contingeret fidelibus gentibus, & illis naturalibus ramis excisis isti ex oleastro rami in bonam oliuam insererentur, vt ad Rom. 11. explicatur.

29. Ac proinde (vt initio dictum fuit) dissipatio Israelis fuit & ad promissionem de vero Israele instar arenæ maris multiplicando, & consequenter ad verum Christi regnum instaurandum, & amplificandum, non vtilis tantum, sed quodam etiam modo necessaria.

VERSVS PRIMVS.

Et congregabuntur.

1. **Propheta ait,** Filii Israel & Iuda congregabuntur. Ergo indicat, eos fuisse segregatos & inter se diuisos, seu gregem dissipatum. Diuisio hæc & segregatio legitur 1. Reg. 12.

2. Quia non ait, congregabunt se, sed congregabuntur. Indicat ergò, illos fuisse ab alio *rursus* congregandos & inter se coniungendos. Hunc autem à quo erant simul iterum congregandi, fuisse Christum, interpres est *Iesa. 11. dicens.* Et leuabit signum ad gentes, & colliget electos ex Israel, & dispersas animas Iehuda congregabit. Indicauit ergò à Christo fuisse congregandos, qui se ipsi segregarunt & diuiserunt.

3. Etenim filii Israel & filii Iehuda, quos Deus in vnum populum coniunxerat, seipsos in duos populos diuiserunt, vt est 1. Reg. 12. Christus verò illos rursum, nimirum electos ex Israel & Iuda, vna etiam cum electis ex gentibus sublato intermedio & destructa macerie, in vnum sanctum populum congregauit, vt est Eph. 2. Ergò prima vnio in Deo, diuisio ex hominib. noua collectio per Christum & propter Christum.

4. Nam diuisio populi & regni propter peccata Salomonis fuit facta, vt est 1. Reg. 11. Noua verò eius collectio & vnio propter merita alterius Salomonis, id est Christi. Ergo peccata humana caussa diuisionis: merita Christi, propter quæ humana peccata delentur, caussa vnionis.

5. Diuisio fuit facta sub lege in regno Mosis. Noua vnio sub gratia in regno Christi. Non ergo per legem Mosis, sed tantum per gratiam Christi, electi, qui per peccata a Dei & Angelorum consortio segregati, atque inter se animis & religione distracti fuerant, rursus Deo vniri atque inter se salutariter coniungi possunt.

6. Cum ait, congregabuntur, subintelligendum est, à Christo, vt Iesaias docet. Christus autem quos congregat, perfectè congregat. Indicat ergo, electos ex Israel & Iuda, qui à Deo & Dei grege per verbum & spiritum Sathanæ prorsus erant segregati, rursus per verbum & spiritum Christi fuisse perfectè congregandos.

7. Est autem hæc huius perfectæ vnionis ratio. Dum filii Israel & filii Iuda, id est, electi, vnum atque idem Euangelium omnes & audiunt, & fide recipiunt, credúntque, sicut Euangelium annunciat, se omnes per Christum, condonatis peccatis Deo esse reconciliatos, primo propter vinculum spiritus sancti vniuntur Christo, vt membra capiti, per Christum verò vniuntur patri Deo. Ex hac vero vnione cum Christo & Deo per spiritum sanctum, sequitur secundo, vera electorum inter se, per eundem Christi spiritum, vinculo charitatis, & pacis in vnum corpus consociatio, quæ est vera sanctorum communio.

8. Has vero duas vniones duæ aliæ consequuntur. Vna, quod, quia Deo per Christum vniti sumus, reliquæ etiam creaturæ omnes nobis vniantur & nostræ fiant, iuxta illud Pauli 1. *Cor.* 3. Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. Altera, Quod, quia Sancti animis inter se per spiritum Christi, eiusdem fidei & religionis & charitatis vinculo, sunt coniuncti, corporibus quoq. in eodem cœtu, ad verbum simul audiendum, ad sacramenta simul sumēda, ad preces simul fundendas, ad collectas simul faciendas, & bona fratribus communicanda, quo ad eius fieri potest, congregantur, vt hac visibili corporum in eodem cœtu congregatione, inuisibilem quoque animorum in eadem fide & charitate, non solum testificentur, sed etiam foueant.

9. Congregatio igitur filiorū Israel & Iuda, (de qua loquitur Propheta,) in spiritu potissimū atque animorū vnione sub vno capite Christo sita est, *quia illis vnus est Deus, vnus mediator, vna fides, vnum baptisma, vna spes vocationis* Eph. 4.

10. Quare etsi fideles corporibus a se inuicem disiuncti sunt, & diuersis in locis per totum terrarum orbem dispersi, omnes tamē vna tantum sunt Ecclesia, & vnus tantùm grex, in vno tantum ouili.

11. Ac proinde Ecclesia Christi & vna tantum est, & tamen vbique terrarum diffusa, quia ea est concio duntaxat verorū filiorum Israel & Iehuda, id est, electorum eiusdem spiritus vinculo, sub eodem capite Christo, ad eundem Deum colendum in toto terrarum orbe, congregata.

12. Caput quod sibi ponunt filii Israel & filii Iuda, id est electi, non potest esse nisi Iesus Christus. Ipse enim solus Deus est & homo. Caput autem totius corporis Ecclesiæ, vt Deus esset & homo, necesse erat.

Omnes autem ii filii Israel & Iuda, i. omnes electi, è quibus solis constat Ecclesia, vnum tantum sibi ponunt caput, & hoc caput (vt suprà dictum est) non potest esse, nisi Christus. Vnū ergo tantum caput est totius Ecclesiæ quod est Christus.

13. Dixit, Caput, non regem, cum tamen de regno loqueretur, vt melius vnionem, quæ est inter Ecclesiam & Christum, exprimeret. Quandoquidem maior vnio est inter caput & membra, quàm inter regem & populum. Caput autem Ecclesiæ est Christus, & in Christo fons est iustitiæ & vitæ perennis. E Christo igitur in totum corpus & singula membra Ecclesiæ perpetuo fluit iustitia & vita, ac proinde *quicunque est verum Ecclesiæ membrum, perpetuò particeps est spiritus, iustitiæ, & vitæ Christi,* Eph. 4.

14. Ait, *Et ponent sibi caput*, non autem ponetur. Docet ergo. Etsi Pater ille est, qui caput hoc dedit Ecclesiæ, & singulis Ecclesiæ membris, ut est *Ephes.* 1. Nemini tamen caput esse potest, nisi quis illud propriæ voluntatis assensu (de adultis loquor) sibi ipse ponat.

15. Sibi etiam quisque hoc caput vere, & coram Deo ponit, cum illud sibi a Patre in Euangelio oblatum, fide sua & propriæ voluntatis assensu, suscipit, amplectitur, & renunciatis quibuscunque aliis capitibus, hoc solum pro suo capite venerans totum exspectat salutem, agnoscit. Coram hominibus vero, id etiam facit, cum publica confessione, & visibili (si fieri potest) cum cœtu Ecclesiastico communione, etiam sacramentorum participatione, solum Christum fatetur se pro suo capite, unde tota ipsius pendeat salus, agnoscere & amplecti.

16. Ut enim uniamur huic capiti Christo, spiritus propriæ fidei per se in omnibus, ipsis etiam parvulis, est necessarius. Nullus enim ea sola fide sua vivit, non aliena: sicut nec quis doctus est aliena, sed sua quæ in ipso est doctrina. Assensus autem propriæ voluntatis in omnibus adultis necessarius est. Externa vero confessio & protestatio, cum & facultas conceditur & gloria Dei Ecclesiæque ædificatio postulat. Ac proinde etiam parvuli quodammodo sibi ponunt hoc caput, cum spiritu fidei interno in hoc caput donantur.

17. Quia Propheta non ait, *Ascendent è terra Chaldæorum*, sed simpliciter è terra, nec ait, *Ascendent in Iudæam*, sed simpliciter *Ascendent*, & nusquam legimus, Israelitas a postrema captivitate in patriam reduisse. Filij etiam Iuda è Babylone in Iudæam ascenderunt longe ante, quam nasceretur Messias. Propheta autem hic loquitur de iis, quæ post adventum Messiæ futura erant: noster vero & alius exspectandus est Messias quam, qui venit, Iesus Christus. Hoc igitur ille de reditu populi è terrena captivitate in terrenam patriam, intelligi nullo modo potest. Proinde necessario intelligendum est de ascensu quo electi, veri Israelitæ, & veri Iudæi ex universa terra in Regnum Christi, quem sibi in caput & regem elegerunt, spirituale & cœleste ascendunt. Ascendent autem Spiritu, Anima, & Corpore.

18. Ac Spiritu quidem tribus modis. 1. Cum certo fidei nexu Christo iustificatori suo coniungentes cum illo a regno peccati, mortis, Sathanæ, & inferni, in quo mortui iacebant, tanquam a terra in cœleste Christi regnum ascendunt, id est, cum credunt se per Christum à peccatis iustificatos, Patri reconciliatos, a morte & Sathana liberatos, atque in cœleste iustitiæ ac vitæ regnum translatos, ita, ut per hunc fidei nexum Christo capiti in unum corpus uniti, & tum in ipsius mortem per baptismum sepulti, tum per eius spiritum vivificati, semper à regno peccati & Sathanæ in regnum iustitiæ & Christi cum ipso Christo resurgant. 2. Cum Christo capiti a mortuis resurgenti sese firmiter copulantes, una cum illo à mortuis etiam a terra, per certam, de suorum corporum resurrectione, spem, ad æternam vitam ascendunt, id est, cum certa spe suorum etiam corporum è terra & pulvere æternam ad vitam resurrectionem, idque propter spiritum Christi, per quem, Christo à mortuis excitato, & in cœlo apud Patrem sedenti, inseparabiliter sunt coniuncti, firmiter exspectant, ut quoniam vident, se iam in carne Christi resurrexisse, in sua etiam propria carne, quasi iam cum Christo resurrexisse, in cœlos ascendisse & apud Patrem sedere, sibi omnino videantur. Ad quos 2. modos illud Pauli pertinet *Eph* 2. Et vos cum essetis mortui delictis, &c. sed Deus qui dives est in misericordia, cum essemus peccatis mortui, convivificavit & conresuscitavit, & consedere fecit in cælis, in Christo Iesu, cui s. Christo Iesu, tanquam capiti (ut in calce primi capitis dixerat) coniuncti sumus. 3. Cum per spiritum Christi renovati & Christo coniuncti, ab amore rerum terrenarum ad amorem cœlestium, à terrenis affectibus & desideriis ad cœlestes affectus & desideria per novam vitam ascendunt, ipsique in cœlis versantur, exspectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei, ut qui in captivitate cum Christo mortui & consepulti fuerunt, cum eodem etiam in novitate vitæ ambulent. Atque ad hunc modum pertinet illud *Rom.* 6. Quicunque in Christum baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo in mortem, ut quemadmodum Christus resurrexit per gloriam patris: ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Et illud *Col.* 3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite. Atque ita tribus modis veri filij Israel ascendent è terra spiritu. Hæc enim est prima resurrectio de qua *Apoc* 20. Beatus, qui habet partem in resurrectione prima.

19. Anima vero ascendunt, cum illorum animæ à corporibus solutæ in cœlestem gloriam evolant, ut sint cum Christo, de quo *Phil.* 1. Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.

20. Postremo vero ascendunt cum tandem corporibus etiam revera a mortuis a terra, in qua diu iacuerunt, excitati, ad gloriosam vitam resurgent, atque in cœlum ascendent, idque propter spiritum Christi, quo Christi sui in cœlo assidentis corpori, nobiscum tamen coniunctus est, ut capiti membra. Hinc illud *Rom.* 8. Qui suscitavit Iesum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra propter spiritum eius, qui inhabitat in vobis. Et ubi fuerit cadaver, illuc congregabuntur & aquilæ.

21. Proinde, si filij Israel spiritu & corpore ascendent è terra, proprium igitur filiorum Israel, qui Christum sibi in caput per fidem elegerunt, est, spiritu semper à terra in cœlum ascendere, tunc & animis corpore solutis in cœlum ascendant & tandem, corporibus etiam è terra excitatis, ad æternam vitam resurgant.

22. Dicit autem in futuro, *Ascendent*, scilicet post Messiæ adventum. 1. Quoniam, quo ad spiritum, etsi veteri quoque testamento veri Israelitæ spiritu ascendebant in cœlum eo, quo declaravimus, triplici modo. Hic tamen ascensus peculiari & speciali quodam modo convenit veris Israelitis in novo testamento, postquam peracta satisfactione, & Christo à mortuis excitato & supra cœlos evecto, largius & abundantius super filios Israel in novo testamento, quam antea in veteri effusus est spiritus sanctus, ut *Ioan* 4. Nondum Spiritus sanctus erat datus, quia nondum Iesus fuerat glorificatus, & quodammodo illi acceperunt spiritum servitutis, nos vero spiritum adoptionis. 2. Ait, *Ascendent*, Quoniam ante Christi adventum nemo vel animo vel spiritu a corpore soluto in cœlum, id est in perfectam gloriam, sed tantum in sinum Abrahæ, id est in certam quietem ascendit, vel corpore è terra excitato non amplius moriturus resurrexit, & in cœlum ascendit. Sed tamen illud, (de communi & saniore patrum sententia) quam hoc usque ad tempus post Messiæ adventum dilatum fuit, ut illi non sine nobis (ut est Heb. 11.) consummarentur. Nunc vero & illorum animæ cum Christo ad meliorem gloriam ascenderunt, & nos filij Israel, soluti à corpore animis, confestim ad meliorem gloriam & quietem quam patres in veteri testamento, in cœlum ascendimus de terra. In fine vero seculi corporibus etiam è terra excitatis tam illi, quam nos perfectissime consummati ad plenissimam gloriam ascendimus.

Filij ergo Israel post Christi adventum & quo ad ascensum per spiritum, singulariori quodam & præstantiori modo ascendunt è terra, quam antea, & quo ad animas à corporibus solutas vere in cœlum ad meliorem quietem ascendunt, quam antea & quo ad corpora à mortuis excitata & non amplius moritura, omnino, id quod antea negatum omnibus fuerat, ascendunt.

23. Ascendent (inquit Propheta) post adventum Messiæ, quoniam magnus, scilicet tunc erit, dies Iezreel, id est, veri & sancti seminis Dei, nempe veri Israelis, tanquam maturi, in horrea cœlestia colligendi. Ergo causa cur in veteri testamento pauci illi veri Israelitæ, non (ut declaratum est) ascenderunt è terra: nunc vero in novo testamento ascendant, est quoniam tempus illud non fuit magnus dies Iezreel in horrea scilicet cœlestia colligendi. Sed nunc, postquam venit Christus in tempore plenitudine, (ut loquitur Paulus) est ille dies magnus Iezreel.

24. Nomine enim Iezreel, quod semen Dei significat, sicut antea intellexit Propheta impios & adulterinos Israelitas, quia semen erant Dei, sed adulterinum, seu, quia erant semen iræ Dei. Ita hic mutata significatione, intellexit pios & veros Israelitas, quia semen sunt Dei legitimum, seu, quia sunt semen animæ Dei, ut postremo versu huius capitis patet. & sicut etiam versu sequenti facit in aliis duobus nominibus *Lo Ruckamah* & *Lo Ammi*, ea vertendo in *Ruckamah* & *Ammi*.

Hæc autem significationis nominum è mala in bonam mutatio symbolum fuit, mutatam iram Dei in misericordiam propter Christum seu (ut Paulus loquitur) *vetera transiisse & nova facta esse omnia*, post Christi adventum.

VERSVS TERTIVS.

Dicite.

Sicut proprium materialis ignis est, calorem & lucem, quibus præditus est, ad res sibi vicinas emittere, & illis communicare: ita proprium est filiorum Dei officium, Euangelij lucem eandem, qua illustrati sunt, sibi proximis communicare & eodem divini amoris igne, quo ipsi ardent, alios quoque inflammare. Iure ergo superioribus duobus versibus hunc tertium subiicit, ubi hoc officium esse verorum filiorum

Israel

Israel, qui misericordiam consecuti, & facti ex non populo populus & ex filiis Sathanæ filii Dei, a regno Sathanæ in regnum Christi ingressi sunt docet ne ope cuncti, tum ve bis Euangelii, tum etiam prædicationum, quibus possunt, charitatiuo fratres & proximum in regnum Christi, vbi eiusdem secum felicitatis fiat particeps, introducere. & per consequens, regnum Christi pro sua virili amplificare.

Cùm enim ait, *Dicite fratribus vestris*, perfectam mandat filiis Dei, beneficiorum Dei per Christum in humanum genus ad omnes prædicationem. Ea autem constat non verbis tantum nudis, sed etiam externis, cum opus est, officiis pietatis et quod verbis prædicatur, factis etiam confirmetur.

2 Non ait, Dicite tantum semel & iterum, sed absolutè, Dicite. Ergò indicat officium hoc semper esse faciendum, id est, Euangelium quotidie prædicandum, & a beneficiorum Dei prædicatione non [illegible] in finem vsque seculi, donec omnes electi in regnum Christi ingrediantur, prorsus esse cessandum.

3 Neque ait, dicite clam vel palam tantum, sed absolutè, dicite. Ergò indicat, hoc officium, & publicè & priuatim, prout res ne cessitas & occasio postulat, esse faciendum ac proinde non tantum priuatas exhortationes, sed etiam publicam Euangelii prædicationem hic mandari.

4 Neque ait. Dicite hic vel illic, sed absolutè, dicite. Ergò indicat, vbique hoc officium esse faciendum, & vbique fratres ad regnum Christi incitandos.

5 Ait autem in Imperatiuo Dicite. Ergò indicat, hoc officium esse filiis Dei debitum, & a Deo mandatum vt quisq. proximum suum ad regnum Christi tùm factis existimulet.

6. Vnum est enim duntaxat præceptum in regno Christi, omnibus ciuibus, id est, filiis Dei datum: præceptum omnium syncerissimum in Deum, tum in proximum, charitatem seu amoris, vt Christus & Apostoli testantur.

7. Hæc autem tum erga Deum tum erga proximum, charitas exigit, tam factis, quam verbis curemus, vt & gloria Dei promoueatur regnúmque Christi dilatetur & proximus, qui fratris loco habendus est, si extra regnum Christi sit, ingrediatur ac eiusdem salutis, cuius & nos sumus, particeps fiat: si in regno Christi sit, in eo conseruetur & retineatur. Vtrumque enim verè cum erga Deum, tum erga proximum, charitatis officium est.

8 Mutatio nominum ex Lorochama in Ruchama, & ex Lo Ammi in Ammi, sicut etiam de mutatione significationis scilicet dictum est, indicat mutatam esse iram Dei in misericordiam, id est Deum esse populo per Christum reconciliatum, & omnia facta esse omnia a Deo, vt ait [illegible].

9. Hoc ait autem, id quod mandat & vult Deus, vt per illos, qui in regno sunt, aliis omnibus annuncietur, ijque in hanc finem, vt alij quoque, qui foris sunt, exstimulati hoc bonum nuncio accedant ad regnum, dicendo Dicite, cuius mandati hic est sensus. Tametsi quondam ego vos omnes ex Lo Ammi feci Ammi, & ex Lorochama, feci Ruchama, imò filios Dei, & iam vos ingressi estis in regnum meum. Curate igitur, vt alij quoque hoc bonum & laetum nuncium intelligant, ne illis esse placatum: accedant igitur ad regnum. Itaque illis dicite. [illegible] *Vos estis populus meus*, ait Dominus, *vos estis Ruchama*. Igitur redite ad regem vestrum. Quo etiam vobis annuncio gratulamini, quòd iam facti populus meus, & huius [illegible] beneficij commemoratione vos inuicem ad maiorem profectum hortamini.

10. Mundus igitur, quo exstimulandi sunt electi ad deserendam [illegible], mundum hunc, regnum diaboli & obsequium eius, & ad redeundum ad Deum, ingrediendúmque in regnũ Christi & in eius obsequio se continendos, prædicatio est & fides Euangelii. Et acrius stimulus nullus esse potest, quam hæc nobis seu certa persuasio, quòd qui eramus propter nostra peccata non populus, per Christũ facti sumus populus, & qui eramus nostris natura Lorochama, facti sumus per Christum Ruchama filij Dei & hæredes regni.

11 Prædicatio hæc vos estis Ruchama, continet 1. peccata nostra, cum ira Dei peccatis nostris debita. 2. legem legisque ad iustificandum impotentiam. 3. salutem nostram per misericordiam Dei, & merita Christi.

Peccata nostra & iram Dei peccatis debitam. Quia, si misericordiam consecuti sumus. Ergò eramus digni supplicio. Supplicium verò non debetur, nisi peccato.

Legem & legis impotentiam. Quia, si misericordiam consecuti. Ergò & legis transgressores fuimus, & per opera legis non potuére peccata nostra deleri. Salutem verò partam per misericordiam Dei, & per merita Christi. Quia, si misericordiam consecuti sumus, cum antea Deus esset nobis iratus, & nos Lorochama. Ergò per aliquem, cui Deus non erat iratus, & qui non erat Lorochama placatus fuit Deus, vt fecerit nobis misericordiam. Hic solus fuit Christus.

Ergò prædicatio hæc docet 1. quid simus nostrapte natura, nempe peccatores ac digni supplicio. 2. Quid potuerit lex non iustificare nos, ideò opus erat misericordia.

3. Quòd simus per Christum misericordiam consecuti, & facti populus

[illegible] summa, Præscribit hic Deus mandatum vnum, quod & vult esse perpetuum, omnibus filiis Israel, qui ingressi sunt regnum Christi: mandatum nempe charitatis. Charitas autem exigit, vt diligamus primum Deum supra omnia, ideóque eius gloriam & regnum prouehamus. Deinde proximum sicut nos ipsos, ideóque optemus et & simul curemus eam salutem, quam nos quoque consecuti sumus. Vtrumque præstatur, cum ea animo alios habemus pro fratribus & iuuamus ad regnum Christi, dicendo, *Venite ascendamus ad misericordiam Domini: quia vos quoque estis populus meus*, ait Dominus, & licet antea propter peccata vestra essetis reiecti: nunc tamen propter Christum estis misericordiam consecuti.

CAPVT II.

Vers 4. Disceptate cum matre vestra.

SIcut prima, ita etiam hæc altera cócio, ad Israelitas, id est decem tribus pertinet, & est eius explicatio superioris. Constat autem illis tribus partibus quibus & prior: 1. obiurgatione peccati. 2. communicatione iræ Dei contra peccatum. 3. promissione gratiæ in regno Christi pro remissione peccati. Duo prima, peccati reprehensio, & iræ Dei comminatio, continentur versu 4. & reliquis, vsque ad versum 15. Tertium verò, id est, promissio gratiæ, continetur versu 16. & reliquis in finem vsque capitis.

ARGVMENTVM.

DOcet, non esse, cur Israëlitæ debeant cum Deo expostulare, quòd illorum matrem synagogam repudiando ipsorum quoque singulos hac infamia nota, quod sint ex scortatione nati, adsperserit. Totam enim huiusce mali & infamia caussam, in ipsorum matre hærere, apertam nimirum & indesinentem scortationem, vnà cum intolerabili erga Deum ingratitudine coniunctam. Ea vero, qua, & quanta sit, explicat. Tollat ergo, ait, a sua facie suas scortationes, id est, desinat scortari, alioqui se neque maritum, neque plus parentum, atque tandem denec rebus omnibus spoliata egregie tota, atque in desertum abducta, non possit amplius scortari. Quòd vero hoc non ex odio, sed amore faciat, docet subiecta promissione: nempe vbi benè castigata illa resipuerit, se quoque eam rursus ad se recepturum, sibique rursus in carissimam coniugem desponsaturum: non solùm restituens, quæcunque ei ademerat, bona, sed multo pluribus etiam et liberaliter donatur.

Hoc est argumentum & summa totius huius concionis.

In duas igitur secatur partes.

Prima continetur v. 4 vsque ad vers. 15. In hac continetur, caussam totius mali & infamiæ singulorum Israelitarum, esse publicam totius synagogæ Israeliticæ idololatriam, & ingratitudinem à quibus duobus sceleribus, nisi se sua sponte contineret, præter reiectionem a matrimonio, grauiora etiam sentiret Dei flagella. Continet ergò prima pars. 1. idololatriæ & ingratitudinis Israelitarum obiurgationem. 2. grauis iræ Dei aduersus populum, nisi resipiscat, denunciationem.

Secunda pars continetur v. 16. & reliquis in finem vsque. Hic habemus dulcissimam promissionem, quòd Deus, vbi benè castigarit, ideóque purgauerit Ecclesiam Israeliticam, eam rursus sibi in carissimam coniugem desponsabit in fide, & misericordia, & miserationibus.

Litigate cum matre vestra.

Quos hic alloquitur? Ionathas Chaldæus sentit, Prophetā alloqui pios Israelitas in regno Israel, de quibus in tribus versibus præcedentibus, vt sit sensus. Vos, ô veri filij Israel, qui in regno Christi estis, (pro, eritis) accusate matrem vestram synagogam, & ei dicite, quòd non sit occupata in cultu meo, & verbum meũ non acceperit. Hoc est enim non esse amplius vxorē, deserere scilicet cultũ Dei & eius verbũ. Sic Hieronymus, sic Lutherus, secuti hāc interpretationem. Sed, de aliorũ sententia quæ quidem mihi non displicet, alloquitur filios Israel præsentes. Et referendus est hic versus non ad tres immediatè præcedentes, vbi promissio, de futuris post illum populum tempore Christi reliquiis colligendis, habetur. Sed ad reliquos superiores, in quibus præsens populus Israel repudiatur hoc modo. Dixerat, repudiatum hunc populum Israeliticum repudiari à Domino, ne amplius sit ei populus.

Huic conclusioni duo tacitè obiiciebant hypocritæ. 1. Si repudiat nos Israelitas, nec amplius sumus eius populus, irrita ergò erit promissio Abrahæ facta, de semine arenæ maris multiplicando, & de Ecclesia Dei conseruanda.

Huic obiectioni per occupationem respondit Propheta in superioribus tribus versibus, vt vidistis. Et quoniam complementum illius promissionis Abrahæ factæ, retulit Propheta in tempus Messiæ, tunc scilicet impletum iri promissionem in futuris temporibus Israel, cùm veniret Messias.

Ideò alterum obiectum hoc fuit, fidem dedit, se perpetuò futurum nostrum Deum & nos eius populum. Iam Deus (vt ait) repudiat hanc Ecclesiam, quam acceperat in matrimonium, & dùm hoc facit, singulis nobis, qui ex hac Ecclesia tanquam ex matre nati & ab ea educati sumus, ignominiæ infamiæque notam inurit. Quæ est igitur hæc crudelitas Dei? vbi eius fides? vbi amor erga suam vxorem & liberos? Fuit hæc altera hypocritarum obiectio contra conclusionem Prophetæ, vel potiùs quædam expostulatio cum Deo.

Prophetæ igitur huic alteri obiectioni per occupationem respondet & vt maiorem vim habeat responsio, introduxit Deum respondentem, & dicentem *Litigate cum matre vestra*, id est, examinate, expostulate cum illa, non mecum, de ista infamia.

Matris nomine intelligit Propheta totam illam Israeliticā Ecclesiam (vt aiunt interpretes) vniuersum simul populum seu totum genus Abrahæ. Totum enim illum populum sibi in vxorem desponsauerat.

Filiorum autem nomine quibus ait, *Litigate cum matre vestra*, intelligit singulos Israelitas. Erant enim illorum singuli illius Ecclesiæ filij, quia ab ea nati, ab ea in religione educati & instituti.

Interpretationem hanc non possum impugnare, sed tamen sentio matris nomine venire seniores, & maiores natu in populo, atque in primis vtrumque magistratum ciuilem & ecclesiasticum, qui Ecclesiam totam regebant. Filiorum verò nomine venire Prophetæ subditos, qui ab illis magistratibus, tanquam filij à matre, in religione instituebantur & gubernabantur.

1. In scripturis enim illi, qui alios, in religione præsertim instituunt, patres & matres appellantur. Qui verò instituuntur & quasi in Ecclesia generantur, filij. Exemplum. Paulus vocat se patrem, 1. Corin. 4. *Non habetis multos patres*. Item, *Per Euangelium ego vos genui*. Gal. 4. se vocat matrem, dicens. *Filij quos iterum parturio*. id quod est matris.

2. Ij reuera repræsentant Ecclesiam, Magistratus ciuilis & maximè Ecclesiasticus. Et etiamnùm patres vocamus Doctores & Episcopos, qui Ecclesiam gubernarunt, suísque doctrinis erudierunt, & quasi nos in ea generarunt. Sic in Papatu loquuntur impetiti: *Sequimur religionem & cultum, in quo nos genuit mater Ecclesia*, id est, maiores nostri atque in primis illi, qui regunt.

Refertur ergò nomen matris 1. Ad omnes natu maiores tàm defunctos, quàm superstites, qui eandem religionem sequuntur, & in qua suos filios instituerunt & instituunt. 2. Præsertim verò ad vtrumque magistratum, qui reliquos in religione & moribus instituunt gubernántque.

Nomen verò filiorum refertur ad singulos, sed imprimis ad subditos, etiam ad pios, quatenùs ij connumerabantur in populo, & ad illos quoque deriuabatur hæc infamia publica, quod filij Israel erant filij scortationum, ex matre scorto nati.

Et quidem ita intelligi debere matrem, hoc loco patet, si quis, quid agat hic propheta, consideret. Hic reuera in primis perstringit vtrumque Magistratum, cum ait, matrem esse scortum duplicis scortationis. Quarum vna erat in religione, ipsa idololatria: altera in politia, confœderatio cum idololatris cum regibus Syriæ, quibus acceptam ferebant regni conseruationem.

Si quis tamen velit nomine Matris intelligi vniuersam Ecclesiam simul. Nomine verò filiorum, singulos seorsim, non prohibebo. Quid igitur nomine matris & filiorum intelligat Propheta, habemus. Nunc videamus, quid respondeat Dominus filiis secum expostulantibus.

Litigate, inquit, *cum matre vestra*.

Summa responsionis est, Litigate cum vestris maioribus, atq. imprimis cū vestris magistratibus, ciuili & ecclesiastico, qui vos in istâ religione instituerunt. Totum enim malum ab illis proficiscitur. Nam ipsorum erat, fidem Deo datam seruare, id est, religionem puram retinere, non autem inire fœdus cum gentibus idololatris. Hi verò caussa fuerunt, cur tota ista idololatria sit introducta in regnum.

Summa verò responsionis ad expostulationem est. Nullus maritus reprehendi iure potest, si vxorem ob sua adulteria repudiet & per consequens, si inde nota infamiæ filiis inuratur. Atqui ego non repudio matrem vestram, nisi propter suas fornicationes. Itaque non ego vos singulos vlla infamiæ nota aspergo, sed ipsa. Ergò huiusce repudij & huius vestræ infamiæ caussa, non in me, sed in matrem vestram transferenda sit. Quòd verò illa sit fornicaria, res est omnis aperta ita vt etiam totus externus ornatus sit meretricius, vt mox explicabo. Habet enim fornicationes etiam in facie, & in vberibus ipsis.

Nec solum est fornicaria, sed etiam ita ingrata vt quæcunque bona a me accepit ea ac opera ferat non mihi sed suis amatoribus, & idololatris gentibus. Hinc perspicuum fit, me non vos repudiare temerè pro meo arbitrio, quasi vos sine caussa fastidiens, sed iure optimo. Quòd verò neque ex odio faciam, hinc manifestum fit. 1. Etsi diuortium cum ea factum sit, ego non eam spolio rebus, quas à me accepit, vt possum iure meo facere, & faciam, nisi resipiscat. Deinde si mater vestra resipiscat, ponatque suas fornicationes. Ego rursus illam ad me recipiam & desponsabo in perpetuum. Quæ cum ita sint, quid ergò mecum iurgamini? quid mecum importunè litigatis? quid mihi obstrepitis? Litigate litigate cum matre vestra illa. verbi Litigate, repetitio indicat Israelitas nimis importunè & impudenter conquestos de Deo, quasi ipse sit culpandus, quia eos reiecit, cum in ipsis totius mali sit culpa.

Locum hunc Hoseæ explicat quidem similis locus apud *Isaiam*. 50. Sic dicit Dominus, Vbi libellus iste repudij matris vestræ, quam repudiaui? aut quis creditor, cui vendidi vos? Ecce propter iniquitates vestras estis venditi, & propter vestras transgressiones, repudiata est mater vestra. Quasi dicat, Non repudiaui matrem vestram, istum populum vniuersum, illam Ecclesiam, temerè pro meo arbitrio, sine caussa, iniquè, sed iusta de caussa, nempe propter vestras transgressiones. Confer hunc locum Hoseæ cum illo Isaiæ, & locus Prophetæ erit perspicuus.

Litigate cum matre vestra Quasi dicat. Expostulate cum illa, quare? quia scilicet sua fornicatione & ingratitudine effecit vt a me re pudietur, & ita vestrum singulis sit infamea.

Hic ergò est obiurgatio peccati, non solum idololatriæ, sed etiam intolerabilis impudentiæ & calumniæ in Deum, quòd cum ipsi Israelitæ sint in caussa, suis idololatriis, vt reiiciantur à Domino, tamen audent etiam obstrepere Domino, & eum accusare iniustitiæ, quòd eos reiecerit. Litigate, inquit, litigate impuratores & adulterini filij cum matre vestra, non mecum.

At nonne etiam superiore concione ostendit initiò in populo fuisse iustam sui reiiciendi caussam. Quia defecit à Deo & adulterata est terra. Quorsum igitur nunc idem rursus ostendere? Resp.

Supra omninò ostendit hoc & docuit, populum fornicatū esse & fornicari. 2. meritò ergò populum reiectum à Domino. 3 propter pios promisit spem veniæ. Verum, quia adhuc videbat, permultos in suis vitiis obstinatos & excæcatos, vt etiam putarent, se iniustè à Deo reiici, infestare Ecclesiæ titulo. Ideò iterum voluit Propheta illos obiurgare & Deū iustificare. Colligimus ergò, eadē peccata sæpè esse obiurganda, quò homines confundantur & Deus iustificetur in suis iudiciis. Solent enim hypocritæ, cum vident, se aliter tractari à Domino, quam sperabant & volebant, se excusare, & Deo litem intendere. Sunt ergo illorum peccata in lucem sæpius proferenda, vt Deus iustificetur. Hæc est caussa, cur idem fecerit Propheta noster *Litigate cum matre vestra, litigate: quia ipsa non est vxor mea nec ego maritus eius.*

Quomodo non ideò maritus, nec illa vxor? Propheta indicat, subdens. *Tollat fornicationes*. Ergò fornicationes populi in caussa sunt, cur matrimonium inter ipsum & Deum dissoluatur. Caussa hæc aperta in scripturis. Non quælibet peccata, sed idololatria & reiectio verbi soluunt hoc matrimonium inter Deum & aliquam Ecclesiam. Ratio. Quia matrimonium hoc fundatum est in fide, quam & Deus dat Ecclesiæ & Ecclesia vicissim Deo, quòd nolit alium habere maritum quam Deum, & illius verbum sequi velit. Ergò Ecclesia Romana & quæcunque alia, quæ colit idola & verbum reiicit, ne glorietur nomine Ecclesiæ, quia matrimonium, id est, fœdus inter eam & eum ruptum est, quid enim est non esse amplius vxorem? Ionathas Chaldæus exponit. Et, non amplius esse occupatum in cultu Dei, & eius verbum deseruisse.

Quia non est ipsa vxor mea, nec Ego maritus eius.

Notandus ordo verborum. Non dicit, Quia non ego maritus eius, nec illa vxor mea, sed primo ait, Quia non illa vxor

mea

mea & deinde, Nec Ego maritus eius. Quid ita? Voluit ostendere Dominus, caussam huius diuortij non esse a se, sed ab vxore, seu matre filiorum Israel. Ideoque non esse, cur de hac sua infamia expostulent secum Israelitæ, sed expostulandum esse cum matre, quia illa prior suis fornicationibus reipsa desijt esse vxor. Ipse verò postea coactus est declarare palam, se non esse eius virum. Ergò cum sua matre, non cum Deo litigent. Maritus & vxor sunt seu duo capita matrimonij sunt: sic, si ab vtrouis horum duorum capitum incipiat fieri diuortium, seu caussa diuortij præbeatur, filij possunt & debent cum eo expostulare & ei infamiæ litem intendere. Iam diuortium hoc non habuit initium a Deo, sed a synagoga, hoc est, ab Ecclesia Israelitica. Ipsa inquit, non mea vxor, id est, sua idololatria desijt ipsa esse vxor.

Nec Ego maritus eius.

Id est, Ego vero coactus fui palàm declarare, me non esse eius maritum, quia nec illa est vxor mea. Ergo litigate cum matre vestra, non mecum. Quod si velit, vt sim ille maritus, tollat ergo fornicationes. Ideo sequitur,

Tollat igitur fornicationes suas.

Tria facit hac particula Deus.

Primùm, Tacitè affert caussam, cur synagoga non sit amplius eius vxor. Ea est, quoniam synagoga habet fornicationes in facie sua & in vberibus suis. Cuius loci duplex expositio esse potest. 1. vt, fornicationem habere in facie, sit cultum etiam externum & apparentem & manifestum, sicut est facies, habere idololatricum seu externa etiam colere idola. Fornicationem vero habere in vberibus, sit habere idololatriam intra cordis parietes latentem, vt vbera pro corde accipiantur, quia subtus illa est cor. Sed 2. mihi magis placet, vt scilicet, fornicationes habere in facie & vberibus sit more publicarum meretricum sine vllo pudore non solùm scortari, id est, idola colere, sed etiam talem idololatriam profiteri, defendere, venditare, talem artem tanquam vtilem & honestam exercere, & alios, ad eandem fornicationem variis ornamentis faciei & vberum, allicere. Comparat enim externum idolorum cultum (quia semper speciosus est & ornatus) ornatui meretricio, qui fere in facie & vberibus seu pectore adhiberi solet impudicis. Quasi igitur dicat. *Tollat suas fornicationes.* Quia quod mea non sit vxor, caussa est, quia synagoga non solum occultè, deserto Deo suo, colit creaturas, sed etiam palàm externo cultu, eoque speciolo, colit idola, idque pertinaciter ac sine vllo pudore facit, palam declarans, se esse fornicariam, & suæ idololatriæ signa vbique erigens, sicut meretrices in facie, & in vberibus, & denique in externis & speciosis cultibus, alios quoque ad secum fornicandum, id est, idola colenda, inuitant. Sic enim faciunt & publicæ meretrices, ad quarum ornatum alludit. Non solùm habent animum impudicum, sed etiam corpus prostituunt, nec id semel sed vt quamplurimos viros ad secum fornicandum alliciant, ornant se sumptuosiùs, quàm honestæ mulieres atque imprimis faciem fucant, lasciuis oculis viros intuentur, mamillas exornant, tumidasque efficiunt. Hoc pacto in facie & vberibus declarant suas fornicationes, hoc est, apertè indicant, se esse fornicarias, propterea dicuntur gestare fornicationes in facie & in vberibus. Sic etiam faciunt impudentes idololatræ, quales sunt Papistæ. Spectemus Papistas, illi declarant hunc Hoseæ locum, quid scilicet sit fornicationes habere in facie & vberibus. 1. Animum habent impudicum, qui cultum interiorem, quem Deo debent, deferunt creaturis & sanctis demortuis, fiduciam, inuocationem, adorationem. 2. Hinc sequitur externa idololatria, conuertunt se ad idola & imagines, & ante eas se prosternunt. 3. Vt etiam ipsi & alij incitentur ad eas colendas, eas ornant, eas passim erigunt, colunt, & ad eas colendas illis ornamentis & luminaribus adhibitis, suffitu & aliis magica reliquos inuitant. Quid annon hæc sunt ornamenta meretricia annon hoc est gestare fornicationes in facie & vberibus? 4. Si admoneas illos, hanc esse artem meretriciam, hæc esse ornamenta idololatrarum: desinant igitur se prostituere ante idola, desinant retinere imagines in templis, & præsertim talibus ornamentis vestire, more impudicarum meretricum impudenter & pertinaciter reclamant, se esse honestas mulieres, esse catholicos, se non colere idola, ornatum esse honestum, se velle retinere eum cultum, quem à suis maioribus secuti sint, & à maioribus acceperint. Annon hæc sunt propria impudicarum meretricum testimonia? Istis enim suis ornamentis volunt agnosci, quales sint, & palàm hanc idololatriam profitentur & defendunt. Sic faciebant Israelitæ, id quod patet ex historiis, si legas à 3. Reg. 12. vsque ad finem quarti Regum, & libros Paralipomenon, & Prophetas.

Tenemus quid sit fornicationes habere in facie. Hoc igitur est primum quod Dominus hic facit, dicens. *Tollat fornicationes suas.* Caussam assignat, cur factum sit diuortium, quia scilicet fornicationes habet in facie & vberibus, id est, quia nimis impudica est meretrix, vt etiam externo ornatu meretricio impudenter declaret, quanta sit.

Alterum, quod in verbis facit, est exhortatio Hoseam, vt resipiscat, dicens *Tollat ergò fornicationes.* Quasi dicat, incipiat tollere externam & nimis apertam idololatriam si vult haberi ab hominibus pro vxore mea. Quis enim dicet, hanc synagogam esse meam coniugem, & non potiùs publicum scortum si illum meretricium cultum retineat, & ostendet, si spectas fornicationes in facie & vberibus gerat. Tollat igitur fornicationes suas. Sic etiam dicimus Papistis Tollant tantum fornicationes a facie & vberibus, id est, idololatrias apertas & manifestas. Tunc non verebimur illam Ecclesiam appellare sponsam Christi & matrem nostram, sed quandiu retinent has fornicationes tam apertas, quomodo bonus Dei filius audebit illam appellare honestam Christi sponsam. Sed illi, vt impudica scorta, ad hæc occalluerunt, vt omnium admonitiones contemnant.

Tertium, quod agit in verbis Deus, est declaratio, quòd non ex odio personæ synagogam repudiarit, sed propter fornicationes. Cùm enim ait, *Tollat igitur fornicationes suas*, est ac si dicat. Resipiscat, tollat caussam diuortij facti & ego eam mihi rursus desponsabo, vt postea explicat in promissione, quæ sequitur vers. 19. Non ergò ex odio personæ, sed propter fornicationes eius repudiaui matrem vestram. Hinc sequitur conclusio principalis. Nihil igitur est, cur debeatis, ô Israelitæ mecum expostulare, sed vobis litigandum est cum matre vestra, quia ipsa in caussa est sua impudentia, cur factum sit diuortium. Ergò litigate, litigate cum matre vestra.

Non celabo vos, quomodo aliter etiam possit exponi locus iste: *Tollat fornicationes à facie & vberibus suis.* Sic simplicissimè Tollat è conspectu suo omnes fornicationes, id est, idola & omnes superstitiones ac illicitos cultus. Persistit enim in metaphora meretricia. Scimus autem, in scripturis, iuxta legem Dei, fornicationis nomine venire, non solùm turpem actum in pudendis mulieris, cùm viro non suo, sed etiam omnia oscula illicita in facie, & illicitam mamillarum contrectationem. Non nominauit fornicationem, quæ in pudendis fit, modestiæ & honestatis gratia, sed eam, quæ fit aliis illicitis actionibus, præsertim osculis in vultu, & mamillarum contrectatione. Hæc enim duo frequentissima sunt in adulteris & fornicariis. Sic spiritualiter, Fœdissimus omnium actus fornicationis est, cùm homines sese, instar meretricum, prostituunt ante idola ea adorant, inuocant, sese eis subijciunt. Fornicatio verò in facie & mamillis est, cùm delectamur habere idola, & intueri & adornare, & contrectare, eis caput etiam aperire honoris caussa. Sensus igitur est. Tollat è conspectu suo omnia idola, omnes superstitiones, & idololatrias vel minimas.

Tres hic sunt conclusiones.

1. Quòd propter synagogam Israeliticam repudiatam, Israelitis inuritur infamiæ nota, quòd sint filij & fornicatione nati, non debent ipsi cum Deo, sed cum sua ipsorum matre expostulare.

2. Ipsa enim mater diuortij caussam præbuit, non Deus, imò ipsa prior desijt esse vxor Dei.

3. Caussæ hæ fuerunt & [illegible] nimis apertæ & intolerabiles illius fornicationes. Ita hic est accusatio peccati. Sequitur comminatio pœnæ.

3. *Ne expoliem eam nudam.*

Ne expoliem & nudam eam relinquam, redigamque ad eam miseriam & sordes, in quibus erat, cùm eligeretur. *Et ponam eam [illegible] desertum & terram siccitatis*, (id est, terram aridam, vbi nihil esculentorum & poculentorum) Et *nudam* (id est, penitus) faciam eam *siti*. Continuat cum superiore versu sic. Tollat fornicationes, ne eam expoliem.

Quatuor autem facit Propheta hoc versu.

1. Hortatur populum ad pœnitentiam, seu ad tollendas idololatrias idque ab alia etiam pœna, præter diuortium iam factum, comminatione. Adhuc enim alias illam minatur pœnas, nisi mature resipiscat. Nam cùm ait: *Tollat, ne spoliem*, est ac si dicat Dominus. Nisi tollat, Ego præter diuortium factum, eam expoliabo prorsus omnibus ornamentis, quæ à me accepit illi post diuortium etiam factum pro mea bonitate reliqui. Ornamenta autem hæc erant, hominum multitudo, species regni, potentia, vires, opus diuini cultus, præsens Dei fauor. Ait ergò, *nisi tollat fornicationes, Ego eam expoliabo prorsus, & nudam relinquam.*

2. Dùm hortatur illos ad resipiscentiam docet consequẽter, paratum esse illis ignoscere, cùm enim ait: Tollat ne spoliem, est, ac si dicat, Si tollat fornicationes. Primùm, Ego eam non spoliabo: deinde redibo in gratiam, vt postea apertius dicet. Facit ergo his verbis populo spem veniæ.

3. Dùm, nisi resipiscant, alias pœnas minatur, dicens: Ne spoliem, indicat, se non fecisse diuortium ex odio, quia, si ea odio, eam spoliasset prorsùs.

4. Imo iis verbis etiam indicat, se in diuortio faciundo clementiorem fuisse, quàm ius ipsum diuortii exigebat. Cùm enim ait: Tollat fornicationes ne spoliem, est, ac si dicat. Alii mariti, cùm diuortium cum suis vxoribus faciunt, præsertim propter talem caussam, qualis hæc est, scilicet propter fornicationes, eas etiam prorsùs pro suo iure optimo exspoliant: nimirùm rebus illis omnibus, quas à maritis acceperant, & ita exspoliatas easd dimittunt nempe sine dote (tũc enim mariti dotes dabant vxoribus) sine annulis & donis coniugalibus, & sine omni prorsus ornatu, non dant eis amplius panem & vinum & alia, quæ ad vitam sustentandam faciunt, sed quales erant, cum venerunt in ædes mariti, tales etiam eas dimittunt. Hoc enim exigit ratio & ius diuortii.

Atqui Ego cum matre vestra diuortium faciens, eam non spoliaui, non dimisi talem, qualis erat, cum illam duxi in vxorem id est nudam: sed reliqui ei vestimenta dona coniugalia, dotem, vnde viuat. Cur hoc? pro mea indulgentia. poteram vti iure meo, sed nolui quia clemens sum.

Non est ergo cur, quia diuortium feci cum matre vestra debeatis mecum expostulare, cum etiam illa caussam diuortii præbuerit iustissimam & ego clementior in illam fuerim, quam ius diuortii postulabat.

Contrà vero, etsi reliqui ei dotem & alia omnia: ipsa tamen pergit in suis scortationibus. Ergo litigate cum matre vestra non mecum. Et tollat fornicationes, alioquin eam prorsùs exspoliabo.

Hæc quatuor voluit Dominus concludere verbis istis, *Ne nudam reddam, & eam exspoliem.*

Et ponam eam secundum diem natiuitatis suæ.

His sequentibus verbis meliùs explicat quod ante dixerat: *Ne exspoliem eam nudam.* Cùm enim quis nascitur prorsùs nudus, vt Iobus dicit ait *Nudus egressus sum de vtero matris meæ.* Significat ergò, ne prorsùs spoliem rebus omnibus vestimentis, ornamentis, esculentis, poculentis omnibus, & fiat, vt desertum in quo nihil boni oritur, & arida terra & pereat siti. Sed singula verba discutiamus.

Et ponam eam secundum diem natiuitatis.

Sensus est. Ne redigam eam in eas miserias extremas, in quibus erat, cùm nata est. Nam quis est dies natiuitatis populi huius? Est dies seu tempus, quo ex Ægypto liberatus, natus est in nouum populum hoc est, in populum Dei sub lege. Vnde Exo. 4. *Dimitte primogenitum meum Israel* & Hos. 11 *ex Ægypto vocaui filium meum.* Ezech. 16. idem docet. Gal. 4. populum legis puero recens nato comparat, qui est sub tutoribus. Dies ergò natiuitatis populi, fuit tempus quo liberatus fuit ex Ægypto

Qualis fuit Israelitis ille dies seu tempus? miserum & calamitosum. Ezech 16. vbi hanc Prophetæ nostri sententiam fusiùs persequitur, hanc miseriam egregie depingit. Qualis enim conditio est pueri, cùm nascitur, talis describitur populus fuisse, cùm ex Ægypto liberaretur. Dicam aliqua, vt viam aperiam Studiosis plura cogitandi.

1. Nudus nascitur puer. Sic populus (& loquimur de toto corpore in hac collatione, semper enim excipiuntur reliquiæ 1. Quo ad spiritum, nudus donis cœlestibus & vera Dei cognitione, cùm educeretur ex Ægypto. 2. Quo ad reliqua, nudus facultatibus potentia, & gloria.

2. In sanguinibus inuolutus & totus rufus nascitur. Sic populus Israel totus peccatis inuolutus, & omnis generis sordibus, idololatriis, & aliis, contaminatus.

3. Incircũcisus nascitur puer. Sic populus Israel per omnia gentibus incircumcisis similis, cùm educeretur ex Ægypto.

4. Eiulans nascitur puer. Populus metu hostium continuo [illegible], quoties eiulauit, quid egressus esset ex Ægypto?

5. Imbecillis nascitur puer, qui ne muscæ quidem resistere possit. Populus imbecillis, impotens, sine armis, electus ex Ægypto cum magno animi cruciatu.

6. Sine iudicio, & cæcus nascitur puer. Populus tunc erat similis brutis & pecudibus, vsque adeò tunc destitutus iudicio & pietatis cognitione. Denique tũc fuit populus sine patria, sine regno, sine lege, sine sacerdotio, sine potentia, sine cibis, sine solo, miser, mancipium, seruus.

Annon hæc magna miseria? Maior, quàm quis credere possit. Dies ergò natiuitatis Israelis fuit tempus in quo ex Ægypto eductus, natus est in populum Dei sub lege. Dies vero ille, quàm fuerit ille miser, & populo calamitosus, patet ex Mose & Prophetis.

At verò cùm in tanta esset miseria populus ille tempore suæ natiuitatis quid à Domino accepit? Quia populus tunc fuit seu puella quædam nuda, pauper ignobilis. Primò Dominus eam elegit eum sibi in populum, & Ecclesiam suam constituit, fœdere legis inter se & illum inito ac firmato, eum, seu in sponsam, duxit: deinde eum vestiuit & ornauit egregiis ornamentis tùm spiritualibus, tùm temporalibus, legibus, eruditione, regno potentia diuitiis, omnium gloria & splendore: denique facta fuit omnibus populis & regibus mundi potentior gloriosior & beatior.

Cæterùm postea hæc, vt solent fere rusticæ & inopes mulieres ad gloriam & potentiam per maritum euectæ, oblita qualis fuerit ab initio, atque è quibus parentibus & in quantis sordibus nata, insolescere, atque in tam magna fortuna superbire cœpit & contempto Dei mariti suo verbo idola est prosecuta *Deuter* 32 Populus incrassatus, impinguatus, dilatatus, recalcitrauit.

Quid porrò faceret nobilis bonus & prudẽs maritus cum tali vxore? non solùm repudiaret illam propter fornicationem, sed etiam, si pergeret insolescere & scortari reuocaret illi in memoriam, suam primam natiuitatem, patrem è ignobilitatem, paupertatem, sordes & acriter obiurgans diceret? Quid tu rustica atque sordida mulier insolescis? [illegible] te natam ex parentibus bubulcis [illegible], pauperem, deinde iam tu misera Et nunc, quia Ego te è tam misera conditione in hunc felicem statum eueхi, videris tibi tanquam ex cœlo ad nos delapsa fuisse [illegible] contemtu insolescis, & fidem matrimonii violas, nisi desinas insolescere, & fidem seruaueris, exspoliabo te nudam & redigam te eum statum, in quo eras ante, quam te euexi in ad has diuitias & honores, & faciam vt memineris, te non semper fuisse talem, qualis iam es per me.

Sic Dominus facit cum sponsa sua Ecclesiæ Israeliticæ, quia è sordibus & sterore extracta, & in altum gradum, ac felicem fortunam euecta, insolescebat, & cum idolis fornicabatur. 1. Dominus eam repudiat, relictis tamen omnibus ornamentis, diuitiis & potentia 2. Quia illa pergebat insolescere, & fornicari, tunc Dominus acriter eam obiurgans, reuocat illi in memoriam, suam pristinam natiuitatem & miseriam, dicens, *Tollat fornicationes suas, ne exspoliem eam nudam, & statuam eam nudam secundum diem natiuitatis suæ.* Quasi dicat humilietur, agnoscat ruditatem suam pristinam conditionem, alioqui profectò Ego spoliabo eam, & redigam ad eam conditionem & miseriam, in qua erat, cum nata est Hic est sensus huius loci. Sequitur,

Et ponam eam sicut desertum) Vbi scilicet nihil boni nascitur. Alludit ad statum populi in deserto, cùm eductus est ex Ægypto miserrimus fuit.

Et ponam terram aridam) id est, aridam, vbi nihil aquarum.

Et potere faciam eam siti) id est miseriis omnibus. Est enim Synecdoche. Sed *Siti* dixit, quia melius exprimit miseriam. Faciliùs enim quis potest siti prospicere, quam [illegible] vbique enim aqua est. Ergò mori siti, testimonium extremæ miseriæ. Ergò his verbis exprimit melius miseriam, in qua erat populus, cum eductus fuit ex Ægypto. Igitur hæc verba faciunt ad maiorem explicationem illius particulæ, *Et ponam eam secundum diem natiuitatis suæ.*

Est igitur hic comminatio pœnæ, quæ in summa hæc est. Auferam nisi resipiscat, omnia, quæ à me accepit bona (accepit autem omnia; & quibus ipsa abutitur ad suas fornicationes & redigam ad illam pristinam miseriam, in qua prius erat, cum nasceretur.

Quomodo autem hæc impleta fuerint, patet. Nam synagoga Israelitica, tanquam puella concepta in Israel, gestata tanquam in vtero in Ægypto, nata in egressu ex Ægypto, educata in deserto, ducta in vxorem, cum fœdus legis cum illa iniit Deus in monte Sina, introducta sponsa in domum sponsi, cum introducta in terram Chanaan, vestita & ornata, ditata, cum copulis regibus dedit ei tot regna, potentiam, diuitias, gloriam, Sacerdotium. Adulterata est, cum adorauit idola, præsertim cum erant duos vitulos, factum diuortium, cùm eam reiecit, ne esset populus & sponsa sua. & ad conditionem primæ natiuitatis redacta, cum eam Dominus spoliauit per Assyrios, regno, potentia, & gloria, & libertate atque inter gentes expulit: relumpta in vxorem tùm cùm ex Babylone multis cum Iudæis rediesque, eúmque, post Christum eam recepit in gratiam, restituit regnum, cum dat vitam æternam, & alia quæ ad æternam vitam pertinent.

e 5

6. *Et filiis eius non prosequar misericordia, quia filii adulterini sunt.*

In hoc versu est & peccati reprehensio, & iræ Dei denunciatio. Superius occulauit matrem fornicationis, & nunc definit fornicari, & [illegible] est illi extremam miseriam. Nunc ne alii putent, se esse innocentes, [illegible] quæ à pœnis immunes fore, etiam illis [illegible] minatur dicens: *Et filiis eius*, id est, singulos, & præcipuè [illegible], qui à matre regnantur, & cum matre fornicaria habitant & viuunt, nati ex fornicatione. Non hic loquitur de filiis Israel, de quibus in versu 1. [illegible] qui futuri erant in regno Christi, sed de illis, qui tùm erant & futuri erant in ea Ecclesia adulterini, & impii [illegible]. Promissionem quidem gratiæ & de regno Christi, interposuit superioribus verbis, [illegible] ut aliquos, qui deficerant ad [illegible] & [illegible]. Verùm quia nondum tempus maturum aduenerat implendæ promissionis, & omnes pergebant peccare: igitur etiam ipse pergit minari. Ait ergò:

Et filiis eius non prosequar misericordia.

Illud *Et* continuat cum superiori hunc versum, hoc modo. Nisi mater ponat suas fornicationes è facie sua & adulteria ex vberibus suis, non solùm ipsam repudiatam spoliabo nudam, sed etiam filios ipsos non prosequar misericordia, id est, ipsos quoque repudiabo, ut filios non meos, id est, declarabo, non esse meos filios, & vna cum matre eos [illegible], redigam ad diem [illegible] natiuitatis, ponam [illegible] & faciam [illegible]. Hæc est pœna. Caussa verò duplex est. Vna subintelligitur [illegible], nisi mater ponat suas fornicationes. Altera exprimitur, cùm ait,

Quia filii adulterini sunt.

Id est, quia ipsi [illegible] singulis instituti sunt à matre, ab Ecclesia, à maioribus in falsa religione in cultu idolorum. Hæc est peccati reprehensio.

Caussa ergo prima cur filii quoque reiiciantur, ne sint id est, Dei appellentur filii, & communi matris inuoluantur, est in matre, id est, est communis totius Ecclesiæ, & præsertim magistratus & seniorum idololatria. Exemplum in Papatu. Quia tota Ecclesia illa est corrupta & fornicaria cultu idololatrico, ideo fit ut etiam singuli, qui in ea perseuerant Ecclesia sint reiecti & communi cæcitatis exitio inuoluantur.

At numquid propter idololatriam matris & parentum, filii quoque reiiciendi sunt & puniendi?

Resp. 1. Quo ad pœnas temporales absurdum non est, quòd etiam filii puniantur propter parentum peccata, quia cum filii sint partes parentum, quo ad corpus, dum puniuntur filii propter peccata parentum, puniuntur in eis ipsi parentes, ut alias declarauimus hanc quæstionem.

Sed quo ad pœnas æternas & spirituales, non puniuntur filii propter peccata parentum, nisi & ipsi filii peccata parentum imitentur. Iam filii illi de quibus loquitur Hoseas, puniuntur non solum propter peccata & idololatrias matris, quæ est totius Ecclesiæ in commune, sed quòd etiam ipsi communem & vulgarem matris idololatriam & abominationem sequuntur. Sed quòd & ipsi sint idololatræ, in caussa est mater, ut in Papatu, quòd subditi sint idololatræ, in caussa est sancta mater Ecclesia Romana in caussa sunt Papæ, Cardinales, Episcopi, Reges, Principes, maiores, qui sic subditos in falsa religione genuerunt, instituerunt, adhuc religionem falsam defendunt. Quod ergò & ipsi filii à Deo reiiciuntur & puniuntur, primùm in caussa est ipsa mater, hoc est, generalis totius Ecclesiæ idololatria: deinde ipsimet quoque filii, id est, singularis vniusque idololatria, qui matrem imitantur, ideò caussam secundam subdit dicens:

Quia filii adulterini sunt.

Caussa igitur secunda est. Quia filii sunt adulterini, id est quia nati, & geniti à matre adultera in ea religione idololatrica.

At numquid hæc est sufficiens caussa, ut quis reiiciatur & puniatur à Deo, quia in falsa religione fuit primùm institutus & educatus? Nónne & nostra fuimus in Papatu educati, instituti, & nati ex fornicatione?

Resp. Verum est quòd ita ex fornicatione in Papatu nati, & filii fuerimus adulterini & si mansissemus cum matre illa nostra adultera, periissemus cum illa. Verùm cum simus amplexi Euangelium, purum Dei verbum, renati sumus ex Deo Patre, per semen diuinum & incorruptibile, ut iam facti veri filii Dei, legitimi liberati quoque sumus ab exitio communi totius illius adulteræ primæ matris nostræ. Ideò non ait: Quia filii adulterini fuerunt, sed, Quia filii adulterini ipsi scilicet sunt etiamnum, nondum renati legitimi filii Dei.

Caussa igitur hæc, quam adfert Propheta dicens: *Quia filii adulterini sunt*, sufficiens est, quia sic intelligitur, filii sunt adulterini, & tales permanent in falso cultu cum matre sua adultera, eiusque idololatriam sequuntur.

Filii enim, qui cum matre adultera, & à marito propter fornicationes manifestas repudiata, & quæ continuant adulteria, manent, habitant & viuunt, an non & ipsi digni sunt, qui cum illa reiiciantur, declarentur pro adulterinis, & cum illa matre puniantur, & infames sint cum illa sua matre? [illegible] Ergò iusta caussa est, quam adfert dicens: *Misericordia non prosequar, quia filii sunt adulterini.*

7. *Quia fornicata est mater ipsorum.*

Qui locus non sic est intelligendus, quasi mater ipsorum sit fornicata, postquam ipsos genuit. Nam tunc ipsa quidem esset fornicaria, ipsi tamen filii non essent nati ex fornicatione, & ita non esset bona ratio. Sed ita intelligendus est, quòd ipsa prius fornicata est, & existens fornicaria ex semine fornicationis eos concepit & genuit, ideo optima est ratio: Ipsa eos genuit ex fornicatione. Ergò filii sunt adulterini.

Et ita res se habuit. Primùm tota Ecclesia Israel sub Ieroboamo fornicata est: deinde filios genuit [illegible] natos & iuniores. Itaque in ea religione idololatrica instituti sunt. Ergò posteri & [illegible] sunt ex fornicatione.

Totus hic versus nihil continet nisi reprehensionem peccati. Redit autem ad peccata totius Ecclesiæ in lucem proferenda, & eam affligit, seu caussam totius mali & iræ Dei contra vniuersum populum.

Duo autem peccata hic illius Ecclesiæ Israeliticæ perstringit.

Primum est idololatria eáque Voluntaria, non ex simplici ignorantia aut infirmitate Hos. cùm ait: *Quoniam fornicata est mater eorum*. Et, ne putes non tantùm genere idololatriæ, aut semel idololatriam commisisse, subiungit dicendo: *Probro fœdata est.* [illegible] hic in Hiphil significat pudore suffundi & pudefieri. Sed hic non intelligit Propheta, Israelitas pudore aliquo propter sua peccata suffusos. Pugnaret enim hæc particula cum illa, *Ponat ergo fornicationes à facie.* Sed intelligit, mulierem fuisse & esse probrosam, infamem que, quæ ignominiosa, erubescenda & pudenda commisit, idque sine vllo pudore, quæ innumeris superstitionibus se polluit, & idola coluit. Alludit ad multas turpitudines, quas adulteræ cum suis amasiis & fornicatoribus committunt, præter illu[illegible], quæ turpe est commemorare, vsque adeò turpia & probrosa sunt & erubescenda. Ideò ait: *Probrosa facta est, non probro fœdata est mater eorum.* Voluit verò significare Propheta, multis abominationibus nefandis contaminatam fuisse Ecclesiam illam Israeliticam circa sua idola.

Probrosa facta est mater eorum. Sic Romana Ecclesia. An non hæc probrosa sunt non solum idola colere simpliciter, sed ante ea procumbere capite aperto, veniam peccatorum ab eis petere, ea [illegible], candelas ante ea accendere, suffitum eis præbere, in laus illis ædificare templa, prædicare, quòd illa idola miracula edant, sanent ægrotos, & quod omnium est probrosissimum & turpissimum: frustulum panis prædicare esse Deum, illúdque adorare, & per plateas circumgestare.

Probro igitur fœdata est, quia variis abominationibus contaminata.

Spectandum hic finis, cur Dominus vrgeat hoc, quòd mater est fornicaria. Caussa est, ut stultam confidentiam Israelitis excutiat, qui semper nomen Dei & Ecclesiæ obtendebant, ait, Verum est, quòd vxor mea fuit, sed adultera est facta. Ideò etiam vos estis adulteræ [illegible]. Obseruent hoc Papistæ.

Colligimus hinc, non sufficere, aliquam Ecclesiam fuisse à Domino initiò electam, bene institutam in Euangelio, votam sponsam fuisse Christi, sed oportet ut perstitat in fide data marito, inqua fidei obedientia, ne scilicet alium cultum sequatur, aut aliam doctrinam amplectatur, quàm quæ à marito suo est semel de principio tradita, alioqui ex legitima vxore fit adultera.

Quomodo igitur obtendunt Papistæ successionem Episcoporum? Obtendunt oportet, conseruationem doctrinæ Apostolicæ & veri cultus, vel, obtendant successionem Episcoporum, sed in eadem doctrina quam à primo Episcopo Christo, à primis Apostolis & Episcopis didicerunt, & eandem hactenus prædicarunt.

Quia dixit, Ibo.

Illud *Quia*, non solùm probat, quod sit scortata, sed in-

primis, quod sit probrosa facta. Quia idola & abominationes inuit ut secuta est non ex ignorantia, non ex infirmitate, non ex simplici seductione, non ex stultitia, sed ex malitia, pertinaciter, impudenter, & consultò. Quid autem magis probrosum? Ideò ait: *Quia dixit*. Refertur illud *Dixit*, ad animum, & internum consilium & animi deliberationem. Sæpe etiam tales idololatræ verbis exprimunt suam pertinaciam, ideò ait: *Quia dixit*. Quasi dicat, vindete, quam sit probrosa mater vestra, non fuit decepta in suis adulteriis & superstitionibus, sed dixit, id est, decreuit sic facere, consultò desecit à suo marito, & decreuit sequi adulteros. Quid enim dixit?

Ibo ad amatores meos.

Falsos Deos, comparat amatoribus, qui vxores abducunt à fide coniugali. Solent amatores varia munuscula dare mulieribus, illæ iis allectæ, sequuntur amatores suos, desertis maritis. Ad hoc alludit, cùm ait: *Dixit, ibo*, sponte scilicet, & vltrò. Non ergò possunt excusari idololatræ, quia sponte eunt.

Amatores meos.

Id est, falsos Deos. Omnes abominationes, & falsos Deos complectitur Propheta hoc nomine.

Amatores

Putant se amari superstitiosi à Diua Maria, si eam adorent & colant, & eius imagines venerentur.

Qui dant mihi panem.

Alterum peccatum populi, quod hic perstringit propheta, est ingratitudo: Nam bona, quæ à Deo acceperant, accepta ferebant idolis. Quare? quia decepti & excæcati, putabant illa se habere ab idolis, & diis alienis.

Hæc duo sunt communia vitia omnibus idololatris. 1. seducti, putant, beneficia sibi dari ab idolis. 2. Ideò ingrati, ea accepta ferunt idolis.

In Papatu exempla habemus. Alius sanitatem oculorum acceptam fert B. Luciæ: alius dentium, Apolloniæ. Omnes remissionem peccatorum Missæ, indulgentiis, idolo Lauretano, & aliis.

8. *Propterea ecce me concludentem vias spinis. & sepiam sepem*, id est, sepem circumdabo, *& semitam suam non reperiet.*

Tria in hoc versu habemus. 1. Caussam cur comminetur, dicens: *Propterea*: nempe propter peccatum, quod ante meminit, quia scilicet Israelitica Ecclesia ex deliberato consilio dixit, *Ibo post amatores meos*, id est, sequar, velint nolint Prophetæ, & illorum Deus, meum cultum, quem hactenus a meis antiquis accepi, meos Deos. 2. Habemus comminationem pœnæ Ea est: *Ecce ego occludam viam tuam spinis* 3. Finem huius pœnæ, Is est, ne ipsa fornicatrix fiat sui voti compos. Hunc tradit, sed facta ἐναλλαγῇ personæ, dicendo: *Et semitas suas*, scilicet ad amatores suos adeundos & cum eis fornicandum, *non inueniet.*

Vt hunc versum & qui sequuntur omnes, probe intelligamus, notandum est, hunc, & reliquos, qui sequuntur versus, non posse intelligi, nisi de electis. Duo enim sunt hominum genera, qui peccant, & qui colunt idola, & quidem etiam sæpenumero ex deliberata animi voluntate, dicentes, *Ibo post amatores meos*, sunt reprobi, sunt & electi. Sæpe enim etiam electi inducunt in animum, & dicunt, Omninò volo sequi amatores meos, hoc est hanc, in qua natus sum, religionem, volo cum aliis ingredi templa Papæ, idolis caput aperire, genua flectere sicut & alii faciunt. Sed hoc faciunt electi sæpe ex ignorantia, sæpe ex infirmitate, sæpe ex quadam carnis prudentia, quia putant, se posse & spiritu Deo seruire, & corpore idolis. Reprobi verò id deliberant fere ex obstinata malitia, vt suæ carni consulant.

Iam talia reproborum consilia non solet impedire Deus, imò multas illis commoditates concedit, & quasi aperit eis ianuam ad sequendos (vt volunt) suos amatores & superstitiones. Quare? Quia non decreuit, neque etiam tenetur, illos seruare & ad veram pœnitentiam adducere. Si ergò volunt ipsi suo arbitratu peccare & perire, non impedit. Sicut enim illos non mouet ad peccandum, ita etiam à peccando non retinet, sinit illis liberas habenas. De iis igitur locus iste intelligi non potest, hic enim dicit Dominus, se interclusurum viam, ne, quod decreuerunt malum consilium sequendi Deos alienos, perficere possint. Id quod certe non facit Deus in reprobis, sed sinit eos. Electorum verò consilia mala impedit, si non semper, saltem in fine ante, quàm hinc discedant. Quare? quia decreuit eos omninò saluare, ideò vias illis ad peccandum & ad idola colenda præcludit, quomodo? Variis rationibus, sed in primis variis spinis & calamitatibus. Exemplum. Est vnus qui, vt carni suæ consulat, decernit manere in Papatu, & sequi illum cultum, sed quia est electus, Deus excitat in illum persecutionem aliquam nomine Lutheranismi, cogitur ipse Papatum deserere, & impeditur, ne sequatur Deos alienos, quid hoc est nisi quod hic ait: *Tu au, Ibo post amatores meos & ecce ego intercludam viam tuam spinis.* In quem igitur finem præcludit vias? non solùm, vt non possint reipsa perficere, quod cogitarant, sed etiam, vt hac ratione adigat illos ad mutanda consilia, id est, vt redeant ad Dominum, omissis & neglectis prioribus idolis, à quibus vident se nihil boni accipere, sicut patet in versu sequenti 9. De iis igitur electis intelligendus est hic præsens locus vsque ad finem.

Quare hic Dominus apostrophen facit non simpliciter ad illam matrem fornicariam, sed ad electos tantùm, qui adhuc erant fornicarij, seu Deus decreuerat eos mutare. Alloquitur igitur totam synagogam, sed synecdochice intelligit de electis tantùm & ait: *Propterea ecce me* Quasi dicat, Tu decreuisti, dicens: *Ibo post amores meos.* Sed Ego decretum tuum impediam, quia Ego aliud de te statui. Ecce me ex aduerso concludentem viam tuam spinis, id est, variis calamitatibus, & sepientem sepem, id est, si non satis fuerint aliquæ calamitates, addam alias, cur? vt semitas ad Deos tuos, ad superstitiones prosequendas inuenire nequeas.

Summa Ego redigam te ad tales angustias, vt non possis laseruire cum tuis idolis, vt non possis fieri voti compos Imò te in tales & tantas angustias redigam, vt non solùm non possis fieri voti tui compos, sed etiam cogaris aperire oculos, tuum errorem agnoscere & mutare consilium, ac dicere. *Ibo & reuertar ad maritum meum priorem.* Hoc iam exprimit versu sequenti.

9. *Et persequetur.*

Est ἐναλλαγὴ personæ, initio superioris versus allocutus est synagogam in secunda persona, in fine eiusdem mutauit, & de ea in tertia persona dixit: *Et semitam suam non reperiet.* ita pergit in tertia persona, dicens: *Et persequetur.*

Quatuor hic dicit, quæ ad explicationem superioris versus faciunt.

1 Quòd ipsi idololatræ (sed tamen electi ad vitam) licet cæci a Domino, (vt ante nominatus est) non tamen statim redibunt ad sanam mentem. Vsque adeò enim in ipsorum cordibus hæsebit pertinacia, & amor suarum superstitionum, vt magno studio sint eas persecuturi, dicens: *Et persequetur amatores suos, & quæret eos.*

Cùm ait: *Persequetur & quæret*, est ac si dicat Sicut mulier, quæ insano amore ardet erga suos amasios, etiam egregie a viro cæsa, tamen adhuc insano furore agitata, eos quærit & prosequitur, vt assequatur: Sic idololatræ, quia cæco & insano zelo amant suas superstitiones, in quibus diu versati sunt, etiamsi egregie cædantur à Deo: tamen non facile eas possunt omittere, sed adhuc mordicus conantur eas retinere & conseruare, & persequi tanquam phrenetici. Tantus est vesanus furor, quo superstitiosi feruntur erga suas superstitiones Atque hoc quidem commune est omnibus idololatris, vt ardentissime ament suas superstitiones. Sed quæ sequuntur, non omnibus sunt communia, sed tantùm electis.

2. Igitur quod hic dicit per Prophetam, est, quòd etsi idololatræ isti (electi) tanto amore & furore in suas superstitiones agantur vt licet egregie cæsi non tamen eas deserere velint, sed pertinaciter prosequantur: Dominus tamen ad postremum ita eos tractabit, vt non possint ampliùs tales superstitiones fouere, tueri, & assequi Hoc exprimit dicens: *Et non apprehendet & non inueniet* q.d. Sicut mulier, quæ deperit suos amasios, licet eos quærat, & persequi cupiat ac tenere: si tamen maritus omnem occludat illi viam, & ianuas omnes domus claudat, non poterit eos assequi & inuenire: Sic etiam Israelitæ idololatræ, quia Dominus illis occludet omnem viam, quærent quidem suas superstitiones, sed non inuenient, persequentur sed non apprehendent, hoc est, frustrabitur Deus illorum spem

3. Quod hic tradit, est, quòd electi idololatræ virgis D.i egregie cæsi, licet ad tempus adhuc suas superstitiones sequantur, quia cæci non intelligunt, quantam iram Dei sibi thesaurizent: tamen tandem coguntur oculos aperire, & videre, quantò meliùs sit sequi purum Dei verbum, simplicémque cultum, quem nobis præscripsit Dominus, quàm peruersas illas & abominabiles superstitiones, cultus idolorum, quos ab omnibus & a sua sancta (id est, fornicaria) matre Ecclesia acceperunt, idque beneficia crucis & afflictionis assequentur.

4. Vbi hoc cognouerint, cogentur mutare propositum, & desertis idolis ac superstitionibus, redire ad verum Deum, verúmque Dei cultum. Vtrumque hoc tradit, dicens: *Tum* a scilicet postquam egregie cæsa, viderit suam spem frustratam, quia licet prosequatur amatores suos: non tamen apprehendere

dere

dere potest, quid tunc faciet hæc fornicaria vxor, id est, electus sed fornicator? ait: *Tunc dicet*, id est, sententiam mutabit, & apud se constituet dicens: *Ibo & reuertar ad maritum meum priorem*, id est, ad verum maritum. Alii enim non fuerunt mariti, sed fornicatores, amatores, seductores. Ecce veram pœnitentiam. Quare redire vis ad priorem maritum? Quia, inquit, *melius mihi tunc fuit quam nunc*, meliùs tunc, cùm scilicet essem cum meo vero & priori marito, quam nunc, cùm scilicet sum cum illis fornicatoribus. Tenemus summā horum duorum versuum. Modò diligentiùs verba examinemus, & quæ ex iis verbibus sint colligenda, videamus.

1. Ex illo, *Propterea ecce me*, id est, quia tibi blanditiis in tuis superstitionibus & deliberas eas pertinaciter sequi, ideò ecce Ego intercludam viam tuam. colligimus, electos, cùm pertinaciter deliberant in peccato, atque optimis in falso cultu & religione perseuerare, neque sponte volunt illis neglectis, redire ad Christum, atque ad verum cultum, si inde eripiendi sunt, necessariam esse duram castigationem, id est, vt Deus sese illis opponat, & variis calamitatibus, tanquam spinis occludat illis viam, ne sequantur falsos Deos, & falsam religionem Nam res prosperæ & secundæ pariunt securitatem & contemtum Dei, & retinent nos in cultu idolorum, vt patet in hac adultera. Res verò aduersæ obstruunt vias peccatis.

2. Electi non possunt perire. Quia, etiamsi sæpe decernant sequi falsam religionem, & dicant: *Ibo post amatores meos*: tamen Deus pro sua clementia sese opponit, ne tam mali consilii & voti compotes fiant.

3. Solet autem impedire hoc, calamitatibus variis Quia iis tanquam spinis construit sepem, & efficit, ne possimus egredi post amatores nostros, id est, idola & cultus superstitiosos. Ait enim, Ecce me intercludentem vias tuas spinis. Exemplum in Paulo, dicebat: Ibo & persequar Christianos omnes, quia accepi literas, vt persequar omnes huius sectæ viros & mulieres, quid Dominus? opponit se ei in itinere, & illum ex equo deiicit, excæcat: quid hoc est, nisi *Ecce ego intercludam viam tuam spinis, & non inuenies semitam tuam*. Exemplum in Luthero. Initiò postquam etiam cognouit Christum in Euangelio, tamen cogitabat redire ad Papatum, & componere res suas Quid Dominus? Diuersis spinis & impedimentis intercludit viam eius ne inueniret semitam suam, in eius actis & in historia Sleidani apparet, quibus spinis interclusa fuerit ei via. Exemplum in nobis. Quot nostrûm sunt, qui rebus sors compositis, decreuerint manere in Papatu? Et diximus in cordibus nostris. Ibo post amatores meos. Quare amatores? Quia status ille superstitiosus, videbatur nobis præbere copiose lanam, linum, vinum, panem. Quid Dominus? Quia electi eramus, & aliud ipse decreuerat de nobis, ideò se opposuit, & spinis intercludit viam Excitauit persecutionem Romani Pontificis contra nos, coacti fuimus deserere amatores nostros.

Quod verò de hoc consilio dixit sequendi idololatriam, idem de aliis consiliis & decretis nostris malis permultis. Quoties quis dixit: Ibo & sequar talem meam amasiam? committam hoc aut illud? Et Dominus vestiis spinis vias nostras intercludit ne peccaremus Hoc est speciale priuilegium Dei erga electos, vt spinæ occludant illis viam peccandi.

Ergò pro singulari beneficio ducenda est crux & persecutio ipsis electis, quia illis, ceu spinis intercluditur via ad mortem & aperitur ad vitam Hæc ex versu 8.

Ex versu 9 colligimus præter alia.

1. Quanta sit nostri corruptio & ad idololatriam propensio. Tanta est, vt etiamsi egregie cædamur à Domino, tamen adhuc mordicùs studeamus retinere falsos cultus Persequetur, inquit, & quæret eos. Quare? Quia innato amore ad illos natura trahimur.

Quid igitur mirum, si totus fere mundus, cultus idolorum sequatur? 1. Ad hos naturali quodam furore trahimur 2. Accedit voluptas, sicut adultera amat suos amasios etiam propter voluptatem. 3. Accedit quæstus. Sic meretrices amant suos amasios propter quæstum, quia, inquit, dant mihi panem.

4. Tribulatio ipsis electis tria adfert bona. 1. Occludit viam, & impedit, ne possint, etiamsi cupiant, falsos cultus sequi. Ait enim, *Persequetur, & non apprehendet*. 2. Adfert lumē, quò cognoscant, quàm detrimentosa res sit, tales cultus sequi. Contrà verò, quantò meliùs, sequi verum Deum, & verbum Dei, & dicat: *Melius mihi tunc quàm nunc*. Exemplum in filio prodigo. Surgam & ibo ad patrem meum, ô quot mercenarij in domo patris mei abundant panibus. Ego autem hic *fame pereo*. Quid hoc est, nisi meliùs mihi tunc, quàm nunc? Exemplum. Qui ab Euangelio deficiunt ad Papistas, dare possunt mihi huius rei testimonium, incidunt in varios conscientiæ cruciatus, amittunt pacem & gaudium spiritus, carnificem habent secum perpetuò in conscientia. Ii possunt dicere: O quam multò meliùs mihi tunc, cùm scilicet essem cum Christo, in vero cultu, in verbo Dei puro, quàm nunc, cum istis idolis & superstitionibus.

3. Tribulatio etiam adfert electis veram pœnitentiam, occludit illis viam ad superstitiones, & ad mortem, & aperit ad Christum & ad vitam, facit vt mutent decretum. Antea dicebant: *Ibo post amatores meos*. Postea cruce constricti, dicunt ex animo: *Ibo & reuertar ad maritum meum priorem* Illud *Dicet* refertur sicut & primum ad certum deliberationem & propositum animi.

Cæterùm hic illud obiter notandum, cùm electi instrumento crucis ad veram resipiscentiam reuocantur, hoc illis contingere ex singulari Spiritus sancti instinctu, non ex vi crucis Nam etiamsi mille annos assidue cæderentur: nunquam tamen ingenium mutarent, sed in sua pertinacia permanerent, nisi accederet specialis spiritus sancti instinctus. Hoc patet in reprobis in Pharaone & aliis. Sed crux in hoc prodest electis quòd nos expergefacit, vt sentiant suas miserias, vt videant sua peccata, vt cupiant redire in meliorem vitam.

4. Colligimus ex hoc loco, quæ sit vera pœnitentia Est, cùm agnita nostra, à priori marito, id est, à Christo, defectione, & percepto, quàm turpe & detrimentosum fuerit a Christo ad adulteros defecisse ex animo statuimus, desertis adulteris ad priorem maritum redire & reipsa redimus Hoc totum ex illis verbis: *Et dicet* (id est, ex animo decernet, constituet.) *Ibo & reuertar* (addit hoc verbum, vt ostendat, se defecisse se prius fuisse cum vero marito, sed defecisse. Ideò non simpliciter ait, Ibo, quasi nunquam cum Christo fuerit, sed reuertar) *ad priorem maritum*, ad Christum Quare? *Quia tunc melius mihi quam nunc* In verbis testatur fidelis anima, se vere sentire iram Dei contra peccata, se vere agnoscere, quàm turpe & detrimentosum sit defecisse a Christo.

Hic locus est contra Papistas, cùm accusant nos defectionis à sancta matre Ecclesia & à fide quam dedimus illi Ecclesiæ Reip. Nos redimus ad priorem maritum desertis fornicatoribus, id est, idolis, & deserta etiam lena, id est, ipsa Romana Ecclesia matre nostra fornicaria. Illa enim erat & fuit autor, vt cum idolis fornicaremur qui filii & sponsæ Christi Nam in baptismate sic fueram ut desponsata Christo. Hic est primus maritus Postea vbi facti sumus adultiores, illa nostra mater impudica obtulit nobis multos formosos iuuenes, vt cum illis fornicando voluptatem inde caperemus & quæstum faceremus, tùm illa tùm nos, inquam Hi formosi iuuenes fuerunt idola bene ornata, templa illa formosa, variæ superstitiones, atque imprimis idolum Missæ, seu ipsa Missa tàm bene ornata Quid enim hæc sunt, nisi formosi fornicatores a lena matre nostra Romana Ecclesia nobis ad fornicandum oblati. Nec simpliciter obtulit, sed etiam seduxit, & allexit nos ad fornicandum cum illis. Quomodo? Promissionibus variorum munusculorum, verbi gratia, Quod si adoremus illam imaginem, vel illud idolum in Missa, remissionem habebis omnium peccatorum. Si tempore indulgentiarum visites 7 Ecclesias, aut altaria & ante idola illa procumbas & te illis prostrauas, sicut meretrix suo amasio, habebis infinita munera, remissionem peccatorum pro te, & pro mortuis tuis. Item, liberationem à pœnis purgatorij Item, si inuoces D. Barbaram, impetrabit tibi sanitatem dentium Si S. Luciam, lumen & sanitatem oculorum, & infinita alia. Quid enim hæc fuerunt, nisi munuscola nobis oblata a lena matre nostra Ecclesia Romana, nomine bonorum fornicatorum? Nos decepti assensi sumus, deserentes priora fide, data marito Christo in baptismate: nempe nos non adoraturos, nisi Christum, non idola. Prostituimus & animas, & corpora nostra idolis. Et quidem, vbi sensimus voluptatem magnam in illa fornicatione, item accepimus talia munuscula, id est, persuasi fuimus, nos ex tali cultu habere remissionem peccatorum, & tot bona. Vidimus etiam res nobis omnes secundas esse ac ex animi sententia euenire, ideo multò magis constituimus sequi talem cultum, ac dicebamus: *Sequar amatores meos, qui dant mihi panem & vinum, lanam & linum*

Sed quid Dominus: Occlusit viam spinis, aperuit nobis oculos agnouimus, nos defecisse à vero marito, redimus ad priorem maritum. Quid igitur accusant nos defectionis Redire ad priorem maritum, est apostasia? Est defectio vituperanda? Fecimus officium bonæ vxoris Quòd vero deseruisse illum cultum, & hunc amplexum fuisse, sit, redisse ad priorem maritum, manifestum est ex hoc loco. Cur Israelitæ dicuntur fornicati fuisse? Quia, deserto cultu, qui illis præscriptus erat in lege a Deo, tùm præter summum Deum, alios quoque Deos, & alium cultum commenti sunt. Quid

igitur est, quod hic ait quiuis electus ex Israel, qui defecerat à Deo, reuertar ad priorem maritum?

Nisi desertis idolis, & fictitio cultu, atque ἐθελοθρησκείᾳ redibo ad vnum solum verum Deum colendum, idque eo solo cultu, qui præscriptus mihi est in lege. Iam, cultum Papisticum alium esse ab illo, qui præscriptus est in verbo, imo esse contra verbum, nobis manifestum est, & si opus esset facile demonstraremus, sed iam est res aperta. Ergò quid egimus nos, nisi quòd, vt sponsæ Christi, deseruimus idola & superstitiones omnes, id est, adulteros, & redimus ad priorem maritum?

Et quoniam nostra impudica mater & lena nostra, sancta mater Ecclesia Romana volebat nos cedere propter hanc defectionem ab idolis, & iterùm ad ea colenda cogere. Iccirco illam quoque lenam deseruimus, & ab eius domo, & ab eius prouinciis, & regnis discessimus.

Ergò neminem pœniteat deseruisse cultum Papisticum, idola, Missam, & illam lenam, & amplexum esse hunc cultum. Quoniam hæc fuit vera pœnitentia: quia redimus ad priorem maritum.

Faxit Deus, vt reliquæ omnes sponsæ Christi, quæ etiamnum fornicantur, redeant ad mentem bonam quamprimùm, & ex animo dicant: *Ibo, & reuertar ad maritum meum priorem, quia melius mihi tunc, quàm nunc*, & agnoscant, quàm melius sit, esse cum Christo, quam cum idolis, fornicatoribus.

10. *Et ipsa non cognouit, quod Ego dederim ei triticum.*

Versum hunc pro suo more Gregorius moraliter interpretatur Tomo 1 in Pastorali pag. 5. adm. 25. pag. 1296. qui volet, legat. Ego simplici textus explicatione delector. Ergò institutum nostrum sequamur.

Duo erant præcipua huius populi peccata, idololatria, & ingratitudo. Vtrumque simul in hoc capite persequitur Propheta: patet id ex v. 7. vbi vtrumque complexus est, dicens: *Quia fornicata est*: En primum. *Quæ dant mihi panem & aquam*: En alterum.

Hoc autem versu nominatim persequitur, & amplificat ingratitudinem populi, quæ in iis duobus capitibus sita erat. 1. Quòd populus beneficia à Deo accepta, ab eo non recognouit, hoc tangit cùm ait: *Et ipsa non cognouit*. 2. Quòd hæc Dei beneficia suis idolis accepta tulit: ac proinde illis etiam hæc obtulit, & ad illorum vsus accommodauit, hoc alterum tangit, cùm ait: *Et aurum accommodauit Baali*, etiam v. 7. hoc tetigit, cùm introduxit adulteram dicentem: *Ibo post amatores meos, qui dant mihi panem & aquam*. Hic ergò amplificat populi ingratitudinem dicens: *Et ipsa non cognouit, quod Ego dederim ei triticum.*

Illud, *Et ipsa*, habet emphasin, & ad peccati amplificationē facit. Est enim, ac si dicat, Debuit omniuò ipsa Synagoga Israel præ aliis gentibus omnibus cognoscere, quòd Ego solus dederim ei omnia beneficia, triticum, &c. Quomodo debuit præ aliis? 1. Quoniam habuit apertum Dei verbū à Mose, quod hoc illis diserte indicaoit: ex benedictione omnium diuina, omne alimenti genus, & omnem bonorum copiam profluere. 2. Res ipsa aperte seipsam prædicat. Quanta est enim rerum omnium copia, quam habet terra Chanaan? maxima. At quis Israelem in hanc terram introduxit. Nunquid idola? minime. Quia antequam idola colere cœpissent, introducti huc sunt. A quo? A Deo Israel, id est à me. Debebat ergò ipsa præ aliis omnibus populis agnoscere, quòd Ego solus dederim ei hæc beneficia: & tamē ipsa, quæ maxime debuit agnoscere, tum ex verbo, tùm experientia, non cognouit. Quanta igitur amentia, cæcitas, & ingratitudo! prodigiosa certe.

Simile. Est enim periode ac si mulier, quæ è miseriis erepta, & in domum sponsi introducta, quotidie fruatur beneficiis mariti, domo, pane, alimentis, vestimentis: & tamen ita cæca & ingrata sit, vt dicat, se hæc omnia accepisse & accipere non à suo marito, sed à suis amasiis. Sic populus erat in domo Dei, reipsa fruebatur quotidie eius beneficiis maximis, Ita tamen sensus & mentem omnem auerterat à Deo ad idola, vt non cogitaret, se hæc à Deo accepisse, sed contrà ea ferret accepta idolis. O incredibilem igitur ingratitudinem! Hæc est, prima pars ingratitudinis, quòd Deum suo defraudauit honore. Sequitur altera eius pars.

Et aurum fecerunt, (id est, aptarunt, accommodarunt) *ipsi Baalim*, id est, idolis & suis minoribus Diis. Illud enim *hasah* hoc loco significat in vsum accommodare.

Baal significat Dominū & patronū. Et quia idola & Deos tutelares, homines sibi constituunt tanquam suos Dominos & patronos, Ideò idola & Dij tutelares in scripturis vocātur nomine Baal. Exempla Ita hic nomine Baal intelligit omnes minores (vt vocant) Déos, & idola. Sic in Papatu omnes Minores Dij & omnia idola, Baalim appellari debent, & sunt.

Aurum) synecdoche est. Omnia enim Dei in populum beneficia, quæ partim aureâ commemorauit, auri nomine intelligit. Sensus igitur est. Debuissent mihi, à quo omnia habent bona, primitias omnium bonorum, sicut præcepit eis Moses, dicare, idque in testimonium, quòd omnia à me haberent bona. Ipsi vero, me neglecto, & debito meo honore defraudato, bona, quæ in ipsos contuli, accommodarunt in vsum ipsi Baal. Quia partim ex aliis offerunt in sacrificia, partim consumunt in eis deaurandis & ornandis. quasi hæc omnia acceperint ab ipso Baal. Incredibilis igitur amentia & ingratitudo huiusce populi.

At qui fieri potuit, vt Israelitæ ita cæci & amentes fuerint, vt Dei penitùs obliti non cogitarint, bona illa, quibus fruebantur, à Deo tanquam à primo autore, se accepisse, sed ea prorsùs idolis accepta ferrent? Annon profitebantur, se adorare verum Deum Israel? Resp. Non fuerūt vsque adeò cæci Israelitæ, vt non cognouerint vnum esse Deum, Deum, inquam, Israel, à quo cuncta beneficia profluunt. Nam etiā gentes hoc nouerunt. Neque ita animum ab hoc Deo auerterāt, vt non profiterentur, se vnum Deum colere Israel, & ab eo se cuncta habere beneficia. Sed quoniam putabant, se beneficia hæc accipere à Deo propter illum cultum nouum, quem Iarobeam introduxerat, quo scilicet Deum in vitulis aureis colere se dicebant. Iccircò dicit Propheta, illos non recognouisse hæc beneficia à Deo, sed ab idolis. Rem melius explico. Dicebant, postquam sequimur hunc cultum vitulorū, id est quo Deum in vitulis colimus, melius nobis est, quàm anteà, cum sine hoc cultu essemus. Itaque nos ibimus post amatores nostros, qui dant nobis panem. Quia igitur putabāt, se hæc beneficia accipere propter illum nouum cultum, & à cultu, quem præscripsit Deus in lege alienum. Ideò dicuntur beneficia hęc, non à Deo, sed à Baalim, & ab idolis recognouisse. Ideò etiam pertinaciter dicebant: Ibimus post amatores nostros, qui dant nobis panem, aquam.

Locus, qui est Ier. 44. hunc Hoseæ locum declarat. *Ab eo tempore, quo reginæ cœli, id est, Soli sacrificare desierunt, se laborare fame, & aliis calamitatibus premi*, dicebant Iudæi. Quamdiu verò sacrificarūt reginæ cœli, bene & feliciter res omnes ipsis successisse. Se igitur velle hunc cultū à patribus (scilicet idololatris, non ab istis primis piis) acceptū retinere. Non erant ita cæci Iehudæi, vt dicerent se colere solem, aut sacrificia Soli offerre, sed dicebant, se adorare Deum in Sole, & sacrificia se offerre Deo in honorem Solis. Quia igitur huic falso cultui accepta ferebant beneficia, non autem vero cultui, qui in verbo Dei præscriptus erat, & quem respuerunt. Ideo dicuntur beneficia recognouisse à regina cœli, non à Deo.

Sic etiam sentiendum est de Israelitis, de quibus hic loquitur Hoseas. 1. Non dicebant, se adorare vitulos & idola, sed Deum in vitulis, & eum cultum Deo præstare, quem iudicarent esse bonum & gratum Deo. 2. Non dicebant, beneficia propriè, ab idolis se accipere, sed à Deo, verùm propter illum cultum, & in gratiam vitulorum. Propter hoc igitur dicuntur non recognoscere beneficia à Deo, sed ab idolis.

Sic faciunt Papistæ. Non adoramus, inquiunt, sanctos mortuos, neque illorum imagines. neque credimus beneficia, quę recipimus, ea in nos à sanctis conferri sed à Deo. Interea inuocant sanctos Deos suos minores, & gratias sibi propter illorum intercessiones à Deo donari credunt. Ideo gratias agunt sanctis pro beneficiis acceptis, accommodant illis aurum, argentum, vestimenta & alia munuscula & hos habent pro suis Baalim, id est, patronis & aduocatis. Non video, cur totū hoc, quod hic de Israelitis dicit Propheta, in ipsos Papistas non optime quadret? Arguas illos, quod deserto Deo innocent sanctos, colant idola, & sequantur cultum idololatricum. Respondent, minime. Euincas, cùm nihil aliud habēt, quod respondeant, pertinaciter reclamant: Nos volumus sequi hanc nostram religionem, nostros Sanctos, Quare? Quia dant nobis panem, & aquam, & linum. Ita sunt & idololatræ, & ingrati in Christum.

11. *Propterea reuertar, & tollam triticum meum.*

Duo facit hoc v. 1. Pœnam ingratitudinis subiicit. 2. Aliud peccatum taxat.

1. Hæc est pœna ingratitudinis. Merētur ingrati, vt omnia illis beneficia à donatore eripiantur. Quare? Quia indignum est, vt quis beneficia à te accipiat, iisque fruatur, & interim te donatorem contemnat, negétque, se à te illa accepisse: imo etiam tuis inimicis illa accepta ferat. Sic faciebant Israelitæ, fruebantur Dei beneficiis, & interim autorem ipsum spernebant, suóque honore spoliabant: imo autoris honorum hostes in eius locum substituebant. Ergo iure subdit hanc pœnam dicens, *Propterea reuertar*. Quasi dicat. Nullum superest remedium curandis Israelitis, quàm vt redigam eos ad extremam inopiam, ereptis omnibus bonis, quibus il-

bus illi à me acceptis abutuntur. Atque ita, velint, nolint desinant polluere dona Dei.

2. Tangit obiter aliud peccatum Israelitarum. Hoc erat abusus beneficiorum Dei. Hoc tangit bifariam. Primum illo verbo: *Eripiam*. Cum ait: *Eripiam lanam meam*, notat eos iniustæ possessionis, quasi latrones sint, qui iniustè ea bona possideant. Ideò ait: *Eripiam*, scilicet è manibus eorum iniustis, quippe qui illis iniustè & male utantur. Deinde tangit idem peccatum dicens: *Ad tegendam turpitudinem*. Illud enim nomen *hervath* significat nuditatem non simpliciter, sed verecundam et pudendam. Significat igitur fœditatem & turpitudinem, seu rem pudendam. At quæ erat turpitudo, quam tegebant, & quæ beneficia Dei, quibus illam tegebant?

Resp. 1. Turpitudo imprimis erat idololatria, sicut turpitudo, quam impudica mulier studet tegere, est fornicatio.

2. Beneficia, quibus tegebant, erant beneficia Dei, tùm spiritualia, tùm temporalia. Tegebant autem illam iis diversis modis. explico aliquos.

1. Ne viderentur idololatræ, id est, adorare lignum aut lapidem, auro tegebant & ornabant idola, ut ea viderentur vivæ Dei imagines. Hoc superius attigit, dicendo: *Et fecerunt*, id est accommodarunt *aurum ipsi Baal*.

2. Sic abutebantur beneficiis Dei corporalibus, ad tegendam suam turpitudinem, cùm prospera fortuna insolescebant, & inde arguebant, se Deo caros esse, seque esse in vero cultu. Non enim Deum favere solitum illis qui ab eius cultu recedunt. Cùm ergò omnia illis felicissimè succedant, etiamsi alia peccata committant, se in vero Dei cultu esse, & in vera religione.

Modus hic apertus est in Ierem. 44. de Iudæis, cùm dicebant, se velle pergere in cultu reginæ cœli. Quia hac ratione omnia feliciter sibi succedant, quod non erat aliud, quàm arguere, se esse in vero cultu Dei ab iis beneficiis Dei externis. Quid est autem hoc, nisi abuti beneficiis Dei ad tegendas turpitudines?

3. Abutebantur beneficiis Dei ad tegendas turpitudines, cum abutebantur sui generis nobilitate, scripturis, & promissionibus Dei, ad ostendendum, se esse veram Ecclesiam, verumque Dei populum. Non igitur esse scorta. *Sumus*, dicebant, *semen Abrahæ: sumus filij Israel: sumus populus à Deo ex gentibus omnibus selectus & vocatus. Non sumus ergo nati ex superstitione, ex scortatione. Habemus scripturas & verbum Dei.* Sumus ergo vera Ecclesia. Sic solebant Pharisæi tempore Christi arguere. Quid hoc erat aliud, quàm beneficiis Dei abuti ad tegendas suas turpitudines?

Cùm itaque videret Deus, Israelitas una ex parte pergere in peccatis, ac præsertim in cultu idolorum & variis superstitionibus: Et altera tamen ex parte, ut suas turpitudines tegerent, eos beneficiis Dei abuti quibus utendum erat tùm ad gloriam Dei, tùm ad salutem & utilitatem proximi, quid ait? *Revertar*, inquit, *& tollam triticum meum* quod scilicet Ego dederam ad usum bonum, non ad abusum, *tempore suo* id est, tempore messis *Et mustum meum suo statuto tempore*, hoc est, vindemiæ. Quasi dicat. Video, hosce idololatras nisi eos denudem, & omnia mea illis beneficia eripiam, futuros in suis fornicationibus obstinatos, & nunquam ad sanam mentem redituros, sed potiùs omnibus meis beneficiis abusuros ad tegendas suas turpitudines: Ideircò, ne ampliùs tegant suam turpitudinem, volo omnia eis eripere, quidquid beneficiorum dedi. Et quando auferam *tempore suo statuto*. Alludit ad tempus messis & vindemiæ, quasi dicat, hactenus habuerunt optimas messes & vindemias, veniet tempus alterius messis & vindemiæ. Ego tunc efficiam, ut nihil, vel parum tritici colligant, aut musti faciant. faciam hoc pro meo arbitrio. Terra enim & omnes eius fructus in mea sunt potestate. Hæc est pœna eorum qui beneficiis Dei abutuntur & sunt ingrati.

Incipit autem hic explicare diserte id quod metaphoricè supra indicaverat dicens *Et Ego concludam viam tuam spinis, & sepiam sepem*. Quid est enim concludere viam spinis, ne possit meretrix ad sequendos suos amatores invenire, nisi auferre omnia, quibus ad idololatriam & alia peccata abutebantur? & contra eam variis calamitatibus cingere ac premere, ne possit suos amasios prosequi. Hic igitur incipit explicare illam figuratam locutionem, deinde pergit eam clariùs explicare versibus 4. subsequentibus.

Cæterùm in iis duobus versibus observanda sunt quædam. 1. Quòd ait *Et ipsa non cognovit*, observandum, quam grave peccatum sit ingratitudo. Ea autem est 1. cùm beneficia, quæ omnia ex Deo sunt, non recognoscimus ex Deo, nec ei gratias pro illis agimus. Tum enim spoliamus Deum suo debito honore. 2. Cùm nō solùm hoc facimus, sed etiam honorem, quem Deo debemus, aliis tribuimus, & accepta ferimus illis beneficia, quæ à Deo sunt. Hæc est magna ingratitudo & species idololatriæ. Exempla. Ut si sanitatem acceptam feras medico, non Deo ingenti bonitatem. Res tuas parentibus, quibus natus es, dignitatem & honores tuis laboribus, virtutibus studiis. Quarto verò maiori, si remissionem peccatorum, vitam æternam, acceptam feras vel tuis operibus, vel meritis tuis aut Sanctorum vel alicui rei, præter Christum. Quanta verò illa est, si hæc beneficia vel temporalia, vel spiritualia, feras accepta ministris Dei & Christi, vel statuis, imaginibus, aut etiam lignis, cineribus missis, indulgentiis pontificiis, reliquiis, aquis lustralibus & aliis innumeris idolomaniis! O ingratitudinem intolerabilem! Bona potest dicere Dominus de nobis. Sunt multi & gratias agunt Divis demortuis, pro remissione peccatorum impetrata & ipsi nesciunt, nec cogitant, quòd Ego dederim eis remissionem peccatorum, salutem, vitam, eamque eis impetrarim meo sanguine. Sunt alii, & gratias agunt Divo, quòd oculorum sanitatem impetrarit, & nesciunt, quòd Ego hanc gratiam & alia bona omnia, istis dederim.

2. Observandum præterea quòd ait: *Et aurum applicarunt ipsi Baal*. Magnum est peccatum, beneficia à Deo accepta ad alios usus applicare, quàm ad illos, ad quos ea Deus voluit applicari. Exemplum. Dedit tibi linguam ad Deum laudandum, & ipse eam applicat ad blasphemandum, aut ad laudandum idola. Alii divitias, aurum, & argentum, et iis utatur, tùm ad sui, tùm ad proximi sustentationem & ipse eas applicat ad ornanda & ditanda templa ad lupanaria atque scelera. Est perinde atque si quis arma acciperet à magistratu ad defensionem urbis, & ipse ea in urbem converteret.

3. Observandum quòd ait: *Ad tegendas turpitudines suas*. Hoc esse proprium omnium hypocritarum, ac præsertim idololatrarū, ut ex variis Dei beneficiis faciant sibi tegumenta & velaquædam sub quibus lateant tecta sua turpitudine. Et quot sunt genera beneficiorum Dei: tot etiam genera tegumentorum, sub quibus lateant, nos sibi fabricare. Ideòq. varios etiam esse modos, quibus omnis hypocritæ beneficiis Dei abutantur, ad suas tegendas fœditates. Aliquot exempli causâ neque enim omnes possumus indicabimus.

Ac principiò de beneficiis spiritualibus, quibus ad nostras turpitudines abutimur. Singulare beneficium Dei fuit, quod contulit in Ecclesiam Romanam principiò temporis, ut ibi Paulus & Petrus (si tamen de Petro dare volumus cum Hegesippo & aliis Patribus omnibus) prædicarint. Deinde, ut cùm aliæ in Oriente Ecclesiæ à vera fide sæpe defecerint, ipsa firma perstiterit in fide orthodoxa, et permultos habuerit Episcopos Martyras, ut plurimum illi detulerint reliquæ Ecclesiæ. Hæc sunt singularia Dei dona in illam Ecclesiam à Deo collata. At quid? Iam Romani Pontifices & Ecclesia illa Romana, quæ nihil ferè simile habet cum veteri illa Romana Ecclesia, cùm illa esset syncera sponsa Christi, hæc facta sit impudicissima adultera, suas turpitudines tegit hoc tegumento, dicens: Hæc Ecclesia fuit ab Apostolis, & quidem ab ipsis Apostolorum capitibus, ædificata, instructa firmata. Cùm aliæ permultæ labefactæ sint Ecclesiæ, hæc firma perstitit. Hanc sedem venerata sunt reliquæ Ecclesiæ, & Patres ferè omnes. Nos Apostolis successimus, & nunquam defuit in hac Ecclesia Episcoporum successio. Ergo hæc est vera Christi Ecclesia. Et quas habet doctrinas, ceremonias, & cultus, habet ab Apostolis, ab Apostolicis viris. Ideòque errare non potest.

Annon videtur probè tegere suas turpitudines hoc tegumento? O impudentissima meretrix! Itane beneficiis Dei: ceu velis, ad tuas fœditates tegendas, abuteris? talésne idololatrias, abominationes, & falsos cultus, heretica dogmata, ab Apostolis accepisti? Sic aiebant Israelitæ, sic Pharisæi tempore Christi, *Patrem habemus Abraham*. Mosi locutus est Deus Moses nobis reliquit hunc cultum. Ergò sumus in veritate. Veris item dogmatibus quæ habes in symbolo & aliis scripturis, tegis illa impia dogmata, quæ ipsa commenta es, & addidisti verbis Dei. Honestis quibusdam ceremoniis, quas habes ab Apostolis reliquas tegis tuas turpes.

Secundus modus est, cùm ad easdem tegendas utimur beneficiis Dei corporalibus. Templa Papistarum sunt fœdissima lupanaria. Idola & imagines sunt, obscœna fornicantium membra atque impennis Missa res est omnium fœdissima. Quid illi? Ne videantur tales turpitudines, auro, argento, sericis pannis, candelis, organis cantionibus, & aliis id genus ornamentis, & tegunt, & ornant, et omnium oculi illo splendore perstricti, nihil minùs videant, quàm illas turpitudines, id est, nihil minùs censeant quàm illum cultum esse idololatricum & abominabilem. Videmus, quot miracula edantur ad invocationem Sanctorum, ad venerationem reliquiarum quot beneficia impetrentur ad statuas etiam ipsas. Ergò invocare Sanctos, venerari reliquias, opera sunt grata Deo. Aiunt item Papa, Ecclesia non potest errare. Nos sumus Ecclesia. Ergo nos possumus errare. Ergo quæcunque statuit Romana Ecclesia, vera & rata esse debent.

Annon hoc est abuti beneficiis Dei, id est, verbo Dei, ad tegendas suas turpitudines? Sed quousque illa tegumenta? Non feret tandem illa Deus, sed reteget alias etiam turpitudines suas sicut & vobis. Hoc est quod sequitur.

12. *Et nunc retegam flagitium eius.*

Pergit in denunciatione pœnæ & clarius ac per partes explicat, quod antea dixerat in versu: *Concindam viam tuam spinis*. Dixerat superiori versu, populum abuti beneficiis Dei, lana, lino, & aliis, ad tegendas turpitudines. *Et nunc*, inquit, *Ego retegam flagitium eius*, id est, faciam, vt appareat eius fœditas, ea denudata. Vbi? *In oculis amatorum eius*. Hæc est magna confusio.

In oculis amatorum eius.

Alludit ad mulieres impudicas, quæ ita suis amasiis fidunt, & illorum iactantiam, vt etiam insolescant contra maritos, quasi illorum timore non audeant se coercere. Ait hic Deus, Minimè, minimè metuo amasios tuos, ô impudentissima mulier: in ipsorum etiam oculis, in ipsorum etiam præsentia, volo te nudam spoliare, & tua flagitia detegere. Est autem sensus: Ego spoliabo te omnibus meis beneficiis, & tuam fœditatem omnibus patefaciam, idque tùm maximè, cum propter protectionem quam à tuis amasiis, id est, idolis & superstitionibus expectas, videberis tibi quam maximè secura.

Et non erit vir, id est, idolum aut Deus vllus amasius illius fornicariæ, *qui possit eam eripere*. Quorsum hoc addit? vt excutiat illis fiduciam, quam in suis idolis, falsis Diis, falsoque cultu collocarant. Putabant Israelitæ, fieri non posse, vt quamdiu vigeret inter illos iste falsus cultus, ipsi perirent. Sic etiam in Papatu sunt permulti, qui putant, nihil aduersi sibi posse contingere, dum B. Virginem tanquam suam aduocatam quotidie inuocant. Alii, dum curant, vt manè quotidie Missam audiant. Quoniam igitur Israelitæ putabant, sua idola falsosque Deos sibi esse instar fortissimi propugnaculi, aduersus omnem malam fortunam: Ideò ait Dominus: *Ego coram amatoribus tuis, quibus fidis, retegam flagitium tuum, & nemo illorum eripiet te e manibus meis.*

11. *Et cessare faciam omne gaudium eius.*

His duobus versibus sequentibus specialiùs etiam loquitur: & quidem versu 11 prædicit populum spoliatum iri toto externo religionis cultu & pompa, quæ cum larua quædam pietatis, omnem illorum fœditatem tegere videbatur. Hunc externum cultum & laruam explicat his dictionibus: *Cessare faciam omne gaudium*. Sacrum scilicet gaudium quod ex festis & sacrificiis capiebat, *& festiuitatem eius*. Solebant diebus festis sic, vt etiam in Papatu, tripudiare, conuiuari, & lætari. Ad illud igitur Gaudium & festiuitatem alludit. Et Dominus quidem præceperat Deuter. 16 vt dies festos agerent, & tunc essent in lætitia, & hanc lætitiam epulis etiam testarentur, quod faciebant patres. 1. Reg. 8. Cæterum Dominus de spirituali lætitia in primis intelligebat. Illi verò corporale & externum tantum gaudium amplectebantur.

Erat hæc eò pertinebat, vt destitueret populum in ea sibi externa pietatis larua & pompa blandiri, vbi videret, se toto eo cultu externo spoliatum. Fuit autem impletum hoc, cum priuati patria tracti fuere in exilium. Antea enim nunquam destiterunt a suis superstitionibus. Sicut igitur duobus bonorum generibus donauerat Deus illum populum, primò donis spiritualibus, quæ ad religionem pertinebant, Deinde bonis temporalibus, quæ ad vitam feliciter transigendam faciebant: ita, postea bifariam ipsum nudauit. 1. Cùm illum spoliauit externo falsæ religionis cultu, in quo sibi mirificè placebant & totam fiduciam collocarant. 2. Cùm illum spoliauit omnibus terrenis diuitiis, potentia, & gloria: & redegit ad extremam inopiam & miseriam. Hanc alteram subdit dicens.

14. *Et destruam*, vel in solitudinem redigam, *vineam eius, & ficum eius, de quibus dixit, Merces mea.*

Hæc est secunda populi nuditas, cùm scilicet spoliatus fuit bonis etiam temporalibus, quæ omnia veniunt hic sub nomine Vitis & Ficus. Turgebant iis bonis, & iis abutebantur ad suas tegendas turpitudines, vt supra dixit. Ideò Deus illos iis spoliauit.

Illa particula, *De quibus dixit, merces ista mihi*, declarat, quomodo iis bonis abutebantur ad tegendas turpitudines. Quomodo dicebant, Hæc bona habemus tanquam mercedem nostri cultus, & rependuntur nobis propter hunc cultum. Ergo cultus iste gratus est Deo, bonus, sanctus. Illud enim *Ethnan* significat mercedem, quam meretrices a fornicatoribus, pro suo corpore illis supposito, accipiunt. Sic tacitè Propheta perstringit Israelitas, quòd sint scorta: quippe qui pro cultu idolis præstito, putabant beneficia hæc temporalia mercedis nomine sibi rependi & sic etiam vestiebant & gloriabantur. Atque hoc pacto tegebant suas turpitudines. Quid igitur Dominus?

Et ponam, inquit, *eas in syluam.*

Et sic contigit. Terra enim Israel fuit ab hostibus instar beluarum destructa & ceu in syluam redacta. Hanc eandem pœnam expectent omnes idololatræ, qui beneficia quæ à Deo receperunt habent, putant & gloriantur sibi à suis idolis, bus Diis & idolis mercedis nomine pro cultu, quem illis exhibent, rependi.

15. *Et visitabo super eam dies Baalim.*

Hoc versu breuiter continuat ea, quæ supra fusiùs exposuit, tum de idololatria populi, tum de pœna illi a Deo irroganda. Primo enim loco confirmat se puniturum populi idololatriam dicens, *Et visitabo dies Baalim*, hoc est, [illegible]. Secundo indicat caussam huius pœnæ quadruplicem. 1. quòd coluerint idola totamque religionem corruperint, & hoc dicit, *Dies Baalim*, quibus incensum illis obtulit. 2. quòd magna etiam pompa & ornatu id fecerint dicens, *Et ornata fuit inaure sua*. 3. quòd pertinaciter perseuerauerint in eo cultu dicens, *Et profecta est post amatores suos*. 4. quòd obliti sint Dei, diuinúmque cultum contempserint, & hoc dicit *Et mihi oblita est*, ait Dominus. Sensus est: Ego certè visitabo, quæ dixi, & puniam Israelem. Quamobrem? quoniam & mei oblita est, & Baalim pro vnico Deo coluit, idque ornatu magnifico & meretricio. Ait ergo, *Visitabo*.

Visitat Deus, & beneficiis, & pœnis. Hic de visitatione per pœnas & flagella intelligit. Est ac si dicat, Memor ero & recordabor huius iniuriæ mihi ab Israelitis factæ, & eam vlciscar.

Dies Baalim est tempus illud totum, quo Israelitæ post mortem Iosuæ, vsque ad diem illum, quo tunc destructa, venerati sunt idola. Ideò Ionathas habet sic, *Visitabo in aduersus eam tempora quibus coluit abominationem, & illi odores accendit, quia similis fuit vxori, quæ maritum relinquit*. Muratur ergo Israelitica vitionem priscæ etiam & antiquæ idololatriæ, quam ipsorum patres commiserunt. Iuxta illud Exod. 20. *Visitabo iniquitates patrum in filiis, & prouide diuturnitatem, apostasiam*. Solet enim Deus impiæ posteritati maiorum etiam peccata imputare, id est, in posteris punire, Deut. 5. *Ego Deus Zelotes, visitans iniquitates patrum ad inimicos aduersus me*. Hæc particula est tenenda. *Non enim filius iustus portat iniquitatem patris*. Ezech. 18.

Quibus, id est, quo tempore *incensum illis obtulit*. Synecdoche est, id est quibus Baali coluit, incenso, sacrificiis. Hæc est idololatria, caussa flagelli prima. Interim videmus quantum sit peccatum, incensum offerre Baalim. Pertinaciter tamen id faciunt Papistæ.

Subdit secundam huius flagelli caussam. *Et ornata fuit in aure sua, & monili suo, & ita profecta est post amatores suos*. Est sumpta metaphora meretricum, cui etiam Ezechiel comparauit. Meretrices, cum suos expectant amatores, vt cum eis fornicentur, cultius & maiore studio se ornant, quam alias vnquam, fucant faciem, accipiunt inaures & monilia, & catenulas aureas in collo gerunt, denique toto mundo se comparant, atque vt huiusmodi illecebris magis eos ad secum fornicandum alliciant, quæ certè ornamenta signa sunt impudicitiæ suæ. Sic Israelitæ faciebant, cum erant idolis sacrificaturi, diebusque festis festiuis, quo tempore omnes ad templa conuenire instituebant se, imò etiam sua templa & idola cultius, quam aliàs, ornare, vt illecebris melius & ipsi reliqui allicerentur ad idolorum cultum. Ita & fucum abiturae & suæ fornicationis signa gestabant. Sic faciunt Papistæ. Videmus, quantis ornamentis, tum templa, tum idola, ac imagines, tum altaria, tum seipsos, sacra facturi, exornent. Qualis est iste ornatus meretricius. Quorsum verò vt hoc magis alliciatur, & ipsi, & alii, ad fornicandum. Summopere igitur displicet Deo ornatus iste. Hæc igitur est altera caussa, ea quam sequitur Deus visitat Israelitas. *Quia*, inquit, *ornata est inaure sua*.

Hæc est explicatio illius, quod dixit suprà: *Tollat ergo fornicationes suas a facie & vberibus suis*. Hæc enim ornamenta meretricia signa sunt meretriciæ impudicitiæ.

Et profecta est post amatores suos) Notat hic pertinaciam populi in cultu idolorum, atque hæc est tertia caussa huius flagelli. Sequitur quarta, eáque grauissima.

Et mei oblita est, ait Dominus.

Persistit in similitudine vxoris, quæ facta est fornicaria. Si vxor diu vixerit cum marito, & ab eo semper liberaliter fuerit pertractata, & postea adulteris non solum se prostituat, sed etiam sui mariti prorsus obliuiscatur: annon est hæc intolerabilis turpitudo & ingratitudo? Ita inquit Deus

de[illegible]

de Israelitis. Vxor hæc mea, quæ diu mecum vixit quæ liberaliſſimè à me ſemper fuit tractata, non ſolum adultera eſt facta, ſed etiam mei prorſus eſt oblita. Ergò nihil [illegible] cauſſa eſt, cur debeam eam egregiè caſtigare. Nam hoc eſt monſtrum in hoc populo. Si aliæ gentes, quæ verum Deum non agnoſcunt, ne [illegible] fuerunt in vero cultu, & vera pietate, ſeductæ à Sathana, ſi [illegible] cum idolis, non ita mirum eſt. Sed quod Iſrael non ſolùm fornicetur, ſed etiam mei oblitus ſit, hoc monſtroſum eſt & intolerabile.

At quomodo dicuntur Iſraelitæ obliti prorſus ipſius Dei, cùm haberent eius verbum, [illegible] eùm magnam partem eius cultus haberent à Deo, & eam retinerent?

Reſpon. Quoniam contra mandatum Dei, verum Dei cultum corruperant, ædificatis templis extra Hieroſolymam, erectis nouis altaribus, fabricatis vitulis aureis, & ſuperſtitionibus additis puro cultui diuino, & ita totam religionem corruperant. Ob hoc dicuntur obliti Dei, & Deum contempſiſſe.

Obſeruent hoc Papiſtæ. Non ſatis eſt retinere magnam partem cultus diuini, ſed oportet ſolùm, totum & [illegible] retinere, alioqui dicimur obliti eſſe Dei. Iam cùm meretrix Romana è cultu Dei multa ademerit, & quem retinuit etiã corruperit, & præterea multa alia contra verbum Dei addiderit, [illegible] in eam bene quadrat ille verſus: *Et aliena [illegible] ſuum obtulit, ornata fuit inaure ſua, monili ſuo, & profecta eſt poſt amatores ſuos, & mei oblita eſt,* dicit Dominus.

Eſt autem notanda illa particula *Sua. inaure ſua, monili,* [illegible] Quaſi dicat, hunc cultum meretricium non à me accepit, ſed ſuus eſt, à ſe inuentus, non è verbo diuino deſumtus. Sic de Papatu diſcamus. Ornati ſunt ſuis veſtimentis, ſuis Miſſis. Non enim ſunt à Deo hæc, & alia infinita, ſed ipſorum commentum.

Et præterea notandus ordo verborum, quem ſeruat Propheta 1. ait, quòd Baalim incenſum obtulit. 2. Quòd monili ſuo ornata. 3. Quod ſecuta amatores. 4. Mei oblita. 1. Enim homines incipiunt delectari idolis, & ea colunt. Quia naturali quodam & furioſo impetu ad illum cultum feruntur homines deſtituti ſpiritu Dei. 2. Adhibetur ornatus, & quo magis colimus, eò creſcit indies ornatus & pompa meretricia in templis, quia indies magis ac magis afficimur erga cultum ſuperſtitioſum. Itaque vt alij quoque prouocentur ad noſtram religionem & cultum idolorum, augemus ornatum 3. Quò verò magis creſcit ornatus & pompa, eò magis creſcit pertinacia in tali cultu retinando, 4. Quo verò magis pertinaciter ſequimur idola, eò magis obliuiſcimur Dei. Senſim enim ſuperſtitionem ſequitur [illegible] Dei, non autem ſtatim penitùs totus Dei cultus reijcitur.

II. Pars.

16. *Propterea ecce Ego inclinabo eam.*

Hæc eſt huiuſce concionis pars altera in finem vſque capitis. Continetur hic promiſſio gratiæ & reconciliationis per Chriſtum cum eius fructibus. Summa autem huiuſce promiſſionis hæc eſt. 1. Quod Dominus ipſos Iſraelitarum electos poſteaquam rebus omnibus ſpoliati & varijs calamitatibus preſſi, ceu in deſertum deſperationis adducti fuerint, flectet ſuo ſancto Spiritu ad pœnitentiam, & tùm verbo perſuadebit, tùm effectu ipſo confirmabit, quod ſint Deo reconciliati omniáque illis peccata remiſſa. 2. Quod ipſi ſic perſuaſi, & certa ſpe conſummandæ ſuæ ipſorũ ſalutis concepta, manifeſtos ſuæ veræ fidei & reſipiſcentiæ fructus proferent. Deum enim indeſinenter laudabunt, vitam totam emendabunt, & vniuerſum religionis cultum repurgabunt. 3. Quòd tùm demum Deus illos beabit. Nam & altiſſimã pacem illis donabit, & imperium ſuper omnia animalia illis reſtituet, & illos in omnibus ſemper exaudiet, efficiétque vt omnes illis creaturæ inſeruiant & omnia feliciter ſuccedant. Denique ſumma eſt. Quod Deus iſtã vxorem fornicariam, vbi fuerit bene caſtigata, non ſecus perinde, ac ſi virgo eſſet intacta, æterno matrimonio ſibi deſponſabit, in iuſtitia, & iudicio, in beneficentia, & miſerationibus, & in fide, & tum demum verè beata erit. Nunc ſingulos verſus percurramus.

Propterea ecce Ego.

Quoad verba, eſt hic [illegible]. Verba enim illa: *Ecce Ego inclinabo illam,* poſtponenda ſunt illis: *Et profectò eam faciam in deſertum,* coniũgendáque ſunt cum illis *& loquar in cor eius,* hic ergò verba ſunt conſtruenda *Ecce Ego inclinabo illam poſtquam deduxero in deſertum, & tunc loquar ad cor eius.*

Quo ad ſummam [illegible] promittit. 1. Quod Deus ipſos electos ex Iſrael, ſed etiamnum idololatras, poſtquam rebus omnibus ſpoliatos in deſertum, id eſt ad extremã miſeriã & quaſi in deſertum deſperationis adduxeris, inclinabit, id eſt, vt ſuo Spiritu, à ſua ipſorum pertinaci ſententia, qua decreuerãt ſequi ſuos falſos cultus & idola, [illegible] ſententiam adducet, nempe vt ipſi [illegible] idola, & falſos cultus, verum Deum, verúmq; cultum ſequantur ſiue ad obſequium Dei & veram pœnitentiam inclinabit. Hoc [illegible] cum ait *Inclinabo illam poſtquam.* Quòd Deus verbo [illegible] ſuo [illegible] illis efficaciter prædicari, & per Spiritum ſanctum eorum cordibus inſcripti, perſuadebit ſe eſſe placatum, condonata peccata & viciſſim ipſos eſſe reconciliatos, & factos eſſe filios Dei & hæredes vitæ æternæ. Hoc [illegible] ait: *Et loquar ad cor eius.* Ex his duobus colligitur [illegible] quòd Deus efficeret vt omnes, quas illis [illegible] cedant eis in ſalutem, remediáque ſint ad eorum [illegible] morbum ſanandum. Hoc indicat, cum ait: *Inclinabo illam poſtquam adduxero in deſertum.* [illegible] illis ſore ſalutare, quia facit ad eos [illegible] Dei. Hæc eſt ſumma huius verſus. Nunc percurramus verba. Ait:

Propterea ecce Ego.

Illud *Propterea,* infertur ex præcedentibus, ac præſertim ex verſu immediatè præcedente & hunc habet ſenſum. Quia iſta mulier fornicaria pertinax eſt in ſuo propoſito, & oblita mei, nullo modo vult ſua ſponte venire in meam ſententiam, vt ſcilicet, deſertis illis fornicatoribus, mihi ſoli adhæreat. Iccircò ſi debeat auerti à malo ſuo propoſito, neceſſe eſt. vt Ego adhibeam meam manum & vim qua à ſuo propoſito malo, in rectam ſententiam illam inflectam atque inclinem. *Igitur ecce Ego inclinabo illam.* Eſt perinde, ac ſi dicat. Quia habet cor lapideum, quod flecti non poteſt: Propterea ecce Ego dabo cor carneum, quod flecti poſſit. Hoc enim propriè ſignificat illud verbum *Patah*, trahere ſcilicet aliquem in ſuam rectam ſententiam, & ſic exponit Rabbi Dauid Kimhi in libro radicum.

Colligitur hinc, neminem à ſua pertinacia in veram ſententiam Dei deſcendere poſſe, niſi Deus illum inclinet, & flectat, auferatque cor lapideum, & det cor carneum.

Et adducam illam in deſertum.

Id eſt poſtquam adduxero illam in deſertum, inclinabo. [illegible] Duo docet his verbis. 1. Tempus quando ſoleat Deus electos pertinaces in ſuo propoſito in veram & rectam ſententiam flectere. 2. Quo inſtrumento vti ſoleat ad eos flectendos. Tempus eſt, poſtquam illos in deſertum variarum tribulationum & deſperationis adduxit. Inſtrumentum ſunt ipſæ tribulationes ſeu deſertum. Hoc ſimili [illegible].

Si ferrum durum [illegible] natura cupit flectere, & inde, exempli cauſſa, annulum conficere rotundum. Quid agit? Conijcies in ignem, ibi molleſcit, vbi factum eſt molle vi ignis, tũ [illegible] illud, in quam vis formã flectit. Quando ergo flectitur? poſtquam ignitum eſt. Quo inſtrumento fit flexibile? Igne. Sic omnes nos ſumus [illegible] natura durum ferrum, pertinaces, & obſtinati in noſtris peccatis, & idololatrijs, nec à noſtro propoſito facilè flecti poſſumus. Quid Deus agit? Si ſimus electi, conijciet in fornacem ſeu igneas tribulationum: illis nos mollefaciet, & flexiles reddet: tum ſua manu, hoc eſt, vi Spiritus ſui, flectet nos à noſtra ſententia praua ad ſuam rectam. Hoc eſt igitur, quod ait *Ecce Ego inclinabo illam poſtquam adduxero in deſertum*, id eſt, poſtquam ſpoliatos bonis omnibus ad extremum malorum perduxero.

Colligimus hinc, crucem eſſe rem vtiliſſimam & ſalutarem electis Dei, & remedium ad tollendam duritiem cordis noſtri, non ſuâ natura, ſed virtute Spiritus ſancti, quo illo inſtrumento vtitur ad nos flectendos. Et certè verba hæc [illegible], populum Iſraelem nunquam flecti potuiſſe à ſua pertinacia, niſi priuatus patria, ſacrificijs, omni opulentia, victu etiam ordinario, in deſertum, vbi rerum omnium penuria, detruderetur.

Et loquar ad cor eius.

Loqui ad cor. Eſt efficaciter loqui, & perſuadere, id quod cordi placet, quod eſt gratum, atque iucundum, ſicut Ieſaiæ 40. patet. Nihil autem gratius, & iucundius homini annunciari poteſt, in deſertum adducto, & ſuam miſeriã ſentienti, quàm Euangelium, id eſt, quàm quòd Deus ſit illi propitius, quàm quòd peccata ſint condonata, quàm quòd factus ſit filius Dei, & hæres æternæ vitæ. Ergò indicat hac locutione, Iſraelitas electos, poſtquam fuerint primò bene domiti & flexiles [illegible], & deinde à malo ipſorum propoſito in rectam ſententiam pertracti, vt ſcilicet, deſertis idolis, ſoli Deo ad-

piant inseruire, persuaserum intus in cordibus eorum id quod Euangelium annunciat, eos scilicet receptos esse in gratiam Dei.

1. Colligimus hinc. Ergò cùm in desertum, id est, extremum malorum adducimur aliquando, tantum abest, vt debeamus de gratia & fauore Dei desperare, vt tunc magis quàm antea vnquam, sit expectanda ingens consolatio diuina. Sic enim ait: *Postquam adduxero in desertum, tunc loquar ad cor eius.*

2. Quando tempus sit læta alicui annunciandi, seu Euangelium & promissiones de remissione peccatorum proponendi. Quando? Non cùm adhuc pertinax est in peccatis, sed posteaquam tum cognitione peccati cõfusus, tum sensu iræ Dei consternatus, inque desertum desperationis adductus & flexilis factus fuerit. Neque enim locus est promissionibus diuinis apud illum, qui præfractus in suis peccatis, pergit se erigere contra Dominum. Adducendus igitur est prius in desertum, & flectendus à sua ferocia in obsequium Dei. Hoc nos docet ordo prophetiæ huius, qui sic habet: *Ego inclinabo, postquam in desertum adduxero, & tunc loquar ad cor eius.*

17. *Et dabo ei vineas suas illinc*, id est, ab eo loco, *& vallem Achor, in aperitionem*, ianuam spei, *& canet illic sicut diebus adolescentiæ suæ, & sicut in die, quo ascendit de terra Ægypti.*

Tria hic tradit. 1 Quòd Deus non solùm verbo, & interna persuasione ad cor loquendo, sed etiam reipsa, & effectis declarabit Israelitis, vbi flexi ad obsequium fuerint, se illis esse propitium factum, restitutis scilicet beneficiis suis, tàm spiritualibus, quàm etiam corporalibus, quæ antea illis ademerat. Hoc indicat iis verbis: *Et dabo ei vineas suas illinc, & vallem Achor.*

2. Quòd Deus iis beneficiis non solùm confirmabit, se verè esse Israelitis reconciliatum, sed etiam aperiet illis ianuam spei, seu efficiet, vt ex acceptis beneficiis spem certam concipiant, fore, vt in perfectam beatitudinem & æternam vitam ingrediantur. Hoc tradit, dicens: *In apertionem spei.*

3. Quòd concepta certa spe de futuro, in plenam æternæ vitæ perfectionem, ingressu perfusi gaudio Israelitæ, erumpent in perpetuam Dei laudem. Hoc tradit, cùm ait, *Et canet sicut diebus adolescentiæ suæ & sicut in die, quo ascendit ex Ægypto.* Hæc est summa, videamus ergo verba.

Et dabo ei vineas suas.

Sensus est. Non tantum loquar ad cor eius, seu non tantùm verbis, & interna persuasione indicabo, me illi esse reconciliatum: sed etiam huiusce mei erga illam fauoris, apertum & illustre proferam testimonium, vt reipsa sentiat & experiatur me sibi fauere & benè velle. Quale erit hoc testimonium?

Dabo ei vineas suas.

Est synecdoche. Intelligit enim omnia sua beneficia, tàm spiritualia, quam temporalia, sicut etiam supra, cum dixit: *destruam vineam eius & ficum.* Ac cur vinearum tantùm mentionem facit? Ratio est. Quoniam his significantur ea, quæ homini maximam adferunt lætitiam & voluptatem. E vineis enim colligitur vinum, vinum autem, vt Psal. 104. loquitur, lætificat cor hominis.

Dabo ergo vineas suas, id est, copiam rerum omnium.

Ab eo loco, id est, ab eo deserto incipiam dare vineas. Sensus est. Cùm primum afflicta cœperit flecti, id est, resipiscere, & audire verba ad suum cor facta, hoc est, fide Euangelium amplecti: Tunc Ego incipiam illi dare copiam rerum, & benedictionum mearum omnium.

Et vallem Achor scilicet dabo. Hæc particula melius explicat præcedentem. Alludit enim proculdubio ad felicitatem, quam populus è deserto egressus statim percepit in valle Achor. Fuerat antea in deserto afflictus, destitutus pane, vino, aqua, rebus omnibus: statim, vt pedem è deserto extulit, descendit in planiciem quandam, quę appellata fuit vallis Achor, omni rerum copia abundantem. Reducit igitur hęc in memoriam Israelitis, felicitatem quæ patribus ipsorum, postquam egressi fuerunt è deserto, contigit, & ait, eadem felicitate se hos donaturum, vbi resipuerint. Sensus igitur est, Sicut patribus istius populi, cùm primùm ex horrido deserto egressi sunt, dedi vallem Achor amœnam, fertilem & vitiferam: sic etiam huic populo, postquam resipuerit, & è deserto desperationis egressus, Euangelium amplexus fuerit, dabo quasi vallem Achor, id est, restituam rerum omnium tam spiritualium, quam corporalium copiam.

Colligimus ex hac prima promissione, quòd cum nos incipimus flecti in obsequium Dei, hoc est, resipiscere. & audire verba quæ fiunt ad cor, hoc est, credere Euangelio, tunc etiam Deus incipit suis variis benedictionibus nos cumulare.

In apertionem spei

Tradit hic quòd Deus hisce suis beneficiis tanquam clauibus aperiet Israelitis ianuam spei ad perfectam æternæ vitæ possessionem: sicut etiam Achor fuit illorum Patribus, tanquam clauis ad aperiendum ostium in perfectam possessionem promissæ hæreditatis. Sensus igitur est. Sicut Achor, seu rerum omnium felicitas & copia, quam Patres in valle Achor gustare cœperunt, fecit illis spem, fore, vt breui in perfectam possessionem promissæ hæreditatis intrarent: sic etiam beneficia, quæ populo huic, postquam resipuerit, donare cœpero, facient illi certam spem, breui fore, vt in perfectam æternæ vitæ possessionem ingrediantur.

Historia est Iosu. 7. Traiecto enim Iordane, deletaque Hierichunte, initium salutis Israelitis fuit, cùm venerunt in vallem Achor.

Colligimus hinc, ex præsentibus Dei beneficiis, præsertim spiritualibus, vt ex vocatione ad Euangelium, ex iustificatione ex fortitudine in aduersis, & aliis Dei gratiis, concipere nos debere certam spem de consummanda salute nostra.

Et canet illic sicut diebus pueritiæ suæ, & sicut in die quo ascendit de terra Ægypti.

Idem sunt, Dies pueritiæ suæ, & dies quo ascendit ex Ægypto. Nam supra appellauit diem natiuitatis eius tempus, quo ex Ægypto liberatus fuit populus. Alludit autem non solùm ad canticum, quod Israelitæ ex Ægypto liberati & traiecto mari rubro, cecinerunt, de quo Exod. 15. sed etiam ad omnes lætitias & gratiarum actiones, quas populus habuit Domino, post liberationem ex Ægypto, ac præsertim, postquam venit in vallem Achor. Dubium enim non est, quin Israelitæ, postquam è deserto in vallem Achor amœnam & vitiferam descenderunt, & conceptam spem possidendæ totius illius terræ Chanaan, peracto transitu Iordane accepta Hierichunte, confirmarunt dubium, inquam, non est, quin populus corda & linguas soluerit in cantica & laudes Dei. Sic, inquit, hæc mulier, id est, Ecclesia Israelitica & quisque electus, postquam venerit in vallem Achor, hoc est, beneuolentiam Dei erga se ex copia diuinarum benedictionum cœperit persentire ac experiri, indéque aperta ei fuerit ianua spei de vita æterna plenè ac perfectè possidenda, tunc non vulgares gratias aget Deo, & in eius laudes totum cor & linguam effundat.

Promissionem hanc adiecit Dominus, vt Israelitis antequàm in exilium inter gentes dispergerentur, spem liberationis faceret, qua spe animos suos inter gentes in exilium lactarent, etiamsi ad tempus auersam a se cernerent faciem Domini.

Igitur, cùm sumus in cruce aliqua, etiamsi ad tempus auersam à nobis videamus faciem Domini: spem tamen souemus fore, vt grati. Quoniam omninò è deserto tandem nos eripiet & deducet in vallem Achor, id est reipsa efficiet vt ex variis benedictionibus suis gustum percipiamus suæ erga nos beneuolentiæ & gratiæ, & tunc aperiet nobis ianua spei ad perpetuam beatæ vitæ possessionem, repleti gaudio, canemus, & toti in laudes Dei laxabimur.

18. *Et erit in die illo, dicit* Iehouah, *vocabis me vir meus.*

Vnum principale tradit iis 2. versib. Illud est. Quòd Israelitæ, id est, electi, postquam à Domino fuerint correcti ipsi quoque palam declarabunt, se verè resipuisse, & id declarabunt duobus fructibus pœnitentiæ. Quorum præcipuus est repurgatio religionis, cùm scilicet, abolitis superstitionibus, purè colitur Deus. Hunc fructum his 2 versibus explicat, ait ergò, *Et erit in die illo.* Est certa promissio Dei, *Vocabis me vir meus* sive *meum.*

Alludit autem ad fœdus, quo Deus, tanquam maritus, fidem dederat populo, & populus, tanquam vxor, fidem dederat Deo. Sensus igitur est Tunc memor fœderis, quod tecum pepigi, id est, memor nostri coniugii. 1. agnosces & senties in animo, me solum tibi esse maritum, & vicissim te mihi esse sponsam. 2. Externa etiam voce, id palam fateberis, & appellabis me, ô marite mi. Et 3. reipsa etiam & effectis confirmabis. Quoniam valere iussis omnibus tuis amasiis, mihi vni inseruies, me vnum sequeris, me vnum coles. Hæc enim tria significat illa locutione, *Vocabis me.* Quomodo enim vocabis? veraciter ex animo. Ergò 1 agnosces. 2. ergò voce etiam externa vocabis. 3. ergò etiam reipsa declarabis, mihi scilicet vni inseruiendo, meque vnum colendo, quòd sim maritus tuus.

1. Notandum, quòd non ait, vocabis me maritum tuum, sed in vocatiuo, vocabis me, ô marite mi. Innuit, se inuocandũ. Est enim

enim eos inuocationis istâ, ô marite mi. Inuocatio autem, vt antè diximus, totum cultum diuinum significat.

2. Notandum, quòd non ait tantum, Vocabis me, ô marite mi, sed addit negationem, Et non vocabis me ampliùs, Baal meus. Indicat, purum Dei cultum non posse mixtum esse cum vlla superstitione nec purè inuocari Deum, cum alij etiam inuocantur.

3. Notandum præterea quòd non ait: Et non vocabis amplius Baal, sed ait: Non vocabis me Baal mi. Referendum est autem illud Mi ad mentem Israelitarum. Dum enim ipsi inuocabant Baal, idola & statuas & monstra Deos, dicebant se inuocare Deum. verbi gratia, cum dicebant statuæ, ô mi Baal dicebant, se hoc dicere Deo vero in illa statua, ô mi Baal. Reuera autem, dum hoc modo faciebant Israelitæ, non Deum, sed Baal inuocabant, non Deum, sed Baal colebant.

Sic faciunt Papistæ, dum colunt idola, aiunt se colere Deum, dum inuocant sanctos, aiunt se inuocare Deum in sanctis & per sanctorum intercessionem.

Deus igitur, cùm ait Non ampliùs mihi dices Baal mi: Est, ac si dicat Non ampliùs coles me in Baal, non inuocabis me in Baal. Talis enim cultus mihi non placet, & reuera mihi non exhibetur, sed vocabis tantum, mi marite, id est immediatè me coles, vt tuum solum maritum, solum tuum seruatorem me [illegible].

Cùm ergò ait: Non vocabis me ampliùs Baal mi: Est ac si dicat: Non inuocabis mecum vllum alium Deum, neque me inuocabis in vllo Baal, aut in vlla imagine, sed me solum, idque in spiritu, ac veritate. Summa: memor fœderis mei & mutui nostri coniugij, abolitis omnibus superstitionibus, meum purum cultum sequêris atque hoc facto declarabis, te verè resipuisse. Hic est fructus pœnitentiæ.

4. Notanda etiam vox Hebraica: Vocabis me *Ischi* vir mi, non autem *Bahali*. Quia illa vox Baal etiam idolis conuenit. Ideo licet significet Dominum, & maritum: tamen non vult ea vocari Deus ab Ecclesia. Quare? Vsque adeò abhorret Deus ab idololatria vt neque nominibus idolorum communicare velit. Ergò etiam nomina prophana, quæ idolis à gentibus attributa sunt, debent abijci ab Ecclesia, vt dies Lunæ, Martis, Mercurij. Vide Martyr. in Epist. ad Roman. pag. [illegible].

At cur vnum tantum hunc fructum posuit? Resp. Quoniam ex hoc vno reliqui omnes oriuntur, & hunc vnum reliqui omnes sequuntur. Vbi purè colitur Deus, ibi etiam sequitur vitæ emendatio, pietatis opera.

17. *Et auferam nomina Baalim.*

Explicatio est superioris versus. Explicat autem duo. 1. Quis futurus sit autor resipiscentiæ in Israelitis & quis autor reformati cultus & repurgatæ religionis? Deus. Ait enim: *Et auferam* scilicet Ego, non alius. 2. Qualis futura sit illa religionis purgatio, & veri cultus instauratio perfecta. Ita vt nullæ superstitionis reliquiæ cultus idololatrici. Ait enim primò: *Auferam ab ore.* Deinde: *Et non recordabitur ampliùs.* Quasi dicat etiam ex memoria auferam.

Sensus est: Contenti erunt vno solo Deo & pura fidei confessione, nec miscebunt sua commenta cum puro Dei cultu: contenti erunt puro verbo.

1. Obseruemus, non esse verè reformatum cultum Dei, religionem, Ecclesiam, si reliquiæ aliquæ falsæ religionis remaneant adhuc in Ecclesia. *Auferam*, inquit, *de ore, & non recordabitur ampliùs.*

2. Illud *Recordabitur*, emphasin habet. Memoria pristini cultus falsi excitat hominem ad illum reuocandum. Nihil igitur superesse debet papisticum, nisi velimus, illum reuocari. Ideò damnantur reges pij aliquot, qui reliquerant sacella in Israel.

3. *In die illo*, refertur ad castigationem. Quasi dicat, cum fuerit benè castigata. Ergò nisi accedat ferula Dei non possunt verè reformari Ecclesiæ, & purus cultus restitui. Res patet hoc nostro seculo. In quibus videtur reformata religio? In ijs qui fuerunt in deserto afflictionum, persecutionum Antichristi. Qui nati sunt sub Euangelio, stupidi sunt, & impuram ferè habent religionem.

18. *Et feriam illis fœdus.*

In superioribus huiusce promissionis versibus, duo in summa conclusit. 1. Quòd Deus tempore noui testamenti, ipsis etiam Israelitis, id est, electis, placandus erat, & hanc reconciliationem tum interna inspiratione, tum externis beneficijs illis perfecturus. 2. Quòd ipsi vicissim Israelitæ, vbi fuissent in obsequium Dei inclinati & de reconciliatione cum Deo persuasi, perspicuis pœnitentiæ fructibus declaraturi erant, se verè in gratiam cum Deo rediisse. Inter quos fructus pœnitentiæ primus est, gratiarum actio, alter, qui reliquos complectitur omnes, perfecta diuini cultus & religionis repurgatio Non ampliùs inuocare Baalim, sed Deum verum, eúmque solum.

Nunc illis duobus subijcit hoc tertium, quòd scilicet Israelitæ postquam redierint in gratiam cum Deo, & ij si reuera senserint in conscientia, & aliis vitæ renouatione declararint, se cum Deo in gratiam rediisse, consequenter etiam habebunt & ipsi sentient se habere reliquas creaturas omnes conciliatas & amicas, nullam creaturam esse sibi aduersam, ac proinde in summa pace & animi tranquillitate felicissimè viuent.

Hoc autem optimè consequitur ex superioribus. Sicut enim cum Deum habemus aduersum, reliqua etiam omnia habemus aduersa. Qui enim Regem aut Imperatorem habet iratum, vniuersum quoque illius exercitum sentiet sibi aduersum. Ita contra cum Deum habemus propitium, reliquas quoque creaturas omnes, quæ sunt exercitus Dei, habemus & sentimus propitias. Et per consequens, cum nihil contra nos pugnet, neque Deus, neque ipsius creaturæ, in maxima pace & tranquillitate viuimus.

At quomodo, cum Deum habemus aduersum, omnia quoque sentimus aduersa, & cum Deum habemus propitium, omnia reliqua sentimus propitia & amica? Annon videmus impios, qui Deum habent aduersum, mundum habere propitium: & contra filios Dei, qui Deum habent propitium, habere mundum aduersum? Resp. Quòd dicis, verum est, si spectemus externa tantùm & carnem. Sed quòd dixi Ego, bifariam intelligitur. 1. Quo ad finem. Impijs, qui Deum habent aduersum, omnia cooperantur ad mortem & damnationem, & ita omnia impijs sunt aduersa. 2. Cor. 2. *Sumus odor mortis in mortem in quibus pereunt.* Pijs verò, qui habent Deum propitium, omnia cooperantur ad salutem & ita omnia habent propitia. Rom. 8. 2. Intelligitur, Quo ad sensum conscientiæ & animæ. Impij, qui sentiunt se habere Deum propter sua peccata aduersum, reliquas creaturas omnes habent pro hostibus, & ab illis semper sibi timent, tanquam ab exercitu Dei, quem sentiunt aduersum & habent pro inimico. Pij verò, qui sentiunt Deum sibi esse propitium, & habent pro patre, vniuersum quoque Dei exercitum, id est, creaturas omnes, sentiunt sibi esse amicas, & ab eis sibi non metuunt. Dicunt enim cum Paulo Rom. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos: Scimus, quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, &c.*

Totum hoc in Adamo, tanquam in speculo clarissimè perspicimus. Ante peccatum, cum haberet Deum amicum, omnia erant ei subiecta, nihil ei aduersabatur, & nihil ipse timebat: vbi verò propter peccatum Deum habuit aduersum, omnia ei rebellarunt: Et nos propter peccatum quotidie experimur hanc rebellionem creaturarum contra nos.

Nunc tenemus solutionem huius quæstionis, quomodo qui Deum habeant propitium, reliqua etiam omnia habeant propitia & in summa pace viuant. Contra verò omnia habeant aduersa, qui Deum habent aduersum. Videamus igitur, quid dicat Deus per Prophetam.

Et feriam illis, id est, nomine illorum, in gratiam & salutem illorum, *fœdus*. Sensus est, Postquam Ego Israelitis placatus, fœdus cum illis renouauero & firmauero, tunc quoque renouabo & firmabo fœdus inter Israelitas, & bestias agri, reliquasque creaturas. Quodnam est hoc fœdus?

Est illud, quod ante peccatum fecerat Deus inter hominem & animantia omnia dicens: *Dominamini piscibus maris.* Illius fœderis hæc erat summa: nempe, vt nullum animal noceret homini, sed contrà potius omnia ei subiecta essent, & inseruirent, vt suo domino. Cæterum fœdus hoc pendebat à fœdere Dei cum homine: nempe, vt ipse homo subiectus esset, inseruiretque Deo, vtpote Domino suo. Summa igitur erat. Vt si homo maneret subiectus Deo, eique, vt domino suo, obtemperaret, fore, vt ipsa quoque animantia vniuersa subiecta essent homini, eique, vt Domino suo, inseruirent. Atqui quoniam homo non stetit in fœdere Dei, sed à Deo defecit contraque Deum rebellauit. Idcircò tum quoque factum fuit, vt reliqua animantia rebellarint contra hominem. Hæc caussa, cur sæpè postea Deus diuersa animantia, & reliquas creaturas, quæ homini inseruire debebant, contra hominem armarit. Nunc igitur quia promisit, se renouaturum fœdus inter se & populum, consequenter promittit, fœdus quoque in populum & bestias se renouaturum, vt scilicet homini non noceant, sed potius ei subiecta ad salutem inseruiant, eo scilicet modo, quo initio declaraui. Genes. etiā versu 10 fœdus renouauit cum Noa, filiis eius & bestiis terræ, se curaturum, vt non omnes bestiæ prorsus pereant, sed in gratiam hominis viuant, atque inseruiant, Hoc est fœdus, quod etiam hic promittit se facturum.

Tenemus nunc mentem Prophetæ in iis verbis. *Feriam his fœdus in die illa cum bestiis agri.*

Sequitur de hominibus, qui etiam ipsi nihil nocebunt filiis Dei, sed cum ipsis etiam filii Dei pacem colent.

Et arcum, & gladium & bellum.

Id est, omnia instrumenta bellica tollam quibus homines pugnant inter se. Instrumenta autem bellica pro ipso bello ponuntur. Est enim sensus. Tollam etiam bellum, pugnas, & contentiones, è terra, ipsis scilicet filiis Israel.

Hæc est magna Dei benedictio, quam promittit filiis Dei veris Israelitis. 1. Vt omnia animantia, & consequenter creaturæ omnes illis sint subiectæ, sicut initiò ante peccatum. Nihil ergò homini deerit ad vitam feliciter degendam. 2. Vt neque vllum eis ab vllo inferatur bellum, sed alant inter se, & cum omnibus hominibus pacem. Nam, si omnis rerum copia tibi suppetat, deinde bello infesteris, felix vita esse non potest. Ideo alterum inde subiecit, dicens: *Tollam omnem arcum.* Quid ex iis duobus consequitur? vita beata & felicissima, ideò sequitur 3.

Et quiescere seu dormire *vos faciam in securitate.*

Alteram pacem promittit filiis Dei tanquam cumulum beatæ vitæ. Nam etiamsi reliqua omnia abundè nobis suppetant: nisi tamen degamus in pace, misera est nostra conditio. Hoc igitur versu in summa promittit, filios Dei, postquam reconciliati Deo fuerint, victuros vitam felicissimam & beatam.

At, inquies, hæc est dies illa, qua promisit hanc pacem & beatitudinem filiis Israelis electis: Et tamen nondum videmus impletum hoc vaticinium, nondum videmus animalia subiecta omnia, sed multa aduersantur & nocent. Mundus etiam bella facit filiis Dei, imò inter se filii Dei sæpè pugnant.

Respon. 1. Vt alias dixi, hæ promissiones de perfecta pace & beatitudine in regno Christi, perfectum complementum non habent in hoc seculo, sed in altero. Ratio. Quia etiam nos in hoc seculo imperfectè & inchoatiuè tantùm sumus sancti, & non perfectè Deo seruimus. 2. Prophetæ, cùm promittunt hanc pacem, & felicitatem in regno Christi, duplicem eam intelligunt. Vnam internam & spiritualem cum Deo, & cum nobis ipsis seu cum nostro spiritu, mente, & conscientia. Alteram externam, cum aliis hominibus, & reliquis animantibus.

Internam hic habemus, sed etiam eam imperfectam, vt ante dixi. Quia sumus adhuc peccatores, & fœderis diuini transgressores, etiam nostra conscientia nos quotidiè accusat & vexat.

Externam quoque quodammodo cum omnibus hominibus & animalibus, sed imperfectè habemus, quatenus scilicet, etiamsi contra nos sæpè insurgant: tamen non prorsus nobis aut aduersantur aut nocent. Non aduersantur, quia nihil aduersi nobis omnino inuitis accidit. Volumus enim, quidquid nobis aduersi accidit, quia volumus, quod vult Deus. Scimus autem, Deum velle, vt ea nobis aduersa contingant, quæ contingunt. Non etiam prorsus nocent, quia etiamsi noceant carni, non nocent spiritui & omnia nobis cooperantur ad salutem, vt ait Paulus Rom. 8. Itaque quod ad nos attinet, pacem habemus cum omnibus, & viuimus ac dormimus in pace & securitate, præsertim conscientiæ, quanquam imperfectè, vt dixi.

Videmus igitur hoc vaticinium & in hoc seculo suum habere locum magna ex parte in filiis Dei, perfectum verò complementum habiturum in altero seculo.

In hoc versu obseruandum. 1. A peccato proficisci, vt res creatæ nobis sint aduersæ. Peccato enim prouocamus iram contra nos, Dei autem ira in nos prouocata. Deòque facto nobis infesto, omnes etiam Dei creaturæ nobis fiunt aduersæ. A peccato igitur proficiscitur, vt creaturas Dei nobis aduersas esse sentiamus. Hoc colligitur ex verbis illis: *Percutiam fœdus cum bestiis terræ.* Ostendit enim, se in manu habere omnes creaturas tanquam suum exercitum, & illas contra Israelitas armasse propter transgressiones. Propterea se etiam facturum, vt desinant esse aduersæ, si nos reconciliemur Deo, & ei aduersari desinamus. Alibi etiam in lege & in Prophetis idem ostendit Dominus, nos scilicet habituros omnia aduersa, si Deum contra nos peccatis irritemus Deuter. 28. id perspicuè docet Amos 5. *Si domi te includas, serpens illic te mordebit.* Si domum egrediaris, vel Vrsus vel Leo tibi occurret in via. Quasi dicat. Non poteris euadere & effugere vindictam.

2. Ex eo, quod ait, *Conteram arcum,* à contrario obseruandum: Bella igitur in nos & pugnas & prælia moueri, ex eo, quòd nos Deo repugnare non desinamus. Contrà, si qua igitur nobis pax contingat, id ex Dei bonitate proficiscitur, qui nos primò sibi reconciliat: deinde tollit etiam è terra arcum gladium, bellum. Ipse enim solus est, qui tollit bella. Ideò ait: *Ego tollam arcum.* Cùm igitur videmus, moueri nobis bella: primùm recipiamus nos in gratiam cum Deo, desinamus pugnare contra Dominum, & ipse vicissim tollet è terra arcum & bellum.

3. Ex eo, quod ait: *Et habitabunt* obseruandum. Si aliquando habitamus confidenter, hoc soli Dei gratiæ dandum esse. Ipse enim solus est qui facit habitare confidenter, siue pax hæc sit in conscientia & in spiritu, siue externa.

21. *Et desponsabo te mihi.*

His quinque versibus insequentibus quinque facit Propheta. 1. Confirmat promissionem prædictam. Quòd scilicet Deus sit hunc populum, id est, veros Israelitas recepturus in gratiam, & hoc in metaphora coniugii persistens ac dicens *Desponsabo te mihi.*

2. Docet, quòd hæc conciliatio, & in gratiam receptio, erit firma & perpetua, vt non amplius hic populus sit a Deo repudiandus, & hoc, dicens, *In perpetuum*

3. Explicat modos seu leges, quibus fiet vt hæc reconciliatio & in gratiam reditio maneat perpetua, id in iustitia & iudicio, in gratia, vel in beneficentia & miserationibus, in fide, & cognitione Dei. Hæc tria vers. 21. 22.

4. Docet, vbi facta fuerit hæc reconciliatio, & populus habuerit Deum propitium nihil illi defuturum. Quidquid enim opus fuerit, & desiderarit, totum illud consequetur. Itaque beatus erit, hoc verso 23 & 24.

5. Quòd iste populus, qui ex dissipatione inter gentes superfuturus erat, & Deo reconciliandus, longè latéque in vniuersam terram diffundetur, & quòd quantò grauior fuerit ira Dei in populum, tantò maior sequetur misericordia benedictióque, hoc, versu 25. Est enim ibi vaticinium de Ecclesiæ verique Israelis in vniuersa terra propagatione & felicitate.

Iam quantum ad illa tria prima, quæ continentur in ver. 21. 22. sic ait: *Et desponsabo te mihi.*

Antequam singula verba explicem, notandum. 1. Hanc esse simplicem, & Euangelicam sine vlla conditione promissionem. Hic enim nihil exigit Deus, sed simpliciter promittit, quid velit ipse suæ Ecclesiæ facere, adeò, vt promittat etiam fidem, sine qua reliquæ promissiones in nobis locum habere non possunt. Est ergo perfectissima & absolutissima promissio omnium, quæ Ecclesiæ ad salutem necessaria sunt.

2. Promissionem hanc non esse de simplici reditione populi in gratiam cum Deo, sed de illa, quæ futura erat per Christum. Ideóque hoc esse vaticinium de nouo fœdere per Christum, inter verum Israelem & Deum faciendo, pérque suum sanguinem confirmando in perpetuum.

3. Hanc promissionem fieri 1. toti Ecclesiæ veri Israelis. 2. vnicuique Israelitæ secundum spiritum, id est, electo. Quoniam quod de tota Ecclesia dicitur, illud in vnoquoque vero Ecclesiæ membro impletur.

Est itaque vaticinium maximi momenti, & plenum consolationis: proinde diligenter explicandum & attentè audiendum.

Et desponsabo te mihi.

1. Non ait, Si resipueris, recipiam te in gratiam, & desponsabo, sed absolutè, *Et ego te desponsabo.* Est igitur absolutissima promissio, qua sine vlla conditione promittit Deus se suum populum in gratiam recepturum & seruaturum. Proinde qui est populus Dei, Israel secundum spiritum, & prædestinatus, propter hanc promissionem absolutam certò sibi persuadeat, se perire non posse. Nam, quia salus sine fide haberi non potest, ideò etiam hanc promittit, dicens, *Desponsabo in fide, & tunc cognoscent Dominum,* vt postea explicabimus.

2. Neque illud caret mysterio, quod, cum hic loquatur de receptione populi sui in gratiam, non tamen ait: Et Ego te in gratiam recipiam, sed ait: *Et desponsabo te mihi.* Videtur certè absurda hæc locutio in præsenti loco, si spectemus ad quem habeatur hæc concio. Habetur ad Ecclesiam Israeliticam, quam antea appellauerat vxorem suam, sed fornicariam &, vt fornicariam, repudiauerat. Deinde dixerat, se hanc fornicariam spoliaturum nudam, in desertum abducturum: & tamdiu castigaturum, donec resipiscens, rediret ad priorem maritum, & modò subiicit, se illam recepturum in gratiam. Iam cum vxor repudiata redit ad maritum, & maritus eam iterum in gratiam recipit, non certè dicitur desponsari, seu non fit noua desponsatio, sed prior tantùm confirmatur. Desponsare enim aliquam, est quæ antea nunquam fuit vxor tua, eam in vxorem accipere. Cur igitur non ait: Et Ego recipiam te in gratiam, nec tibi imputabo flagitia & fornicationes, quas admisisti, sed ait: Desponsabo?

Ratio

Ratio est. Quoniam hic non loquitur de confirmatione aut instauratione veteris fœderis inter se & populum illum fornicatorum, sed de novo fœdere per Christum faciendo inter se & novum Israelem secundùm spiritum. Pronunciauit supra in primo capite, se hunc Israelem carnalem tanquam vxorem fornicatricem repudiasse, ideóque fœdus cum populo illo irritum esse factum. Nunc itaque de nouo fœdere per Christum inter Deum & nouum Israelem, secundùm spiritum faciendo, perque eius sanguinem in perpetuum confirmando loquitur.

Cùm autem Deus nouum fœdus facit cum populo aliquo, dicitur illum sibi populum desponsare, quoniam fœderis vinculo se vnit cum populo, & populus vicissim vnitur Deo, sicut sponsus cum sponsa, & sponsa cum sponso, fide coniugii vtrinque data. *Et sicut ii duo fiunt vna caro: sic, qui adhaerent Deo vnus spiritus efficiuntur cum Deo*, vt ait Paulus.

Atqui Deus repudiato Israele secundùm carnem, propterea quod prioris fœderis iura transgressus, factus erat adulter, nouum Israelem secundùm spiritum nouo fœdere, ceu nouo coniugio sibi erat per Christum copulaturus.

Ergo hæc est caussa, cur dicat: *Desponsabo te mihi*, quia de nouo fœdere ceu nouo connubio loquitur. Hæc enim locutio valet ac si dicat: Ego te tanquam nouam & prorsus integram virginem, nulla fornicatione contaminatam, nouo & æterno connubio mihi coniungam. Tenemus caussam, cur dicat, 2. *Desponsabo*. Quia de nouo fœdere loquitur.

3. Ac rursus de notandum, illud Te, non esse referendum ad populum illum reprobum & idololatram, ad quem habebatur hæc concio. Illum enim non erat recepturus in gratiam, quia iam repudiatus sine misericordia fuerat, sed illud Te referendum esse ad totum corpus Electorum, qui sunt veri Israelitæ, & præsertim ad eos, qui futuri erant in eo populo Electi, populus sanctus, populus acquisitionis, sectator bonorum operum, vt ait Petrus & Paulus. Hunc enim nouum Israelem non simpliciter recepturus erat in gratiam, sed nouo longéque alio à priori fœdere, sibi, sicut vir nouam vxorem, adiuncturus & copulaturus, & illum futurum Israelem, in spiritu alloquitur hic Deus, cùm ait: *Desponsabo te mihi*. Quasi dicat Ego te, ô noue Israel, tanquam nouam sponsam, repudiata priore, mihi nouo coniugio desponsabo.

4. Te, scilicet totam, & quo ad carnem, & quo ad spiritum, mihi vere sancto connubii vinculo coniungam, & ita ambo simul fiemus vna caro & vnus spiritus. Sic interpretor illud. *Te mihi desponsabo*. Mihi enim dubium non est, propter verbum *Desponsabo*, quin hic Propheta vaticinetur de connubio, quod futurum erat inter Christum & Ecclesiam. In illo autem connubio fuit duplex essentialis Christi cum Ecclesia coniunctio. Vna Spiritus, altera carnis. Sic etiam in quolibet vero connubio requiritur hæc essentialis coniunctio. Prima animorum, id est, eadem viri & vxoris in idem consensio, vt fiant ambo tanquam vnus animus in duobus corporibus. Secunda carnis, vt fiat duo in carnem vnam. Sic in connubio Christi cum Ecclesia duplex hæc fuit coniunctio. Prima, spiritus Christi cum spiritu Ecclesiæ, vicissim spiritus Ecclesiæ cum spiritu Christi. Tunc enim vera fit hoc coniugium, cùm Christus suum nobis spiritum communicat, & nostrum suo coniungit, & ita fiunt ambo vnus spiritus, iuxta illud Pauli 1. Cor. 6. Qui adhæret Deo, vnus spiritus efficitur cum illo. Et hoc est primum & essentiale in hoc matrimonio, quod propterea spirituale appellatur, quia totum essentialiter consistit in coniunctione spiritus Christi cum spiritu Ecclesiæ seu nostro.

Secunda coniunctio in connubio Christi cum Ecclesia, est coniunctio carnis. Christus enim carnem nostram sumsit, & ita factus est nobiscum vna caro. Hinc illud Ephes. 5. *Erunt duo in carnem vnam*. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & Ecclesia. Item, *Sumus os ex ossibus eius, & caro de carne eius*.

In his duobus potissimùm consistit connubium Christi cum Ecclesia. Duo igitur essentialiter promittit cùm ait: *Desponsabo te mihi*. 1. Quòd velit suum spiritum cum illius spiritu coniungere. 2. Quòd velit illius etiam carnem assumere & ita eam perfectè in gratiam recipere: perfectóque connubii vinculo copulare. Ergo cùm ait, Te, intelligit & spiritum & carnem, id est, totum te.

Tacitè verò in hac dictione, desponsabo, nouo scilicet coniugio complectitur etiam externi cultus, & externorum signorum innouationem, neque enim connubium fit sine externis symbolis, vt annulo. Nouum autem connubium, noua requirit symbola. Tacitè ergo vaticinatur, se renouaturum sacramenta & externum religionis cultum sub nouo testamento.

5. *Desponsabo* scilicet Ego. Innuit illa dictione, Ego, Deum ipsum esse autorem nostræ reconciliationis, & consequenter nostræ salutis ipse est, qui prior venit ad nos, & nos sibi ipse desponsat. Non nos ipsum præuenimus aut quærimus in sponsum, sed ipse præuenit nos, vt desponset nos sibi. *Ego*, inquit, *desponsabo te*. Huc illud 1. Iohan. 4. *Non quòd nos priùs dilexerimus eum, sed ipse prior dilexerit nos*. Væ nobis, si Deus nos non præueniret.

Nihil igitur nos reconciliat Deo, eique desponsat, nisi Deus ipse 2. Cor. 5. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.

6. *Mihi* Cui mihi? Mihi Deo. Deus enim ibi loquitur. Atqui Paulus ait, Ecclesiam desponsatam esse Christo. Eph. 5. Item 2. Cor. 11. Desponsi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Item Iohan. 3. Christus sponsus appellatur.

Ergo ex hoc loco aperte colligimus, Christum esse illum verum Deum, qui loquebatur in Prophetis.

Est verò quotidie in memoriam reuocanda hæc particula, & attente consideranda, cui scilicet simus desponsati. Soli Christo desponsati sumus. Ergo & animam & corpus soli Christo debemus. Si sponsæ sumus Christi, cur ergo prostituimus spiritu ipsis sanctis demortuis cùm illos inuocamus? cur etiam corpora idolis ipsis, cùm ea colimus?

7. Nec simpliciter ait *Desponsabo te mihi*, sed addit, *In perpetuum*.

Hoc est secundum præcipuum caput, quod tractat in hac promissione: nempe futurum hoc nouum connubium, seu hoc nouum fœdus inter Deum, & nos perpetuum.

Cùm ait: *Desponsabo te mihi in perpetuum*. Innuit suum connubium cum Israel factum esse irritum, vt suprà etiam ostendit, diuortium factum esse inter Deum & Israelem. Nomine autem Connubii intelligit fœdus, vt declarauimus. Tacitam ergo hic facit ἀντίθεσιν inter primum fœdus, quod pepigit cum Israele in monte Sina, & inter fœdus alterum, quod pacturus erat in monte Zion per Christum. Et illud primum docet fuisse non perpetuum, istud verò nouum futurum perpetuum. Totum hoc perspicuum est.

Sed hic quatuor sunt necessariò ad perfectam huius loci declarationem explicanda.

1. Quoniam dicit fieri hic à Propheta ἀντίθεσιν inter primum vetúsque, & inter secundum nouumque fœdus seu connubium: numquid igitur illud & istud duo fuerunt diuersa fœdera? Hoc igitur primo loco explicandum est, vtrum vetus & nouum diuersa fuerint fœdera, an verò vnum tantùm & quomodo? 2. Vbi ostensum fuerit, duo esse diuersa fœdera, & quomodo: videndum erit, quomodo intelligendum sit, illud primum non fuisse perpetuum, & istud esse ac futurum perpetuum. 3 Quid verò in caussa fuit, cur illud non fuerit perpetuum, primò in se, quo ad quædam accidentia, secundò, in ipsis hominibus etiam, quo ad substantiam? Contrà verò quid in caussa, cur nouum sit perpetuum, primò in se, secundò in ipsis hominibus? Hinc patefiet 4. an primum in omnibus, qui in eo fœdere erant, fuerit perpetuum? an tantùm in quibusdam? ita de nouo, an in omnibus sit perpetuum, nécne?

Pauci autem hæc quatuor expediam. Quia non est mihi propositum (vt initio præfati sumus) locos communes pertractare in hoc Propheta, tantum quæ ad alicuius loci explicationem necessaria videntur, explicanda sunt.

Quo ad primum igitur, hæc esto breuis responsio. Vetus & nouum fœdus, quo ad substantiam & rem ipsam, sunt vnum atque idem fœdus. Quò verò ad quædam accidentalia, seu accessoria, duo sunt & diuersa. Vtrumque membrum huius conclusionis explico: sed si prius explicamus, quid sit fœdus, & quot ac quæ ad fœdus faciendum concurrant.

Fœdus Dei cum homine, est mutua pactio, in qua Deus ex mera gratia & propter Christum, duo in summa promittit. 1 Quòd velit hominis esse in Deum. 2. Quod velit ei dare terram Chanaan, id est, cœlestem hæreditatem, seu 2. ait, se nos recipere in gratiam, condonatis peccatis omnibus, propter Christum, & iustitia Christi imputata. 3. Promittit se donaturum in hæreditatem, cœlestem vitam. Et duo vicissim ab homine stipulatur. 1. Fidem, qua credat vere Deum sibi propter Christum, & ex gratia factum esse patrem, se receptum in gratiam, condonatis peccatis, cum Deo. 2. Obedientiam, id est, vt suam vitam ad placitum Dei componat, externisque symbolis, vtrinque fidem sibi inuicem datam, confirmet.

Probatio huius definitionis petatur ex fœdere cum Abrahamo, Gen. 17. & ex fœdere cum Israel in monte Sina, Exod. 20. & alibi.

Quatuor ergo sunt præcipua capita essentialia in hoc fœdere, vel forte quinque sunt capita essentialia, & quintum sunt externa Sacramenta, quibus confirmatur fœdus, quanquam non semper eadem symbola

2. Est diuina promissio, qua, cùm asserit, se nos in gratiam

recipere, condonare peccata, & nobis esse patrem, tunc promittit, se nobis tanquam filiis, tum quæ ad hanc vitam necessaria sunt, tum ipsam postremo hæreditatem daturum. Patet in fœdere cum Abrahamo facto, Gen. 17.

2. Est nostra promissio, qua Deo duo a nobis stipulanti promittimus. 1. Fidem in suam promissionem. 2. Obedientiam in suam legem. Hoc patet in fœdere cum Abrahamo. 1. ait: *Tu custodies pactum meum*, id est, credes vere meæ promissioni, conseruabis, tanquam verissimam in corde tuo, hanc meam promissionem tibi factam. Quòd ero Deus tuus *Schaddai*. 2. ait: *Ambula coram me*. id est, vitam tuam institue iuxta meum placitum. Concludit. *Et esto integer, tum fide, tum obedientia, sive, tum animo, tum corpore*. Sic in lege idem patet.

3. Ratio fœderis faciendi, seu promittendi est, qua Deus ex gratia, citra nostra merita fœdus hoc nobiscum init, fœdúsque hoc nullis nostris suffultum est meritis.

4. Est medium, per quod fœdus hoc nobiscum iuit. Hic est Christus mediator, per quem solum vult Deus, vt complementum suarum diuinarum promissionum consequamur, &, si quid opus habemus, per eum solum recipiamus.

Iam si spectemus hæc quatuor capita, videmus eadem fuisse tam in veteri testamento, quàm in nouo. 1. Quod promittit nobis, idem etiam Israeli. 2. quod stipulatur a nobis, idem etiam ab Israelitis. Quid? id quod ab Abrahamo primùm. 3. Eadem ratio promittendi gratia sine meritis nostris. 4. idem mediator, per quem & illi & nos, promissionis Dei complementum assequimur. 5. Sunt etiam vtrobique signa aliquot externa, seu sacramenta, quibus fœdus vtraque pars confirmat, sed signa sunt diuersa.

Quò verò ad quædam accidentia, diuersa sunt. Sunt autem hæc quinque, quæ efficiunt, vt vnum & idem differant. Non enim sunt diuersa. 1. propter res nouas promissas: nec 2. propter nouam stipulationem: nec 3. propter nouam rationem promittendi: nec 4. propter nouum medium assequendi promissiones. Quia hæc quatuor eadem vtrobique sunt, sed propter noua accessoria, seu propter nouam illam administrandi rationem. Et 1. Quia nouo modo res promissas cælestes ostendit, clare scilicet & aperte, non sub velamine beneficiorum terrenorum & terræ Palestinæ. Ostendit solem sine nubibus, cùm illis ostenderet nubibus obductum. 2. Quia nouo sanguine, nempe Christi ipsius, non pecudum, nouóq. sacrificio corporis Christi fœdus confirmauit & corpus ipsum, id est, rem ipsam exhibuit, cùm illis tantum vmbras & figuras ostenderit. 3 Quia nouo modo in nouis tabulis carnalibus, scilicet cordis, non in lapideis nouo atramento, scilicet spiritus sancti scripsit. 4. Quia nouo sigillo, spiritu scilicet adoptionis, qui generat in libertatem, non spiritu timoris, qui generat in seruitutem, obsignatum est in cordibus. 5. Quia nouo populo, Israeli scilicet secundùm spiritum tam ex gentibus, quàm ex Iudæis administrauit, adde etiam si vis, quia nouis quoque symbolis externis obsignauit.

Ob nouum igitur modum, quo nobis est administratum, idem fœdus essentia, nobis nouum est, patribus ante Christum vetus, & duo fœdera esse dicuntur.

Simile. Esto vnus qui testamento quibusdam suam hæreditatem, id est, talia & talia bona legat. Hoc testamentum primò scribitur in debili papyro. 2. non confirmatur testatoris morte non intercedente, quia adhuc viuit. 3. non obsignatur sigillo publico Senatus aut Notarii publici. Summa, non est authenticum adhuc. Postea idem substantia (eædem enim prorsus res legantur) primò scribitur in bona charta pergamena forti, quæ perpetuò durat. 2. confirmatur morte testatoris intercedente. 3. obsignatur sigillo publico & explicatur.

Ab hoc simili tria colligimus. 1. Duo sunt testamenta, si spectes accidentia, diuersas chartas, in quibus scriptum est, & variam rationem scriptionis. Si substantiam rerum legatarum, quæ vna est, & testatorem, qui idem est, sunt vnum & idem. 2. Illud primum non erit perpetuum, quia in mala papyro scriptum est & non est authenticatum. Alterum erit perpetuum, quia in bona & forti charta & authenticatum est. 3. Illud primum est inutile. Si enim accedas cum illo ad executores testamenti, vt accipias hæreditatem, non habebis. Quare quia nullius est valoris, cùm sit in tali papyro, non confirmatum morte testatoris intercedente, nec obsignatum sit illo publici Notarii, nec authenticatum. Ideo inutile & imbecillum ad probandum, tibi cedendam esse hæreditatem. Alterum est vtile & efficax. Si enim accedas cum eo, & ostendas, tibi in eo testamento legatam esse hæreditatem, ingredieris in possessionem.

Sic de testamento veteri & nouo dicendum.

Sunt vnum & idem, quo ad substantiam. Sed quo ad accessoria, duo diuersa. 1. Illud non perpetuum quia scriptum in tabulis lapideis externis quæ destruuntur, nec est confirmatum morte testatoris Christi, qui est ille Deus, qui testamentum fecit cum patribus, nec obsignatum sigillo spiritus sancti, publice & palàm missi de cœlo. Hoc est perpetuum, quia scriptum in cordibus electorum, quæ corda nunquam pereunt, ideò perpetuò ibi manet. 3. Illud nullius valoris, nec potest in hæreditatis possessionem intromittere. Quare? propter infirmitatem, inquit Apostolus, & inutilitatem. Vbi posita hæc infirmitas & inutilitas? in modo quo scriptum est, quia scilicet in tabulis lapideis externisque, non obsignatum sigillo spiritus, in cordibus. Illud intromittit in hæreditatem. Quare? propter firmitatem & authenticationem. Vbi posita? in modo, quo est scriptum, nempe in cordibus & quo est obsignatum: nempe in spiritu. & quo est confirmatum: nempe sanguine testatoris, quo sanguine corda nostra sunt adspersa.

Summa, Qui vult hæreditatem cœlestem testamento legatam à Christo suis electis & fœderatis, oportet, vt testamentum secum adferat in cœlum ad patrem, qui est executor testamenti. Vt enim testamenti capiunt hæreditas. Atqui nisi in corde scriptum illud habeat, ferre in cœlum non potes. Non enim eò fertur papyrus, nec tabulæ lapideæ, sed corde tantum & spiritu ascendere in cœlum possumus pro hoc tempore deinde tota anima, postremò etiam corpore. Ergo nemo potest hæreditatem assequi, nisi testamentum scriptum habeat in corde & anima.

Tenemus, cur idem essentia rerum, dicatur nouum, & vetus, caducum, & perpetuum, infirmum, inutiléque, & firmum perficiénsque cultorem. Sic præceptum caritatis dicitur vetus, & nouum, ob eandem caussam.

I. Quo ad secundum. Fœdus tam nouum, quàm vetus fuisse, aut non fuisse, vel esse, aut non esse perpetuum bifariam intelligi potest vel in se vel inter ipsos, qui ex fœdere colligantur. Dicamus de primo fœdere.

Primum fœdus, quo ad primum modum, id est, quo ad se, si spectes ipsius substantiam, æque perpetuum est atque hoc nouum. Quo ad substantiam, vnum atque idem fœdus sunt primum & secundum, vt iam ostensum est. Non possumus ergo dicere, illud primum, quo ad substantiam in se factum esse irritum, quin idem sequatur necessariò etiam de secundo fœdere. Ergo quo ad substantiam in se, tam illud, quam hoc perpetuum est.

Deinde fœdus, quod Dominus pepigit cum Abrahamo, Gen. 17. idem fuit, quo ad substantiam, cum illo, quod pepigit cum Israel in monte Sina. Quid enim ibi in Genesi promittit Abrahæ? se futurum illi in Deum & quidem in Deum *Schaddai*, & bonorum omnium copiæ cumulo, daturúmque terram Chanaan, id est, tum ea quæ ad hanc vitam necessaria sunt tum imprimis vitam æternam, cuius typus erat terra Chanaan. Hæc fuit lex in eo fœdere, quam Deus in se recepit.

Quid verò vicissim ab Abrahamo stipulatur? vt velit ipse & semen eius esse Deo in populum id est velit Deum solum in omnibus suis rebus habere pro suo *Schaddai*, pro sua omni sufficientia, ideòq. toto illi corde adhærere, vt velit totam suam vitam instituere ad placitum Dei. Hoc enim significat, cùm ait: *Tu custodies pactum meum*, id est, habebis me pro tuo *Schaddai*: nec alium agnosces pro tuo Deo, & qui tibi possit quidpiam boni dare, quam me. *Ambula coram me* id est tuam vitam institue ad meum placitum, *Et esto integer*: nempe & quo ad animum, & quo ad corpus, totámque vitam, esto syncerus, integer, nullo modo corruptus.

Hoc fuit fœdus Dei cum Abrahamo, quo ad substantiam. Atqui idem etiam fuit fœdus, quo ad substantiam, quod pepigit cum Mose & toto populo. Patet hoc ex verbis Mosis *Exo.* 20. Ego sum Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Non habebis Deos alienos coram me *Deut.* 10. Et quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius? *Deut.* 13. Dominum Deum vestrum sequimini ipsum timete, mandata ipsius custodite, ipsi seruietis, & ipsi adhærebitis. *Mich.* 6. Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat a te, vtique facere iudicium &c. Et certe quod in lege Decalogi explicatur decem præceptis, idem est, quod paucis verbis continetur in fœdere cum Abrahamo. Idem ergo fœdus cum Abrahamo, & cum Israele, quo ad substantiam. Sic igitur concludamus.

Idem est fœdus, quo ad substantiam, pactum cum Abrahamo, & id, quod pepigit cum Israel. Atqui illud fuit, & est perpetuum, quo ad substantiam ipsius fœderis in se, vt aperte Dominus pronunciat Abrahæ. Gen. 17. vbi fœdus suum fœdus sempiternum vocat. Ergo etiam fœdus cum Mose est sempiternum, quo ad substantiam attinet.

II Primum fœdus, quo ad se, si spectes ipsius accessoria, non

non fuit, nec debuit esse perpetuum, sed temporale, vsque ad aduentum scilicet Christi. Probationes subiiciam, vbi ostendero, quæ sint ista accessoria.

Accessoria erant, quo ad Deum, illæ particulares promissiones de conseruando & defendendo populo in terra Canaan, de conseruando sceptro in Iuda vsque ad aduentum Messiæ, de conseruandis Prophetis in ea Ecclesia vsque ad Christum, denique omnes speciales promissiones de particularibus quibusdam bonis & beneficiis in illum populum conferendis. Hæc enim erant ceu accessoria quædam illi vniuersali promissioni *Ero Deus tuus & ero vobis in Deum*. Debebant autem vsque ad Christi aduentum perdurare, non vltrà.

Accessoria quo ad populum, quæ illi erant seruanda, erant leges ceremoniales, quo ad religionem, & iudiciales, quo ad politiam. Ceremoniales, vt tale sacerdotium & sacerdotii ministerium, talia sacrificia, talis ordo in Ecclesia, talia Sacramenta, tales circumcisiones in carne. Hæ omnes ad Christum duntaxat perdurare debebant.

Iudiciales verò leges erant illæ, quæ sunt præter Decalogum & ceremonias in Exodo, Leuitico, Deuter. Hæ in eo populo debebant esse perpetuæ, donec retinerent in se sceptrum & Magistratum. Et quia carnale sceptrum duraturum erat vsque ad Christum, ideo debuerant esse perpetuæ vsque ad Christum.

Post Christum illis tenentur politicis legibus, sub quarum sunt magistratu. Si ipsi proprium & liberum haberent magistratum, politicis legibus à Deo per Mosen traditis vti cogerentur.

Tenemus quæ fuerint illius veteris fœderis accessoria. Iam verò fœdus illud quo ad ipsius accessoria, & imprimis quo ad ceremonias, debuisse vsque ad Christi aduentum duntaxat perdurare, patet ex multis sacrarum literarum locis, ex iis præsertim, vbi Paulus in legem, legisque ceremonias, coo. sendit, abrogatam esse legem & sacerdotium Leuiticum. Gal. 3. Prius autem, quàm veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit ad Christum. At vbi venit fides iam non sumus sub pædagogo. Item: *Qui circumciditur, ei Christus nihil prodest*. Quia id est negare Christum aduenisse. Circumcisio ergo vsque ad Christum tantùm. Col. 2. Nemo ergo vos iudicet in cibo aut potu quæ sunt vmbra futurorum corpus autem Christi, quia vmbræ erant, arguit, tollendas esse, postquam veritas aduenit. *Item*. Erant typi rerum futurarum. Ergo vsque ad Christum. Sed hoc multò fusior tractatio est in Epistola ad Hebr. quàm alibi vsquam, ibi enim disputat aduersus eos, qui legis Mosaicæ obseruationes aboleri non posse putabant, quia secum traherent totius religionis ruinam. Hunc errorem refutat Apostolus, & id hoc præcipue argumento: Christus venit, & perfectum attulit sacerdotium, secundum ordinem Melchisedec. Est enim ille, cui iurauit Deus: Tu es sacerdos in æternum. Ergo locum amplius non habet sacerdotium Aaronicum. Sic ergo concludamus, translatum est sacerdotium. Ergo etiam lex abrogata, translato enim sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat. Item reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex. Quæ verò fuerit illa legis imbecillitas, postea prosequitur cap. 8. 9. 10. nempe quòd externas tantùm carnis iustitias habuerit, quæ cum ob rem suos non possent secundùm conscientiam perfectos reddere, quòd per ipsum sanguinem & victimas nec peccata delere, nec veram sanctitatem adferre poterat. Postea concludit. In ipsa igitur lege vmbram tantùm fuisse futurorum bonorum, non viuam rerum speciem, ideoque nihil aliud officii habuisse legem, nisi vt introductio esset in spem meliorem, quæ in Euangelio exhibetur. Non immorabor in re aperta.

Manifesta est igitur altera nostra conclusio, 1. Fœdus quo ad se, si spectemus illius annexa, vel, vt loquuntur, accessoria, non fuisse, nec esse potuisse perpetuum, sed vsque ad Christum tantùm debuisse locum habere.

III. Si verò consideremus fœdus ipsum respectu confœderatorum, (ii autem erant duo, Deus ab vna parte, & populus Israel a parte altera:) hanc tertiam statuimus conclusionem.

Primum fœdus, si ipsius substantiam spectes, quo ad Deum, non fuit abrogatum, sed perpetuum mansit. 1. Deus enim, quo ad se attinet permansit in fœdere, neque suam fidem populo datam violauit. Proinde per Deum non stetit, quin fœdus illud, quo ad substantiam, perpetuum manserit inter se & inter populum. Huc spectant omnes illi loci in libris Mosis & Prophetarum, qui tradunt, Deum fœdus cum populo perpetuum pepigisse, & Deum illis promisisse, se fore illis in Deum in perpetuum: nempe quod ad se attinebat. 1. Gen. 17. Ero Deus tuus & seminis tui post te fœdere sempiterno. Si dictum hoc intelliges de semine secundum spiritum, perpetuum mansit fœdus illud inter Deum & tale semen Abrahæ. Quia in omni tali semine secundum spiritum, fœdus inscribitur in cordibus, sicut etiam in Abrahamo: id hoc fuit proprium noui fœderis. Si verò de semine secundùm carnem, perpetuum mansit quoad ad Deum attinet. Si non mansit perpetuum, vitio seminis carnalis tantùm, qui suam fidem Deo datam non seruauit, id factum fuit. Est autem illud idem fœdus quo ad substantiam quod cum Abrahamo, & illud quod cum Israele pepigit Deus, vt ante dictum est.

IV. Hinc sequitur quarta conclusio de primo fœdere. Primum fœdus etiam, quo ad substantiam non fuit perpetuum inter Deum & omnes illos, qui huius fœderis vinculo cum Deo erant colligati. 1. Exceptis enim paucis quibusdam, (paucis dico respectiue) omnes fere fidem Deo datam fregerunt atque ita à fœdere exciderunt. Ier. 31. Feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris in die, quo apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt. Sed quid dico, omnes exceptis? Imò omnes, si spectemus quid promiserunt, fœdus illud violarunt, fœdus, inquam, legale, quatenus legale. Nam quatenus in lege continebatur promissio remissionis peccatorum per Christum, hoc non erat proprium legis, sed Euangelii, quod in lege promittebatur. Singulariter enim abest omnibus fuerat Deus, vt legem datam totam seruarent, idque perfectè & semper. Omnes non habita ratione suæ infirmitatis, sed suis viribus confisi audacter promiserunt, se seruaturos. Et quicunque, circumcisione accepta, fœdus illud cum Deo inibant, debitores constituebantur totius legis faciendæ vt & Paulus Gal. 5. testatur. Nemo autem, nec Moses ipse perfectè totam legem seruauit. Ipso igitur facto omnes exciderunt fœdere legis.

At numquid igitur omnes damnati? Absit. Sed qui salvati sunt, saluati sunt per fœdus Euangelii, quod in lege etiam promittebatur, vt Rom. 3. Nunc autem iustitia Dei reuelata est, testificata à lege & a Prophetis. Hoc enim fœdus in quo remissio peccatorum per Christum promittitur credentibus sine operibus legis, spiritu amplectebantur, & ita seruabantur. Ceterùm à fœdere legis, quatenus fœdus erat legis, omnes exciderunt, quia omnes legem, quam promiserant se seruaturos transgressi sunt. Et in hoc est sita antithesis inter vetus & nouum fœdus, inter fœdus legis & fœdus Euangelii, quod illud in iis, qui sub ipso fœdere continebantur, non fuit perpetuum, quia omnes fidem datam fregerunt. Hoc autem in iis, qui sub eo vere continentur, perpetuum est, vt hic promittit Deus.

Nunc ex his quatuor conclusionibus, quomodo sit intelligendum, quòd fœdus primum legale non fuerit perpetuum.

Summa. 1. In se, quo ad ipsius accessoria, non quo ad substantiam, non fuit, nec poterat esse perpetuum, quia ceremoniæ illæ typus erant, figuræ, & vmbræ futurorum vsque ad Christū tantùm duraturæ. 2. Quo ad substantiam In ipsis Israelitis non fuit perpetuum, quia fidem Deo datam legis seruandæ fregerunt. Quanquam non tamen omnes damnati, quia permulti fœdus Euangelii, in quo peccatorum remissio non operantibus, sed credentibus offerebatur, quodque per sanguinem Messiæ confirmandum, in lege etiam promittebatur, spiritu amplexi sunt, sub ipsa etiam lege existentes.

Nunc videamus, quomodo hoc nouum fœdus sit perpetuum. Hoc etiam fœdus habet suam substantiam, & sua accidentia. Substantia est ex parte Dei id quod Deus ex gratia nobis offert, & promittit, se scilicet recipere nos in gratiam, velle nobis esse in patrem, peccata condonare, habere pro iustis & filiis, curam habere nostri, denique donare vitam æternam, & hæc omnia propter Christum. Ex parte nostri, substantia huius fœderis est id quod à nobis stipulatur, & nos promittimus, nos amplecti hanc reconciliationem, nos velle illi esse in populum, nos velle illum agnoscere in patrem, nos credere, quòd per Christum donabit gratiam, qua iuxta eius placita viuamus, & vbi deficimus, quod peccata nobis nostra condonet propter Christum, denique nos velle omnia bona ab illo solo exspectare per Christum.

Accidentia autem ex parte Dei sunt externa Sacramenta, quibus testatur, se recipere nos in gratiam propter Christum, vt in baptismate testatur externo aquæ signo, se nos à peccatis lauare sanguine Christi, & in gratiam recipere. In Cœna testatur externo panis symbolo, se nobis dare carnem Christi, & cum Christo vnire & incorporare. Ex parte verò nostri sunt, externa vocis confessio, & Sacramentorum susceptio, quibus testamur, nos amplecti hanc in gratiam cum Deo reditionem, & gratiam, & nostram erga illum fidem & obedientiam.

De hoc igitur nouo fœdere, hæc esto prima conclusio.

1. Nouum fœdus in se quoad substantiam, perpetuum est. Quod enim semel promisit Deus, & quod à nobis stipulatur idem semper manet, non mutatur promissio, nec stipulatio. Patet hæc ex superioribus, quod promisit patribus & stipulatus est à patribus ab initio mundi, id etiam promisit, & stipulatus est à nobis in finem vsque mundi, idque ea eadem gratia & per eundem Christum.

2. Fœdus hoc in se, quo ad accidentia, itidem perpetuum est in finem vsque seculi. Neque enim mutanda sunt amplius externa symbola & Sacramenta, sicut mutata fuerunt illa quæ in veteri erant testamento. 1. Corinth. 11. *Quoties manducabitis panem hunc, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Iudicat igitur, vsque ad aduentum Christi postremum, duraturum perpetuò hoc Sacramentum Cœnæ. Sic etiam de baptismate. In hoc etiam excellit nouum fœdus veteri. Sed neque de hac fœderis perpetuitate propriè hic loquitur Propheta dicens. *Despon, abo te per-petuum.*

3. Fœdus hoc inter Deum & reprobos, & hypocritas qui non verè in spiritu sunt huius fœderis vinculo cum Deo colligati, sed tantùm externis symbolis, non est perpetuum, idque non vitio Dei, sed hypocritarum. Patet hic & Iere. 31. Quia enim patres illorum habuerunt fœderis leges scriptas tantùm in tabulis lapideis, non in corde, ideò dissoluerunt ειιò fœdus. Proinde promittit, se scripturum in cordibus, quo fœdus sit perpetuum.

4. Fœdus hoc inter Deum & electos omnes, qui in spiritu fuerunt semel verè cum Deo huiusce fœderis vinculo colligati perpetuum est. Hoc tradit per Ierem. c. 31. Ac de ista fœderis perpetuitate loquitur hic Propheta.

Nam si quis excipiat, intelligi hoc Prophetæ dictum, quod ad Deum attinet, responsio in promptu erit. Hoc igitur connubium nouum nihil differt à primo in perpetuitate. Nam etiam illud, quod ad Deum attinebat, perpetuum fuit, nec per Deum stetit, quin manserit perpetuum inter Deum & populum, quod ad substantiam fœderis. Quid igitur noui promittit? Manifestum est igitur, hoc differre ab illo, quòd in illo factum fuit diuortium propter populi idololatriam, & fœderis violationem. Hoc autem promittit, futurum perpetuum, inter se & populum. Promittit enim se tam firmis legibus illud firmaturum in cordibus nostris, vt dissolui non possit amplius, leges autem has mox explicabit. De perpetuitate igitur fœderis non in seipso, nec quo ad Deum solum, sed de perpetuitate fœderis inter Deum, & verum populum Israelem, hoc est electos, loquitur hic Dominus, cùm ait: *Despon, abo te mihi in perpetuum*, id est, efficiam omninò, vt coniugium hoc alterutri sit perpetuum inter te & me.

Ex hoc loco colligere facile est. 1. Ergo promittit certò, se effecturum, vt fideles perpetuò secum viuant vitam æternam. Vbi enim non viuitur non est connubium. Est enim tantùm inter viuos: erit autem perpetuum connubium. Ergo æternùm viuemus.

2. Promittit, se effecturum, vt connubium sit perpetuum inter se & nos, qui ei sumus verè coniuncti. Ergo promittit corporum resurrectionem. Si enim desponsat sibi electos, quò ad carnem & spiritum, & coniugium hoc erit æternum. Ergo etiam caro resurget in vitam æternam.

3. Promittit, se effecturum, vt connubium sit perpetuum inter se & nos. Connubium autem hoc fit & perpetuum conseruatur per fidem & spiritum Christi. Ergo promittit, se effecturum, vt, qui semel sibi sunt desponsati, per fidem, & spiritum Christi illis communicatum, fidem nunquam amittant, à Spiritu sancto nunquam prorsus destituantur, à gratia nunquam excidant.

Nam si id, per quod fit connubium, & per quod etiam firmatur, nempe fidem & spiritum Christi, prorsus amittant, profectò connubium inter Deum & electos contractum perpetuum esse non potest. Erit autem perpetuum (vt promittit.) Ergo qui semel vera fide & spiritu Christi desponsati sunt Christo, talem fidem & spiritum amittere amplius penitus non possunt, non quòd non possint suapte natura & suis peccatis, imò, quod ad se attinet eum expellunt, sed propter promissionem hanc.

Quod ad tertium, quid in caussa, cur illud non fuerit perpetuum? Resp. Si loquamur de illo fœdere, quo ad ceremonias, sacrificia, sacramenta, & totam illam rationem externi cultus Leuitici, (nam sæpe à Paulo tota illa externa ratio, qua Deus cum populo fœdus suum sanciebat, vocatur fœdus ipsum, vt etiam circumcisionem fœdus appellauit Deus ipse.) Si, inquam, loquamur de fœdere quo ad has ceremonias, cur non fuerit perpetuum? responsio in promptu est. Quoniam erant omnes illæ vmbræ tantum, & figuræ corum, quæ futura erant tempore Christi. Verbi gratia, illa sacrificia, figuræ veri sacrificii per Christum efficiendi. & sic de circumcisione & reliquis. Quoniam itaque erant meræ figuræ & vmbræ, propterea durare non poterant, nisi vsque ad aduentum earum rerum, quarum erant typi: postea nullius sunt vsus. Simile. Fiant sicut typus ligneus alicuius domus ex lapidibus ædificandæ, ubi ædificata est domus, typus ille ligneus, nullius est vsus. Col. 2. caussam hanc tradit Paulus ad Hebr. 7. 8. 9. 10.

Si verò loquamur de fœdere, quo ad substantiam inter Deum & homines, cur non fuerit perpetuum duabus formis loquendi, respondeo. 1. Si persistamus in metaphora coniugii, Caussa fuit, quia sponsa fornicata fuit: ideòque, quia connubii fregit. & deserto sponso, secuta est amatores suos, id est, idola: inde factum est diuortium. Vera enim caussa, cur liceat diuortium facere est fornicatio. Sic Christus Matt. 19. *Ego autem dico, qui quis dimiserit vxorem suam, nisi fornicationis caussa, & illa aliam duxerit, mœchatur.* Rationem hanc attulit Propheta.

At cur est fornicata? Quia non amabat maritum quia non erat amore, spiritu, animo, cum marito coniuncta, quia non erat ex parte vxoris syncerum coniugium. Deerat enim amorum coniunctio, non habebat spiritum Dei, externis tantum vinculis, non interno vinculo spiritus, erat colligata cum suo marito Deo. Inde factum est vt fornicata sit cum aliis. Ex fornicatione verò factum est, vt Deus fecerit diuortium. Talia enim coniugia, vbi non adest animorum coniunctio perpetua esse non possunt, quia non sunt syncera. Sic coniugium inter Deum & populum vel hominem aliquem, vbi deest vinculum spiritus Christi, & vbi vinculo tantum externæ confessionis & sacramentorum sunt colligati, perpetuum esse non potest. Hæc enim externa vincula facile rumpuntur, internum spiritus vinculum, quia frangi non potest æternum reddit connubium. Hæc igitur fuit caussa, cur connubium inter Deum & populum non fuerit perpetuum, & culpa fuit in populo qui fornicatus est, non in Deo.

2. Si verò persistamus in nomine fœderis seu testamenti, sic respondeo. Prima caussa fuit, quia immediata, quia ipsi Israelitæ illud fœdus dissoluerunt vt Ier. 31. disertè Dominus asserit. Non enim præstiterunt fidem quam dederant, nec obedientiam. Hæc enim duo stipulatus fuerat ab eis Deus illi promiserunt, sed non steterunt promissis.

Caussa verò mediata & remota fuit quia fœdus illud non fuit scriptum in cordibus eorum, sed tantum in tabulis lapideis hoc est non habebant in corde scriptam & insculptam viuam in Deum fidem quod ipse eos vellet recipere in gratiam, condonatis peccatis per Christum, quòd illos amaret vt filios, & pro iustis haberet, & quòd omnia ab illo bona tam temporalia, quam æterna in populum proficiscerentur. Neque etiam inscriptam habebant obedientiam, amorem, quo condelectarentur legi Dei secundùm interiorem hominem, nec studium, desideriumque implendæ legis diuinæ & tamen hæc duo stipulatus fuerat Deus à populo, populus ore tantum promiserat, contentus tantum suis sordibus in tabulis lapideis scripto, nec curauit illud in corde inscribendum. Hinc igitur factum est, vt tam internè, quam externè violarit fœdus Domini. Ex violatione factum est, vt fœdus non potuerit esse perpetuum. Caussam hanc assignat Ierem. 31. 1. Ait. Violatum primum fœdus a patribus. 2. Ait, Vt igitur maneat ratum & perpetuum, se scripturum illud in cordibus, hoc est, quia Israelitæ illud fœdus amplexi tantum fuerant externa professione & manibus non autem corde. Ideò cum non potuerit penetrare in corda eorum, nullius fuit apud eos virtutis: non potuit, vt ad Hebr. scribitur, perfectos facere cultores, secundum conscientiam, cum amplexi tantum sint externas carnis iustificationes, sine spiritu & sine fide.

At dices: Culpa igitur videtur aliquomodo recidere in Deum, quoniam non scripsit in cordibus populi, sed tantum in tabulis lapideis. Respon. Minime. Non enim tenebatur Deus ex debito, in illorum cordibus scribere. Illorum erat debitum officium, fœdus ipsum corde syncere amplecti. At non poterant, nisi scriberetur à Deo. Fateor, sed illorum vitio factum erat, at non nollent. Quia obdurata erant illorum corda, & erant corda lapidea, in quibus scribi non poterat.

At cur Deus non mutauit corda lapidea, & dedit carnea? Respondeo. Quia non erant ex electis. Hoc est proprium beneficium electis destinatum, vt Deus illorum corda lapidea auferat, & det carnea, hoc est, tenera, atque ita in eis scribat fœdus. Atque hæc est caussa, cur hunc modum scribendi in cordibus fœdus, sibi peculiariter reseruarit Deus ad tempus Messiæ. Quia tunc futurus erat immensus electorum numerus, quantus antea nunquam fuerat. Antea

etiam si fuere aliqui electi, & non pauci & in illorum cordibus etiam scriptum erat fœdus. Sed quia pauci fuerunt, respectu eorum, qui fuerunt reprobi, adeò ut tribuat modus peculiaris temporis veteris testamenti. Cùm ergo non teneretur Deus scribere in illorum cordibus quia reprobi fuerunt, satis est culpam in ipsis fuisse, non in Deo.

Tenemus igitur caussam, cur factum fuerit irritum fœdus. Immediata caussa fuit, quia ipsi violarunt fœdus. Remota verò, quia non habuerunt scriptum in cordibus. Hanc eandem caussam assignat Paulus alia phrasi Heb. 8. cùm ait: *Prius illud fœdus quia non caruit reprehensione, abrogatum fuisse, & nouum institutum. Etenim si primum illud, inquit, reprehensione vacasset, non fuisset quærendus locus secundo.* Quo modo non caruit reprehensione? fuit ne vitiosum? At non est, quod ad tabulas attinet. Sed refectur hoc ad modum, quo erat scriptum. Erat scriptum tantùm in lapideis tabulis, non in cordibus. Hinc fiebat, vt nil prodesset, & inutile remanserit & ideò sic irritum. Si enim scriptum fuisset in corde primi populi & legem magna ex parte seruasset, aut saltem condelectatus fuisset legi Dei secundum interiorem hominem, & fide in corde scripta, remissionem transgressionum suarum consecutus fuisset, ita mansisset fœdus perpetuum. Sed quia tantùm erat in tabulis lapideis principio transgressus est legem, deinde destituitur fide, peccatorum remissionem consequi non potuit. Hinc tota fœderis violatio. Hoc est quod Paulus dicit, *illud reprehensione non caruisse*, quòd scilicet scriptum non fuit in cordibus. Sed culpa hæc erat in populo, qui cor habebat lapideum. Vt igitur perpetuum esset fœdus, coactus fuit Deus a sua bonitate, alio modo vti meliore: nempe, vt illud scriberet in cordibus & hunc modum nouum appellauit nouum testamentum. Ergo, si primum culpa caruisset, id est si perfectum fuisset omnes parte, hoc est, ex parte etiam populi, ita vt illud recepisset in corde non fuisset secundo locus quæsitus. At quia non fuit perfectum ex parte populi, non enim erat in illius corde. Ideo Deus, vt fœdus esset perpetuum, coactus fuit illud facere perfectum etiam ex parte populi, hoc est, illud scribere manu sua in corde populi sui electi.

Summa huius promissionis. *Desponsabo te mihi.*

Modò complectamur summam huius loci: Promittit hic Deus, se effecturum, vt hoc nouum connubium inter se & Ecclesiam, atque adeò & vnumquemque electum, maneat perpetuum. 2. Modus, quo hoc efficiet Deus, hic est: Talia donabit Ecclesiæ & electo vnicuique, quæ connubium efficiant perpetuum, & per consequens, ea auferet, quæ in caussa fuerunt, vt primum dissolutum sit. Quæ verò illa fuerunt? Fornicatio spiritualis. Vnde hæc? Ex corde impuro, iudicii atque iustitiæ experto, seu inde, quòd non habebat scriptas leges Domini in corde, iustitiam, iudicium, cognitionem Domini. Promittit ergo se curaturum, vt in vxore sint hæc scripta, vt etiam ex parte vxoris hoc connubium in iustitia. Hæc sunt, quæ promittit hic. Videamus ergo verba.

Horum verborum, *Desponsabo te mihi,* expositio.

1. Desponsabo te mihi *in iustitia*, id est, per iustitiam: nempe meam tibi communicatam. Quæ est iustitia hæc? Duo habet membra, remissionem peccatorum, seu non imputationem nostræ iniustitiæ, & imputationem iustitiæ alienæ, id est, Christi. Si sinus huius iustitiæ nobis communicatæ vinculo colligati Christo, connubium certe perpetuum fit necesse est.

Et in iudicio, id est, per sanctificationem & regenerationem, atque spiritus renouationem. Iudicium enim aliquando significat *[illegible]* seu reformationem, & opponitur *[illegible]* Ioann. 12. *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras*: hoc est, nunc eiecto perturbatore & omnium malorum autore, mundus renouabitur. Iudicium ergo referri potest ad regenerationem, quia ibi peccator renouatur in alium virum. Hæc duo sunt præcipua in iustificatione. Atque hæc regeneratio consequitur illam iustitiam.

Et in beneficentia. Qua scilicet quotidie tibi benefaciam, & cumulabo in te gratias meas, vt victa beneficiis, contineat te in amore mei & non audeat fornicari cum aliis. Hæc autem beneficentia consequitur regenerationem. Nam cum iustificatos sanctificatosque, quotidie Dominus variis cumulat beneficiis spiritualibus, vt fortitudine in aduersis, humilitate in secundis. Ita autem beneficiis retinet nos Deus in connubio.

Et quoniam licet simus iustificati: quotidie tamen peccamus ideò subdit: *Et in misericordiis.* Hæ autem misericordiæ in bonis quibus tegit peccata quotidiana, facit, vt connubium maneat perpetuum.

Et in fide. Fides necessaria est ad hæc omnia superius dicta beneficia accipienda & retinenda. Ideo inquit: *In fide.* Promittit, se facturum perpetuam fidem, ne deficiamus à nostro marito. Ergo perpetuum connubium.

Et cognosces Dominum. Promittit se scripturum legem in corde sponsæ, qua cognoscat verè Deum. Loquitur de vera & solida Dei per Christum cognitione, quæ conjuncta est amore. Sic etiam Deum ... agnoscere non. Vbi est hæc Dei cognitio, ibi ... perpetuum fit, necesse est. Iaxat ... nec ... & connubium dissoluunt quia non verè cognoscunt Deum.

Etsi hanc interpretationem primam non oppugno: nihil tamen prohibet quin aliam in medium afferam, qua hic locus exponi posse videtur.

2. Altera igitur huius loci interpretatio si persistamus in metaphora connubii, commodissima, & ad mentem Prophetæ, mihi esse videtur. Sit autem hæc. Principio ... manifestum est, Dominum ex parte sui primum cum connubium cum Israel contraxisse in iustitia, in ..., clementia, miserationibus, fide. Cæterum quia ex parte populi non fuit contractum in iustitia, iudicio beneficentia, fide, quia vxor conuertit animum & applicuit ad Deos alienos ... amatos, & cum eis est ... etiam fornicatione. Ex fornicatione verò tandem est diuortium, & dissolutum coniugium.

Ne ergo hoc idem eueniat in hoc altero connubio, quod vult omnino perpetuum esse, promittit se effecturum vt ex parte etiam vxoris illud fiat in iustitia, hoc est, vt in ipso quoque populo sit vera iustitia, iudicium & ita fidem coniugalem ipse etiam populus seruet suo Deo. Hoc modo futurum perpetuum coniugium.

Illud præterea est extra controuersiam, connubium hoc verum licet potissimum in corde & spiritu. Fit autem in iustitia. Promittit ergo se has connubii leges, iustitiam & iudicium scripturum in corde populi electi. Sic per Ieremiam cap. 31. est certè explicatio huius loci Hoseæ: promisit: *Scribam legem meam*, (id est, fœdus meum cum suis partibus) *in corde eorum.*

Cum hæc ita se habeant, videndum, quid sibi velint istæ leges, iustitia iudicium, & quid significent in hoc loco. Summa. Quia ex fornicatione primæ vxoris natum est repudium & connubii dissolutio, fornicatio verò nata est ex impuritate cordis & prauitate iudicii. Iccirco ne hoc alterum dissoluatur, promittit immediaté vt hæc secunda vxor non fornicetur. Ne verò fornicetur, promittit se effecturum, vt habeat cor purum, iudicium rectum. Inde sequetur, vt se contineat in amore & hac viri, & animum aliò non applicet. dicam clarius. Promittit in summa hic Dominus contraria illis, quæ solent vxores ad fornicandum impellere, propter quam fornicationem repudiatur postea vxor. Quæ verò illa sunt? Primum est animi seu cordis impuritas, cum scilicet vxor non est integro & syncero erga maritum animo nec enim ex animo amat, tum facilè animum ad amasios applicat, & cum eis primùm animo & desiderio fornicatur, deinde corpus etiam illis facilè prostituit. Sic in coniugio spirituali, primùm vnde fornicatio tum interna, tum externa proficiscitur, est cordis impuritas, quia non sumus syncero & integro corde erga Deum. Hanc impuritatem sæpe obiecit Deus populo per Mosen & Prophetas. Inde enim factum, vt populus animum applicaret ad Deos alienos, & fornicatus sit, & proinde dissolutum sit coniugium. Ne ergo id eueniat amplius in secundo coniugio, priori loco promittit integritatem: dicens,

In iustitia id est per iustitiam in corde inscriptam. Iustitiā enim hic accipit pro integritate & synceritate. Sic Genes. 30. Iacob dicit Labani: *Et respondebit pro me cras iustitia mea*, id est, integritas & innocentia mea. Hoc respondet illi postulationi, quando dixit Deus Abrahæ, *Esto integer.*

Alterum vnde oritur fornicatio, & ex fornicatione repudium, est cæcitas mentis, seu prauum iudicium. Quia si vxor mulier non rectè iudicat, quid sibi futurum sit vtile, quid perniciosum, quid magis sit è re sua, se qui etiam amasios præferet maritum, an vero soli marito adhærere. Sæpe praua iudicant, & putant adulterium celatum iri, inde adducuntur ad fornicandum. Sic in coniugio spirituali, cùm homines cæci sunt, & praui iudicii cum dicunt tenebras lucem, & lucem tenebras, tum iudicant bonum esse, si præter verbum Dei sequantur etiam traditiones hominum, si præter Christum inuocent etiam sanctos demortuos, si ad honorem sanctorum & Christi adhibeant imagines in templis, si faciant suffitum incensi idolis. Et reuera multi sunt, qui alioqui non sunt prauo prorsus animo erga Deum, vt qui non ex malitia,

pe cant, sed quoniam praui sunt iudicij, & putant, bonam esse religionem, quam à suis patribus acceperunt, licet impia sit. Ideirco perseuerant in fornicatione. Sic euenit in Israel per multis. Et hanc prauitatē iudicij sæpe obijciunt Prophetæ suo populo. Sic Iesa. c. 5. *Ve qui dicitis bonum malum*.

Ne ergò ampliùs id contingat in secundo connubio, promittit rectitudinem iudicij dicens, *In iudicio*. Promittit se effecturum, vt prædita sit recto iudicio, cùm illam sibi desponsabit: ne scilicet cæca & decepta per ignorantiam, sequatur adulteros.

Tertium, quod solet vxores ad fornicandum cum amasiis incitare, est dubitatio de amore mariti erga se, seu cùm non credunt, se à viro amari, ptæsertim, si videant, se deformes, si aliàs in eum peccarūt, ideòque si putent, se non placere marito, virum præteritas adhuc offensas meminisse, tùm deserto marito, sequuntur amasios, a quibus putant se amari. Idem in coniugio spirituali. Cùm dubitamus de amore Dei erga nos, cùm dubitamus, an receperit nos in gratiam? an condonarit peccata? an elegerit? & potiùs inclinamus in hāc sententiam, nos non amari. Tūc facile, deserto Deo & Christo, confugimus ad sanctos demortuos, ad statuas, illos inuocamus, vt sint intercessores apud Deum pro nobis. Quare? quia non credimus nos vere amari à Christo, sed esse illum nobis iratum, infensum.

Ne ergo hoc iterum contingat, promittit, se effecturum, vt sentiamus, nos vere in gratiā cū Deo redijsse, condonatis peccatis omnibus, & offensis præteritis dicens. *In gratia*, seu Clementia, id est efficiam, vt sentias, te mecum in gratiā redijsse, peccatis omnibus pro mea clemētia tibi condonatis.

Quartum est desperatio, quæ inde oritur, quod vident, vna ex parte, se non posse continere, quin quotidie non ex malitia, sed per suæ naturæ, carnisque impuritatem, aliqua re, vel moribus, vel verbis offendant maritum: altera ex parte vident, maritum esse morosum, & ob quasvis leues offensas sibi irasci, & plagas vel repudium minitari. Tùm morositate viri irritatæ, & quasi desperatæ, ne semper in tali sint inferno, deserto viro, sequuntur amasios. Sic in coniugio spirituali. Quia etiam post receptionem in gratiam, quotidie peccamus per infirmitatem carnis, & videmus, nos non posse omnia prorsùs peccata vitare (nam septies in die cadit iustus) sæpenumero subit desperatio, quæ nos à Deo alienat, & auocat ad idola. Quid? quotidie pecco. Deus punit seuere peccata, & propter peccata odit damnatque peccatores. Quid igitur agam cum Deo? tandem enim repudiabit me. Sic desperati deserunt Deum, & ne sint sine vlla religione, & sine vllo Deo conuertunt se ad idola. Ne ergo hoc contingat, neve desperemus, quasi Deus ita morosus sit & seuerus, vt propter peccata, in quæ quotidie per infirmitatem labimur, velit nos repudiare. Ideirco promittit, se effecturum, vt sentiamus quotidiana hæc nostra peccata suis tegi miserationibus & non imputari. Ideo ait, *Et in miserationibus*. Ait in plurali, Miserationibus, vt magis persuadeat, quod, licet multa peccata per infirmitatem carnis admittamus: (Septies enim cadit iustus in die, iustus est, & tamen cadit) omnia ea mea teget, quia multo plures sunt ipsius miserationes, quàm peccata nostra, & si multa sunt peccata nostra, multæ etiam sunt miserationes eius, quibus, ceu tegumentis, tegat nostras sordes. Docet igitur se nullo summo iure nobiscum agere, & propter quasuis offensas repudiare & se effecturum, vt hoc sentiamus.

Quintum est quædam leuitas muliebris. Fit sæpe, vt mulier leuis, licet nec prorsùs malo animo sit aduersus maritū, nec omni prorsùs destituta iudicio, nec dubitet de amore mariti erga se, nec irritetur morositate mariti: tamen pro naturali leuitate & inconstantia, oculos in varios viros coniiciat, inde amare incipiat, inde fornicetur. Sic in spirituali coniugio euenit. Sunt, qui ob naturalem leuitatem, fastidita aliqua religione, ad nouas semper superstitiones oculos aduertunt, eas amant, ideòque fornicentur. Ne ergò id contingat, promittit, se donaturum quandam animi constantiam, in fide marito seruanda, vt non fastidiamus Deum, Deique cultum, nouúmque semper comminiscamur, sed contineamus nos in vero cultu, dicens, *In fide*. Fidem accipio pro constantia, in fide data. Promittit hic absolute, se donaturum tantam fidem, firmitatémque, & constantiam fidei, vt nec per leuitatem, nec propter quæuis flagella, aut rem vllam aliam fastidiamus eius cultum, & nouum amplectamur, eiúsque ab amore discedamus.

Sextum est, cùm ignorat, nec considerat, qualis sit suus maritus, quàm bonus, quàm dulcis, quam amans suæ vxoris, quam liberalis, quàm suaues eius amplexus, quanta sui causa egerit. Sic in coniugio Spirituali. Certe ignorantia Dei radix est omnis idololatriæ. Ne ergo contingat ampliùs diuortium, promittit veram Dei cognitionem dicens. *Et cognosces Deum*. Hæc particula vere indicat, se scripturum suam fidem in cordibus, vt cognoscamus Deum. Sic Ier. 31. *Scribam legem meam in corda eorum, & non erit habebunt vt dicat frater fratri, cognosce Dominum, Omnes enim agnoscent me à maximo vsque ad minimum*.

Dei cognitio, quam hic promittit, est illa vera & solida Dei cognitio per Christum, qua primo cognoscimus Deum optimum & maximum ex mera sua gratia ab æterno nos elegisse, decreuisséque nos sibi desponsare, carne etiam nostra assumpta. Et qua cognoscimus, quòd vere nos, licet in illum peccauerimus, tamen ita receperit in gratiam, condonatis peccatis omnibus, vt nos sibi desponsarit in carne Christi, suum spiritum donarit, & hæreditatem parārit cœlestem. Et qua cognoscimus, quod, licet quotidie peccemus: tamen omnia nostra tegit peccata. Et qua cognoscimus, quòd, licet nos quotidie castiget, tamen id faciat ex amore & ad nostram salutem. Omnia autem reliqua superiora quinque oriuntur ex hac vera solidaque Dei cognitione. Ideircò hanc postremo loco, tanquam caussam & fontem vnde reliqua superiora quinque profluunt, promittit dicens: *Et cognosces Dominum*. Quid hoc est: nisi id quod explicauit per Ieremiā. *Scribam legem meam in corda eorum: & cognoscent me à maximo vsque ad minimum*. His omnibus fulcris promittit, se firmaturum cōiugium nouum inter se & verum Israelem, hoc est, electos, vt nullo modo possit dissolui. Nam nihil potest hoc connubium vel impedire vel dissoluere, nisi peccata, eáque vel præterita, ante connubium facta, vel futura, id est, post connubium admissa. Præterita non poterunt impedire, quia sua clementia condonabit & teget. Hoc promittit dicens, *Desponsabo mihi te in clementia seu gratia, vel etiam beneficentia*. Peccata post connubium, non poterunt dissoluere. Quia ea vel ex destinata malitia fiunt vel ex prauo iudicio ac cæcitate, vel ex infirmitate. Ne ex malitia fiant & praua prorsùs mente ac voluntate, promittit, se donaturum nobis iustitiam, id est, animi, mentis, & voluntatis integritatem dicens: *Desponsabo in iustitia*. Ne ex prauo iudicio aut cæcitate quæ fit, vt nemo redeat vnquam in veram viam, cùm non cognoscat suum errorem, promittit, se donaturum rectum iudicium, quo possimus discernere semper verum a falso bonum à malo, lucem à tenebris, neve ruamus in cæcitatem reproborum. Ideò ait: *Desponsabo in iudicio*. Quæ verò ex infirmitate fiunt peccata, quia hæc vitari non possunt prorsùs, quādio sumus in hac carne. Carne enim etiam Sancti seruiunt legi peccati. Rom. 7. Ideo promittit, se illa nō imputaturum, sed nostra multa peccata quotidiana suis multis & perpetuis misericordiis operturum dicens: *In miserationibus*.

His ergo sex fulcris vtamur ad stabiliendos nos in fide, futurum perpetuum connubium inter Deum & nos.

1. Sic præterita peccata mea gratia fuere. At scio, ea omnia esse condonata. Quia sic promisit: *Desponsabo te in misericordia & gratia*. Non igitur ex meritis meis, sed ex ipsius gratia sum ei desponsata.

2. Caro mea rdelectatur peccato. At sentio per gratiam Dei spiritum meum rectum & donatum iustitia ac rectitudine seu iustitia. Qui autem donati sunt hac rectitudine seu iustitia, sunt desponsati Christo in perpetuum. Ergo erit perpetuum.

3. Sentio, me donatum lumine Dei & recto iudicio, nec versor in tenebris per eius gratiam. Qui autem hoc iudicio sunt donati, desponsati sunt Christo in perpetuum.

4. Pecco quotidie ex infirmitate. Deus suis misericordiis tegit hæc omnia mea multa peccata, & ita sentio. Non ergo poterunt impedire, quo minùs sit perpetuum.

5. Sentio, me donatum fide in eum, & quadam animi firmitudine, vt non cupiam ab eo auelli. Et licet me quotidie castiget: scio tamen fieri hoc ex amore, non ex odio, sentio, quod non fastidiam cultum Dei simplicem: imo constanter placet. Ergo.

6. Sentio, me donatum vera solidáque Dei cognitione. Ergo perpetuum manebit coniugium nostrum.

22. *Exaudiam cælos*.

Commodùm, hunc versum subijcit superioribus. Docet enim, postquam desponsati sumus Christo qui est Rex Regum & Dominus totius mundi, nos etiam fieri Dominos totius Mundi: ac proinde beatos & felices, cùm omnia nostra fiant, idque iure. Hoc enim exigit ratio coniugij, vt posteaquam vir seipsum donauit vxori, omnia etiam reliqua, quæ habet, vxori communicet, & quicunque serui vel ancillæ in domo obediunt sponso, iidem omnes obsequium præstent sponsæ. 1. Cor. 3. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*.

Hoc etiam postulat amor patris, qui huius coniugij autor fuit. Nam

fuit. Nam si ipse vsque adeò fuit amans huius puellæ, id est, Ecclesiæ, & vniuersorum electorum, vt pro eius salute dederit ei filium in sponsum, Debet ergò etiam esse, vt reliqua omnia, quæ habet, sponsæ fiant. Hoc videt Paulus, ideò dicit. Rom. 8. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, quomodo non omnia etiam cum illo nobis donabit?*

Hoc denique exigit ratio fidei. Si enim fides virtute copulamur Christo, quomodo non etiam vt eiusdem fidei & innocationis ex fide factæ, consequi debemus reliqua omnia Christo minora quæ petimus in oratione? Ideircò Dominus. *Quidquid petieritis patrem in nomine meo, fiet vobis.*

Et certè sic se res habet. post iustificationem sequitur inuocatio ex parte nostra & exauditio ex parte Dei. Hoc est, quod modò subiungit per Prophetam, dicens, *Et exaudiam cælos.*

Hæc promissio opponitur illi maledictioni, quæ est Deut. 28. *Erit cælum quod supra te est, æneum,* (id est, non dabit pluuiam) *& terra, quam calcas ferrea,* id est, nullum proferet fructum. Ad quos pertinet hæc maledictio? Ad illos, qui legem Domini transgrediuntur. Sic enim ibi habetur Deut. 28. *Quod si audire nolueris, vt facias omnia mandata eius.* Ad quos verò pertinet hæc præsens promissio? Ad illos, qui desponsati sunt Christo nouo & æterno connubio. Hoc autem perinde est, ac si diceret, ad eos pertinere, qui sunt sub nouo testamento, & nouo fœdere. Et quoniam hæc duo opponuntur maledictio, & benedictio. Et maledictio ad eos, qui legem Domini non seruant, pertinet. Benedictio verò ad eos, qui sunt in nouo fœdere, vt hic patet. Ergò hæc duo opponuntur. Non seruare legem Domini & esse in nouo fœdere. Quod cùm ita sit, ergò etiam hæc duo alia consequuntur. Qui igitur non seruant legem Domini, dicuntur esse sub veteri fœdere, seu sub lege. Contrà, qui sub nouo fœdere, ij seruant legem Domini.

Sub nouo autem fœdere dicuntur esse, qui illud habent scriptum in corde, vt ex Ierem. cap. 31. patet. Ergò qui scriptum habent fœdus in corde, hoc est fidem & obedientiam seu studium & amorem faciendæ legis diuinæ, dicuntur implere legem Dei.

Sub veteri verò fœdere, seu lege, esse dicuntur illi, qui non habent scriptum fœdus in cordibus, sed tantùm in externis tabulis & pagellis. Ergò, qui non habent scriptum fœdus in corde, hoc est, qui non sunt per Spiritum sanctum in corde, donati tum fide, tùm studio implendæ legis, dicuntur legem Domini transgredi, & reuera semper transgrediuntur: ac proinde benedictiones omnes pertinent ad illos, qui cùm habeant scriptum fœdus in corde, nouo connubio cum Christo sunt coniuncti. Contrà verò omnes maledictiones pertinent ad eos, qui cùm non habeant fœdus in corde scriptum, non sunt cum Christo noui connubij vinculo copulati.

Nunc, quod ad sensum huius versuum attinet, ille facilis est.

In die illo, id est, tempore noui testamenti. Qui nouo connubio erunt Christo desponsati in iustitia, iudicio, hi habebunt obsequentissimos cœlos, terram, & omnes creaturas, nihilque eis deerit.

In hac promissione contemplor. 1. Quid hic promittatur, duo bonorum genera. Bona terrena quæ scilicet ad vitam hanc corporalem sustentandam necessaria sunt. Hæc immediatè promittit iis nominibus, Frumenti, Vini, & Olei. His enim tribus nominibus, continentur omnia, quæ ad huiusce humanæ vitæ vsum, & necessitatem spectant. Sic etiam Dauid commemorat omnia bona terrena iis tribus nominibus, Psalm. 4. *A fructu frumenti, vini, & olei multiplicati sunt.* Cœlestia verò sub iis terrenis bonis promitti, dubium non est. cùm id sit frequentissimum in Scripturis, Mose, & Prophetis: Sicut etiam sub nomine pacis terrenæ pacem spiritualem & æternam comprehendunt. Promittit igitur hæreditatem omnem, tàm cœlestem, quàm terrenam illis, qui cùm fœdus habeant scriptum in cordibus, verè Christo sunt desponsati illis nihil deerit, nec eorum, quæ ad vitam hanc sustentandam necessaria sunt, nec eorum, quæ ad æternam vitam pertinent. Habemus quid promittat.

2. Quis verò promittit: Deus. *Ego*, inquit, *exaudiam cælos.* Quidquid igitur boni habemus, siue terrenum illud sit, frumentum, vinum, oleum, siue cœleste & spirituale, totum illud à Deo est pro sua liberalitate in nos collatum.

22. *Et terra exaudiet, &c.*

1. Quibus promittit hæc bona? Electis, veris Dei filiis, veris Christi sponsis, qui in iustitia & iudicio sunt Christo desponsati, seu illis, qui sunt verum Dei semen, regeniti ex semine spiritus incorruptibili. Ideò addit in fine, *Et ipsa exaudient Iezrael.* Cur posuerit hoc nomen, & non dixerit Israelem vel sponsam, variæ sunt sententiæ.

Quidam putant, duplici de caussa id factum fuisse. Qua-rum prima est, vt hic etiam obliquè perstringeret Israelitas quòd verè essent Iezreelitæ, hoc est adulterini Israelitæ, non autem veri Israelitæ. Volunt enim nomen hoc Iezreel etiam hoc loco in malam partem accipi, sicut etiam superiori capite accepit. Volunt ergò hic reuocari, illis in memoriam, quàm indigni sint iis beneficiis propter scelera, quæ admiserunt.

Secunda caussa, vt hinc, magis elucescat Dei bonitas, qui tot bona Israelitis, licet per se indignis: pro sua tamen bonitate promittit se daturum, vbi scilicet fuerint reconciliati. Quemadmodum si quis pater, postea quàm diu obiurgauit malum filium, & illum appellauit nebulonem, postea placatus dicat: Etiamsi indignus sis meis beneficiis propter scelera admissa: quia tamen veniam petis. Ego non desinam tibi benefacere, ô nebulo. Vtitur hac voce Nebulo, etiam posteaquam resipuit filius, non, quòd amplius sit nebulo, sed vt indicet quid fuerit anteà, & quid commeritus sit. Simul ergò hac voce & iniquitatem Israelitis perstringit, & suam bonitatem magnificat.

Quidam tamen putant mutari hic significationem nominis. Iezreel significat semen Dei, superiùs accepit in malam partem, pro semine Dei adulterino, pro semine iræ Dei. Hic accipit in bonam significationem, pro semine Dei legitimo, pro semine misericordiæ Dei. Hæc mihi placet, tùm quoniam hæc mutatio significationis symbolum est mutationis iræ Dei in misericordiam. Sicut etiam sequenti versu mutat alia etiam duo nomina, ex Loruchama facit Ruchama, ex LoAmmi facit Ammi. Sic etiam hic ex Iezreel adulterino, facit Iezreel legitimum. Tùm etiam, quoniam statim sequitur in versu sequenti: *Et seminabo eam mihi*, alludens ad Iezreel semen Dei legitimum. Summa. Promittit filiis Dei, sponsis Christi hæc bona omnia.

Vndè verò fit, vt Deus, qui anteà vehementer iratus erat, nunc tanta bona Iezreeli promittat? Ex reconciliatione, quia scilicet reconciliati sunt Deo per Christum. Hoc exprimit illa particula, *in die illa*. Qua? Qua scilicet desponsati fuerint in iustitia, quasi dicat. Cùm fuerint ipsi reconciliati & desponsati in iustitia tunc Ego exaudiam.

Indicat hæc particula, 1. Vbi habemus Deum iratum, omnia nobis esse aduersa, cœlum, terram, & omnia, vt suprà est dictum. Contrà verò, vbi habemus Deum placatum per Christum, nihil nobis deesse posse. 2. Quærendum igitur esse inprimis, vt Deus nobis placetur, seu vt verè Christo desponsemur in iustitia. Tùm nihil eorum, quæ ad felicitatem nostram faciunt, tàm terrenorum, quàm cœlestium, defuturum. Ideò Christus *Quærite*, inquit, *imprimis regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* 3. Perperàm igitur & præposterè facere homines, qui, vt sint felices, primùm toti in hoc incumbunt, vt sibi comparent frumentum, vinum, oleum, domus, aurum, argentum, corporis valetudinem, gloriam, & alia vitæ terrenæ commoda: &, vt redeant in gratiam cum Deo, vel non curant, vel differunt vsque ad extremum vitæ. Hæc certè est præpostera ratio euadendi in felicitatis statum. Initium enim felicitatis nostræ, est Dei gratia & Reconciliatio.

Hoc igitur docet Propheta hoc loco, vnde scilicet incipiat nostra felicitas: nempe ex gratia Dei, cùm scilicet Deus nos sibi per Christum desponsat.

Duæ igitur sunt partes felicitatis nostræ. 1. Est, vt simus Deo reconciliati, & tuti atque salui sub eius præsidio atque tutela. 2. Est, vt etiam nobis suppetant, quæ ad vitam hanc sustentandam necessaria sunt. Sed hæc oritur ex prima.

Proinde cùm ait, *In die illa*, reuocat nos ad memoriam fœderis & noui connubij, vt scilicet intelligamus, vnde fluant omnes rerum copiæ. Fons, est fœdus Dei, inde gratia Dei peruenit, vsque ad hæc etiam terrena commoda.

Quomodo promittat, se hæc daturum: Hoc modo, *Exaudiam*, inquit, *cælos.*

In hac pulcherrima gradatione. 1. Docet, omnia ita in manu Dei esse, vt, quidquid virtutis est in creaturis, totum illud fluat à virtute & motione Dei: ideòque humanam vitam sustentari virtute Dei. Homo enim non potest viuere sine frumento. Frumentum non potest nasci, nisi è terra. Terra non potest germinare, nisi vim habeat à cœlis, vnde & sol & pluuia. Cœli non possunt vim communicare terræ sine vi & motione diuina. Ergò, quidquid virtutis est in creaturis est participatio quædam virtutis Dei. Inde Paulus Act. 17 *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.*

2. Docet, se non communicare immediatè hæc bona, sed per medias caussas, quas caussas secundas vocant Philosophi. Ipse verò prima est caussa. Errant igitur, qui otiosi exspectant cibum è cœlo. Contra tales ait Apostolus: *Qui non laborat, non comedat.*

3. Docet creaturas omnes ita esse optimo ordine colloca-

tas, vt vna opus habeat alterius opera. Frumentum, vt nascatur, opus habet terra. Terra, opus habet pluuia. Pluuia opus habet cœlo. Cœlum opus habet motione Dei. Ecce harmoniam Mundi.

4. Docet, omnia hæc beneficia, quæ ad vitam hanc spectant, à prima caussa Deo per caussas secundas communicari hominibus propter electos. Vide enim duo extrema in hac gradatione. Primum est Deus. *Ego exaudiam cœlos.* Alterum extremum, est Iesreel, verum Dei semen. Huius caussa mouet cœlos: cœli influunt terræ vim germinandi, terra parit frumentum, frumentum alit Israelem. Ergo propter verum Iezreelem omnia.

5. Indicat certè Dominus, nisi essent in terra electi, & minimè mouere se, nec exaudire velle cœlos. id quod confirmat Deut. 28. Ait enim Dominus: *Si non custodieris legem Domini Dei tui, habebis cœlum æneum & terram ferream.*

Atqui si tantùm reprobi essent in mundo, nemo hic esset, qui seruaret legem Domini.

Proinde cœlum semper æneum. Propter electos igitur, qui seruant legem Domini, Deus mouet cœlos, & cœlum terram. Promittit ibidem Si seruauerint legem, cœlum daturū pluuiam suam & terram germinaturam. Atqui soli electi in mundo seruant legem, tùm inchoatiuè in se, tùm perfectè in Christo: Ergò propter electos tandem impletur promissio.

At Dominus pluit super iustos & iniustos, & facit oriri solem super bonos & malos. Respon. Verum est, sed propter iustos & impij participes fiunt horum beneficiorum. Ideò non pluit propter malos, sed super malos. Acceptum ergò ferant iustis impij, quòd sole fruuntur & aliis beneficiis, quæ sunt propria iustorum tantùm.

6. Obliquè etiam hac gradatione perstringit cæcitatem Iezreelis, cùm ait: quòd frumentum exaudiat Iezreelem, indicat, homines, cùm premuntur fame, eos immediatè ferri ad ipsa obiecta, ad panem & vinum, & illa appetere & quasi clamare, ô panis, ô vinum, succurre nobis cùm deberent ascendere supra cœlos, & à Deo petere panem quotidianum. Ergò semper veniendum est ad fontem immediatè, vnde omnia beneficia fluant, hoc est, ad Deum, & dicendum, ô Pater, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Dùm tamen ait. Frumentum exaudiet Iezreelem, indicat, se indulgere nostræ ruditati. Nos statim conijcimus oculos in panem & vinum, inde petimus victum. Est hæc magna cæcitas. Deus tamen indulget. Sed quomodo? Vult, vt gradatim saltem ascendamus, ad hunc modum. Esuris? Statim quæris & desideras panem. Panis datur. Vnde? è terra. Vnde terra humorem & vim germinandi habet? à cœlo. Vnde cœlum? à Deo. Vnde ille Deus vim habet hanc? à seipso. Cur mouet cœlum? pro suo arbitrio & bonitate. At quis est iste Deus? pater noster. Per quem? per Christum. Quid est Christus? Sponsus noster & mediator. Ergò per Christum ad patrem ascende, & dic: *Pater noster qui es in cœlis: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

64. *Et seminabo eam mihi.*

Dixit, se exauditurum cœlos, id est, effecturum, vt magna rerū copia suppetat fidelibus. At quorsum hæc copia? vt benè habeant, & alios fideles generent, & ita multiplicetur semen Dei. Nunc igitur de Ecclesia seu semine Dei per vniuersam terram longè latéque diffundendo vaticinatur, dicens.

Et seminabo. Vel sic. Quorsum ista copia in tota terra, si tàm pauci futuri sunt Israelitæ? Respon. Tunc etiam semen Dei diffundetur per totum orbem.

Seminabo. Alludit ad Iesreel semen Dei, quanquam illud *Eam* refertur ad vxorem.

Mihi. Id est, in obsequium mihi & gloriam. Non ergò sumus nati nobis sed Christo, & renati non nobis, sed Christo. Quare? Ait enim, *Seminabo mihi.*

Indicat autem horum trium nominum mutatione & significatione mutata, iram quoque Dei totam mutatam esse in misericordiam & clementiam.

Quod ait: *Misericordia prosequar*, indicat initium salutis nostræ esse Dei misericordiam.

Tu populus meus, & ille respondebit mihi, Deus mi. Notandus ordo Prophetæ. Primò ipse præuenit, dicens, *Tu populus meus.* Deinde subsequitur assensus fidei nostræ, dicentis: *O Deus mi.*

Non ergò possumus fide assentiri, nisi priùs ipse Deus per Spiritum sanctum in corda nostra illabatur, & præueniat nos.

ANALYSIS SECVNDI CAP. HOSEÆ, A VERSV IV.

Litigate cum matre vestra litigate, quia non ipsa vxor mea, nec Ego maritus eius. Tollat ergo fornicationes à facie sua, & adulteria sua ab vberibus suis.

1. Iubet Deus Israelitis, ne secum, sed cum sua ipsorum matre litigent. Ergo indicat Propheta, Israelitas cum Deo, cum quo non debebant, minimè verò cum sua ipsorum matre, cum qua maximè debebant, expostulasse.

2. Matris autem nomine venit cùm vniuersa Ecclesia Israelitica, tum imprimis vterque magistratus & seniores qui alios in religione & moribus instituunt ac quasi gignunt & gubernant. Filiorum verò nomine, cum singuli Israelitæ, quatenùs à maioribus suis in religione fuerunt instituti, tùm imprimis subditi, qui ab vtroque magistratu vniuersam Ecclesiam repræsentantis, tanquam filij ex matre geniti, ab eadem etiam gubernantur.

Id verò, de quo cum Deo Israelitæ expostulabant, erat, quòd ipsorum matrem tanquam scortum repudiando, singulos etiam quoque ipsorum hac infamiæ nota adspersisset, quod essent filij ex scortatione nati: contendebant, se non esse natos ex scortatione. Iniustè igitur Deum diuortium hoc fecisse, & se, tanquam spurios, declarasse. Hac de re Deo litem intendebant.

3. Caussam subdens Deus, cur nō secum, sed cum sua ipsorum matre expostulare debeant Israelitæ, ait: *Quia non ipsa vxor mea*, & ait: *Nec ego maritus eius*: Indicat igitur, Synagogam priùs desiisse esse vxorem suam, quàm ipse declararet, se non esse eius maritum. Vxorem igitur caussam diuortij præbuisse viro, suis scilicet scortationibus.

4. Hortatur eam, vt deponat suas fornicationes à facie sua & sua adulteria ab vberibus suis. Indicat igitur, fornicationes, easque nimis apertas & publicas in quibus adhuc perseuerabat, caussam huiusce diuortij fuisse.

5. Dùm illam hortatur ad resipiscentiam dicens *Tollat igitur fornicationes à facie sua*, indicat, se paratum esse, in gratiā eam recipere. Non igitur ex odio, neque ex temeritate, sed ob eius fornicationes, ideòque iustissima de caussa eam à se fuisse repudiatam. Ac proinde Israelitas de diuortio hoc, itque hac infamiæ nota sibi inusta, quod sint nati ex scortatione, non cum Deo, sed tantùm ipsorū matre litigare atque expostulare debere, cum caussa huiusce diuortij non in viro repudiante, sed in vxore repudiata, resideat. Ipse enim etiam externus cultus, qui totus est meretricius, fucus scilicet in facie, & vana ornamenta in vberibus, apertè demonstrat, illam esse fornicatam scortúmque impudentissimum.

6. Non simpliciter vocat Israelitas scortum, sed conuincit eos de scortatione, idque ab ornatu etiam meretricio, qui apparet in facie & vberibus. Docet igitur, omnes hypocritas ita appellandos esse scorta, vt de scortationibus conuincantur, &, licèt iactent, se Ecclesiam esse catholicam & sponsam Christi: nihil tamen minùs esse, quàm Ecclesiam & sponsam Christi, cùm apertè ipsorum idololatriæ conuincant, eos scortum esse impudentissimum.

7. Fornicatio enim spiritualis, præsertim publica atque catholica in aliqua Ecclesia, caussa est & ratio certissima, qua conuincatur, illam non esse amplius veram Christi Ecclesiam, & Deum ab illa diuortium fecisse. Ac proinde nobis non irascantur Papistæ, quòd & illorum Ecclesiam scortum, & singulos quosque ipsorum filios ex scortatione natos cum Propheta appellemus. Sed de hac infamia potius litigent, & expostulent cum sua ipsorum matre.

5. *Ne exspoliem eam nudam, & statuam eam nudam, secundùm diem natiuitatis suæ, & ponam eam sicut desertum, & terram siccatam, & perire eam faciam siti.*

1. Hortatur eam ad resipiscentiam, ad tollendas nimirum à facie sua fornicationes, & adulteria sua ab vberibus suis, id est, ad tollendas à conspectu totius Ecclesiæ publicas & apertas idololatrias, idque ab aliarum etiam pœnarum præter diuortium factum comminatione, dicens: *Ne exspoliem eam nudam.* Indicat ergo, etiamsi cum ea fecit diuortium: non omnibus tamen bonis adhuc illam spoliasse. Ac proinde se non solùm non ex odio fecisse diuortium, alioqui enim eam prorsus spoliasset, sed etiam in faciendo diuortio clementiorem erga eam fuisse, quàm ius diuortii exigebat. Solere quidem alios omnes pro suo iure, cum repudiatas dimittunt vxores, omnibus etiam bonis, quæ à maritis acceperunt spoliare, & ita spoliatas dimittere. At se nondum id fecisse. Quare nihil esse, cur Israelitæ debeant cum Deo expostulare, sed cum matre, quoniam & illa caussam diuortij præbuit iustissimam, & ipse Deus clementior in eam fuit, quàm ius diuortii exigebat.

2. Dies natiuitatis populi Israelitici, est tempus quo ex Ægypto liberatus, adscitus, & quasi natus est in populum Dei. Alludit igitur ad illam extremam miseriam, in qua erat populus, cùm ex Ægypto liberatus est (ipso etiam Ezechiele interprete cap. 16.) & quam passus est in deserto per Annos 40.

6. *Et filiis eius non prosequar misericordia, quia adulterini sunt.*

1. Filios eius non prosequar misericordia, quia filii adulterini sunt. Ergò non solùm mater in vniuersum, nisi ab aliis superstitiones resipiscat, bonis omnibus spoliata ad extremam pristinamque redigetur miseriam, sed etiam filii, id est, singuli Israelitæ, sine omni misericordia eodem inuoluentur exitio, & nemo euadet.

2. Huius comminationis caussam adfert, nisi nimirùm ipsa tollat fornicationes, & quia filii adulterini sunt. Duplicem igitur docet esse caussam exitii Israelitarum. Vnam, quæ sit in matre: generalem nimirùm totius Ecclesiæ idololatriam, & in falso cultu pertinaciam. Alteram, quæ sit in filiis, singularem scilicet cuiusque idololatriam, qua scilicet matrem imitantur & cum ea habitant, ac in continuis adulteriis viuunt.

3. Non ait, *Quia filii adulterini fuerunt*, sed *Quia filii adulterini ipsi*, scilicet etiamnum sunt. Non igitur de illis loquitur, qui etsi in impia Ecclesia ex fornicatione nati erant: postea tamen per verbum Dei & Spiritum sanctum renati sunt filii Dei legitimi, sed de illis, qui etiamnum filii erant adulterini, & tales esse perseuerabant. Sicut enim comminatio contra matrem sic intelligitur, *Nisi tollat fornicationes*, id est, nisi desinat esse fornicatrix, *spoliabo eam*. Ita comminatio contra filios sic intelligenda est, nisi desinant esse filii adulterini curentque renasci filii Dei legitimi, nulla eos misericordia prosequar.

4. Quanquam igitur Ecclesia Papistica, tanquam fornicatrix, genuit nos filios ex fornicatione: quia tamen per semen Dei, verbum videlicet Euangelii, & Spiritum sanctum renati sumus, & facti filii Dei legitimi: iccirco huiusce præsentis maledictionis comminatio ad nos non pertinet, sed ad eos tantum illos tantùm, qui cum filii sint adulterini, non curant, vt renascantur filii legitimi.

5. Scimus autem, ad spurios non pertinere hæreditatem, sed ad filios tantùm legitimos. Ergò quicunque in Papatu sunt nati ex fornicatione, nisi purum Dei semen amplexati, per fidem fiant filii Dei legitimi, in possessionem æternæ cœlestisque hæreditatis admitti non poterunt.

7. *Quia fornicata est mater eorum.*

1. Filios esse adulterinos, inde probat, quoniam illorum mater fornicata est, cum scilicet eos concepit & peperit. Ergò à communi totius alicuius Ecclesiæ idololatria, rectè omnes, qui ab ea Ecclesia in religione instituti sunt, eámque institutionem retinent, ex adulterio natos, & idololatras esse concluduntur.

2. Dicitur autem mater filios generare adulterinos, quæ eos ex alio semine quàm ex semine solo sui proprii viri, concepit ac generat. Semen autem proprii viri Christianæ Ecclesiæ, est verbum Dei & Spiritus Christi: reliquæ doctrinæ, & reliqui spiritus, doctrinæ & spiritus sunt fornicatorum. Quicunque igitur ex alienis doctrinis & spiritibus, quàm ex verbo & spiritu Dei concepti & geniti sunt in Ecclesia, filii sunt ex adulterio nati. Ac proinde illud quod & matrem Ecclesiam in genere reddit adulteram, & filios singulos quosque in Ecclesia facit esse filios ex adulterio natos, est, alienas à verbo Dei doctrinas, & alienos à spiritu Christi spiritus persequi.

3. Israelitica Ecclesia non solum est scortata, sed varia etiam ignominiosa, & erubescenda adulteria, ob quæ facta est infamis. Ergò non simpliciter idola coluit, sed etiam variis iisque erubescendis superstitionibus fuit contaminata.

4. Probris autem fœdatam fuisse, & esse, inde probat. *Quoniam*, inquit, *dixit, ibo post amatores meos*. Probrosissimum igitur hoc est, deserto viro Deo, alienos Deos & diuos persequi, colere, inuocare, idque non ex simplici seductione, stultitia, aut infirmitate, sed ex destinata & pertinaci malitia. Illud enim *Dixit*, ad pertinacem animi deliberationem de sequendis idolis, quam verbis etiam procul dubiò indicauit, referendum est, *Dixit*, id est, decreuit, dicens: *Ibo*, scilicet sponté & vltrò, *post amatores meos*. Proprium igitur adulteræ Ecclesiæ est, obstinate & pertinaciter, idque vltrò velle Deos sequi alienos, falsum persequi cultum, & à suis semel receptis superstitionibus recedere nolle.

6. Amasii adulteræ Ecclesiæ sunt omnes tùm diui & creaturæ ac creaturarum imagines, quas præter Deum religioso cultu, qui soli Deo debetur, colit, tùm ἐθελοθρησκεία & superstitiones, quas amat. Sicut enim amasii blanditiis & munusculis abducere solent, atque abducere alienas vxores à suis maritis: sic istæ ἐθελοθρησκεία & falsi cum diis, tùm cultus, abducunt Ecclesiam à Deo, atque à fide coniugali, Deo in fœdere & Baptismo data.

7. *Qui dant panem meum.* Illud, Qui, vim habet caussalis particulæ Quia. Magna ergo turpitudo, cæcitas & ingratitudo adulteræ Ecclesiæ [illegible]: quia deserit maritũ Deum, & sequitur adulteros tantùm propter ventrem, hoc est, quia dant sibi panem & [illegible]. Cæcitas Quia, quæ beneficia à solo Deo benignè accepit, ea sibi ab amasiis dari existimat. Ingratitudo, quia non ea Dei benignitati, sed amasiis fert accepta, ideóque non Deum, sed amasios sequitur. Ac proinde docet communem esse hanc turpitudinem, cæcitatem, & ingratitudinem omnium idololatrarum. Nam & falsum cultum falsò qui Deos sequuntur, tantùm propter quæstum, & beneficia tam spiritualia quàm corporalia, credunt sibi à suis diuis, vel si à Deo, saltem tùm propter merita ipsorum, & intercessiones, tùm propter suas ἐθελοθρησκείας & operum suorum merita dari. Et proinde non Deo, sed suis diuis & diuorum imaginibus gratias agunt, & non Deum, sed suos amasios inuocant, colunt & sequuntur.

8. Israelitica Ecclesia, ex legitima Dei vxore facta est adultera, & ideò repudiata: quia deserto Deo, eiúsque Dei verbo, & fide coniugali fracta, secuta est amasios, Deos scilicet alienos, doctrinas alienas, & cultus alienos, idque pertinaciter dicens: *Ibo post amatores meos*. Ergò ad hoc, vt aliqua Ecclesia verè dici possit, esse Ecclesia Dei, non sufficit eam semel fuisse initiò à Domino electam, sicuè in Euangelio institutam, ideóque veram & legitimam Christi sponsam, sed oportet, vt in fide initio data, ne scilicet alium Deum, aliúmve cultum sequatur, aut alienam doctrinam amplectatur, quam quæ ei à marito fuit initiò tradita, persistat. Ac proinde qui se veram Christi Ecclesiam esse, verè credi & agnosci volunt, veram Euangelii doctrinam, verúmque Dei cultum à Christo & Apostolis initiò traditum, se huc usque integrum conseruasse, ac retinuisse, demonstrent necesse est. Quod si etiam obtendere volunt successionem Episcoporum in eadem doctrina, & cultu ab initio huc usque non obtendant solùm, sed etiam demonstrent, oportet.

8. & 9. *Propterea, ecce me intercludentem viam tuam spinis, & sepientem eam, & semitas suas non inueniet.*

1. Ait in summa Deus in iis 2. versibus, se vndequaque viam vxori fornicatrici intercluturum, ne vllus ad suos amasios, quos cupit persequi, aditus ei pateat, & ita illam duriter tractaturum, vt tandem apertis oculis, & agnito suo errore, statuat, amasiis desertis, ad suum priorem maritum redire. Ergò etsi reprehensio peccati & comminatio iræ Dei contra peccatum, quæ superioribus versibus continetur, ad totam Ecclesiam Israeliticam pertinet: hæc tamen præsens comminatio, quia & ad impediendum peccatum, & ad salutarem pœnitentiam facit consequendam, ad solam inuisibilem electorum Ecclesiam, quæ continebatur in visibili, vniuersalique totius Israelis Ecclesia pertinet.

2. In omni enim visibili & vniuersali Ecclesia, quæ nomen Deo & Christo dedit & promiscuè electos & reprobos complectitur, inuisibilis specialisque electorum Ecclesia, ideóque vera Christi Ecclesia & sponsa, continetur.

3. Ad hanc verò solam electorum Ecclesiam hanc præsentem & salutarem comminationem pertinere, inde manifestum est, quoniam etsi tàm hæc, quàm illa constituit suos sequi amasios, & cum eis fornicari dicens, *Ibo post amatores meos*, soli tamen electorum Ecclesiæ solet Deus vias ad peccandum, ideóque ad mortem, tandem aliquando præcludere. Reprobis verò latam, apertam, spatiosámque ad pro libidine sua peccandum, ideóque ad perditionem, viam permittere.

4. Deinde etsi tam electorum, quàm reproborum Ecclesia sæpenumero fornicetur & suos prosequatur amasios: sola tamen electorum Ecclesia ad suum priorem maritum tandem reuertitur & huius solius est hæc ex animo vox, *Ibo & reuertar ad maritum meum priorem*. De sola igitur electorum Ecclesia in Israel, duo ii versus intelligendi sunt.

5. Ipsa etiam vera electorum Ecclesia in Israel, sed tamen adultera, decreuerat, suos sequi amasios, sed Dominus huic se opposuit, eiúsque viam interclusit ne suos amasios sequi, ideóque perire possit. Ergo etsi electi sæpenumero statuant pertinaciter sequi superstitiones suas, peccarique admittere: Deus tamen pro sua bonitate, peruersa illorum decreta, quoniam cum suo bono æterno, de eis saluandis, decreto ex diametro pugnant, semper antè, quàm hinc decedant, impedire, viásque eorum ad peccata & æternam mortem intercludere solet: proinde electi propter æternam electionem, & perpetuum Dei erga se amorem, perire non possunt.

6. Interclusit autem Deus viam suæ secundùm propositum sponsæ, sed adulteræ, spinis & sepe, id est, variis rebus aduersis & calamitosis, vt postea explicat versu 9. 10. 11. 12. 13. quibus vndique illam circumsepsit & pressit, ne post sua ido-

& superstitiones vagari amplius, sicut anteà, posset, sed cogeretur, vellet, nollet, se continere à fornicationibus. Ergo calamitates & res aduersæ, non solùm vtiles, sed etiam necessariæ sunt electis, quia per has illis via & ad peccatorum mortem, que præcluditur & ad resipiscentiam vitámque aperitur.

7. Electa sponsa, etsi magna sepe ex variis spinis confecta, circumquaque sit vallata, ne ad suos amasios egredi possit: quia tamen adhuc animo est fornicatrio, huc atque illuc cursitat, suos persequens & quærens amasios sic enim ait textus: *Persequetur & quæret amasios suos*. Ergò hoc est ingenium idololatrarum omnium etiam electorum, vt instar mulieris fornicariæ amasios suos adamantis, ardentisque, insano & cæco amore suas ament superstitiones, & licèt egregiè à Deo variis calamitatibus premantur, ne ampliùs post suas superstitiones vagentur: eas tamen constanter persequi & mordicus retinere & conseruare conentur. Tanta est vis superstitionis, in animis mortalium.

8. Licèt verò electa sponsa, sed adultera, suos persecuta sit, & quæsierit amasios: quia tamen spinis circumdata fuit, non apprehendit, nec inuenit eos. Ergò etsi electi superstitiosi, ardentissimo & insano zelo suas persequantur superstitiones, & quærant eas mordicùs retinere: assequi tamen & retinere illas non semper possunt, Domino intercludente vias illorum spinis, & studia eorum praua impediente.

9. *Tunc dicet*, Electa sponsa postquam spinis vndequaque cincta, vidit suos conatus & studia de assequendis amasiis inania esse, Deo & illius mentem illuminante, & prauam voluntatem in rectam immutante, tùm suum agnouit errorem, tùm decreuit, ad priorem redire maritum dicens: *Ibo & reuertar ad maritum meum priorem, quia mihi melius tunc quàm nunc*. Ergò Deus, postquam praua electorum consilia & decreta aduersis rebus impediuit, illisque spem ademit, duo in eis operari solet. 1. Eorum mentes illuminat, vt suum agnoscant errorem, sentiántque, quantò meliùs sit sequi Christum, & cum Christo manere, quàm suas sequi superstitiones. 2. Præparat & excitat illorum voluntates, vt constituant redire ad Christum, & ex animo dicant, *Ibo, & reuertar ad maritum meum priorem*. Ergò vera resipiscentia est, cùm agnita nostra à priore marito Christo defectione & percepto, quam turpe in se & detrimentosum nobis fuerit à Christo ad adulteros defecisse, ex animo statuimus, desertis adulteris ad priorem maritum Christum redire & reipsa redimus.

10. Reditur autem ad priorem maritum Christum, cùm reditur ad illam primam fidem coniugalem, quam quisque, cùm desponsaretur Christo in baptismate, suo sponso dedit. Reditur verò ad illam primam fidem, cùm reditur ad illam primam doctrinam ex animo & firmiter retinendam, quam Christus suam sponsam initiò docuit. Reditur autem ad hanc priorem doctrinam, cùm reditur ad purum Dei verbum, quod in scriptura sanctis continetur, vt & secundùm illud credamus, Deúmque nostrum colamus, & ad eius formam, vitam nostram componamus.

Ergò quicunque desertis humanis doctrinis & superstitionibus Antichristi, redit ex animo ad purum Dei verbum, is desertis amasiis fornicatoribus, redit ad priorem maritum Christum.

10. *Et ipsa non cognouit quòd Ego dederim ei.*

1. Ergò non solùm adultera fuit Ecclesia Israelitica, sed etiam incredibiliter ingrata. Nam beneficia, quæ à solo Deo acceperat, primùm non cognouit ea ex Deo, Deique bonitate, deinde ea accepta tulit non cuiuis, sed hostibus Dei, nempe Baalim. Atque in huiusce rei fidem & testimonium, non Deo sed Baalim obtulit, inque eorum vsum accommodauit: ac proinde non solum Deum suo debito honore defraudauit, sed etiam illum honorem ad eius hostes transtulit.

2. Dicuntur autem Israelitæ beneficia hæc non recognouisse ex Deo, sed Baalim accepta tulisse, non quòd omninò ignorarent, beneficia omnia ex Deo esse, sed quod putarent, se hæc beneficia accepisse non ex mera Dei benignitate, verùm propter Baalim, id est, propter illum nouum cultum, atque à verbo Dei alienum, quem Iarobeam introduxerat in Israel, quemadmodum locus Ier. 44. declarat. Ergò quisquis beneficium aliquod corporale, multò verò magis spirituale, vt remissionem peccatorum, salutem, vitam æternam, vlli alij rei, quam patris benignitati & meritis sponsi Christi attribuit, ingratus in Deum est & idololatra.

3. Reprehenduntur Israelitæ, quòd aurum applicarunt ad Baalim decorandos scilicet & ornandos. Ergò maximum peccatum est, in statuas, & falsum cultum insumere ea, quæ Deus nobis dedit, tum ad nostram, tum ad proximi vitam sustentandam.

11. *Propterea reuertar, & tollam triticum meum.*

1. Cum ait Propheta, *Reuertar & tollam*, indicat caussam cur eripuerit Israelitis sua beneficia, fuisse illorum ingratitudinem cum idololatria coniunctam. Ergò hæc est iusta ingratitudinis pœna, vt omnia ingratis beneficia à donatore eripiantur.

2. Cum ait, *Eripiam eis*, indicat iniustos igitur, falsos possessores & quasi latrones fuisse Israelitas: quia necesse fuit Deo, ea eorum manibus, quasi è manibus latronum sua beneficia vi rapere.

3. Cum ait: *Tollam triticum & mustum tempore suo*, Indicat cùm tempore messis frumentum, & tempore vindemiæ [illegible] per [illegible], per aeris corruptionem [illegible] tione nobis tollantur, Deum esse ipsum qui [illegible] ingratitudinem ea nobis beneficia eripit.

4. Ait, ad tegendam turpitudinem suam, id est quibus vsa est ad tegendam turpitudinem suam. Indicat ergò [illegible] fornicaria abutitur beneficiis mariti ad [illegible] cationes: sic etiam Israelitas abusos fuisse beneficiis Dei [illegible] quam spiritualibus ad tegenda [illegible] idololatrias.

5. Modus quibus id faciebant, erant multi [illegible] præcipuus, quo etiam vxor fornicaria, quæ tamen à [illegible] adhuc benè tractatur, vti solet, si quis eam fornicariam appellet, suas fornicationes tegit hoc modo. Si fornicata [illegible] sem, maritus meus non me [illegible] domi, non aleret, non [illegible] tet, sed dudum iam prorsus me repudiasset & domo [illegible]. Optimè autem & liberaliter me tractat. Non sum igitur fornicaria. Sic Israelitæ hoc eodem modo beneficiis Dei tanquam tegumentis tegebant suas idololatrias, dicendo [illegible] fauet Deus idololatris, fauet nobis. Qui igitur sumus idololatræ? Quomodo igitur hic cultus, quem introduxit Iarobeam, superstitiosus est & Deo non gratus?

6. Sic papistæ & idololatræ omnes, beneficiis abutuntur ad suas tegendas turpitudines. 1. Sic. Deus nobis fauet, habemus imperia & regna. Non ergò sumus adultera Ecclesia, sed vera Christi sponsa. 2. Sic. Si inuocatio sanctorum adoratio imaginum, & aræ, essent falsi, vt vos dicitis, cultus, non vtique illos inuocando, & hanc frequentando exaudiremur, & tot beneficia consequeremur. Non ergò idololatria est [illegible] care sanctos, colere imagines, celebrare Missas. 3. [illegible] Ecclesia Romana ab Apostolis, Petro ipso, & Paulo [illegible] cata nunquam in hac desiderata est successio Episcoporum, cum reliquæ Ecclesiæ in Oriente à fide deficerent, hæc [illegible] perstitit in fide orthodoxa, patres omnes semper hanc [illegible] dem sunt venerati. Ab iis igitur & aliis beneficiis & priuilegiis huic vni Ecclesiæ à Deo concessis, quis non videat hanc Ecclesiam veram esse Christi sponsam, non autem fornicariam?

7. Sicut autem hæc & similia argumenta à beneficiis Dei ducta, non efficiebant, quin Ecclesia Israelitica esset adultera vt Hoseas docet: & sicut beneficia viri in vxorem fornicariam non efficiunt, ne sit fornicaria: sic argumenta Romanæ Ecclesiæ prorsus eadem cum argumentis Ecclesiæ Israeliticæ, non efficiunt ne tamen non sit adultera, quandoquidem & illa & ista à fide mariti data defecit, aliamque doctrinam, & cultum à verbo Dei alienum introduxit.

12. *Et nunc retegam flagitium eius.*

1. Minatur Dominus, se retecturum flagitium & turpitudinem Israelis. Ergò spoliandus erat Israel illis Dei beneficiis, quibus tanquam integumentis, abutebatur ad suam tegendam turpitudinem, vt iis ablatis illius fœditas appareret. Ac proinde omnia hypocritarum integumenta, [illegible] se & suas turpitudines occultant, tandem aliquando [illegible] per Dominum auferentur, vt eorum fœditas appareat necesse [illegible] est.

2. *Retegam*, inquit, *flagitium eius in oculis amatorum eius*. Ergo tum maximè spoliandi erant Israelitæ & in [illegible] tem abducendi, cum præsentes futuri erant ipsorum [illegible], id est, cum maximè opem à suis diis & superstitionibus erant exspectaturi, & per cultum illis præstitum maximè [illegible]. Ergò omnes hypocritæ tum maximè sentient manum Domini illorum flagitia detegentem, cum propter præsentiam suorum amatorum, id est, cum propter protectionem & opem, quam sibi à suis idolis ob cultum illis exhibitum, exspectant, maximè securi sibi esse videbantur: Delectatur enim Deus, [illegible] ditatem fornicatricis in ipsis amatorum oculis detegere vt eo melius ipsam fornicatrix in suis amasiis confidentiam inanem esse doceat.

3. Ait: *Et vir non erit, qui eripiat eam de manu mea*. Confidentiam igitur, quam hypocritæ in idolis, sanctis mortuis, missis, & aliis superstitionibus collocant, inanem esse & perniciosam, docuit. Quoniam nihil earum rerum potest suos cultores è manu & ira Dei eripere. Perniciosam: Quoniam ideo manus Domini super idololatras, qui non in solo Deo, qui potest, sed in suis idolis & superstitionibus, quæ non possunt seruare, suam fiduciam collocant.

13. *Et*

13. *Et cessare faciam omne gaudium eius, festiuitatem eius, neomeniam eius, sabbathum eius, & omnem diem festum eius.*

His nominibus *κατὰ μέρος* totum externum Israeliticæ religionis cultum intelligit. Ait autem, illum cessaturum. Igitur Israelitæ tota illa externa religionis larua quæ primum illis erat integumentum ad suas fœditates tegendas, spolian eratur, & ita illo tum fœ ditates detegenda.

14. *Et desolabo vineam eius & ficum eius.*

1 Nomine vitis & ficus *συνεκδοχικῶς* veniunt omnia temporalia bona. Ergò bonis etiam temporalibus, quod alterum erat integumentum ad tegendas iniquitates, regno scilicet & diuitiis potentia & splendore florentissimo spoliandi erant.

2. Cùm ait: *Et ponam eas in syluam & fera campi comedet eas*, indicat regnum igitur & totam terram Israel ab Assur, tanquam a fera campestri spoliandam & cen in syluam redigendam fuisse atque ita contigit.

3. Cùm ait: *De quibus dixit, Merces hæ sunt mihi quam dederunt mihi amatores mei*, indicat modum, quo ad tegendas suas turpitudines abutebantur Israelitæ beneficiis Dei, hunc, præter alios, vanum fuisse: nempe, hæc bona, dicebant, habemus tanquam mercedem cum nostri cultus, & rependuntur nobis propter hunc cultum. Ergò cultus ille gratus est Deo, bonus & sanctus.

4. Illud nomen mercedis *Ethnah* mercedem, quam scorta pro sui corporis prostitutione accipiunt, significat. Ergò indicat Propheta, Israel tam vanè fuisse spiritualia scorta quippe qui cultu idolis præstito, putabant & iactabant beneficia hæc temporalia mercedis nomine sibi rependi. Ac proinde, cùm ait meritis ea idem iact tent, apertè fatentur, se esse spiritualia scorta.

15. *Et visitabo super eam dies Baalim.*

1 Ait, se visitaturum super Israelem dies Baalim. Illo igitur verbo visitandi indicat, se nullo modo obliuioni mandaturum iniuriam sibi ab Israele factam, sed omninò eam ulturum ac proinde confirmat comminationem factam.

2. Dies Baalim sunt, totum illud tempus, quo Israelitæ post mortem, præsertim Iehoiadæ, vsque ad diem illum, quo fuerunt destructi, coluerunt idola. Ergò indicat Deus, se in istis præsentibus & posteris Israelitis idololatris, non ipsorum tantum, sed etiam priscam suorum patrum idololatriam vlturum.

3. Cùm ait: *Quibus* id est quo tempore, *incensum illis Baalim obtulit*, per synecdochen alia, Baalim cultus incensis, sacrificiis & aliis ceremoniis. Ergò prima caussa, cur Deus perdiderit regnum Israeliticum fuit quoniam coluerunt idola, & religionem sibi a Deo præscriptam corruperunt.

4. Damnantur hic primò de idololatria Israelitæ vel hoc vno, quod incensum obtulerunt Baalim. Idololatræ ergò sunt Papistæ, qui pertinaciter suffitum seu incensum idolis & imaginibus faciunt.

5 Damnantur secundò, quòd, sicut scorta, cùm suos expectant amasios fornicandi cum illis gratia, quò magis ad fornicandum illos alliciant, ornant se inauribus suis & monilibus suis, id est omnibus, se, quàm alias, tunc ornant: Ita Israelitæ, cùm erant idolis facturi, diebus præsertim festis, quo tempore omnes ad templa conueniebant, solebant cùm templa, tum sua templa & idola, cultius, quàm alias, ornare, vt & illecebris melius & ipsi & reliqui ad idolorum cultum, allicerentur. Atque hæc fuit secunda caussa repudiatæ illius Ecclesiæ ornatus scilicet meretricius, quem in templa, præter verbum Dei introduxerunt.

6. Non abre autem ait: *Suo monili, & sua inaure.* Indicare volens, illum igitur cultum & ornatum meretricium in templa Israelitica, non fuisse illis à Deo datum, sed a seipsis præter verbum Dei inuentum, & cultui diuino additum: ac proinde vel solum illum ornatum, vtpote meretricium, apertum fuisse suæ impudicitiæ symbolum.

7. Cum verò Papistæ, non contenti cultus à Christo accepti simplicitate, multò maiorem & sumptuosiorem ornatum Israelitico, & pompam in sua templa, præter & contra verbum Dei introduxerint, quo & seipsos sacra facturos, id est, fornicaturos, & templa diebus præsertim festis, quia tunc plures conueniunt, cultius, quàm alias ornare soleant, isque ornatus sit certè suus, non autem a Christo acceptus, & totus hoc spectat vt hoc splendore & pompa seu illecebris homines ad frequentanda illa lupanaria, & ad fornicandum cum idolis magis alliciant. Ergò Papistæ multò magis hic à Deo per Prophetam damnantur, quàm Israelitæ, & vel solus ille ornatus, vtpote meretricius, apertum est impudicitiæ Papisticæ testimonium.

8. Damnantur 3. Israelitæ, quòd pertinaciter prosecuti sint amatores suos. Ergò tertia caussa repudiatæ illius Ecclesiæ fuit pertinacia in cultu idolorum retinendo. Talis autem pertinacia in ipsa qu qua Papistica Ecclesia non cidetur tantum, sed palpatur.

9 Damnatur 4. quod secuti alienos Deos, obliti sint sui Dei. Hoc autem monstrosissimum fuit in eo populo. Ergò quarta atque grauissima & iustissima caussa repudiatæ Ecclesiæ Israeliticæ fuit quod cum illa Ecclesia ab eo tempore, quo fuit Deo desponsata, semper fuerit à suo marito liberalissimè & clementissimè pertractata: tamen postea non solum amasios est secuta, sed sui etiam mariti Dei prorsus oblita.

10 Dicitur autem Ecclesia Israelitica oblita sui Dei, non quod nullam prorsus ipsius memoriam retinuerit: illius enim nomen adhuc inuocabat, verbum eius retinebat, magnam partem cultus à Deo præscripti conseruabat: sed oblita Dei fuisse dicitur, quoniam ita mandatum & verbum Dei contemnebat, perinde ac si Deus illius verbi autor, nullus esset in mundo.

11. Contempsisse earo inde apparet quoniam contra mandatum Dei, purum Dei cultum corrumpebat, templis etiam extra Hierosolymam ædificatis, altaribus nouis erectis, aureis vitulis fabricatis & variis superstitionibus puro cultui diuino additis, ob hanc caussam oblita fuisse Dei dicitur.

12. Iam verò, cum etiam Romana meretrix contra verbum Dei primum ex puro Dei cultu quædam ademerit deinde, quem retinuit, variis etiam superstitionibus & putidis ceremoniis corruperit, & multa, vt necessaria, cum dogmata, tum sacramenta tum præcepta addiderit: Iustissimè ergo dicitur mandatum Dei contempsisse, & consequenter omnem Dei memoriam reiecisse.

13 Ait autem 1. *Suffitum fecit Baalim*, 2. *Ornata fuit inaure sua* 3. *Et prosecuta est amatores suos*. Et 4. *Oblita est mei.* Ergo homines spiritu Dei destituti, primum naturali quodam furore feruntur ad aliquem visibilem sibi Deum fingendum & colendum. 2. Quo magis afficiuntur erga suum idolum, eo magis excitantur ad ornatum & pompam adhibendam & augendam, cum illius idoli honorandi caussa, tum vt & ipsi, & alij ad illud colendum magis excitentur. 3. Quo magis crescit & affectio idololatrica, & ornatus ac pompa, eò magis crescit pertinacia, eo magis crescit Dei contemptus & obliuio.

14. Non enim statim totus Dei cultus penitus reiicitur, sed sensim superstitionem subsequitur pompa, pompam pertinacia, pertinaciam totalis Dei contemptus & obliuio, donec tandem totus Dei cultus prorsus reiiciatur.

ANALYSIS SECVNDÆ PARTIS, ID EST, PROMISsionis.

16. *Propterea ecce Ego.*

1. Promittit hic Deus, quoniam vxor ipsius electa, sed fornicaria (non enim hic loquitur, nisi de electorum Ecclesia) non vult sua sponte ad maritum verum, cuius oblita esse videtur, redire, propterea se inclinaturum illam in suam sententiam: nempe vt ad suum priorem maritum redeat, & seruetur.

2. Quoniam enim illud *Propterea*, Ecclesiæ Israeliticæ in superstitioso cultu pertinaciam, superioribus versibus, ac præsertim proximo descriptam refert, iccirco versus iste hunc habet sensum. Quia ista mulier fornicaria, pertinax est in suo proposito, & oblita mei, nullo modo vult sua sponte in meam sententiam venire, vt scilicet desertis amasiis, mihi vni & soli adhæreat, propterea necesse est, vt Ego adhibeam meam vim & manum, quia illam a suo proposito malo in meam sectam sententiam flectam atque inclinem.

3. Ergo cum omnes nos, etsi electi, nostrapte natura simus pertinaces in nostris sententiis & superstitionibus, quippe qui corda habeamus lapidea, quæ per se flecti non possunt in obsequium Dei. Iccirco, si debeamus in hanc veram sententiam vt ad Christum redeamus, adduci, necesse est, vt Deus ipse, ablato à nobis lapideo corde, det carneum, atque ita illud in sui obsequium flectat.

4. Non enim ait: Ipsa inclinabit se, sed, *Ego inclinabo illam*. Indicat igitur, neminem à sua pertinacia in obsequium Dei inclinari posse, nisi Deus illum inclinet seu flectat.

5. Cum ait: *Et adducam eam in desertum*, quia anastrophe est, idem est, ac si dicat: Inclinabo illam postquam adduxero in desertum, id est, postquam rebus omnibus spoliatam ad extremũ malorũ deduxero. Indicat ergo, non potuisse Israelitas in obsequium Dei inclinari, nisi prius variis calami-

tatibus pressi, tandem priuati patriâ ad extremum malorum ceu in desertum adducerentur.

6. Sunt enim corda nostra veluti durissimum ferrum, etiam, vt formas accensa. Sicut igitur ferrum flecti, seu inclinari à fabro non potest, nisi prius in fornace vi ignis mollescat, Sic corda nostra inclinari in obsequium Dei non possunt, nisi priùs in cruce ceu accensa fornace, sed opera spiritus sancti mollescant flexiliáque reddantur. Hac de caussa ait: *Inclinabo*, postquam in desertum, ceu in fornacem, eam adduxero. Ac proinde conuincitur, crucem vtilem & salutarem esse electis, quia instrumentum est spiritus sancti ad tollendam cordis duritiem.

7. Loqui ad cor alicuius, est efficaciter loqui, & persuadere id, quod cordi placet, gratum atque iucundum est. Nihil autem gratius & iucundius annunciari potest homini in desertum adducto & suam miseriam sentienti, quàm Euágelium, quòd scilicet Deus sit illi factus propter Christum propitius, condonatis peccatis. Ergò cum ait, *Et loquar ad cor eius*, indicat Deus, se Israelitis electis, postquam fuerint primò benè domiti, & per ignẽ calamitatum flexiles effecti, & secundò à sua pertinacia in rectam sententiam pertracti, vt scilicet deletis idolis, soli Deo cupiant inseruire, persuasurum in cordibus id quod Euangelium annunciat, eos scilicet in gratiam Dei esse receptos.

8. Duo autem docet hic ordo Propheticus. Vnum, cùm in desertum adeò, ad extremam aliquam miseriam adducimur, tantùm abesse vt tunc de gratia Dei & fauore desperandum nobis sit, vt tunc magis quam antea nunquam certò exspectanda sit diuina eáque ingens consolatio. Sic enim ait: 1. *Adducam in desertum*. 2. *Tunc loquar ad cor eius*.

9. Alterum, quod hic ordo docet, est, Non prius homini in suis peccatis pertinaci Euangelium de remissione peccatorum annunciandum esse, quam cùm cognitione peccati confusus, tùm sensu iræ Dei consternatus, in desertum desperationis adductus, & ibi flexilis factus fuerit. Priùs igitur adducendum esse peccatorem per legis prædicationem & iræ Dei denunciationem in desertum, deinde Euangelium illi annunciandum.

17. *Et dabo ei vineas suas.*

1. Nomine Vinearum *συνεκδοχικῶς* omnia temporalia beneficia intelligit, & allegoricè, omnia etiam spiritualia. Illa dictione *Mischam* illinc, intelligit, postquam in desertum adducta, atque a sua pertinacia in obsequium Dei flexa, verba ad cor eius facta audire cœperit. *Illinc*, id est, tunc primùm dabo ei vineas. Ergò indicat, beneficia Dei homini non conuenire, nec deberi, nisi priùs verbum Euangelij ad cor eius factum fide amplectatur. Vbi verò Euangelium amplexi, redimus in gratiam Christi prioris mariti, tunc primùm nobis vineas, & omnia Dei beneficia restituit. Ac proinde prius quærendam esse reconciliationem & regnum Dei, deinde hæc omnia nobis adiectum iri.

2. Voluit autem indicare Dominus iis verbis, se non solùm verbo & interna persuasione ad cor loquendo, sed etiam reipsa, & effectis declaraturum Israelitis, se illis esse propitium, quando illis restituit vineas & alia, quæ prius ademerat, beneficia. Beneficia igitur, quæ quotidie nobis Euangelium amplexis ac Deo reconciliatis, contingunt, viua sunt testimonia, confirmantia Deum verè nobis esse placatum.

3. Cum ait, *Et vallem Achor*, Alludit ad felicitatem, quam populus è deserto in planiciem illius vallis egressus, statim percepit vineis, fructibus variis, & omni rerum copia ibi reperta. Indicat igitur, se sicut Patribus, cum primum ex horrido deserto egressi sunt, dedit vallem Achor amœnam, fertilem, & vitiferam, sic etiam illorum liberis, Israelitis, postquam in deserto à sua duritia flexi, Euangelium ad cor eorum prædicatum, amplexi fuerint, daturum ceu vallem Achor, id est, restituturum rerum omnium tam corporalium quàm spiritualium copiam. Ac proinde docet hac promissione, cum nos incipimus flecti in obsequium Dei, id est, & resipiscere, & audire verba, quæ fiunt ad cor, hoc est, Euangelium, tunc etiam Deum incipere nos in hac valle Achor suis variis benedictionibus accumulare.

4. Cum ait: *In apertionem, seu ostium spei*, indicat, Deum hisce suis beneficiis, tanquam clauibus, aperturum Israelitis ianuam spei, ad perfectam æternæ vitæ possessionem. Sic etiam Achor fuit illorum patribus, ceu clauis ad aperiendum ostium, in perfectam promissæ terræ possessionem: ac proinde docet, ex præsentibus Dei beneficiis non temporalibus tantum, sed etiam, iisque inprimis, spiritualibus, vt ex vocatione ad Euangelium, ex iustificatione, ex fortitudine in aduersis, & ex aliis Dei gratiis, certã spem esse concipiendam filiis Dei, certò fore ipsis perpetuam cœlestis hæreditatis possessionem ingrediendum, tanquam ex valle Achor in perfectam totius Palæstinæ possessionem. Omnia enim Dei beneficia electis claues sunt ad ostiũ æternæ vitæ aperiendum.

5. Dies pueritiæ suæ, & dies, quo ascendit è terra Aegypti, idem sunt prorsus. Cùm ergò ait: *Et canet illic, sicut diebus pueritiæ suæ, & sicut die, quo ascendit è terra Aegypti*, alludit non solùm ad canticum quod Israelitæ ex Aegypto liberati, per transitum maris rubri, cecinerunt, vt est Exod. 15. sed etiam ad omnes lætitias & gratiarum actiones, quas populus habuit post liberationem ex Aegypto, ac præcipuè, postquam venit in vallem Achor.

Indicat ergo, sic & hos Israelitas, postquam venerint in vallem Achor, hoc est, posteaquam beneuolentiam Dei erga se ex copia diuinarum benedictionum persensiscere atque capere cœperint, indéque aperta eis fuerit ianua spei, de vita æterna plenè & perfectè possidenda, tunc non vulgares gratias Deo acturos, atque in eius laudes totum cor & linguam effusuros fuisse: ac proinde docet, hoc proprium esse filiorum Dei officium, vt posteaquam diuinam erga se beneuolentiam è variis in se collatis beneficiis caperint, indéque apertum sibi ostium ad vitæ æternæ possessionem vident, toti in laudes Dei erumpant, nec linguam solùm, sed etiam cor & totam vitam ad Deum celebrandum & glorificandum effundant.

18. & 19. *Et erit in die illo, dicit Iehoua, vocabis me, marite mi &c.*

1. Vaticinatur, veros Israelitas, posteaquam castigati in gratiam cum Deo redierint, palam declaraturos, se verè resipuisse, idque cum a reliquis fructibus pœnitentiæ, tum inprimis è repurgatione religionis. Ergo certum, veræ cum Deo reconciliationis, testimonium est, cum totius vitæ emendatio, tum inprimis puræ religionis, abolitis superstitionibus, institutio.

2. Cum enim ait: *vocabis me ô marite mi, & non amplius, Baal mi*, innuit, se solum inuocatum iri ab Israele. Inuocatio autem pro toto cultu diuino ponitur. Ergo innuit, innouatũ iri religionem & verum Dei cultum.

3. Futurum autem erat hoc in die illo, id est, postquam in desertum adducti Israelitæ, verbis ad eorum corda factum fuissent. Ergo ad veram Ecclesiæ renouationem tum pœnitentia & crux, tum Euangelij prædicatio necessaria est.

4. Alludit autem iis verbis, *Vocabis me, ô marite mi*, ad fœdus, quo Deus, tanquam maritus, fidem dederat populo, & vicissim populus, tanquam vxor, fidem dederat Deo. Porrò cum ait, *Vocabis*, subintelligit veraciter, tum animo, tum lingua, tum reipsa. Ergo innuit, veros Israelitas tum animo verè agnituros, tum lingua esse professuros, tum reipsa & effectis confirmaturos, Deum solum sibi esse verum maritum, illum solum inuocando atque colendo.

5. Non contentus dixisse, *Vocabis me, ô marite mi*, adiecit etiam: *Et non vocabis me amplius Baal mi*. Ergo indicat, non purè inuocari Deum cum alij etiam cum illo inuocantur: ideóque purum Dei cultum, non posse instaurari cum vlla superstitione.

6. Quia verò non ait: *Non vocabis amplius Baal*, sed, *Non vocabis me, ô Baal mi*. Ergo indicat, non propriè Israelitas, quod ad ipsorum mentem, inuocasse statuas & Baal, sed Deum in ipso Baal, & statuis. Cæterum hoc perinde fuisse Deo, atque si ipsa idola immediatè inuocassent. Ac proinde docet, futile esse Papistarum commentum, cum aiunt, se non statuas inuocare, aut sanctos adorare, sed Deum in statuis & sanctis inuocare & adorare. Hoc enim Deo perinde est, ac si immediatè statuas colant.

7. Ait: *Auferam Ego* scilicet, non alius, *nomina Baalim ex ore eius*. Ergo autor veræ reformationis in Ecclesia, est Deus.

8. Refertur autem illud *Auferam*, ad tempus castigationis, quasi dicat, postquam benè castigati fuerint in deserto, tum efficiam, vt nec nominent, nec verò etiam recordentur amplius Baalim. Ergo nisi accedat ferula Dei, non possunt verè reformari Ecclesiæ & omnes prorsus superstitiones tolli.

9. Duo autem dicit 1. *Auferam ab ore eius*. 2. *Nec recordabitur amplius*, id est, auferam etiam è memoria eius nomina Baalim. Indicat ergo, Israelitas, omnibus abolitis superstitionibus, tum è templis, tum etiam ex ore, & ex animo, fore contentos vno solo Deo, puróque Dei verbo. Ac proinde docet, non ibi verè reformatum esse Dei cultum & religionem, vbi reliquiæ aliquot falsæ religionis remaneant. Omnia enim superstitiosa religionis vestigia, non tantum è templis, sed etiam ex ore & verò etiam è memoria esse tollenda, vt nec vlla pristinæ idololatriæ supersit memoria. Memoria enim pristini falsi cultus excitare sæpenumerò solet homines ad illum renouandum. Nihil igitur in vera Ecclesia superesse debet Papismi, nisi velimus totũ tandem reuocari: Veri

cet: Veri enim Israelitæ non recordabuntur amplius nominum Baalim.

20. *Et feriam illis fœdus in die illa cum bestiis agri, & cum volucre cœli, & reptili terræ. & arcum, & gladium, & prælium confringam e terra, & quiescere faciam in securitate.*

1. Promittit Deus, vbi fœdere inter se & veros Israelitas renouato, placatus fuerit, se effecturum, vt ipse etiam quoque cum reliquis animantibus in gratiam & salutem Israelitarum renouato, & omni bello e terra sublato nullam sibi aduersam creaturam sentiant: ac proinde in summa pace & quiete eos felicissime victuros.

2. Cùm enim ait: *Feriam fœdus cum bestiis agri* alludit ad fœdus, quod ante peccatum, inter hominem & reliqua animantia firmarat: nimirum vt dum homo Deo subiectus obsequeretur, reliqua quoque animantia omnia homini subiecta ei seruirent. Immo ergo, sicut propter hominis a Deo defectionem violatúmque fœdus, Deus ipse quoque contra hominem, animantia, reliquasque creaturas, inter se & illa & hominem fœdere excitabat atque armabat: sic etiam propter reconciliationem, renouatúmque inter se & electos fœdus, reliqua quoque animantia futura illis propitia, amica & subiecta renouato inter ea & homines fœdere.

3. Cùm ait: *Et arcum, & gladium & prælium confringam è terra* promittit, se effecturum vt Israelitæ non solum cum bestiis, sed cum ipsis etiam hominibus pacem habeant: ac proinde in maxima quiete & suauissima pace felicissime viuant.

4. Cæterùm quia veri Israelitæ in cœlo tantùm perfectè redeunt in gratiam cum Deo, quippe qui hic sæpenumerò contra eum quo ad carnem rebellant: ideircò præsens quoque promissio, in cœlo tantùm perfectum habitura est complementum. In hoc seculo, quod attinet ad carnem, quia illa seruiunt legi peccati: ideircò & Deum, & homines, & animantia sæpenumerò habent aduersa. Quod ad spiritum verò attinet, quia illo seruiunt legi Dei, omnia habent propitia & amica, tum quoniam tantum abest vt quidpiam illis possit ab æterna salute impedire, vt omnia potius illis cooperentur ad salutem, tum quoniam, quidquid etiam aduersi in carne sentiunt, spiritu læti libenter recipiunt, ita, vt nihil aduersi more patiantur.

5. Peccato itaque fit, vt tum Deus, tum homines, tum res creatæ omnes nobis sint aduersæ, bellúmque nobis faciant. Contra verò, reconciliatione cum Deo per Christum fit, vt tum Deus, tum reliquæ creaturæ nobis sint propitiæ, atque ad salutem inseruiant.

6. Ait: *Et faciam illos habitare in securitate* Indicat ergo, se Deum, solum esse omnis nostræ pacis & quietis, siue ea sit in conscientia & spiritu, siue etiam externa, autorem.

21. & 22. *Et desponsabo te mihi in perpetuum, &c.*

1. Sine vlla interiecta, vel pœnitentiæ, vel fidei conditione, absolutissime ait: *Desponsabo te mihi in perpetuum* Huiusmodi autem absolutissimæ promissiones ad solos veros, & secundum spiritum Israelitas, id est, electos pertinent. Ergo hæc est perfectissima & absolutissima Euangelica promissio, qua tum toti electorum Ecclesiæ, tum singulis huiusce Ecclesiæ membris promittit, & nouum connubium, & omnia, quæ ad hoc connubium ex parte etiam vxoris, tum contrahendum, tum in perpetuum confirmandum, pertinent.

2. Cùm ad vxorem fornicariam, quam anteà repudiarat, hanc habeat concionem: non tamen ait, Ego te recipiam in gratiam & fornicationes, quas admisisti, non exprobrabo, sed quasi nouam & intactam virginem alloquens, ait *Desponsabo te mihi.* Nomine verò connubii fœdus intelligitur, quo Deus cum populo, sicut vir cum vxore, fide vtrinque data, ceu in vnum corpus coniungitur. Ergo promissio hæc non de renouatione, confirmationéque fœderis veteris inter Deum, & veterem, carnalémque Israelem, sed de nouo fœdere inter Deum, & nouum spiritualémque Israelem, per Christum faciendo, atque in perpetuum firmando, intelligenda est.

3. Ac proinde etsi concio hæc habita fuit ad totum corpus Ecclesiæ Israeliticæ: illud tamen affirmum Iamnon ad totum carnalem Israelem, sed ad totum Israelem secundum spiritum referendum est. Veteri enim & carnali Israele repudiato, hunc solum nouum, & spiritualem, nouo sibi connubio copulauit Deus.

4. Non ait, Desponsabo animum tuum aut carnem tuam mihi, sed, *Desponsabo te* scilicet totam, & quo ad carnem, & quo ad spiritum. Ergo vtrumque hoc Ecclesiæ promittit. 1. Quod velit suum spiritum cum illius spiritu communicare. 2. Quòd velit etiam illius carnem sibi assumere, atque ita illam sibi perfecto connubii vinculo copulare. Ac proinde vaticinatur hic de perfecto inter Christum & Ecclesiam connubio. In hoc enim tantum duplex hæc perfecta inuenitur coniunctio, vna spiritus altera carnis: Spiritus, quoniam Christus suum Ecclesiæ spiritum communicat, quo Ecclesia adhærens Deo, vnus spiritus efficitur cum illo: Carnis, quoniam Christus carne ab Ecclesia sumpta factus est cum illa vnum corpus, & vna caro.

5. Ait: *Desponsabo ego te mihi.* Ergo nihil non desponsauit, aut reconciliauit Deus, nisi Deus ipse in Christo, iuxta illud 2 *Cor.* 5. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.

6. Deus *Iehouah* ait. *Desponsabo te mihi*, non alius. Sumus autem desponsati Christo, vt Paulus ait. Ergo Christus est ille verus Deus *Iehouah*, qui primum in monte Sina populum Israel sibi desponsauit, deinde per Hoseam, & alios Prophetas, aliud nouum promisit coniugium.

7. Desponsati sumus Christo & Deo. Ergo soli Christo & Deo, & animam & corpus debemus: ac proinde fornicamur, cùm prostituimus vel spiritum ipsis sanctis demortuis, illos inuocando, atque illorum ope quasi in ipsorum sinu recumbendo, vel corpus ipsis idolis, ante ea procumbendo.

8. Ait: *Desponsabo te mihi in perpetuum.* Ergo duo docet. 1. Tacite innuit primum connubium cum veteri Israele in monte Sina contractum, factum esse irritum, nec potuisse esse perpetuum. 2. Aperte promittit, se effecturum vt hoc alterum, cum nouo Israele contrahendum, maneat perpetuum.

9. Etsi verò vtrumque fœdus, quod connubii nomine significatur, quo ad substantiam, vnum atque idem sit, quo ad accessoria tamen, modúmque administrandi duo & diuersa sunt fœdera. Quemadmodum etiam duo eiusdem testatoris testamenta, in quibus eadem res & ex gratia legatæ sunt. Sed vnum obscure dictatum, in mala charta scriptum, publico sigillo non obsignatum, morte testatoris non confirmatum. Alterum verò perspicue verbis dictatum, in bona charta pergamena perscriptum, publico sigillo obsignatum, & authenticatum, ac denique morte testatoris confirmatum. Substantia quidem vnum sunt testamentum, scriptione verò & authenticatione, confirmationéque diuersa.

10. Ac proinde illud primum connubium vetus & quodammodo carnale: hoc verò postremum nouum & vere spirituale connubium dicitur.

11. Illud enim cum veteri & (paucis exceptis) carnali tantum Israele. Hoc verò cum nouo, spiritualique Israele, atque illud quidem quodam modo carnali, quia per legem in lapideis tantum tabulis scriptum, pérque sanguinem tantum hircorum & vitulorum) ideóque in carne tantùm contractum fuit. Hoc verò alterum vero spirituali modo contrahitur, quia per Euangelium Iesu in corde scriptum fit, pérque sanguinem Christi confirmatur, per Spiritum sanctum verò in cordibus electorum obsignatur, ideóque totum in spiritu contrahitur, & consummatur.

12. Dicitur autem illud primum connubium non fuisse perpetuum, primò, quo ad accessoria & ceremonias, quibus fuit contractum, quoniam illæ figuræ tantum erant & vmbræ futurorum vsque ad Christum duntaxat duraturæ. 2. Quo ad substantiam, inter Deum & talem populum, neque id respectu Dei (per eum enim non stetit, quin manserit perpetuum) sed defectu populi, qui connubium violauit atque irritum fecit.

13. Alterum verò connubium perpetuum est. 1. Quo ad ipsa etiam accessoria symbola & sacramenta, quoniã hæc mutanda non sunt in finem vsque seculi. 2. Quo ad substantiam inter Christum & suam electam Ecclesiam, quoniam vinculum, tam spiritus, quam carnis, quo Christus sponsus & sponsa Ecclesia simul sunt colligati, firmũ est atque indissolubile.

14. Proinde caussa, cur illud primum quo ad ceremonias, non potuerit esse perpetuum, fuit, quoniam meræ fuerunt vmbræ futurorum. Caussa verò, cur neque, quo ad substantiam, inter Deum & populum, perpetuum fuerit, fuit, quoniam vxor fornicaria est, & deserto marito secuta est amatores suos.

15. Fornicata verò est, quoniam non erat interno, ideóque firmo spiritus fidei, & amoris vinculo, sed tantum externo, ideoque fragilibus symbolis, cum suo marito colligata, seu quoniam ex parte vxoris coniugium illud non fuit syncerum, cùm ibi deesset animorum coniunctio.

16. Caussa autem, cur alterum nouúmque, & vere spirituale connubium inter Christum & Ecclesiam perpetuum sit, ea est, quoniam, qui hoc connubio Christo sunt semel reuera desponsati, etsi aliquando carne non tamen amplius spiritu & toto animo fornicantur: Mente enim seruiunt legi Dei, etsi carne legi peccati.

17. Ideò verò non fornicatur saltem spiritu quoniam non tantum externis symbolis, sed in primis interno, ideoque firmissimo spiritus Christi vinculo, Christo sunt colligati. seu quoniam connubium hoc, etiam ex parte vxoris, sed per gratiam Dei syncerissimum est, in iustitia, in iudicio in gratia & miserationibus in fide, & cognitione Dei constactum.

18. Quod enim initio diximus, ideò fœdus primum fuisse factum irritum, quoniam non in tabulis cordis carnalibus, sed tantùm in tabulis lapideis scriptum fuerat. Alterum verò nouum, ideò perpetuum futurum, quia in cordibus erat scribendum, idem est cum eo, quod hic docet Hoseas, primum connubium non fuisse perpetuum, quia ex parte vxoris contractum non fuerat in iustitia & iudicio. Alterum verò futurum perpetuum, quia etiam ex parte vxoris contrahendum erat in iustitia & iudicio in corde conscriptis, seu quoniam interno & spirituali iustitiæ, & iudicij gratiæ, & miserationum, fidei, & veræ cognitionis Dei vinculo sponsa erat sponso colliganda.

19. Cùm ergo ait, se desponsaturum sibi Ecclesiam in perpetuum, promittit, se effecturum, vt etiam ex parte vxoris connubium istud maneat perpetuum.

20. Cùm verò ait, se sibi Ecclesiam desponsaturum in iustitia & iudicio, promittit, se illa Ecclesiæ omnino donaturum, inque ipsius corde sculpturum, quibus fiat, vt connubium ex parte etiam vxoris maneat firmum & perpetuum.

21. Ait Desponsabo scilicet tempore Messiæ noui que testamenti, Te mihi in perpetuum. Ergo proprium est huiusce temporis post aduentum Christi, vt homines desponsentur in iustitia & iudicio, seu, vt (quemadmodum loquitur Ieremias) fœdus & fœderis leges in cordibus scribantur.

22. Non desponsantur autem Christo in perpetuum in iustitia, nisi electi. Ergo maximus post Christi aduentum fuit & est futurus electorum numerus, quorum caussa priuilegium hoc desponsandi in iustitia, in hoc vsque tempus dilatum fuit.

23. Promittit, se sibi electos perpetuo connubio copulaturum. Non est autem perpetuum connubium, vbi non perpetuò viuitur. Ergo promittit, se effecturum, vt electi perpetuò secum æternam vitam in cœlo degant.

24. Promittit, se sibi electos in perpetuum desponsaturum. Desponsat autem sibi electos totos quanti quanti sunt, & quo ad carnem & quo ad spiritum. Promittit ergo se effecturum vt illorum etiam corpora ad æternam vitam resurgant.

25. Promittit, se effecturum, vt perpetuo connubio simus ei copulati. Perpetuum autem esse non potest connubium, nisi sicut in Deo, sic etiam in nobis perpetua sit fides & spiritus Christi, per quem connubium hoc & contrahitur & conseruatur. Ergo promittit, se effecturum, vt perpetua in nobis electis sit fides, & spiritus Christi, seu vt, qui semel vera fide & spiritu Christi desponsati sunt Christo, talem fidem & spiritum nunquam prorsus amittant.

26. Promittit, se facturum hoc connubium ex parte etiam vxoris, in iustitia & iudicio. Connubium autem hoc contrahitur præcipue in corde & spiritu electi populi. Promittit ergo, se has connubij leges, Iustitiam & Iudicium, quibus firmum redditur connubium, in electorum cordibus scripturum.

27. Nomine tsedek iustitiæ venit animi integritas & puritas cordis. Hæc autem contraria est impuritati cordis, ex qua factum est, vt prima vxor deserto viro cum amasiis sit fornicata, & ex fornicatione dissolutum fuerit connubium. Ergo ne secunda propter cordis impuritatem fornicetur, ideòque ne hoc alterum connubium dissoluatur, promittit, se illi donaturum animi integritatem, cordisque puritatem. Omnes ergo, qui verè Christo sunt desponsati, præditi sunt animi cordisque integritate & puritate.

28. Nomine Mischphat Iudicij, venit rectitudo iudicij, quo mens de omnibus rectè iudicat. Hoc autem opponitur illi prauo iudicio & mentis cæcitati, è qua factum est, vt prima vxor fornicata sit, quippe quæ prauo iudicio malum iudicauit bonum, & bonum malum, lucem tenebras, & tenebras lucem. Ergo ne secunda ex cæcitate & prauo iudicio fornicetur, promittit se effecturum, vt prædita sit recto iudicio, cùm illam sibi desponsabit, ne scilicet cæca & decepta per ignorantiam, sequatur adulteros. Omnes ergo, qui verè sunt Christo desponsati, præditi sunt rectitudine iudicij in rebus diuinis.

29. Nomine Chesedh in hoc loco venit gratia, in quam Deus nos, condonatis offensis, per Christum recepit, quatenus scilicet illam in nobis sentimus. Opponitur hæc Odio, quo prior vxor putauit a Deo se propter præteritas offensas haberi, ex quo factum est, vt deserto priore marito, à quo non putabat se amari, animum ad amasios adiecerit, ac cum eis fornicata sit, propter quam fornicationem dissolutum fuit connubium. Ergo ne idem accidat cum altera vxore, promittit, se effecturum, vt cum illam desponsabit, sentiat, se esse in gratiam rediisse, atque ab eo amari, atque ita se vicissim in amore mariti contineat. Omnes ergo qui verè sunt Christo desponsati, sentiunt se in gratiam cum Deo rediisse, & se ab eo amari.

30. Miserationes hic accipiuntur, quibus Deus quotidiana, quæ per infirmitatem carnis admittimus, peccata tegit, quatenus scilicet illas in nobis sentimus. Opponuntur hæ summo rigori iustitiæ diuinæ. Iam solent mulieres aliquæ etiam honestæ, propter nimium viri in se seueritatem irritatæ, & desperatæ, marito deserto, aliquem sequi amasium. Ergo Deus, ne idem suæ contingat vxori promittit, se effecturum, vt cùm fuerit sibi desponsata, etiamsi multa per infirmitatem carnis peccata quotidie admittat, ea sentiat infinitis Dei miserationibus contegi, & Deum nolle eum summo iure agere, vt hac Dei clementia perspecta, contineat se in eius amore. Ergo omnes, qui sunt verè Christo desponsati, sentiunt, quotidiana sibi peccata non imputari. Deúmque nolle secum summo iure, sed misericorditer agere.

31. Emunah accipitur hic pro constantia, & firmitudine in fide maritali. Opponitur hæc inconstantiæ & leuitati. Prior vxor naturali quadam leuitate & inconstantia, fastidita priore marito & eius religione, ad alios Deos nouasque superstitiones animum conuertit, a quibus cœpit amari: & tandem cum eis fornicata est. Ne ergo idem alteri contingat, promittit se ei donaturum quandam animi constantiam, & firmitudinem in fide seruandam, vt ne Deo Deique cultu fastidito, nouum tempus commiscicatur, sed in priori fide & cultu se contineat. Proinde omnes, qui verè sunt Christo desponsati, sentiunt se hac animi constantia & firmitate donatos, vt malint quæuis tormenta perpeti, quam deserto marito, & eius cultu, alienos Deos, alienósque cultos persequi.

32. Cognitio Dei hic accipitur, pro solida & certa Dei per Christum cognitione Qua 1. cognoscimus, Deum ab æterno nos gratis amasse, & in sponsas Christi elegisse. Et qua 2. cognoscimus, quòd, licet in illum peccauerimus: tamen ita nos verè in gratiam recepit, vt donato suo spiritu, æterno coniugio nos sibi in carne Christi desponsarit. Et 3. quòd, licet quotidie peccemus: tamen omnia nostra tegit peccata suis miserationibus infinitis. Et 4. quod, licet nos sæpe, imò verò castiget: tamen non id facit ex odio, sed ex amore, ideòque ob nullum flagellum ab eius fide recedendum esse. 5. Quòd postremò daturus sit vitam æternam. Hæc opponitur ignorantiæ Dei, qua factum est, vt prior vxor, non agnita Dei erga se bonitate, ad alienos Deos, a quibus putabat se amari, sese conuerterit, & cum eis fornicata sit, dissolutumque fuerit cum priore eius connubium. Ergo ne idem eueniat alteri, promittit, se effecturum, vt verè, solidéque Deum cognoscat, vt eo verè cognito, sese in eius amore & fide contineat, atque ita perpetuum inter se maneat connubium. Proinde omnes qui verè desponsati sunt Christo, sentiunt se hac solida Dei cognitione donatos.

33. His igitur sex dotibus in ipsius vxoris corde insitis Iustitia scilicet, & Iudicio, Gratia & Miserationibus, Fide, & Cognitione Dei, connubium inter Deum & Ecclesiam, ex parte etiam Ecclesiæ firmatum perpetuum sit, necesse est.

34. Ac proinde quisquis has Christiani connubij leges, seu dotes sex in suo corde inscriptas, firmatasque esse verè persentit, vel etiam persentiscit, is ne dubitet, quin sit perpetuo connubij vinculo Christo colligatus, ideòque de sua salute certus esto.

21. & 22. *Exaudiam cælos, &c.*

1. Ratio coniugij exigit, vt postquam vir seipsum donauit vxori, omnia etiam reliqua, quæ habet, vxori communicet. & quicunque serui vel ancillæ in domo sunt sponsi, iidem omnes obsequium præstent sponsæ. Ergo iure Deus postquam dixit nouo vtroque Israeli: *Ego te mihi desponsabo*, subiecit hos duos versus. *Et ego exaudiam cælos.*

2. Promittit enim quòd veri Israëlitæ, qui Deo fuerint desponsati in perpetuum, habituri sint sibi obsequentissimos cœlos, terram, & omnes creaturas, nihilque eis defuturum sit iuxta illud Apostoli: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Et illud, *Qui proprio filio non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum: Quomodo non omnia simul cum illo nobis donabit?*

3. Nominibus *Frumenti, Vini, & Olei,* synecdochice veniunt omnia, quæ ad vitam hanc corporalem sustinendam necessaria sunt, sicut & in Psalmo patet. Frequentissimum verò est in scripturis, vt sub iis terrenis bonis cœlestia quoque ipsa promittantur. Ergo promittit hic Deus, hæreditatem suam omnium, tam cœlestem, quam terrenam, iis

qui

qui vere Christo fuerint desponsati, veris nimirum Israelitis.

4. Nomen *Iezreel* hoc in loco in bonam partem accipitur pro ipso vero & legitimo Dei semine. Promissio igitur hæc ad illos tantùm pertinet qui sunt verum Dei semen, & ex semine Dei incorruptibili nati.

5. Cùm ait *In die illa* qua scilicet desponsauero te mihi, *exaudiam cælos* indicat, se non ante exauditurum cœlos, neque cœlos terram, neque terram frumenta ad nos, tam fauorem & felicitatem, quam simus Deo in iustitia & iudicio desponsati. Ac proinde docet, vt simus felices, tàm in hoc, quàm in alio seculo, primò quærendum esse, vt Christo desponsemur in iustitia & iudicio, patremque Christi placatum habeamus, tùm nihil eorum, quæ ad felicitatem nostram, tam præsentem quam futuram, faciunt desuturum, iuxta illud etiam Christi: *Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius & hæc omnia adijcientur vobis*, Et iuxta illud. *Pietas, promissionem habet præsentis vitæ pariter, & futuræ.* Peruersam igitur & præposteram facere homines qui, vt sint felices, toti in hoc incumbunt, vt sibi comparent frumenta, vina, & alia vitæ terrenæ commoda, vt verò cum Deo in gratiam redeant, vel non curant penitus, vel vsque ad extremum vitæ differunt. Initium enim humanæ felicitatis à Dei gratia & desponsatione cum Christo, incipere.

6. In hac gradatione, qua ait, *Ego exaudiam cælos, cæli terram, terra frumentum, frumentum Iezreel*, duo sunt extrema capita. Primum est Deus, vt prima caussa efficiens, quæ cœlos & omnia mouet, & non mouetur. Alterum extremum est Iezreel, verum Dei semen, tanquam finis, cuius caussa Deus exaudit cœlos, cœli terram, terra frumentum. Indicat ergo, cœlum moueri, solem splendescere, terram fructus proferre, deníque omnia bona in hoc mundo prouenire propter ipsos tantùm electos, ita, vt si nullus esset in mundo electus, nec cœli mouerentur nec terra fructus proferret.

7. Soli enim electi veri Israelitæ legem Dei tùm inchoatiue in se ipsis, tùm perfectè in Christo seruant. Reprobi impij nentiquam modo legem Dei custodiunt: Ait autem Dominus Deut. 28. *Si non custodieris legem Domini, habebis cælum æneum & terram ferream.* Ergo si nulli essent in mundo electi, qui soli legem Dei custodiunt, cœlum semper esset æneum & terra ferrea.

8. Illa quidem super iustos & iniustos, sed nisi essent iusti, non plueret super solos iniustos. Ergo, quòd impij participes sint pluuiæ & solis, & fructuum terræ, hoc debent iustis & veris Israelitis, quorum tandem caussa Deus exaudit cœlos, cœli terram, terra frumentum.

9. Apparet deinde solos vere pios & electos, iustos, & legitimos sunt bonorum huius seculi possessores atque hæredes. Impij verò reprobi, fures sunt & latrones, qui, quæ propria sunt electorum, iniustè sibi vsurpant.

10. Non ait Ego immediate exaudiam Iezreel, sed *Ego exaudiam cælos, cæli terram, terra frumentum, frumentum Iezreel*, ... se quidem primam esse caussam, quæ Iezreelem alat, atque in hac vita feliciter sustentet, verùm non se id immediate sed per caussas, vt vocant, secundas facere solere.

11. Neque nostrum ait, Frumentum exaudiet Iezreelem, aut, Terra exaudiet frumentum, aut, Cœli exaudient terram, sed primò ait, *Ego exaudiam cælos*. 2. *cæli terram*. 3. *terra frumentum*. 4. *Frumentum Iezreel*. Ergo duo indicat. 1 Quod quidquid virtutis est in creaturis totum illud fluere à virtute & motione diuina, ideóque humanam vitam sustentari virtute Dei, iuxta illud etiam Apostoli. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* In hac enim gradatione ostendit, hominem viuere ex frumento, sed frumentum non posse gigni, nisi è terra, terrā autem non posse frumentum proferre, nisi vim habeat à cœlis, cœlos verò nullam habere vim, quam terræ communicent, nisi eam à Deo, se mouente, accipiant. Ergo quidquid virtutis in cœlis, cæterisque creaturis omnibus, totum illud nihil aliud esse, quam diuinæ virtutis in ipsis creaturis participationem: ac proinde homines ex virtute Dei illos in creaturis alente, vitam suam viuere. 2. Quod in hac gradatione docet, est, creaturas omnes ita esse optimo ordine collocatas, vt vna opus habeat ope alterius, & eas maximo inter se amicitiæ vinculo connexas esse, vt indesinenter sibi inuicem inseruiant, cœli terræ, terra frumentis, frumenta hominibus: Præclarissimam igitur atque diuinam esse totius huiusce mundi harmoniam.

Cùm etiam non dicat. Ego exaudiam Iezreel, sed frumentum Iezreelem. Indicat ergò, Iezreelem cùm premeretur, famem ... Deum in auxilium inuocasse, sed ad panem quærendum, immediate recurrisse & illum quasi opem inuocasse. Hoc autem malum fuit, cùm debuisset Deum statim & immediate inuocare. Oblique ergo hic perstringitur communis, eaque pessima hominum consuetudo, qui, cùm fame & ... premuntur, sine vlla Dei inuocatione, ad ipsa immediatè terrena elementa sibi paranda, & deuoranda feruntur, cùm deberent supra cœlos ascendere, atque ad ipsum bonorum omnium fontem Deum immediate recurrere, eúmque inuocare dicentes. *Pater noster qui es in cælis, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

13. Cùm ait *Ego exaudiam cælos*, vt scilicet etiam frumentum audire possit Iezreelem, indicat Deus, etsi nos, quæ nostra est ruditas & cæcitas, non semper immediatè alimenta à Deo petimus: se tamen nolle, vt alimentis prorsus destituamur, & fame pereamus, ideo exaudit cœlos, vt frumenta ad quæ in fame clamamus exaudire nos possint.

25. *Et seminabo eam mihi.*

1. Etsi illud affixum *Iah* in *zeraghtiah* seminabo eam, fœminini est generis, *Iezreel* autem masculini: dubitandum tamen non est, quin ad Iezreel referatur illud *Iah*, ad eum enim alludit hoc verbo *zeraghti*, sed ita in fœminino genere loquitur, quia de Iezreel sub nomine vxoris hactenus sermonem habuit.

2. Vaticinatur autem de semine Dei, seu de electorum numero post Christi aduentum multiplicando ac longe latéque per vniuersum terrarum orbem diffundendo.

3. Commodissimè verò hæc promissio subijcitur superiori. Ideò enim tunc (vt ait) Deus exaudiet cœlos, & cœli terram, & terra frumentum, id est, magna erit in vniuersa terra rerum copia, quia tunc etiam futurus est immensus Iezreelitarum, id est, electorum numerus per vniuersam terram diffusus.

4. Ait, *seminabo Mihi*. Ergo non sumus nati, nec renati nobis, sed Christo, id est, in Christi gloriam & obsequium.

5. Nec ait, Alius mihi seminabit, sed, Ego seminabo mihi. Ergo non sumus renati ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo, per eius semen, verbum scilicet & Spiritum sanctum.

6. Horum trium nominum, Iezreelis, Loruchama, & Loammi, mutata in meliorem sensum significatio, iram quoque Dei in misericordiam mutandam fuisse, docet.

7. Cùm ait, *Misericordia prosequar Loruchama*. Indicat ergo, initium salutis nostræ esse Dei misericordiam, quia nostrapte natura eramus Loruchama, per misericordiam verò Dei facti sumus Ruchama.

8. Primò ait: *Dicam Ego Loammi, Ammi*, deinde *Et ipse dicet, Deus mi.* Ergo indicat, quòd ipse prius nos sua gratia & vocatione efficaci præuenit, faciens nos esse illius populum ac dicens, *Tu populus mi*. Deinde subsequitur assensus nostræ fidei, qua agnoscimus Deum nostrum esse Deum, & pro nostro Deo eum amplectimur, dicentes, *Deus mi*. Ac proinde docet, quòd nos non possumus Deo vocanti fide assentiri, nisi prius ipse Deus per Spiritum sanctum suum in corda nostra illabatur, ac, ceu extensa manu, nos ad se trahat.

CAPVT III.

Alia visio, qua, symbolo adulteræ propter fornicationem à viro ad tempus desertæ, & postea illi reconciliatæ, exprimitur captiuitas Israel propter idololatriam, & futura per Christum reconciliatio.

1. *Et dixit Iehoua mihi, iterum abi, ama mulierem amatam ab amico, & adulterantem: qualis est amor Iehouæ erga Israelitas, cum ipsi respiciant ad Deos alienos, & ament lagenas vini.*

Et dixit Iehouah *ad me. Adhuc vade, accipe mulierem amatam amico* suo, id est, à suo marito, *& pro* Sed *adulteram, secundum amorem* Iehouah erga vel *ad filios Israel, & ipsi tamen respicientes* scilicet sunt, id est, respiciunt *ad Deos alienos, & amantes* sunt, id est, amaor *lagenas* vel dolia *vuarum*, id est, plenas (ait R. D. K.) vino expresso ex vuis.

Hodh adhuc, Sanct. Pagn. Rursus, sic Munst. velit iterum abi.

Reah à *rahah* pascere & amare, est amicus, est etiam sodalis; sed significatur hic maritus, cùm verus sit sodalis vxori.

Naaph adulterare, adulterium committere, est hic Benoni fœmin. in Piel, quasi dicat, adulterium committentem.

Acher alius, alienus, Tone.

Ohabhe plurale particip. masculin. in regimine, extra regimen est *ohabhim*, in regimine *ohabhe*.

Aschischim lagenas, vel cados, vel dolia, ab *Aschasch*.
Henabh vua.

In visione contigerunt hæc. Mulier repræsentat synagogam Iudæ, (de sententia quorundam, quæ fuit dilecta à Deo præ Israel, cùm hunc reiecerit, illam seruarit) vel repræsentat, meo iudicio, Israelis synagogam: Adhuc enim persistit in primo proposito de suis Israelitis. Propheta repræsentat Deum, eadi vuarum voluptates, & delicias. quasi dicat, non solùm coluit idola, sed etiam voluntates amauit.

Et dixit Dominus ad me, rursus vade, dilige vxorem, quæ dilecta ab amico, adultera fuit, cuiusmodi est dilectio Domini erga filios Israel, quamuis ipsi respiciant ad Deos alienos, & diligant lagenas vuarum.

Hoc est, mulierem, quæ cùm vnicè à marito suo diligeretur, tamen adulterium commisit, seu, Adama mulierem, quæ cùm summopere à te diligeretur, fornicata est.

Hæc etiam visio, non autem res gesta fuit. Mulier refert synagogam. Propheta Deum, qui tanquam amicus, seu maritus singulari fauore prosecutus est Israelem, tribuendo illi verbum suum, etiam optimam politiam, & omnia ad honeste beatéque viuendum necessaria.

Respiciunt ad Deos alienos, hoc est, spem ponunt in idolis, & opem ab illis expectant, ritum illorum obseruant, & ab illis pendent.

Lagenas vuarum. Hebræi, vini expressi ex vuis. Exprimitur peccatum Israelis, quod non solum coluit idola, sed etiam voluptatibus & delitiis indulsit, quæ per lagenas vuarum significantur cap. 4.

2. *Cùm itaque comparassem eam mihi quindecim siclis argenti, & sesquichomero hordei.*

Et comparaui acquisiui vel emi *eam mihi in quinque decem*, id est, quindecim *argenteis*, *& chomer* coro scilicet vno *hordeorum & lethec*, id est, dimidio coro *hordeorum.*

Vaechreha Et comparaui, emi, acquisiui à *Carah* emere, habet *caph* punctum dages in medio ob decorem, ait R. D. Kimhi in radicibus.

Chomer Græcè κόρος, mensura aridarum rerum continet medimnos Atticos decem, qui conficiunt decem saccos nostrates Argentinenses, seu decem quartalia.

Schorah cum puncto in sinistro cornu, hordeum, à *Sahar*. Nam cum puncto in dextro, alius est significationis plur. *Seborim* hordeorum.

Lethech est media pars Cori, id est, modii, ait R. D. Kimhi in radicibus. Hic tantùm inuenitur hæc vox, continet quinque medimnos Atticos, id est, quinque saccos nostrates, seu quinque quartalia. Quindecim ergo argenteos, id est, siclos in pecunia dedit, & quindecim saccos hordei.

Itaque comparaui eam mihi quindecim nummis *argenteis, & chomer hordei, & dimidio chomer hordei.*

Propheta ait, se paruisse, & ab effectis probat, se in gratiam accepisse vxorem suam adulteram, eò quòd dederit ei pecuniam, & ad victum necessaria.

Chomer,] quæ decies continet Aepha, & æpha decies omer, id est, manipulum.

3. *Et dixi ei, diebus multis desideto mea caussa, ne scorteris, neque nubito cuiquam, vicissim etiam Ego tua caussa.*

Et dixi ad eam, diebus multis sedebis mihi, vidua, non fornicaberis, non scortaberis. *& non eris viro* scilicet copulata, id est, manebis vidua & cælebs, *& etiam Ego ad te*, scilicet respiciam.

Id est, vbi expertus fuero tuam resipiscentiam, Ego te, tanquam viduam ad tempus relicturus sum, postea ad te ueniam & ero tibi maritus.

Teschebi a *Iaschabh* sedere, habitare, morari, futurum fœmin. 2. per son. numer. singul. in 3. ordine quiescentium in pag.

Zanah fornicari corpore & animo.

Dixique ad eam, diebus multis manebis mihi, tanquam vidua, *non fornicaberis, & non commisceberis viro, & ne quidem ego ingrediar ad te.*

Hebr. Sedebis mihi, sic infrà, Sedebunt filij Israel. hoc impletum fuit in captiuitate, in qua nec vitulos coluit, nec iuxta legem sacrificat Israel, destitutus vtraque politia, ecclesiastica & ciuili, vt sequenti versu prædicitur.

4. *Nam diebus multis desidebunt Israelitæ nullo rege, & nullo sacrificio, ac nullo statua, nullo denique amiculo aut imaginibus.*

Quoniam diebus multis habitabunt filij Israel sine rege, & sine principe, & sine vllo sacrificio, & sine statua, & sine Ephod & sine Theraphim.

Zebhach sacrificium.
Matzebhach statua.

Siquidem diebus multis manebunt filij Israel sine rege, & sine principe. & sine sacrificio, & sine statua, & sine Ephod, & sine Teraphim.

Sine principe) scilicet ex populo suo.

Per sacrificia & Ephod intelligit ritus legitimos, sicut per statuam & theraphim, adulterinos quasi dicat, priuabuntur omni administratione publica religionis.

5. *Postea reuersi Israelitæ, quærent Iehouam Deum suum, & pauide accedent Iehouam, & bonitatem eius vltimis temporibus.*

Postea reuertentur filij Israel, quærent Iehouah *Deum eorum* suum, *& Dauid regem ipsorum* suum, *& pauebunt ad* Iehouah, *& ad bonum* vel bonitatem eius *in extremo dierum.*

Reuertentur, id est, conuertentur.

Dauidem regem suum,) id est, Christum eius filium. Nomen patris pro filio, frequentissimum est in scripturis. Dauid pro Christo.

Timebunt ad *Iehouah*, id est, reuerentia & timore afficientur ad commemorationem eius nominis, id est, vel, audito eius nomine, reuerebuntur, vel, spectata tanta Dei maiestate, potentia, qua potuit, se perdere, & deinde tanta bonitate, qua interfectores sui filij, & rebelles, noluit perdere, pauebunt admirabundi, & vt etiam angeli ad præsentiam Dei pauent Esa. 6. De Iudæorum conuersione ad Christum in fine seculi, lege Deut. 4. Rom. 11. Cor. 3.

Attamen posteà conuertentur filij Israel, ad Christum scilicet, *& quærent Dominum Deum suum* per pœnitentiam scilicet & fidem, *& Dauid regem suum: & pauide confugient ad Dominum, & ad bonitatem eius extremis diebus.*

Dauid, id est, Christum filium Dauid secundum carnem. Nomen aui ponitur vice nepotis. Hoc autem est frequentissimum in scripturis de Christo. Notandum, quòd eundem cultum tribuit Christo & Deo patri. Declarat ergò, Christū esse Deum.

Pauebunt. Metaphora ab auiculis sumta, quæ exterritæ, celerrime auolant Quasi dicat, agnitione peccatorum & sensu iræ Dei expauefacti, magno fidei impetu recurrent ad Deum, & bonitatem eius, id est, Christum, per quem experti sumus bonitatem & beneficentiam patris.

In extremitate dierum. Tempus Messiæ exprimitur quo Israelitarum numerus recepit Euangelium, & Christo semper aliqui accedunt vsque ad finem mundi, tunc verò totus Israel saluus fiet. Rom. 11.

ARGVMENTVM.

1\. *HAc prophetica visione docet Dominus, quid suam vxorem, Ecclesiam scilicet Israeliticam, quam ante illius fornicationes adamauerat, nunc etiam postquam adultera & voluptuosa facta est, amare pergat ac proinde, quoniam adultera & voluptuosa est facta, velit eam castigare.*

gare. Quoniam verò à se est amata, non vult eam perdere, sed ita duriter, quia adultera, eam tractare, ut tamen clementer, quia dilecta, velit cum ea agere. Castigatio autem hæc dura, sed cum clementia coniuncta, ea est, quòd velit illam suam uxorem ad aliquot dies, tanquam viduam sine amasiis, & sine consortio sui viri, solitariam, cælibem, & duram, austeramque vitam, pane tantum hordeaceo, tenuique victu, agere: atque ita tamdiu, dum discat, verum suum timere, & eius bonitatem revereri.

2. *Quatuor autem partibus constat hæc concio.* 1. *Prædicatione amoris Dei erga uxorem suam, tametsi adulteram, & voluptatibus deditam. Hoc primum cum ait, versic. 1.* Vade, ama mulierem dilectam a marito iuxta amorem Iehouæ erga filios Israel. 2. *Reprehensione peccati, nempe idololatriæ, seu spiritualis fornicationis, & ebrietatis, aliorumque omnis generis voluptatum. Hoc alterum, cum ait, vers. 1.* Quæ adultera est. & ipsi respiciunt ad Deos alienos, & amant lagenas vinarum.

3. *Denunciatione duplicis pœnæ cum clementia tamen coniunctæ, contra illud duplex peccatum. Vna est, durum vitæ genus, quòd vult Deus, ut ipsi Israelitæ vivant in exsilio: nempe cibario pane, aliisque ad mensuram, sicut antea præ nimia copia lasciviebant, & respiciebant ad lagenas musti. Hoc habes in versu 2. cum ait:* Et acquisiui eam mihi quindecim argenteis. *Altera, quæ est contra spiritualem fornicationem, est solitaria, despicabilis, & vidualis in exsilio vita, ut scilicet ad multos annos sedeant, & sine ullo prorsus externo religionis ac cultus tam idolorum, quàm Dei, & sine ullo proprio vel magistratu, vel regno: id est, ut neque Ecclesiæ, neque politici magistratus, formam ullam habeant, donec resipiscant. Hanc habes versu 3 figuratè, cum ait:* Et dixi ad eam, diebus multis sedebis. *Deinde eam explicat versu 4 dicens:* Quia diebus multis sedebunt filii Israel.

4 *Constat postremò concio hac promissione seu certo vaticinio, quòd Israelitæ, postquam longa castigatione bene purgati fuerint, tum verò & ipsi verè Deum suum agnoscent, ad eum convertentur, eumque & Christum eius reverenter colent. Hoc habes in versu postremo dicens:* Postea revertentur filii Israel. *Habemus, & argumentum, & partes, adeóque summam totius huius concionis.*

1. *Finis autem, cur hæc proponat Israelitis, duo habet capita. Vnum, ne nimis securi sint in suis peccatis, quasi propter prædictam promissionem in 1. capite, ubi in exsilium abducti fuerint, mox inde sint liberandi, & futuri felicissimi. Dominum enim velle illos ad multos dies in exsilio duriter tractare, quia adulteri sint. Discant igitur timere Dominum. Alterum caput, ne dum audiunt, se in exsilio duriter tractatum iri in ipso exsilio, desperatione obruti, deficiant, quasi, quia ad multos dies duriter sunt in exsilio tractandi, prædicta promissio nunquam sit implenda. Dominum enim de ipsorum peccatis pœnas quidem in exsilio sumpturum, quia adultera sunt uxor, sed ita tamen, ut, quia illos amat, nolit illos perdere, aut desinere ipsorum esse maritus: imò, quod tanquam bonus maritus, sed post admissam per multos dies ipsorum ferociam & lacrymiam, velit illos iterum ad se recipere, ut suprà etiam promisit. Spe igitur se in exsilio sustentent. Postea enim (inquit in fine capitis) revertentur filii Israel, & quærent* Dominum.

Tenemus finem quem in hac concione spectauit Propheta: nempe ut electos in ipsum exsilium abductos, & in metu, & in spe, ac fiducia Domini retineret.

Cæterùm quæ hic concionatur Propheta, primùm figurate sub allegoria uxoris proponit, idque tribus primis versibus. Deinde disertis verbis explicat in duobus postremis versibus.

4. Nunc ante, quàm verba ipsa percurramus, breuibus explicandum est, de quibusnam Israelitis tota hæc concio intelligenda sit. In huius enim nodi explicatione, explicatio totius concionis sita est. Nisi hoc probe intelligatur, concio intelligi non potest.

1. Quidam putant, hanc concionem habitam quidem fuisse ad Israelitas, id est, 10. tribus, sed de Iuda vaticinatum fuisse Prophetam. Primam enim visionem quæ est in primo capite, de decem tribubus fuisse, sed hanc de tribu Iuda. Sicut etiam Ezechiel 23. duarum sororum quæ fornicatæ sunt, meminit, quarum una Ahola, altera Aholiba dicitur: & una significat synagogam Iudæ & Hierosolymam, altera synagogam Samariæ, id est, 10. tribuum. Sic volunt, Hoseam vaticinatum fuisse 1. cap. de Ahola, id est, de 10. tribubus. Hic verò de altera Aholiba, id est, de Hierosolyma. Adferunt etiam quasdam rationes ex contextu probabiles, tum quoniam hæc, de qua hic loquitur, non dicitur repudiari, sed tantum castiganda ad multos dies, & postea reuocanda. Israel verò repudiatus in perpetuum fuit, ut est in primo capite. Tum etiam, quoniam hæc dicitur dilecta suo viro, etiamsi sit adultera, quod Epitheton proprium esse tribus Iudæ volunt. Ac propterea illos, *Multos dies*, interpretantur exsilium Babylonicum, quod fuit annorum 70. Sic Hebræi quidam, quos secuti sunt aliqui etiam ex patribus. Sed hæc non potest cohærere cum ipso contextu. Ait enim versu 4. hos filios Israel futuros, ad multos dies, in suo exsilio sine rege & principe, id est, sine ullo magistratu è suo populo. Manifestum est autem, Iudam in exsilio Babylonico non fuisse prorsus sine principe & sine magistratu aliquo, è sua tribu, tum quoniam propositio Gen. 49. ita habet, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, tum quoniam Danielis cap 13. apparet, in eo populo fuisse formam aliquam iudicii & magistratus. In historia Susannæ, *Et constituti sunt, ait, duo senes, iudices illo anno, à populo.*

2. Alii interpretantur de solis, & quidem de omnibus in genere decem tribubus, sicut etiam primo capite. Sed hæc etiam cohærere non potest cum contextu & historiis, ut rationes in prima sententia citatæ demonstrarunt. Nam decem tribus non ad aliquot dies exsularunt, sed in perpetuum exsilium abductæ fuerunt. Deinde, ait hic versu 4. quòd in exsilio erunt sine ullo prorsus cultu, quia nec colent idola seu simulacra, nec Deum, seu verum numen, cultu scilicet externo. Nam de interno locus iste intelligi non potest, quia pii in exsilio interno cultu coluerunt Deum verum. Falsum est autem, decem tribus in exsilio non adorasse idola. Cùm enim tandem transierint in genus & censum gentium idololatrarum, perpetuum autem fuerit, & sit illud exsilium decem tribuum, quî modo non cum aliis gentibus coluerunt idola? Quidam ad hæc tamen respondent, sic intelligendum esse locum, *Non coles idola*, scilicet in terra hac mea Palæstina. Sed est contra textum.

3. Quidam de toto corpore Israelis, quatenus scilicet complectitur & Iudam & reliquas tribus. Sed illud, quòd erunt sine rege & principe, in solis decem tribubus impletum fuit. Illud verò, quòd annis multis, non autem perpetuum sedebunt, ad annos 70. quibus Iuda exsulauit in Babylone, referunt. Post illos enim 70. annos, Iudam cum multis etiam ex decem tribubus, licet non omnibus rediisse, hæc etiam nimis est coacta. Si enim de toto corpore loquitur, non rediit autem totum corpus, quomodo igitur verum hoc vaticinium?

4. Sunt qui de illis Israelitis & Iudæis, qui futuri erant, post Christum in finem usque seculi, à reliquis gentibus & Christianis distincti, vaticinium hoc interpretentur. Et videtur hic sane sensus. 1. Quia omnes ij sunt & sine politico magistratu (subiecti enim sunt Turcarum, Christianorum, & aliarum gentium magistratibus) & etiam sine cultu vel diuino, & vero, vel idololatrico: nam neque idola colunt, ut patet, neque legitimum habent, verúmque Dei cultum. 2. Sic sedent, ceu vidua quædam, per multos dies, non in perpetuum. Quia ubi conuersa fuerit plenitudo gentium, tunc etiam omnis Israel saluus fiet. Et sic interpretantur ultimum versum, *Postea reuertentur*, de conuersione Iudæorum in fine seculi. Sed neque hæc mihi probatur. Dies enim isti, de quibus loquitur Propheta, omninò referuntur ad tempus aduentus Messiæ. Illud enim tempus appellatur à Prophetis *Extremitas dierum*. Sicut enim *Gal.* 4. Ait ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum.

5 Ego igitur sic sentio. 1. Non loqui Prophetam specialiter de Iehuda, ob rationes supradictas. 2. Neque de toto corpore, quatenus complectitur omnes tribus, ut supra ostensum est: persistit enim Propheta adhuc in sua tantùm Ecclesia decem tribuum. 3. Non hic promiscue loqui de omnibus Israelitis, seu de tota illa Israelitarum Ecclesia, quatenus complectebatur pios & impios. Nam tota hæc, ut suprà ostensum est, in 1. cap. repudiata fuit, & in perpetuum exsilium abducta. De sola igitur speciali verorum & piorum Israelitarum Ecclesia, quæ in illa generali, malos etiam complectente, continebatur, quæque simul cum aliis, partim in captiuitatem fuit abducta, partim in ipsa captiuitate nata fuit, usque ad Christum, censeo præsentem concionem intelligendam esse. Si enim de hac sola interpretemur, omnia fluunt in contextu, & historiæ non repugnant.

1. Ait, Quòd hæc, de qua hic loquitur, uxor fuit dilecta suo marito, id est, Deo. Sola autem verorum electorum Ecclesia, vere dilecta Deo esse & fuisse ab æterno dicitur. *Rom.* 9. Iacob dilexi, Esau odio habui.

2. Cum iubetur Hoseas amare hanc mulierem, etiamsi sit fornicaria, indicauit Deus, quod hanc Ecclesiam Israeli-

tarum, licet fornicata sit, amare tamen pergat. Hoc certe non nisi de electorum Ecclesia, intelligi potest. Hos enim solos quos ab æterno amauit, suo nunquam amore prosequi desinit.

3. Ait, quòd eam sibi conquisiuit, comparauit, adeptus est (id est, ad sanam mentem & pœnitentiam reuocauit) quindecim argenteis, id est tenui victo, ac dura tractatione qua illam in exilio diu affligit. Non reuocati autem sunt omnes ad sanam mentem, sed tantùm electi. Ergo de electis tantùm intelligenda est.

4. Ait, quòd ipsa, ceu vidua, in ipso exsilio, neque cum idolis scortabitur, neque cum viro erit. Hoc postremum impletum fuit in tota Ecclesia Israelitica, quia non habuerunt amplius cultum verum Dei externum. Illud verò primum in sola electorum Israelitarum, qui erant in captiuitate, Ecclesia impletum fuit. Illi enim, quia pij etiamsi degebant inter ipsos idololatras gentiles, noluerunt tamen idololatris se contaminare, sicut pii viri in Papatu faciunt.

5. Ait, *Diebus multis sedebunt*, scilicet vsque ad Christum, & posteà ait, *Conuertentur*. Hoc solùm impletum in piis & electis Israelitis, non in reprobis & impiis. Manifestum igitur est, totam hanc concionem de sola electorum Israelitarum Ecclesia, quæ tamen ante fuerat & ipsa cum aliis adulteris, intelligendam esse. Nunc singulos versus, singuláque verba percurramus.

1. *Et dixit* Iehouah *ad me*, nempe in visione, *vade rursus*.

1. Indicat, anteà etiam missum fuisse à Domino ad mulierem adulteram. Quando? vtique quando iussus est ire, in visione, ad mulierem fornicariam, nomine Gomer, filiam Diblaim, sicut habetur in primo capite. Sed longe differt illa ab ista secunda visione. 1. Principiò mulier illa prior repræsentabat totam Ecclesiam Israeliticam, quatenus complectebatur & pios, & impios, quæ tota fuit repudiata, & in perpetuum exsilium corporale abducta. Hæc verò altera repræsentat solam specialem electorum Israelitarum Ecclesiam, quæ in prima illa vniuersali, vt pars, continebatur, quæque cum reliqua Ecclesia fornicata fuerat cum idolis, & ideò cum reliqua tota repudiata à fœdere scilicet legis.

2. Ibi iubetur immediate cum scorto illo scortari, & ex eo filios scortationum suscipere, quibus tribus liberis indicauit, quanta esset corruptio totius Ecclesiæ. Tribus autem liberorum nominibus docuit, quanta fuerat ira Dei contrà illum populum. Hic vero iubetur amare mulierem, quæ, etsi à suo marito priore adamaretur, tamen adulterium commisit. Quo mandato non iram, sed amorem erga Ecclesiam electorum indicauit suum. Sunt autem tres personæ in hac visione. 1. Est maritus, qui suam vxorem antequam adultera esset facta, amauit & per consequens, vt amantissimus maritus, eam liberalissimè tractauit. Hic est Deus, qui electum Israelem amauit ab æterno: & sponsam accepit in monte Sina. 2. Est vxor, quæ licet adamaretur, & liberalissimè tractaretur à suo marito: tanta tamen fuit eius ingratitudo & libido, vt amor mariti non potuerit illam retinere, ne fornicaretur. Hæc est electa Israelitarum Ecclesia, quæ fornicata est cum idolis. 3. Est Propheta, qui iubetur hanc mulierem à suo marito amatam, licet adulteram, amare.

Tria ergo indicare voluit hac visione. 1. Quòd Deus ab æterno, vero, & syncero amore, amauit hanc electam Israelitarum Ecclesiam, eo, inquam, amore, quo dicitur etiam Iacob dilexisse, Rom. 9. De quo Ier. 31 ad hunc eundem populum ait, *in charitate perpetua dilexi te*. Hoc primo loco non sine caussa indicare voluit Dominus. Quoniam hoc est primum, quod sibi quisque persuadere debet: nempe se à Deo ante tempora æterna amatum fuisse, &, nisi quis ita sibi persuadeat, non potest, vel Deum vicissim amare, vel in eo sperare, vel in cruce subsistere, vel quidpiam boni facere. 2. Quod hic docet, est Hanc Israelitarum Ecclesiam sua natura fuisse nimis ingratam, nimisque peruersam, superstitiosamque, quippe quam tantus erga se mariti amor & humanitas, non potuit in pudicitia & fide marito data retinere. Cùm enim amaretur à suo marito, & liberalissime pertractaretur: tamen non potuit se continere, quin animum ad amasios adiecerit, atque cum eis fornicata sit. Hoc, secundo loco iure positum est, post scilicet amorem mariti: Quia ille amor præcedens facit ad magis exaggerandam populi ingratitudinem & peccatum. Si enim mulier aliqua non ametur, nec liberaliter tractetur à suo marito, videtur speciem aliquam excusationis habere, cur se aliis prostituat: sed si maritus vxorem suam amet, honoriter tractet, præstetque ei maritale officium, & posteà ipsa ad amasios animum adiiciat, nulla certe ei relinquitur excusatio.

3. Indicat, etsi magna sit vxoris ingratitudo & impudicitia: infinitis tamen partibus maiorem esse ipsius Dei erga suam Ecclesiam amorem, misericordiam, bonitatem, patientiam qui, etsi suam Ecclesiam videat factam esse adulteram, & ita peruersam vt nullis, vel officiis, vel beneficiis retineri potuerit in castitate, tamen eam amare non desinit, idque in Christo. Mandat enim in persona Prophetæ ipsi Christo, vt eam, etsi adulteram inuentam, & ideo à primo connubio reiectam: amet tamen ipse, & nouo connubio sibi tandem copulet, eam perpetuo amore prosequatur: ac proinde hic tacite vaticinatur de secundo connubio per Christum faciendo in perpetuo amore. Hoc autem iure tertio loco positum est, quia indicare voluit, neque ipsa nostra peccata impedire posse, quin eos, quos semel ab æterno amare cœpit, perpetuò in Christo amare pergat. Tanta est Dei constantia in amandis, & fouendis illis quos ab æterno sibi amandos & fouendos delegit. Hæc tria in hac visione indicare voluit Dominus, his verbis, *Vade ama mulierem amatam à marito & adulteram*.

Nunc verò verbis sequentibus diserte vtcunque explicat, quæ figurate in illo mandato indicarat.

1. De eiusmariti amore loquebatur, cùm dixit, *Ama mulierem à suo marito amatam*? De amore Dei in Christo. *iuxta amorem* Iehouah *erga filios Israel*. 2. Quæ illa mulier amata à suo marito, de qua dixit, *Ama mulierem*? Ecclesia Israelitarum electa. Ait enim *Iuxta amorem Domini erga Filios Israelis* intelligit filios Israel secundùm spiritum etiam, non tantùm secundùm carnem. 3. Quæ adulteria sunt illa quæ commisit eius vxor dicens, *Et ipsa est adultera, seu adulteria committit*? Sunt idololatriæ aliorúmque Deorum cultus. Ait enim *Et ipsi Israelita respiciunt ad Deos alienos*. 4. Quid sibi vult, quod mandat Prophetæ, vt amet adulteram? Indicare voluit, quòd ipse Deus Israelitas electos idololatras etiam effectos, velit constanter & perpetuo amore prosequi in Propheta ipso, id est Christo. Ait enim, *Ama iuxta amorem Dei erga filios Israel*, id est, amore constanti firmo, æterno, qui neque peccatis impediri potest. Indicat ergo, Christum illum esse, cui iubetur vt amet Ecclesiam hanc amore, quo amat Deus filios Israel. Quia nemo potest iuxta amorem Dei amare quempiam, nisi Christus.

Summa consilii Domini in hoc versu est, vt Israelitæ, etiamsi in exsilio viderint se duriter à Deo castigari: statuant tamen certò, se à Deo ab æterno amatos fuisse, & continenter amari in Christo, & licet viderint, se, ceu vxorem à marito reiectam, non ab eo recipi in consortium tori maritalis, id est, esse sine rege, principe, & sine vlla religionis forma: certò tamen sciant, se esse charos Deo & nouo connubio tandem desponsatum iri Christo, cuius typus erat Hoseas.

In quem finem voluit Dominus, vt hoc sibi persuaderent Israelitæ? Vt hac persuasione de æterno Dei erga se amore armati, totam illam castigationem patienter ferre possent, & certam spem conciperent, fore, vt tandem fruerentur suo sponso.

Illa locutio, *Respicere Deos alienos, & post aliquem*, phrasis est Hebraica, & ad amorem, desideriúmque transfertur. Quæ enim amamus & desideramus, in ea respicimus, & tum mentem, tum oculos habemus intentos. Ergo respicere post Deos alienos est insano amore, & desiderio affici erga falsos & idololatricos cultus. Israelitæ igitur dicuntur respexisse post Deos alienos, quia insano superstitionum studio feruebant.

Illud, *Et amans lagenas vuarum*, bifariam exponi potest. 1. Quidam [illegible] accipiunt, pro insatiabili nouarum semper superstitionum desiderio teneri. Metaphora sumpta ab ebriosis hominibus, qui fastidito vino veteri, cuius etiam odor illos offendit, nouas semper lagenas, nouo musto, vixque ex vuis expresso, plenas amant & quærunt. Lagenæ enim plenæ vuis, dicuntur lagenæ plenæ recenti, ideóque dulci musto recens ex vuis expresso. Sic homines superstitiosi, vere idololatrico cultu ebrii, fastidiunt veterem semper religionem, ita vt etiã illius odore offendantur: ideò nouas semper superstitiones meditantur, tanquam lagenas nouo musto plenas, quia nouæ superstitiones magis delectant, quàm vetus religio. Hæc mihi non improbatur. 2. Alii tamen, quod non displicet propriè accipiunt locutionem hanc, sicut etiam propriè locutus est ante dicens, *Et ipsi respiciunt post Deos alienos*. Volunt ergo, perstringi hic Israelitas, non tantùm idololatriæ, sed etiã ebrietatis, crapulæ, deliciarum, lasciuiæ & omne genus voluptatũ. Vinum enim omnis voluptatis & lasciuiæ est alimentum.

Colligamus ex hoc loco, firmitérque retineamus hanc salutarem & necessariam doctrinam, vt scilicet certò statuamus, nos à Deo ante, quàm etiam peccaremus, aut fornicaremur in Adamo, ab æterno amatos fuisse, & licet posteà propter peccatum quasi reiecti fuimus: tamen nouo conn-

gio desponsatos esse Christo, & à Christo, & à patre in Christo perpetuo amari: ac proinde, etiamsi propter nostra peccata sæpe est in nos asperior, & nos cædit, in exilium mittit, & quasi à se reijcit: illum tamen non desinere nos amare, sed semper in ipsa etiam ira æternum suum erga nos amorem conseruare.

At sumus impij, fornicarij, vt Israelitæ, Deus autem odit impium & impietatem eius. Resp. Fatemur, nos impios & peccatores esse. Fatemur etiam, Deum odisse impium & impietatem eius. Sed hoc intelligitur, quatenus impius aliquis est. Reprobi sunt toti, quanti quanti sunt, impij, ideò eos prorsus odit. Electi non sunt prorsus impij: iusti sunt in Christo, & inchoatiuè in seipsis: Odit quidem impietatem in nobis, sed totos nos odisse non potest. Si enim peccata, quæ prævidebat ab æterno, nos admissuros impedire eum nequiuerunt, quin nos amaret ab æterno, quomodo nunc possent eum impedire, quin amare pergat, quos semel amandos suscepit? Doctrina hæc cor accendit ad amorem Dei, ideóque adducit in odium peccati, quod odit Deus.

Vidimus mandatum Domini in visione ad Prophetam factum, nunc videamus obedientiam Prophetæ in eadē visione.

2. & 3. Et acquisiui eam mihi, &c.

His duobus versibus recitat, se mandatum, à Deo factum in visione, in visione etiam executum fuisse. Tradit autem in summa duo 1. Se illam vxorem à marito amatam, sed postea inuentam adulteram datis paucis aliquot pecunijs, & sacco hordei, vnde tenuiter viuere posset, eam domi reclusisse, & ibi solam ad dies aliquot in vita cælibe retinuisse, atque ita tandem eam ad pudicitiam veramque resipiscentiam reuocasse, & quasi iterarum meam esse, exiguóque stipendio comparasse. 2. Fidem suam se ei obstrinxisse, quòd eam vellet, & non aliam vxorem habere, & in suum maritalem lectum recipere, sed id. postquam ipsa fecerit ei fidem suæ veræ resipiscentiæ, intimuit, se tandem illam ad se recepisse. Hæc est mandati executio.

At, inquies, iussus est illam amare, nullam autem hic mentionem facit amoris, sed tantùm, quod primò eam sibi comparauit 15. argenteis, id est, astlerè, & duriter eam tractauit, & secundo, quod promiserit, se quoque illam respecturum. Resp. Amor est occultus. Ab officijs igitur indicat, se illam amasse.

At duriter eam tractasse, id est, quindecim tantùm argenteos dedisse, & panem hordeaceum, & voluisse vt sola domi sederet ad multos dies in luctu, quæ signa sunt ista amoris? Respon. Imò hoc est testimonium veri amoris. Nimia enim indulgentia illam perdidisset. Seueritas hæc vtilis & necessaria fuit adulteræ ad pudicitiam reuocandæ. Sic faciunt boni mariti erga vxores suas. Si vxori adulteræ statim parcat, blandè eam in [illegible] recipiat, amplectatur, permittat illi licentiam, quam etiam antè habuit, laxet illi suas habenas, [illegible] ne præbet sui veri, & synceri atque boni sui erga eam veterem amoris? Minimè. Illam enim potiùs perdet, ideoque se vel nimis amare eam, vel insano & cæco amore amare prodet. Si verò eam coerceat, domi retineat in officio, ad tempus duriter tractet, donec eius libido & ferocia domentur, & ad pudicitiam redeat, Tùm vero declarabit ac ipsa, se suam vxorem vero, benéuoloque, & syncero amore complecti. Apparet igitur Prophetam ijs verbis testari, se mulierem illam imaginariam amasse, licet eam duriter tractarit per multos dies.

Iam quid indicare voluerit Dominus hac visione, manifestum est: nempe etsi duriter tractaturus erat suam Ecclesiam Israeliticam, electam, in exilio ad multos annos: se tamen eam illam solide & syncerè amare, amare. Si enim hac dura ratione in illam vti, propter ipsius salutem, vt se licet eam hac dura [illegible] tractatione benè perget atque ad pudicitiam reuocet, ideóque ad se Deum ir [illegible], si úmque [illegible] recipiat. Ps [illegible] tractatio dura est, & ab inimico profecta videtur: sed amor internus, & occultus, & immensus est. Duriter eam tractat, quia adultera, vt scilicet reuocet ad pœnitentiam. Clementer tamen eam tractat, & dat ei, vnde viuat, ne prorsus pereat. Quare? Quia amat. Ergò & quòd det, vnde viuat, & quòd parum det, vt parce viuat, quia vtrumque facit ad eius salutem, testimonium apertum est, quòd illam amet. Tamen vt, ne diceret, *Et comparaui eam mihi*, nec diceret, Et amaui eam.

Demonstrat ergò hic primam pœnam contra peccatum, sed cum clementia coniunctam, durum scilicet vitæ genus, quod vult Deus, vt Israelitæ viuant in exilio, & hoc contra voluptatem & luxum, lagenásque vuarum. *Per quindecim nummos argenteos, & sesquicorum*, id est, quindecim saccos hordei. Dubium non est, quin significare voluerit Propheta, sordidam simul, & vilem, duramque conditionem populi in exilio, & quòd eam Dominus tractaturus erat duriùs & viliùs quàm ancilla tractari solet. Nam Exod. 21. lex fuit date populo. *Si bos cornupeta seruum cornupetiuerit, seruam aut ancillam inuaserit, triginta siclos argenti domino, cuius est seruus vel ancilla persoluet.* Hic autem dat vxori adulteræ 15. tantum *Cesepth*, tantùm igitur abest, vt velit eam tractare tanquam vxorem, vt viliùs etiam eam æstimet, quàm ancilla æstimetur in lege.

Quanta verò summa erat 15. argenteis, hinc æstimare, tres nummi argentei Hebræis fuerunt 1. *Schekel*, siclus sanctuarij, hic habebat ab vna parte vrnam, ab altera virgam Aaron, pendebat 4. drachmas Atticas, drachma obolos Atticos sex, obolus est octaua pars vnciæ. De ijs legantur Budæum de asse, & Rhodolphum Agricolam lib. 2. de pretio metallorum & monetarum. Ad rationem nostræ monetæ, Siclus sanctuarij Hebraici pendebat dimidium ferè thalerum, quemadmodum carissimus & honorandus frater D. Conradus Hubertus mihi ostendit, siclum Hebraicum, donatum olim D. Capitoni.

2. *Cesepth* argenteus communis, pendebat dimidiam partem *Schekel*, id est, duas drachmas. Quanquam etiam aliquando *Cesepth* in scripturis pro *Schekel* ponitur.

3. *Gerah* obolus, est vt 70 vertentes, quinque autem oboli Hebraici erat sicut drachmam, ideò decem vnum *Schekel*. Loquitur autem hic de argenteo nummo vulgari, quia simpliciter ait *Cesepth* sine mentione sanctuarij. Cum igitur Siclus sanctuarij, valeret dimidium ferè thalerum nostratem: *Cesepth* autem erat media pars Sicli sanctuarij, apparet *Cesepth*. 15. quartam thaleri nostri partem. Quanta erat igitur ista summa pecuniæ pro victu vxoris ad multos dies hoc est, ad annum vnum & amplius?

Hordeum autem non dabatur vescendum nisi iumentis & iumentorum generis. Propheta autem dat illi, & quidem parcè 15. tantùm saccos *Chomer*, *Corus* continet Modios [illegible] atticos decem, qui sunt decem quartalia nostratia. Non dat triticeum panē, sed vult, vt cibaria hordeaceóque pane vescatur. Dubium non est, quin indicare voluerit Propheta, duriter & parcè victuros Israelitas in exilio. Hæc fuit optima medicina contra lagenas vuarum, & omne genus delicias, quas amabant.

Summa. Testatum voluit Israelitis hac visione, quòd licèt eos nondum tractat liberaliter, vt honesta coniux tractari solet & debet: ne tamen diffidant de suo erga eos amore. Quia hoc facit ad illorum salutem, quia adulteratj sunt.

Quantum ad verba tertij versus, sic ait, *Et dixi ad eam, &c.* Hæc etiam sunt verba Prophetæ in visione ad illam mulierem adulteram facta. *Ego Propheta dixi*, in visione, *ad eam* mulierem imaginatiam, *Sedebis*, id est, manebis, ceu viduam, & vitam ages cælibem *ad multos dies* nempe, donec videam an verè resipueris necne? Ideò *Et ego etiam ad te respiciam*. Sensus est, Volo, vt & sine amasio maneas, & nulli viro nubas: sed maneas cælebs ad aliquot dies. Volo enim videre, quomodo te geras ante, quàm tecum habitem. At Tu, ô Hosea, quid interim ages? Tu vis, ne cuipiam possim nubere? & Tu fortassis aliam duces in vxorem? Tu non ages cælibem vitam? Resp. *Ego etiam ad te* scilicet tantùm. Sensus est. Ego etiam ad te tantùm interim respiciam, non ad aliam, vt aliam ducam: quasi dicat, Do tibi fidem meam, quòd non sim aliam præter te ducturus. Sed nondum verè te [illegible], vt te ad me recipiam. Volo priùs ad aliquos dies sedeas domi, vt vidua, & facias mihi fidem tuæ veræ resipiscentiæ. Quid verò indicare voluit Dominus? Quòd, licet Israelitas in exilio duriter tractet, nec vt honesta coniux tractari debet: tamen dubitare non debeant de suo erga se amore, patienter ferant aliud exilium, donec per Christum eos recipiat ad se.

Obseruandum. Etsi aliquando in hoc exilio soli deseramur à Domino, male tractemur, & ceu viduæ in luctu viuamus: tamen ne dubitemus, quin simus vxores Christi eique charissimæ. Vult nos ad tempus duriter tractare, & [illegible] sua patientia. Quare? Quia expedit nobis hoc, id reuocandos nos ab idololatria, & impudicitia ad pudicitiam. Interim ergò teneamus hanc promissionem Christi, *Et ego etiam ad te*, id est, do fidem meam, quòd te recipiam ad me, & veniam ad te.

4. Quoniam diebus multis.

Hoc versu explicat quod significauerat dixerat versu tertio, ipsam scilicet viduitatem. *Diebus multis* [illegible] ad Christum ipsi scilicet filij Israel electi sedebunt. Nam reliqui in perpetuum sederunt sine rege.

Sine statua, quæ ad cultum erigitur. Alludit ad vitulos aureos in Dan & Bethel hoc est [illegible] cultu idola.

Sine Ephod, sine sacerdotio. Vestem enim sacerdotalem pro ipso sacerdotio ponit. At quomodo Ephod mentionem

meum receptorum. Quare sic tibi persuadeas volo, etsi durner, quia ita res postulat, à me ad aliquot dies tractari: te tamen à me amari, perpetuóque amatum iri. Hac igitur fide & spe, te in hac dura per aliquot dies tractatione, eáque tibi salutari, sustenta.

6. Hoc autem imaginarium Prophetæ factum, symbolū fuit illius, quod facturus erat Dominus cum suo populo. Iubetur Propheta amare adulterā. Voluit ergò Dominus, vt primo loco statueret Ecclesiā Israelis, se ante mūdi constitutionem amatā fuisse, & etiānū, licèt adulterata sit, amari.

7. Iussus est Propheta adulteram amare, ipse autem eam è manibus amasiorum ereptam & omni voluptate priuatam duriter tractat, quia verus Prophetæ amor erga adulteram, sic postulabat. Voluit ergò Dominus indicare, se ob amore, quo Israelitas complectebatur, compulsum fuisse ad eos in exilium mittendos, & ibi duriter tractandos. Quare etiam cùm viderent se duriter tractari, statuerent tamen, se à Deo amari.

8. Vilissima illa pecunia, quam in visione Propheta dat adulteræ, nempe 15 argentei. (pluris enim æstimabatur ancilla in lege Exod 21.) symbolum fuit vilissimæ conditionis, quam Ecclesia Israelitica erat in exilio habitura, quòd nullius scilicet erant æstimandi Israelitæ.

9. Austera & dura vita, quam Propheta vult, vt adultera degat ad aliquot dies: nempe in pane hordeaceo, cóque etiam ad mensuram, symbolum fuit austeræ vitæ, quam acturi erant Israelitæ in captiuitate.

10. Quòd iussit propheta adulteræ, vt ad multos dies domi maneret, & sine amasiis & sine legitimo viro, symbolum fuit quod futuri erant Israelitæ in exilio, & sine idolorum cultu & sine vera Dei religione, vt mox ipse explicat.

11. Promissio, quam facit, se nullam aliam interim vxorem ducturum, illa prorsus reiecta, sed, se illam, vbi vere resipuerit, ad se recepturum, dicens, *Et Ego etiam ad te*, symbolum fuit, quòd Deus interim nullum alium populum esset sibi in peculiarem populum recepturus, Israele (nempe qui est Israel secundùm spiritum) prorsùs reiecto.

12. Etsi enim post aduentum Christi electos quoque ex gentibus in suum populum cooptauit: cōtra promissionem tamen non fecit, tùm quoniam populum suum Israelem, quem præsciuerat, non reiecit, vt est Rom. 11. tùm quoniam etiam electi ex gentibus in vero Israele secundùm spiritum continebantur, & in semen reputabantur, tùm deniq; quoniam, quamdiu illi fuerunt in viduitate ante Christum, gentes non sunt receptæ.

13. Ergò cùm ait, *Et Ego ad te*, scilicet solam & semper respiciam indicat, quòd Dominus ad veros Israelitas, & solos, & semper beneuolis & gratiosis oculis respicit.

14. Spes itaque à Propheta facta adulteræ, quòd esset ad eam rediturus, eámque in gratiam recepturus, postquam scilicet resipuisset, symbolū fuit spei factæ veris Israelitis, quòd essent tandem ad suum Deum & Christum eius verè, & ex animo colendum, redituri, vicissimque à Deo in gratiam per Christum recipiendi, sicut Propheta suum imaginarium factum explicans duobus sequentibus versibus apertè interpretatur.

15. Voluit itaque Dominus in summa tota hac recitata visione, vt Israelitæ intelligerent, etiamsi in exilio seoserint, se non, vt honestam coniugem, tractari: desperandum tamen non esse, nec de amore Dei erga se dubitandum, sed patienter illud exilium esse ferendum, donec per Christum in gratiam iterùm recipiantur, & quasi nouo connubio ei desponsentur.

Ergò etiam nos veri secundùm spiritum Israelitæ, etsi aliquando in hoc exilio soli à Domino deserti esse videamur, & malè tractemur, & tanquam viduæ in luctu viuamus: dubitare tamen minimè debemus, quin simus sponsæ Christi, eique charissimæ & dilectæ. Tenenda enim semper hæc promissio est *Ego etiam ad te*.

4. *Quoniam diebus multis.*

1. Diebus multis, non semper, futuri erant Israelitæ electi in ipsa viduitate, id est, in exilio. Ergò non vult, vt semper veri secundum spiritum Israelitæ exilio & variis calamitatibus premantur, sed ad tempus & certos dies, donec scilicet verè resipiscant.

2. Diebus multis futuri erāt Israelitæ in exilio sine rege & principe, id est, sine vllo ciuili è suo populo magistratu. Ergo locus iste de Iudæis in Babylone captiuis, minimè intelligi potest, tùm, quoniā scriptum est Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda*: tùm, quoniā ex Dan. 13 apparet, in ipso etiam exilio Babylonico Iehudæos aliquem iudicij & magistratus politici formam è suo populo habuisse. Ac proinde de solis Israelitis ex decem tribubus intelligendus est.

3. Non paucis, sed multis diebus purgandi erant Israelitæ in exilio, donec plenam suæ veræ resipiscentiæ fidem facerent. Ergo ad veram nostri purgationem, & ad sufficiendum certum aliquod resipiscentiæ experimentum, non vnus aut alter, sed multi dies & anni requiruntur.

4. Nomine *Sacrificij & Ephod*, synecdochicè intelligit totum purum, exteriorémque Dei cultum. Nomine verò *Statuæ & Theraphim*, omnes idololatricas superstitiones & idolomanias. Theraphim enim idola & imagunculæ gentium erant ad cultum facta. Gen. 31. Ezech. 21.

5. Futuri autem erant Israelitæ multis diebus in exilio, sine vllo externo cultu, & sincero, vel superstitioso. Ergo ista prophetia non de omnibus Israelitis, sed tantùm de electis intelligenda est.

6. Reprobi enim, quo ad verum Dei cultum, sine illo fuerunt, non multis diebus, sed semper, postquam in captiuitatem abducti fuerunt. Quo vero ad cultum idolorum, hoc fuerunt prorsus sine illo, sed cùm in censum gentium transierint, illorum etiam abominationibus communicasse credendi sunt.

7. Electi autem & pii Israelitæ in exilio & sine cultu Dei externo, vnà cum reliquis Israelitis, fuerunt ad multos dies, nempe vsque ad Christum, & vero etiam gentium abominationibus, quia pij non communicarunt. Ergo de solis Israelitis electis, locus iste intelligendus est.

8. Ait, Istos electos Israelitas in captiuitate sine rege & sine sacerdote futuros non semper, sed ad multos dies. Indicauit igitur, illos diebus multis futuros quidem sine rege & sacerdote in exilio, tanquam viduam sine viro, sed tamen post multos illos dies tandem aliquando habituros Christum, verum & regem, & sacerdotem. Ideóque hac particula, *Multis*, voluit, vt in exilio spe futuræ per mediatorem Christum reconciliationis se sustentarent.

5. *Postea redibunt filij Israelitæ & quærent.*

1. *Postea*) i. postquam longa castigatione purgati fuerint, reuertentur filij Israel ad Dominum Deum. Ergo longa illa castigatio erat illis ad salutem profutura.

2. Non ait, quòd ante completos illos multos dies essent redituri ad Dominū, sed, Postea, id est post completum illud longum castigationis tempus. Indicat ergo, illos ita ad planam contumaciam obdurauisse, vt necessaria illis fuerit non breuis aliqua, sed longissima castigatio. Ac proinde filiis Dei non semper expedit, vt citò à calamitate aliqua liberentur, aliqui non redirent ad Dominum, sed longa malorum tolerantia opus est, vt postea reuertantur.

3. Addit hanc promissionem, vt filij Israel, quanquam viderint se in diuturno esse exilio, & longa premi castigatione, ne desperarent, quia postea tandem reuersuri. Ergo etsi diutius, quàm vellemus, cruce aliqua premamur, & à nobis procul esse Dominus videatur: desperandum tamen nobis non est, quin tandem aliquando liberabimur. Omnis enim ira Dei in veros Israelitas temporalis est, ideoque suum tandem habet finem.

4. Redibunt, inquit, & quærent Iehouā Deum suum. Indicat ergo, illos à suo antea defecisse Domino, illumq; & eius verbum neglexisse, ac proinde Prophetam non de carnali reditu ad temporalem patriam sed de spirituali, eóq; publico & manifesto, ad suum verum Deum, hic loqui. Reditus autem iste à tempore Christi cœpit, & quotidie fit vsque ad finem seculi, cùm Israelitæ ad veram Christi Ecclesiam conuertuntur.

5. Nō ait, *Quærent Deos*, sed *Deum*. Indicat ergo, illos desertusos suos multos Baalim, & redituros ad vnū suū Deum. Ac proinde proprium verorum Israelitarum, non est, quærere multos deos, diuos & sanctos, sed vnū solum Deum, eúmq; solum adorare, inuocare, ab eóq; & illo salutem expectare.

6. Nec simpliciter ait, *Quærent Deū* sed *suū Deum*. Indicat ergo, hunc Deum etiam antea fuisse illorum Deum: quippe qui illos elegerat, qui eos ex suo sinu eduxerat, qui se illis manifestarat, & quem denique ipsi quoque Israelitæ se colere profitebātur, sed neglectum ab eis fuisse, imò purum ipsius verbum neglexisse: ac proinde quasi orco illis Dominum suum docet, cùm ad purum purum ipsius verbum essent redituri.

7. Neque simpliciter ait, *Deum suum*, sed explicat, quem Deum essent quæsituri dicens, *Iehouam*. Solus ergo Iehoua, est vnus verúsque Israelitarum Deus.

8. Neque solùm ait *Quærent Iehoua Deum suum*, sed addit, *Et Dauidem regem suum*. Indicat ergo, Israelitas, vbi studio quærendi Dei tracti fuerint, simul etiam quæsituros Dauidem, nec posse verè Deum quærere ac ad eum redire, nisi etiam quærant Dauid & ad eum redeant. Dauidis autem nomine hic intelligitur Messias, filius Dauid.

9. Non enim simpliciter ait, *Quærent Dauidem*, sed *Da-*

uidem regem suum, i. quatenus illis fuerat à Deo in regem præfectus. Fuerat autem præfectus etiam decem tribubus Dauid, vt esset illorum rex in perpetuum, non quidē in sua persona, sed in persona sui veri filij, id est, Messiæ æternùm victuri, iuxta illud, *De fructu ventris tui ponam in sede tua. & Thronus eius in æternum manebit.* Nomine igitur Dauidis hic filium Dauidis Messiam, intelligit Propheta.

10 Ac proinde cùm ait, *Quærent Dauidem regem suū*, duo indicat. 1. Israelitas semel defecisse à Dauide rege, id est, regno Dauidis. Illius enim iugum excusserunt, tempore Rhoboami Salomonis filij, 3. Reg. 12. 2. Subiecturos igitur sese regno Dauidis æterno.

11. Sicut. n. dicuntur defecisse à Dauide rege, cùm tamen ab eius persona non defecerint, quippe qui iam pridē mortuus erat: sed quia ab eius regno defecerunt, ita dicuntur, quæsituri Dauidem regem non quia eius personam erant quæsituri, quia mortuus, sed quia ad eius regnum æternum, quod regnum Christi est, erāt redituri. *Quærere igitur Dauide regē* est, quærere regem illum, quem Deus pollicitus fuerat ex genere Dauidis. Hic autem est Christus.

12. Israelitæ cùm se subduxerunt à regno Dauidis, aliúmq. sibi regem creauerunt, alienarunt se à Deo, & à populo Dei. Ergo, cùm ait, eos quæsituros Dauidem regem, indicat, eos per Christum filium Dauidis iterum coniungendos Deo & vero Dei populo. Ac proinde neminem posse vel Deū quærere, nisi quærat & Christum (in solo enim Christo inuenitur. Ioh 5. *Qui non honorat filium non honorat patrem.*) vel populo Dei coniungi, nisi per regem Christum. Hic enim ille est, cuius solius manu pater vtitur, ad colligendum conseruendúmque populum suum.

13. *Pauere ad Iehouam*, est, illum reuerenter colere. Cùm ergo ait, *Et pauebunt ad Iehouam*, indicat, Israelitas prius contempsisse Deum, ideóque præ contemptu illum non coluisse, posthac igitur reuerenter illum culturos.

14. Nec simpliciter ait, Ad *Iehouam*, sed addit, *Et bonitatem eius*. Indicat ergo, Deum non fore illis formidabilem, neque appariturum terribilem, sed clementem & bonum, ideóque illos suauiter ad se attracturum sua bonitate, vt ei sponte, & hilariter inseruiant.

15. Non est autem, nec apparet ita bonus & clemens, nisi in Christo. Christus igitur est ipsa Dei bonitas, quia per Christum solum Dei bonitas nobis gustanda proponitur & communicatur.

16. Ait, quòd Israëlitæ reuerenter colent Deū & bonitatem eius id est, Christum, posteaquam scilicet bonitatem Dei in Christo gustauerint. Ergo tunc primùm verè incipimus Deū reuerenter, &, qua debemus, obseruantia colere, cùm ipsius bonitatem in Christo incipimus gustare. Nec potest Deus à nobis ex animo coli, nisi quando eum in filio propitium & benignum patrem esse conspicimus, sentimúsque.

17. Ait, hoc futurum, *In extremitate dierum*. Hæc est tēpus aduentus Christi. Ergo duo facit Propheta his verbis. 1. Ostendit peruicaciam Israelitarum talem esse, vt non sint statim redituri ad sanam mentem, sed hoc tantùm futurum in extremitate dierum. 2. Sublenat piorum animos, ne tædio affecti tandem fatiscant. Quoniam etsi non sunt sensuri statim Dei bonitatem: tamen in extremitate dierum illam tandem in Christo manifestatam plenissimè percipient.

CAPVT V.

Singulorum ordinum Israel peccata nominatim perstringit. Comminatur enim populo, ac sacerdotibus, & iudicibus captiuitatem aliasque pœnas quòd alieni essent à fide, humanitate, agnitione Dei. omnique iustitia, obiter attingens idololatriam regni Iuda.

1. *Audite verbum Iehouæ, ô Israelitæ. Nam contentio est Iehouæ cum habitatoribus huius terræ, quod nulla sit fides, nulláque benignitas, & nulla agnitio Dei in hac terra.*

Audite verbum Iehouæ, filij Israel, quoniam lis Iehouæ cum incolis huius terræ. Etenim non veritas, fidelitas, fides *& non misericordia, & non cognitio Dei in terra hac est.*

Rib expostulatio, lis & iudicium. quasi dicat, Audite, quia Dominus habet. quod vobiscum expostulet.

Emeth, est *fides illa*, quæ definitur à Cicerone in Officiis, *dictorum conuentorumque constantia, & veritas, & dicitur fides, quòd fiat id. quod dictum est*. Sic etiam Hebr, *Emeth*, quòd ipsa declarat verum esse, quod dictum fuit. Sic in scripturis coniunguntur Misericordia, Veritas, id est, impletio promissionum de misericordia.

Audite verbum Domini filij Israel, quoniam disceptatio est Domino cum habitatoribus huius terræ, quod neque veritas, neque humanitas, neque notitia Dei vlla sit in hac terra.

Huius terræ) quam scilicet bonis omnibus affluentem dedit 10. tribubus, vt ibi nomen suum sanctificarent, & seruarent iustitiam, humanitatem.

Veritas) id est, nemo seruat fidem.

Chesed iustitiæ, & reliquarum virtutum officia significat.

2. *Peierando, & mentiendo, & occidendo, furandóque & adulterando, erumpunt in multitudinem cædes, ita vt alia alias sint contigua.*

Exsecrari, *maledicere & mentiri, & occidere & furari, & adulterium committere*, vel per Gerundium, Exsecrando, mentiendo, scilicet perrupetūt, vel, Exsecratio, mendacium, homicidium, furtum, adulterium, scilicet est in terra, *perrupterunt*, fregerunt septum legis. *& sanguines in sanguines pertigerunt.*

Alob ab *Alah*, est nachor pro nomine, quasi dicat, sed tantum Exsecratio est in terra, significat iurare, peierare, sed hic maledicere & exsecrari id est, verbis exsecratione plenis mala imprecari.

Cachas in cal est marcescere in Piel, vt hic, est mentiri, negare, Hæc duo respondent illi, Non veritas.

Ratza occidere.

Ganab furari.

Naaph, adulterari, seu adulterium committere. Hæc tria respondent illi, Non misericordia seu beneficentia. 1. Occidere, contra corpus proximi. 2. Furari, contra res fortunæ. 3. Adulterari, contra bona animi, id est, contra honorem.

Potest etiam sic verti. Exsecrando, mentiendo, vt sint probationes à signo & effectu contrarijs, quod non sit veritas in terra. Sic nō est veritas, id est, fides in terra. Hoc patet ab exsecrationibus & mendacijs, quibus alter alterum fallit. Non est misericordia, hoc patet occidendo, ab homicidijs, à furtis ab adulterijs. Nam nec bonis corporis, nec fortunæ, nec honori, aut existimationi proximi parcunt.

Paratz transire terminum, seu perrumpere, item diruere, & frangere. Ideo Sanct. Pagn. Fregerunt septum legis.

Nagah contingere, pertingere, ac peruenire, & appropinquare. Sanct. Pagn. Sanguis sanguinem contigit. Cal. Et sanguines sanguinibus fuerunt continui Munst. Et sanguines contigerunt sanguines.

Periurium, mendacium, homicidia, furta, adulteria, longè latéque erumpunt, & cædes cædibus continuatæ sunt.

Sunt Infinitiue sed verti possunt per præsens, peierant.

Eruperunt. Hebr. eruptionem fecerunt. Metaphora ab inundatione aquarum, quæ suo impetu ripas effringunt, & quàm latissimè diffunduntur.

Cædes eadem tangit, sunt continuæ.

3. *Propterea lugebit hæc terra, & languebit, quicquid habitat in ea, cum bestia agri, cum auibus cœli, quin etiam pisces maris interibunt.*

Propterea lugebit desolabitur *terra, & infirmabitur*. languebit & succidetur, *omnis habitans in ea*, id est, cum *bestia agri*, & id est, cum *volucre cœlorum, & etiam pisces maris colligentur*, id est tollentur è medio, & peribunt.

Abhal lugere, desolari. Sic Ierem. 4. lugere dicitur terra, cùm desolatur, quia tunc videtur lugere.

Amal infirmum, imbecille, debile.

Asaph congregare, colligere. Est futurum in Niphal. Illud *beth* pro *hem*.

Propterea destruetur hæc terra, & exscindetur quicunque habitat in ea, vnà cum bestijs agrestibus & volucribus aereis, quin & pisces aquarum è medio tollentur.

Hebr. Congregabuntur, id est, addentur reliquis mortuis.

4 *Veruntamen quisquam ne contendat, & ne increpet quisquam. Nam populares tui similes sunt contendentibus cum sacerdote.*

Veruntamen cæterum *quispiam ne obiurget, & ne arguat*. scilicet populum hunc *quispiam, & populus tuus est sicut contendentes* cum sacerdote, vel, melius iuxta grammaticam. Et populus tuus certè indicantes sunt sacerdotem. Est enim nomen collectiuum.

Ach Sed, & tamen.

Iisch

Isch [illegible] quispiam, quisque, vir, hic est, Quispiam. Sic, nec increpet, quispiam [illegible] quempiam obiurget.

Iareb à *Rib* litigare, contendere, iudicare, increpare, est obiurgare & increpare.

Iocheach est increpare, arguere, disputare. Est in futuro [illegible] loco causalis particula, quia, & cum altera est copulativum, potest etiam esse adversativa, sed.

[illegible] participium in Hiphil à *Rib*, illud *Cam* secundum R. D. K in commentariis est veri [illegible] exercitium. Ideò sic [illegible] populus certe tuus iudicat, aut increpat sacerdotem. Quasi dicat, cùm sacerdotis sit iudicare, docere & increpare populum: isti tamen non solùm non admittunt increpationes sacerdotum, sed etiam ipsos contrà increpant. Et certe populus contendit, id est, contendere potest cum sacerdote, quasi dicat, ita etiam sacerdotes non sunt, prior tamen melior est. Sic igitur, Veruntamen ne quispiam obiurget, & ne quispiam reprehendat hunc populum. Et, (id est, sed) populus tuus (ò Domine) erit contendens (sicut [illegible]) sacerdote.

Sanct. Pagn. Veruntamen nemo contendat, nemo arguat, est populus tuus similis (sicut) contendentibus (cum) sacerdote.

Cal. Certè vir ne obiurget, & non corripiat virum, quia populus tuus tanquam obiurgatores sacerdotum.

Et certè nemo est qui increpet, nec corripiat eos [illegible] *populus tuus similis sit contendentibus cum sacerdote.*

Frustra corripis aliquos homines huius regionis, cùm etiam in ipsos sacerdotes insurgant, quorum est officium legem docere, & corripere vitia. Ostendit, eos non admittere correptionem.

5. *Itaque corrues interdiu, corruet quoque etiam propheta tecum nocte, & exscindam matrem tuam. Et corrues, corrues igitur, hodie. Cal. interdiu, & corruet corruet etiam propheta tecum nocte, & succidam matrem tuam.*

Iom Sic. *Ho* est hadiah, hoc die, id est, breui.

Sanct. Pagn. Corrues igitur hoc tempore, & corruet etiam Propheta tecum (sicut corruit qui) noctu. & succidam matrem tuam.

Damah succidere, est etiam assimilare. Sic 70. Assimilabo matrem tuam, Sed de more sacræ scripturæ, pro contrario vsurpatur, vt sit veluti similitudinem & formam perdere, quod Christus vocatus [illegible]. Ergò minatur, se omnem Ecclesiæ speciem ablaturum, vt non ampliùs videatur Ecclesia.

Ergo corrues hodie, id est, propediem, *& corruet quoque propheta tecum noctu, atque exscindam matrem tuam.*

Potest etiam sic verti. Impinges in die, & impinget etiam Propheta tecum (tanquam) in nocte. Quasi dicat, rebus etiam integris ita erunt impedita consilia, atque si essent afflictissima. Innuitur autem stupor & excæcatio mentis, quæ pænæ describitur Deut. 28.

Propheta, scilicet falsus, & quicunque debuerat te rectè docere.

6 *Exscindetur populus meus, eò quòd caret scientia, quia tu scientiam sprevisti, spernam quoque te ne sacerdotio fungaris mihi: quia oblitus es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum ego quoque.*

Excisus fuit populus meus pro succiderat. *à non scientia* id est, eò quòd sit sine scientia, *propter non scientiam* scilicet habere. *Quoniam tu sacerdos scientiam sprevisti*, id est, [illegible] & ego spreui te, vel, abieci te, *ne fungaris sacerdotio mihi, & quia oblitus es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum etiam Ego.*

Cal. Periit populus meus absque scientia, quia Tu repulisti scientiam.

Mibbeli à *Bli* non.

Maas reprobare, reiicere, contemnere, floccifacere.

Veemasecha est futurum, sed hoc vertit in præteritum. Illud *aleph* interseritur, & *caph* est redundans, ait R. D. est à *Maas*.

Mecahen à *cohen* fungi sacerdotio, ministrare in sacris, est in machor. Ideò bene vertitur. Ne sacerdotio fungaris mihi.

Exscindetur populus, quòd careat vera notitia Dei, quando quidem Tu notitiam illam sprevisti, & ego spernam te in dignitate qua sacerdotio fungeris mihi, & quemadmodum oblitus es legis Dei tui, Ego obliviscar filiorum tuorum.

Ad verbum, Excisi sunt populus meus, propter non illam scientiam.

Loquitur de se, vt de tertia persona.

Filii etiam possunt intelligi subditi sacerdotibus, vel etiam eorum liberi.

7. *Prout multiplicati sunt, ita peccaverunt in me, gloriam eorum in ignominiam commutabo.*

Secundum multiplicari eorum, sic peccaverunt in me, scilicet contra me, gloriam eorum in ignominiam commutabo.

Ribbam à *Rabbah* est in pual, & est machor.

Kalon ignominia à *kalah*.

Mir est mutare, in hiphil *hemir*.

Quemadmodum creverunt, ita magis peccaverunt mihi, gloriam eorum in ignominiam commutabo.

Creverunt, numero & dignitate.

Gloriam, captiuitatem minatur obscure.

8. *Peccatum populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum leuabant tollent animam eius.*

Iochlu futurum sed pro præsenti vel præterito.

Naphscho animam suam, vel animum suum. Sic S. Pagn. Cal. etiam.

Peccatum populi mei comedunt sibi ad iniquitatem, scilicet ipsius ammorum sunt, hostias oblatas pro peccatis.

Obil. Hebr. Et ad iniquitatem eius erexerunt animum suum, id est, sunt animo attento, quia ex ea iniquitate sperant lucrum, nempe hostias.

9. *Quapropter erit vt populus ita sacerdos, cum animadvertero in eum viam eius, et opera eius retribuam ei.*

Et erit sicut populus sic & sacerdos, & visitabo super eum vias eius, suas & opera eius reddere faciam, id est, rependam ei.

Aschib à *Schub* in hiphil, redire facere, rependere, reddere.

Quapropter erit populus tanquam sacerdos, & sacerdos sicut populus, & animadvertam in eum propter vias eius, et [illegible] rependam ei.

10. *Nam comedent et non saturabuntur, scortabuntur et non multiplicabuntur quia Iehouah desierunt observare.*

Et comedent, et comedent, *et non saturabuntur, scortati sunt,* scortabuntur, *& non multiplicabuntur*, crescent, *quia ipsum Iehouah deseruerunt ad observandum eum*, seu vias eius vel, *sed eliquerunt Dominum, ne eum observent.*

Sabbah Saturare.

Hiznu in hiphil, præteritum est pro futuro.

Paratz, in cal, & erescere est, seu multiplicari, futurum est.

Si quidem sacerdotes comedent, neque saturabuntur, scortabuntur, neque multiplicabuntur filiorum numero, quandoquidem deseruerunt legem Domini obseruare.

Non multiplicabuntur) vel erumpent, scilicet filii, Quasi dicat, nec præda à populo quæsitum velut victimarum, tamen immissam eis maledictionem, vt in ipsa abundantia indigeant.

11. *Scortatio, vinum atque & mustum abstulit cor.*

Scortatio, & vinum & mustum auferet, pro, auferet vnumquodque illorum, *cor.*

Iikkach est futur. [illegible] 3. pers. à *Lakach*, Sensus. Vnumquodque eorum auferet cor, id est, mentem, reddit homines, & à cultu Dei avertit, singulare hoc fuit in Israelitis. Ista autem futura ponuntur pro præsentibus, cùm significant actum continuum, quasi dicat, continue auferunt.

Scortatio, & vinum, & mustum aufert cor.

Quasi dicat, tantum abundantia, deliciæ, voluptates nimiæ & immoderatæ hominem priuant omni recta ratione & voluntate. Cor enim significat intellectum & voluntatem.

12. *Populus meus lignum suum consulit, ut baculus eius indicet ei: quia spiritus scortationis illum in errorem agit ut scortentur ante Deum suum.*

Populus meus in ligno suo postulat, hic pro postulat atque petit, id est, baculum & scipionem suum consulit, & baculus

annunciabit vel indicabit, id est, indicat ei, *quoniam spiritus fornicationum*, id est, impellens ad fornicationem, id est, idololatriam: qualis erat spiritus pseudoprophetarum, *errare fecit eos, & fornicati sunt desub Deo suo*, id est à Deo.

Ischeal futurum pro præsenti. Actum continuum significat, significat petere, & consulere.

Makel baculus.

Higidh in hiphil à *Nagadh* nunciare, indicare.

Baculus erat pseudopropheta, quoniã ab illo pendebat & regebatur, vt cæcus à suo scipione. Vt cæcus autem bacillo prætentat viam, ideóque quasi eum consulit, quis sit eundum, quæ sit firma via: sic populus ille consulebat suos pseudoprophetas, & eorum consilio regebatur, ipse indicabat, quid faciundum: sed sicut baculus sæpe cæcum fallit, & in foueam ducit, cum se putat esse in firma via: sic illi fallebant populum.

Tahah in hiphil. errare fecit, vt hic est.

Mittachath de subter, à subter Deo suo, id est, ne amplius subiecti sint & pareant Deo suo.

Populus meus lignum suum consulit, vt scipio eius indicet ei agenda. Nam spiritus scortationum seducit eum, vt fornicentur, tum idolis, *relicto Deo suo*.

Populus sic pendet ab idolis & pseudoprophetis: vt cæcus à suo scipione. Exemplum extremæ dementiæ & vecordiæ.

Spiritus scortationum, id est, mens reproba & peruersus sensus, qualis est in iis, qui à diabolo aguntur, vacui Deo & Spiritu sancto. Sicut Rom. 1. traditi in reprobum sensum idololatriæ.

13. *In verticibus montium sacrificant, & in collibus suffitum faciunt sub quercu populoque & robore, eo quod bona sit vmbra eius: ideirco scortantur filiæ vestræ, & sponsæ vestræ adulterantur.*

Super capita montium sacrificabunt pro, sacrificant, *& super colles adolebunt*, adolent, & suffitum faciunt, *sub quercu & platano, & tilia, quoniam bona vmbra eius, propterea fornicabuntur filiæ vestræ, & sponsæ* nurus *vestræ adulterabuntur*; adulteria committent.

Zabach est sacrificare, immolare, est in piel Ideò significat, magno studio & religione sacrificare.

Gibeah collis.

Katar suffitum facere, adolere, in piel est.

Allon quercus.

Libneh platanus, seu populus arbor, sic dicta, quòd detracto cortice sit admodum alba. *Labhan* enim albũ significat.

Elah tilia, ab *Elah* iuramit, frondosissima arbor, & sub cuius vmbra iucundum sit esse.

Tzel vmbra à *Tzalal*.

Callah sponsa, nurus, nuper desponsata à *Calal*, inde *Celulah* desponsatio.

Naaph adulterium committere.

In verticibus montium sacrificare solent, & in collibus suffitum adolere, sub quercu, & populo, & vlmo, quod sit amœna vmbra eius. Ideirco scortantur filiæ vestræ, & nurus vestræ adulterio deditæ sunt.

14 *Non animaduertero in filias vestras quòd scortentur? & in sponsas vestras, quod adulterentur? quod ipsi cum scortis separent quæ cum meretricibus sacrificent? imo populus non intelligens conturbabitur.*

Non visitabo super filias vestras quia scortabuntur, quia scortatæ sunt, *nec super sponsas*, nurus, *vestras, quia adulterabuntur* id est, quia adulteratæ sint, *quoniam ipsi cum meretricibus diuidunt* diuidunt se, *& cum scortis sacrificabunt* sacrificant, *& populus*, Asche qui *non intelligit*, id est, qui caret intellectu, *corruet*.

Paradh diuidere, separare, est in piel. R. D. Kimhi in libro Radicum, Diuidunt vxores à maritis fornicando cum illis. Rabbi Ioseph à *Peredh* quod est mulus, & quoniam inter animalia mulus est, qui adulteria committat, nisi mulus. ideò pro adulterari ipse interpretatur. Quidam, Adulterabuntur, sicut muli faciunt, qui coeunt & non generant: Sic isti faciunt opus turpe cum meretricibus, quod non valent ad generationem.

R. A. Ezra ait, verbum hoc significare, studio atque consultò ad suam quemque meretricem, atque sanctulũ sacrificulum esse destinatum & destinatum. *Kadesch* scortũ masculum *Kadeschah* scortum fœmineum, ita dicti, quòd sint parati ad concubitum, ait R. D. Kimhi. Significat meretricem & quamlibet libidinosam mulierem quę sine vllo est pudore, à contrariæ significationis *Kadosch*, nam ut ait quidam Rabi Bacaiecs, *Kadosch* est operculum & sepimentum, quod cohibet turpitudinem aut incestum, hymen, sigillum virginitatis.

Iabbeth futurũ est hiphil, à Balat, subintelligitur hic *Abner*.

Labhat ruere, corruere, impingere. ut R. D. K. hoc in loco interpretatur, pro corruet, est in niphal significat ..., ac si diceret, corruendo capietur, significat etiam peruertere & reddi perplexum, sic quidam.

Non animaduertam in filias vestras, cùm fornicantur. & in nurus vestras, cùm adulteræ fuerint: quia ipsi vos separatis ab illis ab illis ut sitis *cum scortis & meretricibus sacrificare soletis, ita populus, qui non intelligit, corruet.*

Id est, non puniam adeò seuere, vt vos.

Separatis) Heb separabunt, tertia persona pro secunda, & futurum pro præsenti. Sic etiam sacrificabunt, pro sacrificare soletis.

Populus) hebes & confusus mente erit, vt nesciat seligere bonum à malo, quasi dicat, sic populus, qui non intelligit legem, errat.

15. *Si scortaris tu Israel, ne reatum obeat Iehuda, & ne accedatis Gilgalem neque ascendatis Bethauenem, neque iuretis, viuit Iehoua.*

Si fornicaris es, id est fornicaris, *in Israel. ne delinquat Iehuda. & ne veniatis Ghilgal, & ne ascendatis Bethauenem & ne iuretis*, viuit Iehouah.

Ascham delinquere peccare, offendere.

Tabou futurum fœmin. sed pro imperatiuo vsurpatur.

Quod si tu Israel fornicaris saltem, ne delinquat Iuda, & eat in Ghilgal, neque ascendat in Bethauen, neque iuret, viuit Dominus.

Ne eatis, neque ascendatis, neque iuretis, mutatio personæ & numeri.

16. *Nam vt iuuenca refractaria, refractarius est Israel, nunc pascturus est eos Iehoua, tanquam agnum in loco spacioso.*

Quoniam, sicut iuuenca rebellis, indomita, rebellauit Israel. nunc pascet eos Iehouah, tanquam agnum agnorum in latitudine, loco spacioso.

Cephil leuncul*us*. *Copharah* leuncula, iuuenca, vertunt S. Pagn. & alij.

Sorerah est Ther, ait R. D. Kimhi, peruersam & indomitã significat, à *Sur* vel *Sarar* quod significat declinare, conuertere, peruertere Ideò nuidam sic Quoniam sicut iuuenca peruersa peruersus Israel. Alius, Quoniam sicut iuuenca declinans declinauit Israel scilicet à via ... quam præcepit ei Deus. Sic videtur accepisse Sanct. Pagn. sicut iuuenca rebellis rebellauit Israel. Cal. indomita.

Cebhes agnus tener, ponitur singularis pro plurali.

Merchabh latitudo, locus spatiosus. Pascet ibi eos Dominus, vt cito pinguescant & mactentur.

Propterea tanquam boue rebelle, rebellauit Israel nunc pascet eos Dominus, sicut agricola pascit agnum ...

Quasi dicat, confestim perdam Israel. Vt sicut agnus solus in lato campo vagatur tandem, huiusque & nihil pascit: hoc modo Israel in exilium abductus errabit, & ... cet.

17. *Consortibus est terriculis Ephraim, sine illum. Associatus est idolis Ephraim, dimitte eum.*

Chabbur videtur esse *Pahal*, id est participium præteriti passiui coniugationis Cal. Habet autem hanc propriam significationem, quòd significet rem factam, sed quæ ... h... constat. Præteritum verò passiuum rem factam, sed non necesse est, eam adhuc extare indicat ergo Israelitas fuisse associatos idolis & etiamnum ... sic Sanct. Pagn. vertit, Particeps, alius, socius factus est: Sed tunc deberet esse punctatum sic *Chauber*, non autem *Chabbur*.

Merzebh idolum & triftitia, quòd cultus idolorum non afferet tandem, nisi tristitiam nullam spiritui consolationem.

Hannach est in hiphil, a *Iaach*, non reperitur in C. L. est derelinquere, deserere aliquid in suo loco & statu.

Addictus est idolis Ephraim, missum fac illum.

Idolis) Hebr. significat molestias, quod idola præter molestias cultoribus suis nihil afferant.

Missum

Missum fac) verba Domini ad Prophetam. Quasi dicat, frustra inuitamus Ephraim ad pœnitentiam, nam est obstinatus. Ephraim nominat, quia ex ea tribu fuit Ierobeam qui idola erexit.

18 *Refractarium est merum eorum, continenter fornicantur, amant, date, ignominia ipsa sunt protectores eius.*

Parcuus, putidus factus est potus eorum, vel vinum eorum, *fornicando fornicati sunt*, *amarunt*, id est amant scilicet dicere *afferte* scilicet munera nobis, *ignominia*. sed, cum ignominia *clypei*, id est, principes & protectores eius.

Sar à *Sar* potruit, fœtuit. Sic R. D. K. in libro Radicum, & in commentar.

Sabha inebriari, pro vino inebriante. Cal. Potus eorum.

Hebhu à *Iehab* hiphil, venire facere, adducite, afferte.

Maginneiah clypei & scuta eius. *Maggen* scutum & clypeus quo protegimur à *Nagan* protegere. Sic autem appellantur principes, quod debent esse protectores suorum populorum.

Putidus est potus illorum, assiduè fornicati sunt. Principes illius affectant dicere date nobis, ad ignominiam suam.

Quasi diceret, adeò ingurgitarunt se potu, vt coquere non potuerint, sed incoctus computruerit & cœperit fœtere in ventriculis eorum.

Vel est comminatio de corrumpendis prouentibus terræ ipsorum. Principes corrumpuntur muneribus, quòd illis ignominiosissimum est.

16. *Ligabit ventus illam alis suis, & erubescent propter sacrificationes suas.*

Ligauit spiritus ventorum Ephraim in alis suis: & pudefient a sacrificiis suis.

Tzarar ligare, est hîc præteritum pro futuro. Ventus ligabit eos, strictos in alis suis feret alio. Prædicit captiuitatem in longinquam regionem, ferentur ligati, tanquam è vento alis suis, in captiuitatem.

Iebhoshu fut. pudore suffundentur pudefient propter sua sacrificia, quoniam scilicet videbunt, nihil sibi profuisse, sed potius fuisse perniciosa.

Ventus alligabit illam alis suis, tunc pudebit illum sacrificiorum suorum.

Hoc est, Israelitæ celerrimè transferentur in captiuitatem, ac si constricti essent alis venti. Exprimitur omnipotentia Dei in vlciscendis impiis. Tunc cognoscent, quàm frustrà coluerint suis idola, quæ iuuare non possunt.

A ROGUMENTUM huius concionis, quæ differt à superiore, qui Propheta exprobrat Israeli & varia scelera, propter quæ extremam illis calamitatem denunciat. 2. Admonet Iehudam, ne sequatur iniquitatem Israelis, si non vult eandem Dei vindictam in se experiri. 3. Postremo mandat Propheta Deus, vt quoniam populus præfractus est & insanabilis, cum in sua obstinatione deserat nec amplius [illegible] contendat, esse enim perditum. Tempus concionandi est, vt populus hac sub [illegible] de pœnitentia doleat, aliaque matura resipiscentia, vindictam Dei præueniat, & viuat, ne pereat.

Constat ergo 3. partibus. 1. est ab initio vsque ad versum 15. In hac magna contentione Propheta reprehendit Israelem de varia peccata, & propter hæc denunciat illis certam Dei vindictam. 2. continetur versu 15. & 16. Hic admonetur Iehuda, quia Israel factus est præfractus & contumax: ne ipse tamen velit illum iniquitatem imitari. 3. continetur versu 17. & reliquis duobus. Hic Deum videns, Prophetam frustra defatigari in concionibus in Israele arguendo, quia populus est ita contumax, vt nullam possit ferre admonitionem & correctionem: quasi iussus per Prophetam loquendo, mandat Prophetæ, vt taceat dimittatque populum in sua obstinatione, esse enim populum omnino perditum.

1. *Audite verbum Iehoua filij Israel.*

Reddit Israelitas sibi hanc concionem attentos, dum eos inuitat ad audiendum non suum hominum verba, sed verbum Dei. Dum autem appellat eos filios Israel, & inuitat ad audiendum verbum *Iehouah*, refricat illis memoriam fœderis, quod *Iehouah* pepegerat cũ filiis Israel & ita obliquè eos perstringit, quasi dicat, O filij Israel, quibuscũ *Iehouah* fœdus suum pepegerat, audite. quid vobiscum expostulaturus sit Dominus, & quàm bellè fœdus seruaueritis. Id enim etiã facit cùm infrà appellat eos habitatores huius terræ Chenaan. Ostendit impletam igitur fuisse Dei promissionem illis longè ante factam de terra Chenaan. Audiant modò igitur, an ipsi præstiterint, quod promiserant Deo.

Cæterùm dum Prophetæ ita vtuntur præfationibus ad attentos sibi reddendos auditores, indicant se magnum aliquid, vel quo ad misericordiam, vel quo ad iudicium Dei, dicturos. Quid magni dicturus est & acturus Propheta in hac concione? Iamdiu illos arguerat Propheta (neque enim cogitandum est, tres tantùm ante hanc habuisse conciones, sed quem plurimarum concionum summę, in illis tribus capitibus continentur,) Iamdiu, inquam illos arguerat, captiuitatem prędixerat, hortatus fuerat ad pœnitentiã addiderat etiam promissionibus de regno Christi. At quid Israelitę? Securi dormiebant in vtramque aurem, contemnebant Prophetam, pergebant in peccatis, & omne genus corruptelę iam vulgò apud illos inualuerant. Quid igitur Propheta? Cum videret se contemni, & nihil apud Israelitas efficere, vult eos citare ante tribunal Dei, vt ibi cum Deo disputent. Deum enim habere, de quibus cum ipsis litiget, hoc autem facturus, primò eos inuitat ad audiendum, & honesta quidem hac vtens præfatione, *Audite verbum Domini*. Quod hoc verbum est? Ait,

Lis sen iudicium est Iehouæ cum habitatoribus huius terræ, scilicet Israelis, cum Israelitis.

Sensus huius locutionis hic est. Dominus ipse, non Ego aut alius Propheta (omnes enim nos contemnitis) habet, quod vobiscum, ô incolę huius terrę non verbis sed reipsa, & reali contentione expostulet, & nisi resipiscatis, iustè vos condemnet. Cur? Quia nulla fides. Subest enim hic tacita antithesis inter verbales litas & contentiones, quas hactenus Prophetę habuerant cum populo, cùm illos de peccatis arguebant, & inter realem litem, quam illis ait nunc Dominum velle intendere, realeque iudicium Domini, ad quod nunc prouocat illos Propheta. Vt hoc melius intelligatis, notandum, quòd licèt diu Propheta ipse & alij pij doctores populum verbis reprehenderant, arguerant, admonuerant hortati fuerant ad pœnitentiam: contrà tamen populus securè contemnebat Prophetas, eos ridebat, cum eis rixabatur, se verum esse Dei populum, verùmque Dei cultum se retinere contendens, hoc modo defatigabantur Prophetæ clamando, & intereà nihil proficiebant apud illum populum. Magistratus etiam & sacerdotes, perinde præfracti erant & contumaces, atque reliquus populus. Quid igitur remedij supererat? Nullum, nisi vt ad tribunal Dei vniuersos simul citaret Propheta, & indicaret, quòd, postquam nolunt ad amicas Prophetarum admonitiones, aliquę verbales tantùm, emendari, Dominus reipsa prospiciet suæ Ecclesiæ. Hoc igitur est quod hic agit Propheta dicens: *Lis est Domino cum illius terræ incolis.*

Locus Gen. 6, hunc præsentem explicat. Gen. 6. cùm videret, mundum esse omnino perditum, nolléque ad prædicationem Noæ, & aliorum piorum emendari, per quos diu verbis, cum eo contenderat Dominus, quasi defessus verbis loquendo per Noam & studio affectus, dixit, *Non rixabitur amplius spiritus meus*, scilicet per Noam & alios pios viros, *cum homine, quia caro est*, id est, quia totus est perditus, ideò non est opus diutiùs verbosa contentione; finis imponendus est controuersiæ huic. Quæ erit hæc finis? Diluuium. Ita Propheta in hunc sensum hic loquitur. Quia nihil nos perficimus apud vos verbis agendo, contendendo, rixando. Idcircò necesse est, vt Dominus ipse non verbis, sed factis vobiscum litiget, & suam ipse caussam defendat: *Lis est igitur Domino cum habitatoribus terræ.*

Cùm ait, *Lis est Domino cum habitatoribus huius terræ*, hæc quatuor indicat.

1. [illegible] & alios Prophetas diu cum hoc populo verbis egisse, vt ad pœnitentiam conuerteretur, sed se à populo contemptos & derisos fuisse: proinde populo non fore posthac negotium cum hominibus, sed cum Deo. Hoc primùm voluit indicare his verbis, *Audite verbum Domini, Lis est Domino cum habitatoribus terræ*, quasi dicat, posthac non erit vobis negotium cum Propheta, sed cum Domino. Dominus enim vult vobiscum iudicio agere, & suam ipse caussam defendere. Vbi autem litigat Dominus cum hominibus? Resp. In foro conscientiæ, ante tribunal diuinæ iustitiæ.

At quomodo id facit Dominus? Resp. Cùm verbis per Prophetas, inuitat homines in conscientia de peccatis conuincendo, tum præcipuè & peculiaribus factis, flagellis, per-

nis. Dicimus enim peculiariter litigare Deum cum hominibus iudicio, quando citra Prophetarum ministerium suis flagellis impios cruciat in conscientia, & facit, vt sentiant in conscientia, se reos esse, Deúmque iustam aduersus se habere caussam.

2. Indicat Deum esse Israelis aduersarium. Qui enim litem alicui intendit, declarat, se esse illi, cui litem intendit, in ea caussa, de qua lis est, aduersarium. Ne ergò putent Israelitæ, se habere Prophetas tantum aduersarios, quos, quoniam infirmi sunt, contemnunt, sed sciant, se habere Deum aduersarium, ideò timeant sibi. Lis enim est non Prophetis, sed Domino, cum incolis terræ.

3. Indicat, Israelitas esse reos coram Domino. Qui enim litem alicui intendit, Actor dicitur, cui verò intenditur, Reus. Non iniustè autem Deus alicui litem intendit. Sciant igitur Israelitæ, se reos esse, & nocentissimos coram Deo. Quare ne reprehensiones Prophetarum rideant.

4. Hortatur illos tacitè ad reconciliationem cum Deo, & spem esse reconciliationis indicat, si velint. Dum enim prædicit illis, quod Dominus velit cum eis litigare, tacitè eos hortatur ad amicabilem compositionem & reconciliationem cum Deo, nec eis persuadeat, dum Deus summo iure cum illis agat, spem adhuc esse veniæ, sua igitur resipiscentia præueniant litem cum Deo.

Cùm igitur ait, *Lis est Domino*, perinde est ac si dicat, Quia contempsistis nos, nostrásque admonitiones, scitote, quòd posthac negotium vobis erit cum Deo omnipotente, non cum infirmis Prophetis. Ipse non verbis, sed flagellis litigabit vobiscum. Nisi ergò maturè cum illo reconciliemini, experiemini summum ius, causa cadetis, & tandem extremũ supplicium de vobis sumet Deus. Ergò dùm ait, *Lis est Domino*, docet tacitè, spem adhuc esse reconciliationis & salutis, si maturè præueniant Dei vindictam.

Et nunc certè specta: tota hæc præsens iræ Dei denunciatio, vt scilicet Israelitæ hanc audientes, illam sua resipiscentia præueniāt. Cur enim Deus per Prophetas denunciat pœnas peccatoribus prius quam illas de eis sumat? Vt illas euitent. Quomodo? Resipiscentia, confugiendo ad Christū, atque ad thronū misericordiæ. Ergo cum Dominus minatur, indicat, se nolle punire: quin ideò minatur, vt resipiscamus, & resipiscentia cōminationes illius euitemus, quòd si non resipiscimus, vt saltē inexcusabiles reddamur. Sic Pater, cur minatur filio? Vt filium caueat ferulā, & tunc indicat, se nolle filium ferire, cùm minatur. Cùm quis verò suū hostem ferire, aut occidere vult, non illū præmonet. Cur minatus est inferni pœnas? Filiis Dei, vt illas euitent pœnitentia & fide in Christum. Reprobis, vt si non resipiscant, saltē inexcusabiles reddantur. Idem finis fuit Prophetæ, in hac denunciatione litis Deo cum Israelitis. Admonet illos, litē ipsi Deo esse cum illis: Cur? vt cum eo studeant reconciliari ante, quàm summum ius experiantur, definitiuámque, vt vocāt, sententiam contra se audiant, vel sentiant potiùs.

Illa etiam particula, *Cum habitatoribus huius terræ*, emphasin habet, & oblíquè perstringit Israelitas, quasi dicat. Vos estis habitatores huius terræ Chanaan. Ergo Deus seruauit vobis fidem suam, & præstitit quod promiserat, cum fœdus vobiscum iniit. Promiserat enim, se daturum vobis hanc terram Benè. Sed interim vos non præstitistis, quę illi promiseratis, fidem & obedientiam. Idcirco ipsi lis est vobiscum & habet, quod vobiscum expostulet. Non enim est veritas in terra.

Hæc igitur est propositio. Deus ipse vult vobiscum ante tribunal diuinæ iustitiæ non verbis per nos, sed reipsa per se ipsum litigare, vult vos punire. Quamobrem? *Quia non est veritas in terra*. Ratio hæc vsque ad versum 4. continuatur. Summa est, Deus contendit, vt è terra hæc omnes expellamini & grauissimè puniamini, tanquam fœdifragi, qui iniustè terram hanc inhabitatis.

Ratio, qua Deus suam aduersus Israelitas caussā probat, iustissimámque esse contendit, sumitur à fœdere quod inter Deum & Israelitas factum, & fide verbis edita, adiectis etiam externis symbolis, confirmatum fuerat. Ea autem hæc est. Si sint duo, verbi gratia, Titius, & Sempronius qui tale fœdus inter se fecerint vt Titius, vtpote Dominus, spoponderit Sempronio omnem suum fauorē & præterea fundū egregium amplissimúmque, sed hac lege, vt Sempronius fidele obsequiū præstet Titio, illúdque stipulatus sit Titius à Sempronio, & Sempronius promiserit se præstiturum, & Titius quidem primò omnem suum fauorē præstet Sempronio, & fundum etiam promissum liberaliter tradiderit, sperans, fore, vt etiā Sempronius suis stet promissis. Is [illegible] solum nihil eorum, quæ promiserat, præstet, sed etiā contra Titium suum Dominum, contráque eius familiam insurgat, annon iustam habebit caussam Titius, suum à Sempronio fundum repetendi, [illegible] posthac denegandi, & vt tanquam fœdifragus, & iniustus puniatur à iudice, postulandi? Omninò.

Atqui tale fœdus factum est inter Deū & Israelitas. Deus spopondit eis suam gratiam, & terrā Chenaā, sed hac lege, vt ipsi vicissim Deo præstarent honorem & obedientiam: hæc. n. duo ab eis stipulatus in summa fuerat. Promiserant illi. Deus gratia sua illos nunquā deseruit, liberaliter semper tractauit, & terrā Chanaan dedit. Hoc probat Propheta ab effectu, cùm illos appellat habitatores terrę, scilicet Chenaan, vbi erant. Quòd verò Israelitæ non solùm non præstiterint promissa, sed etiā cōtraria promissis fecerint, probat ex iis, quæ vulgò in terra Israelitarum cernebantur. Quę sic narrat, *Quia non est veritas in terra* [illegible] *sacrari*, id est, [illegible] in terra auditur & cernitur, demonstrat.

Sequitur igitur conclusio, *Proinde lugebit terra*, quasi dicat Ergò iure contendit Dominus, vt e terra expellamini, terra desoletur. At non igitur Deus iustam habet caussam contra vos, ô Israelitæ? Iure igitur lis est Domino cum filiis Israel. Hanc verò Domini contra Israelitas caussam & litem illi sítque probationem posteà per totum propositum caput amplificat. Nunc singula verba percurramus.

Quia nulla veritas.

Illud Quia, est redditio caussæ, cur Dominus nolit amplius verbis tantùm per Prophetas cū populo agere, sed ei litē reipsa intendere. Quare? *Quia in terra nulla est veritas*, ac proinde illud Quia probat, Deum iustā caussam contra Israelitas habere. Summa est. Deus vult vobis litē intendere, quia cùm ipse præstiterit ei, quæ vobis spopōdit in fœdere, & enim incolæ estis huius terræ, vos nihil eorum quę promisistis, præstatis, sed fœdifragi, iniqui estis, & in promissis iniusti, atque ita nec primā, nec secundam legis tabulam seruatis, imo contra vtramque pertinaciter peccatis.

Non est veritas.

Significat *Veritas*, etiam fidem, & sic quidem vertunt. Fides verò hîc accipitur pro fide erga homines, cùm quis stat sua fide, suísque promissis quæ sic à Cicerone definitur in primo de Officiis. *Est dictorum conuentorumque constantia & veritas, & ideo appellatur fides, quod fiat id, quod dictum est.*

Cæterùm, quoniam veritas latiùs patet, quàm fides, & huic voci *emeth* statim opponit propheta vocem *Cahas*, quod mentiri. Mendacio autem opponitur Veritas, id, ideò mihi magis placet, vt retineamus veterem Hieronymi versionē, *Non est veritas.*

Accipitur autem hæc veritas non metaphysicè, prout de ea tractat Aristoteles in metaphysicis, q. 16. & ait, eam esse in intellectu, sed [illegible] & [illegible], & opponitur illi præcepto Decalogi, *Non falsum testimonium dices*. Ab Aristotele etiam in 4. Ethic. c. 7. & in Magn. Moral. lib. 1. c. 31. opponitur fictioni, & media ponitur inter Arrogātiam & Dissimulationem. Denique veritas hæc est illa, de qua *Psal.* 5. Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est: *Item* [illegible] *Ephes.* 4. Quapropter deponentes mēdaciū, loquamini veritatem vnusquisque cum proximo suo, quoniam sumus inuicem membra. De hac veritate Thom. 2. 2. quæst. 109. Tria habet opposita vitia. Mendacium in genere de quo 2. 2. quæst. 110. simulationem seu hypocrisin de qua 2. 2. quæst. 111. iactantiam, de qua 2. 2. quæst. 112. Hæc enim duo postrema sunt species mendacij.

Cæterùm dubium non est, cùm ait, In terra Israel non esse veritatem, accusare illos cùm mendacij, simulationis, & adulationis, tùm imprimis fraudum. Ita enim extinctam esse omnem fidem & veritatem, vt instar vulpium nihil agant candidè, sed omnia fraudulenter. Verùm hoc nūc quoque in terris nostris amplissimum habet locum.

Chesed & misericordiam & beneficentiam significat, quæ ambæ duo sunt effecta charitatis, vnum internum, misericordia, alterum externum, beneficentia.

Hieronymus vertit Misericordiam. Si placet hanc retinere versionem [illegible] gradus est de vera misericordia, quæ [illegible] cui accommodata est. [illegible] misericordia [illegible] de charitate De [illegible] *compassio, quæ* [illegible]

Quæ [illegible] Prophetæ [illegible] Si sic placet, intelligitur hoc [illegible] non quæ ex hypocrisi sed vera quæ ex vera misericordia & charitate proficiscitur. [illegible] Deus vera [illegible] vt eius misereamur, & eius indigentiæ [illegible] opem feramus, [illegible] beneficentiam [illegible] amplector hanc alteram versionem, & Beneficentiam capio, pro omnibus cæteris

characteris

charitatis effectus, quibus proximo benefacimus, siue id fiat verbis, vt est correctio fraterna, exhortationes, consolationes, bonæ precationes, siue realibus beneficiis, vt eleemosynis, & id genus aliis. Vera enim charitas exigit, vt proximo, quibuscumque possumus officiis, benefaciamus.

Cæterùm cùm ait, extinctam esse beneficentiam, accusat Israelitas crudelitatis in proximum, quòd crudeles sint, sicut feræ, quòd omnes quærant tantùm, quæ sua sunt, non, quæ sunt proximi.

Non est cognitio Dei in terra.

Nomine *Cognitionis Dei*, tùm hic, tùm aliis plerisque in locis scripturarum, vbi hæc cognitio Dei mandatur hominibus, venit vera, solidaque Dei ex verbo per Spiritum sanctũ cognitio, quæ cum vera in Deũ & Christũ fide & charitate coniuncta est. Cùm igitur ait, nullam esse in terra Israel cognitionem Dei, accusat illos contemptus Dei, impietatis, infidelitatis, idololatriæ, denique, violatæ totius primæ tabulæ.

Quòd verò non dixerit, Non est amor Dei, non pietas in terra, sed ait, *Non est cognitio Dei*. Illud primò facit ad magis exaggerandam Israelitarum impietatem, peruicaciam, & licentiam in peccando. Est enim ac si dixisset, Vos ita licentiose pergitis peccare, perinde, ac si nullum putetis Deum esse in cælo. Si enim aliqua Dei notitia in vobis resideret, ea, ceu frenum, vos à peccando cohiberet. Estis ergò omninò sine vlla Dei cognitione.

Deinde facit ad indicandum, omnis pietatis fontem Dei notitiam, contrà verò omnium scelerum radicem, esse Dei ignorantiam. Et ob hanc etiam caussam tertio loco posuit ignorantiam Dei, dicens, *Non est cognitio Dei*, quasi dicat, Quid dico, *Non est veritas, non est beneficentia, imo non est Dei cognitio, ideóque nihil boni est in terra.*

Illud *In terra* facit ad exaggerãdam populi impietatem, quasi dicat, Contemptus iste legis Dei, tùm primæ, tum secũdæ tabulæ, ista in proximum crudelitas, & ista Dei ignorantia, non in aliquibus paucis hominibus, sed passim in omni terra Israelitarum, nec in aliquot tantum angulis peccatur, quasi pudeat Israelitas palàm peccare, sed vbique locorum tantum cuique licentiæ est in peccando, vt tota terra repleta sit contemptu Dei, & sceleribus omne genus.

Exsecrari, mentiri.

Docuit primo versu Israelitas non seruare legem Dei, neque secundam tabulam, quia non est veritas aut fides, neque vlla est beneficentia in proximum, neque primam, quia non est cognitio Dei in terra.

Nunc amplificat, & docet, eos fecisse & facere contra legem Domini. Quomodo? Quia non solùm non est veritas, sed etiam loco veritatis mendacium dominatur, non solum non est beneficentia, sed huius loco grassantur exsecrationes, furta, quæ omnia pugnant cum charitate erga proximum. Volumus enim proximũ ita diligere, vt cùm animo, tum verbis tum factis, quantum possumus, iuuemus. Animo, bene illi cupiẽdo, & fausta precando. Verbis, vt verum semper dicendo, ne quispiam fraudetur, non adulando, sed potius, si peccet, corrigendo, admonendo, consolando. Factis, vt beneficentia, eleemosynis & aliis pietatis officiis.

At Israelitæ non solum non hæc præstabant, sed contrà etiam faciebant, non benè precabantur, sed maledicta etiam verbis mala aliis imprecabantur.

Non erat inter eos veritas, sed mendaciis tantùm gaudebant, magnatibus adulando, & proximum quenque fallendo ac defraudando. Non erat inter eos beneficentia, sed contra omnibus modis, & in omni bonorum genere proximum lædebant. Nam, quo ad bona corporis, ait,

Occidere.

Occidere tantum student. Sub hac voce complectitur omnes percussiones, vulnera, & quasuis corpori illatas iniurias, & crudelitates in proximum, ac cum pauperem fame pereuntem non cibat, cum possit, occidit, ait Hieronymus. Perstringit enim hic non solum publicos homicidas, sed vniuersos Israelitas, atque imprimis potentiores, qui crudeles erant in pauperes.

Furari.

Hoc ab bona fortunæ, vt aiunt, pertinet. Tantum delectantur furari. Quid sit furtum, notum est, omnis contrectatio rei alienæ inuito domino, vt Iustinian. in 4. Instit. Tit. 1. Nomine igitur furti intelligit omnem iniustam rerum alienarum vsurpationem & vindicationem. Non enim solum publicos fures, sed omnes Israelitas hoc scelere perstringit, quoniam omnes auaritiæ, & rapinis, lucrisque iniustis studebant.

Quo ad iniurias, quæ honorem lædunt, vnam tantùm speciem per synecdochen capiunt, dicens, *Adulterari*. Quæ maior iniuria fieri potest proximo, quam ad suam existimationem & honorem, quàm cum eius vxore adulterando? Quanquam sub nomine adulterij omnes alias lasciuias complectitur. Non enim solùm publicos quosdam adulteros, sed vniuersos Israelitas hic damnat, quoniam omnes ferè sine pudore libidinibus omne genus operam dabant, & omnes id faciebant.

Hæc autem omnia opponuntur illi beneficentiæ, de qua anteà.

Subdit postea *Perruperunt* scilicet omnia vincula & repagula, quibus contineri solent homines à peccando. Quæ sunt hæc? Timor aliquis Dei, metus pœnæ, pudor & verecundia. Hæc, & si quæ alia sunt repagula ad arcendũ hominem à peccando, fregerunt & perruperunt Israelitæ, vsque adeò furiosi sunt, & ad peccata procaces. Est igitur sensus, Quid dico, Israelitas mentiri, peierare, &c. ruptis omnibus repagulis, abiecto omni amore Dei, posito omni metu pœnæ, omnique pudore, nullum est sceleris genus, quod nõ audeant. Perruperunt igitur, & ad omnes lasciuias & libidines, aliaque scelera se sine vllo pudore abiiciunt. Non enim dubito, quin Propheta iis verbis rectè voluerit perstringere Israelitas nefandorum & maximorum scelerum.

Vel sic construe. Peierare, mentiri, periuria, mendacia, perruperunt, id est, eruptionem fecerunt per totam terram Israel, tanquam torrens aliquis vitiorum omnibus ruptis repagulis. Ideò subdit,

Et sanguines in sanguines pertigerunt.

Grauissima scelera grauissimis sceleribus ab Israelitis sunt adiuncta. *Sanguines* enim in scripturis sæpe capiuntur pro sceleribus maximis, ita appellata, quòd digna sint, quæ sanguine & sanguinis effusione puniantur, vt sunt homicidia, pauperum oppressiones, blasphemiæ in Deum, adulteria, incestus, sodomitica peccata. Hæc solent in scripturis sanguines appellari, sicut etiam *Iesaiæ* 1. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.

Hæc igitur sententia huc spectat, vt ostendat Propheta Israelitas omninò esse perditos, & horribilem mas motum scelerum faciem vbique in terra Israel conspici, quoniam sine vllo pudore, ruptis omnibus repagulis, vbique grauissima perpetrantur scelera.

Obseruandus est ordo Propheticus in primo versu 1. Accusat eos, quod non seruarint secundam tabulam de dilectione proximi, dicens, *Non est veritas, non beneficentia*. 2. Venit ad primam tabulam, dicens, *Non est cognitio Dei*. Talis ordo frequentissimus est in Prophetis & Apostolis, vt primò conuincant homines transgressionis secundæ tabulæ, deinde & primæ.

Cur id faciunt? Resp. Vt meliùs adducant homines ad suæ internæ impietatis, quæ latet in corde, agnitionem, atque ita ostendant inanem esse gloriationem hypocritarum, qui iactant se habere fidem & pietatem in Deum. Externa enim tum pietatis, tum impietatis opera nobis notiora sunt, quàm interna pietas, vel impietas. Optima autem methodus exigit, vt semper à notioribus nobis, progrediamur ad ea, quæ sunt notiora natura, nobis autem ignotiora, & semper per notiora fidem facimus eorum, quæ sunt minùs nota, vt in demonstrationibus patet. Ergo sacra scriptura, quæ est optimæ methodi autor, hac via solet internam hypocritarum impietatem detegere. Sic Christus docuit, A fructibus eorum cognoscetis eos, sicut etiam arbor à fructibus suis. Sic Iacobus ca. 4 contra eos qui iactabant fidem, à fructibus infidelitatis ostendit eos nõ habere fidem in Deum. 1. *Ioh.* 4. Si quis non diligit fratrem quem videt, quomodo diliget Deum, quem non videt? Qui dicit, se nosse Deum, & non diligit fratrem suum, mendax est. Ita facit Hoseas. Israelitæ iactabant fidem, religionem, pietatem in Deum, totè enim in proximum erant crudeles. Igitur transgressione secundæ tabulæ, quæ patentior est, concludit, eos esse transgressores primæ, & nulla Dei cognitione præditos esse.

Obseruanda est eadem methodus concionatoribus aduersus hypocritas, qui iactant Euangelium, & Ecclesiam, & fidem, & interim amari lasciui sunt.

Summa igitur huius argumenti est, Deus vult litem vobis ipse intendere, ô Israelitæ, & suam iustam caussam defendere. Cùm enim ille fidem in fœdere vobis datã seruârit. Iam enim estis incolæ huius terræ, quam olim promiserat, vos nullam fidem seruatis: partes, in proximum, quæ vobis fides, quæ veritas, quæ beneficentia? In Deum verò quæ pietas? nulla cognitio Dei in vobis residet, in tota hac terra, nullus Dei metus. Quid? imò inter vos grassantur tantum flagitia, exsecrari, mentiri, occidere. Quid? omnia repagula & vincula, quæ cohibere vos poterãt à peccãdo, fregistis, & sic furiosi, posito omni Dei metu, omni timore pœnæ, omni pudore, & verecundia, proiecistis vos ad nefandissima flagitia, & sanguines, grauissima & verè digna sanguine flagitia

aliis grauissimis sceleribus addidistis. Cum hæc igitur ita se habeant annon Deus iustam habet aduersus vos causam, vt litem vobis intendat? Maxime. Quid ergò consequutur?

3. *Propterea lugebit omnis terra, & languebit omnis, qui habitat in ea.*

Hæc est pœna peccati, terra desolabitur, & ita, quasi vidua, videbitur lugere, & omnis, qui nunc in ea habitat, & omne genus deliciis fruitur, languebit: Quia scilicet hinc expulsus, in exilio languebit, & magnis premetur calamitatibus.

Cum omni bestia agri.

Ad amplificationem pœnæ additur hæc particula, Gen. 9. Cum vellet Deus suam erga Noa & humanum genus benedictionem amplificare, dixit se seruaturum fœdus cum Noa, & eius filiis, & etiã cum bestiis terræ, id est, esse cauturũ, ne illæ quoque amplius diluuio perirẽt. Quare? Quia hæc animalia in vsum, cõmodum, & voluptatem hominis sunt data. Ergò cum etiam contrà dicit, se illa exterminaturum, amplificat grauitatem iræ suæ contra hominem, quia scilicet cũ spoliat omnibus rebus, quæ ad eius vsum & cõmodũ faciebãt. Sicut etiam, cum aliquis proditor, non solum ipse in exilium mittitur, vel capite plectitur, sed etiã eius domus solo æquatur, supellex comburitur, seueritas hæc facit ad amplificandam pœnam contra proditorem. Non enim comburitur supellex propter se, sed propter proditorem. Sic etiam facit Deus.

Habemus summam huius litis, & caussam, cur hanc intendat Israelitis Dominus. Nunc eam amplificat versibus sequentibus, dum varia etiam peccata reprehendit in Israelitis, & pœnas futuras denunciat. Ait ergò.

4. *Ceterùm quisquam ne obiurget, & ne arguat quispiam,* scilicet hunc populum. Quanquam etiam potest alterum *Isch* verti in accusatiuum Quempiam: *& populus tuus, sicut contendentes cum sacerdote.*

Interea tamen quispiam ne obiurget, & ne arguat quispiam, hunc populum, &, id est, quia etiam *populus tuus*, ô Domine, *vere contendentes*, sunt cum *sacerdote*. Sic Kimhi in comment.

Primum membrum ironice legendum est, alterum verò κατηγορικῶς.

Deplorat hic Propheta duo grauissima vitia in Israelitis, quæ certe testimonia sunt extremæ & deploratæ malitiæ, quódque populus sit prorsus insanabilis.

1. Vitium est, quòd populus, licet extreme sit sceleratus, sicut præcedentibus versibus ostensum est: intereà tamen non vult obiurgari, non vult reprehendi, nullius potest ferre admonitiones. Annon hoc testimonio & argumento est, populum hunc esse prorsùs deploratum, & perditũ, extremæque malitiæ? Sicut enim ægroti tunc desperati prorsùs esse dicuntur, cùm nolunt ampliùs medicos audire, cùm repudiãt omnia consilia, cùm denique nullum possunt ferre remedium: Sic etiam populus ille, desperatæ prorsus malitiæ esse cognoscitur, qui licet immersus sit in peccata: nulla tamẽ potest ferre reprehensiones, admonitiones, consilia. Vnde enim fit, vt nolit admoneri? Inde, quoniam pertinaciter vult in suis peccatis perseuerare. Hoc vitium reprehendit Propheta, cùm ait ironice, *Interea tamen quispiam ne arguat*, quasi dicat, Etsi in terra Israel nulla sit veritas, nulla beneficentia, nulla Dei cognitio: imò licet totus hic populus, nihil aliud curet, quàm exsecrari, mentiri, occidere, furari, adulterari: imo licet perruperit omnia repagula, & abiecto omni Dei timore, & pudore, quotidie sanguines, id est, noua grauissima scelera, ad sanguines, id est, ad alia scelera grauia accedere faciat & accumulet: intereà tamen nemo arguat, intereà tamen non vult vllius admonitiones audire, vsque adeò pertinax est in suis peccatis.

Indicat ergò Propheta illis tot tantisque sceleribus, quæ suprà commemorauit, & quæ in populo illo passim grassabantur, accedere etiam hoc grauissimum malum: nempe pertinaciam & peruicaciam in peccatis, ita vt neque admoneri velint suorum errorum.

Alterum vitium erat, quòd Israelitæ non solùm nolebant de peccatis admoneri, quippe qui volebant libere in peccatis viuere, sed etiam cùm admonebantur, confestim insurgebant contra suos doctores, & illos conuitiis impetebant, sua errata defendebant, & ipsos sacerdotes damnabant.

Hoc certe vitium grauius est, quam simpliciter reprehendi nolle. Quale enim argumentum est, cùm ægrotus non solùm non vult audire optimos medicos, sed etiam illos vult arguere inscitiæ, & cum illis disputare, contẽderéque se non eo morbo, quo ipsi putant, laborare? Argumentum certe est, talem ægrotum esse phreneticum, & prorsùs desperatum. Sic faciebant Israelitæ.

Hoc igitur vitium & extremum malum in Israelitis carpit Propheta, cùm ait, *Et populus tuus*, ô *Domine* Est enim apostrophe ad Dominum, *Verè litigantes vel contendentes sunt cum Sacerdote.*

Hac apostrophe ad Dominum indicat Propheta, hanc esse certe extremam Israelitarum malitiam, quod non tantùm nolint corrigi, sed etiam cum correctoribus litigent, se & sua errata defendentes, ipsos verò sacerdotes, qui corrigunt & admonent ex verbo Domini, damnantes. Quid est enim hoc, nisi cum Deo ipso, qui per eos loquitur litigare, irasci, eúmque damnare? Huc spectat illud Christi Matth. 10. *Qui vos audit, me audit. Qui vos spernit, me spernit. Et qui me spernit, spernit eum, qui misit me.* Quàm praue peccatum hoc sit, patet ă pœna quam statuit Dominus aduersus eos, qui sacerdotes ex lege Domini docentes & iudicantes, nolunt audire. Deut. 17. Exemplum etiam Chore & Datan, qui cum Mose ex verbo Domini populum regente, irasci cœperant, aperte docet. Est enim irasci cum Deo.

Papistæ hoc loco abutuntur ad stabiliendam Pontificis tyrannidem. Dicunt enim, audiendos esse sacerdotes, vt Dominus mandat Deut 17. & populum illum esse plane deploratum, qui cum sacerdote velit litigare, vt hic & Propheta. Se autem esse sacerdotes, & pontificem summum sacerdotem. Sed responsio facilis est. Quantum ad maiorem, in omnibus iis locis, sermo est de sacerdotibus, qui ex lege & verbo Domini populos docent & arguunt, locus Deut. 17 apertus est Matth. 19 itidem. *Super cathedram Mosis sedent.* Sic & Propheta hic loquitur de sacerdote, qui ex lege & verbo Domini peccata arguit, admonet, & docet populum, patet ex versu 6 huius capitis. Ratio etiam in promptu est Cur eo im damnantur, qui repugnant sacerdotibus ex verbo Dei docentibus? Quia repugnant Deo, qui per eos loquitur. Gradatio Christi docet hoc. *Qui vos audit, me audit Qui me audit, audit eum, qui misit me. Et qui vos spernit, me spernit. Qui me spernit, spernit eum, qui misit me.* Atqui Pontifex Romanus non docet ex verbo Dei. Nec nos illi repugnamus, quatenus aliquid ex verbo Dei docet, sed quatenus præter & contra verbum Dei docet, iubet & damnat.

Negamus deinde, eos esse veros sacerdotes Domini. Ille non est sacerdos Domini, qui verbum & scientiam Domini non tenet, sed reiicit Patet hic in versu 6 *Quia Tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Pontificij respuunt scientiã Dei. Non sunt ergò sacerdotes Dei. Proinde locus iste non potest facere cum tyrannide põtificia, imò contra eam est. Damnantur enim hic Israelitæ, quia contra sacerdotem ex verbo Domini docentem, admonentem, & corrigentem insurgunt, cõuitiis impetunt, sua errata defendentes, & sacerdotem damnantes. Atqui idem faciunt Papistæ contra omnes, qui eos ex verbo Domini arguunt, Res aperta est, idem etiam fecerunt ante Lutherum omnibus seculis. Nunquam enim defuerunt aliqui, qui eos ex verbo Domini commonerent errorũ & idololatriæ, ipsi nõ solum noluerunt audire correctiones, sed etiam contra tales doctores insurrexerunt, & tandem occiderunt. Tantum igitur abest, vt locus iste faueat tyrãnidi Papisticæ, vt nihil apertius sit contra Papistas, quàm iste locus. Cur enim nos damnãt? Scimus, totum controuersiæ statum inter Papistas & nos hunc esse: quoniam nos contendimus ex verbo Domini, illos multas in Ecclesiam inuexisse idolatrias, & superstitiones & errores. Illi verò contendunt, non esse solo Dei verbo standum, sed etiam traditiones, nescio quas, esse sequendas. Sic faciebant Israelitæ, cùm arguebantur idololatriæ & superstitionum à Prophetis ex verbo Domini, contendebant cum Prophetis & suos errores defendebant traditionibus, per successionem à suis maioribus (id est, à Iarobeamo Nabathi filio) acceptis. Neque enim à Patriarchis, neque à Mose illas acceperant, sed longe post à Iarobeamo Nabathi filio. Sic Papistæ suas, quas iactant traditiones à maioribus suis acceptas, non ab Apostolis, aut Prophetis, sed longe post à variis superstitiosis hominibus acceperunt. Annon igitur perbelle hic locus facit contra Papistas cùm ipsi sint hodie, sicut tempore Hoseæ Israelitæ? Abeant igitur in malam crucem Nos redeamus ad Prophetam.

Cùm ait, *Cum sacerdote*, intelligit omnes, qui ex verbo Domini docent, etiam Prophetas. sed nomẽ sacerdotis posuit, quia sciebant omnes, illius esse officium docere & arguere populos ex verbo Domini. Locus, qui est in Amoso Propheta, cap. 7 ad huius loci illustrationẽ facit. Arguebat Amosus Propheta Israelitas istos, quos & Hoseas eodẽ tempore, sub eodem rege Iarobeam, qui imprimis restiterunt Prophetæ, sacerdotes illi idololatrici, ordinati à rege Iaco-

beam

beam. Amasias sacerdos Bethel, misit ad regem Iarobeam, dicens: *Rebellauit contra te Amos in medio domus Israel, non poterit terra sustinere omnes sermones eius.* Et ad Prophetam dixit ipse Amasias sacerdos. *Propheta vade, & fuge in terram Iehuda, illicque panem comede & illic prophetabis.* Fuit ille mitior sacerdos in Amosum quàm Romanus Pontifex in nostros Prophetas.

Locus ille indicat, 1. Tunc ipsum Amosum fuisse ipsum sacerdotem, de quo hic Hoseas. 2. Ipsos etiam sacerdotes Baal, atque ipsos imprimis resistere sacerdotibus Domini. Sic Ieremi 37. fuit talis sacerdos cùm acriter argueret Iehudã, & eius regẽ Zedechiam, Satrapæ regni, postea vniuersus populus tales fuerunt, quales hic dicũtur fuisse Israelitæ, qui non solùm non voluerunt audire Prophetam corrigentẽ, sed etiam cum eo contenderunt, & contumeliis affecerunt. Ergò nomine *Sacerdotis* intelligitote omnes, qui ad munus docẽdi electi, ex verbo domini populos docent, & admonent.

Cùm ait, *Contendunt vel litigant cum sacerdote*. est, ac si dicat facti sunt censores suorum sacerdotum. Illud *vau* quidam accipiunt pro Quoniam. Illud *caph* quidam accipiunt pro sicut, & ironice sic legunt. *Quoniam populus tuus factus est sicut* seu tanquam *censor sacerdotis*. *ideo non potest eum se arguentem audire*, sed contrà, sacerdotem ipse corrigit. Vidimus hic duo in Israelitis vitia extrema à Propheta damnari, quæ certe concludebant, populum esse plane desperatum & perditum, quia nolebat sustinere lucem. Nunc sequitur pœna talis peccati.

5. *Et igitur, corrues, impinges, in die, interdiu, & corruet etiam Propheta tecum sicut in nocte & abolebo matrem tuam.*

Apostrophe facta ad populum, ei pœnam suæ pertinaciæ denunciat. Pœna hæc cõueniens est, & debetur talibus peccatis, quæ in præcedenti versu exprobrauit Israelitis Propheta. Si quis enim à cæco ductus per viam salebrosam, cuius exitus est prærupta, & altissimæ rupes, ipse quoque cæcus perseuerat, & salutare medicamentum, quo sibi aperiantur oculi, lumẽque, quo præcipitia in quæ fertur videat, ab amico oblatum repudiet, quid tandem eum meritò consequetur? Ille perinde interdiu atque si obscurissima esset nox (quippe qui cæcus, & à cæco ductus) subinde impinget, & tandem in altissimam illam foueam cum suo ductore cæco corruet. Et, sicut Christus ait, *Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foueam cadent.* Hoc idem prædicit futurum Israelitis, quia cæci nolunt illuminari, & oblatum lumen repudiant, sed contenti sunt suis falsis cæcis & adulatoribus Prophetis. Quid ait? *Igitur corrues* scilicet in foueam, *& Propheta etiam* scilicet cæcus & ipse *tecum corruet, in ipsa etiam die tanquam in nocte*, id est, tu interdiu perinde ac si obscurissima tibi esset nox, corrues. Hæc est pœna, quam Propheta prædicit Israelitis, quia nolunt correctiones vllas admittere, sed cõtrà potiùs aduersus correctores insurgunt. Sed metaphorice loquitur Propheta.

Quidam igitur de spirituali casu in peccata & tandem in mortem æternam, interpretantur. Alij de tẽporali casu, quòd scilicet Israelitæ erant propter hanc contumaciam partim occidẽdi, partim abducendi in captiuitatem, & ita verba interpretãtur. Ergò corrues, id est, peribis, interdiu, id est, adhuc rebus tuis integris, & regno adhuc florente. Et corruet etiam Propheta tecũ, id est, in idem exitium ipse etiam Propheta, qui te seducit, trahetur, idque nocte, id est, primo statim post te ordine suo, sicut diem statim continua serie sequitur nox, quasi dicat. Neque ipse Propheta aufugiet, quia licet tarde, tamen tandem rapietur & ipse in idem exitium. Deinde Nocte, id est, calamitatibus, tanquam tenebris nocturnis, omnia iam occupantibus, quasi dicat, Tu, ô popule, tempore insperato, regno adhuc florente, corrues turmatim in manibus hostium, ita erit, seu dies, cùm tu capieris, quia repentina erit tua pœna. Propheta verò cùm viderit tantas tenebras, id est, te capi, regnũmque destrui, etsi studebit se abdere, non effugiet tamen, sed inter ipsas illius noctis tenebras & ipse capietur, & ruet in manus hostium.

Et abolebo matrem tuam.

Nomine matris intelligit ipsum Ecclesiæ nomen, quo soliti erant Israelitæ superbire aduersus Deum. Est quasi occupatio. Potuissent dicere, at nonne sumus Ecclesia tua? Resp. Iste sacer Ecclesiæ titulus, quo superbitis, quòd sitis genus Abrahæ & Ecclesia Dei non poterit impedire hanc ruinam, nam abolebo, id est, perdam simul etiam matrem vestram, id est, titulum etiam Ecclesiæ à vobis tollam, & illum discutiam, tanquam fumum.

Vtramque interpretationem Ego simul complector, vt casum seu ruinam, & spiritualem, & temporalem minetur Propheta.

Spiritualem hoc modo: Quia Tu respuis lumen verbi Dei, nullas vis admittere correctiones, & admonitiones ex verbo Dei, sed tantùm audis falsos Prophetas, qui tibi adulãtur ideò tanquã cæcus ductus à cæco semper corrues in foueã peccatorum & omnium errorum in ipsa die, id est, etiã tum, cùm sol & lux Euangelij totũ orbem illustrabit tempore Messiæ, sicut in nocte, id est, perinde ac si obscurissima esset tibi nox, & tandem corrues in foueam æternæ mortis, vbi perpetua erit nox, & simul etiam tecum corruet Propheta, qui scilicet te seduxit: & dissipabo matrem tuam, id est, efficiam, ne vllum ampliùs Ecclesiæ retineas titulum. Hoc videmus impletum: Nã etiam nunc cùm dies est, Israelitæ & Iehudæi vna cum suis Rabinis, tanquam cæci in varias quotidie peccatorum & errorum foueas ruunt, & continua illis est nox, nullũmque Ecclesiæ nomen amplius retinent.

Temporalem etiam casum & ruinam minatur, hoc modo: Quia respuis verbum Dei, & correctiones Domini, qui te per Prophetas verbis arguit, tu verò eos contemnis & conuitiis impetis, ideò non ampliùs verbis, sed factis te castigabit Dominus. Tu corrues, in manus scilicet hostiũ, & Propheta etiã tecum cadet, Interdiu id est, de improuiso rebus tuis adhuc integris, & regno adhuc florente, quasi sole adhuc splendente, sicut nocte, id est, sicut illi qui inter densissimas noctis tenebras ambulantes cadere solent, id est, non poteris te defendere. *Et abolebo matrem tuam.* Id est, titulum eum sacrũ & nomen Ecclesiæ, quo gloriari soles, tanquam fumum, in nihilum dissipabo, ne ampliùs possis iactare nomen Ecclesiæ, & sub hoc titulo tua tegere scelera.

Habemus hic tristem pœnam eorum, qui verbum Dei, & verorum sacerdotum, qui ex verbo Dei docent, admonitiones repudiant. Ea est, quòd primò deseruntur in tenebris, ita cæcantur tacite quotidie in varios errores & flagitia, ita vt tandem etiam ab Ecclesia separati, nullum Ecclesiæ nomen retineant. Deinde in varias etiam huius seculi calamitates incidunt ac ruunt, & tandem in æternæ mortis foueam. 2. *Thes.* 2. Quia non receperunt dilectionem veritatis, ideò immisit spiritum erroris, vt credant mendacio. Hanc pœnam etiam versu sequenti explicat.

6. *Perierunt.*

Frequentissimæ sunt in nostro Propheta personarum mutationes, & apostrophæ, modò in tertia persona, modò in secunda, antea in secunda persona, *Corrues*, nunc in tertia, *perierunt*, postea in secunda. *Quia repulisti scientiam.*

Sunt hic tria membra. In primo totum populum cum sacerdotibus perstringit, in 2. specialiter ipsos sacerdotes alloquitur in 3. iterum ad totum populi corpus verba facit. Et in primo quidem membro accusat & sacerdotes, quòd non docuerint populum veram & sanam doctrinam, & totum populum, quòd noluerit doceri, sed vniuersam lucem cœlestis doctrinæ extinxerit.

In secundo denunciat sacerdotibus, quale mariti sint iudicium, quia recusarunt suum facere officium, id est, scientiam diuinarum literarum & sibi ipsis comparare, & populis prędicare. Reiicit illos, ne sacerdotio fungantur, vbi docet, esse inseparabilia, sacerdotium & scientiam legis Dei sacerdotalem: sunt enim correlatiua doctor & sacerdos.

In tertio denunciat toti populo horribile iudicium, quòd scilicet velit delere totum Abrahæ genus, & quoniã ipsi violarunt fœdus obliti legis Dei, ipse quoque nolit amplius tãtum populum, & filios talis populi censere in suo fœdere.

7. *Secundùm multiplicari eorum sic peccauerunt mihi.*

In hoc etiam versu continetur & peccati reprehensio, & denunciatio pœna contra peccatum. Ac primo quidem peccatum, quod hic reprehendit in Israelitis, est intolerabilis ingratitudo erga Deum, & abusus beneficiorum Dei. Quoniam quò liberalior in eos fuit Deus, ipsi contrà proteruiùs lasciuiebant. Sic enim ait, *Secundùm multiplicare eorum, peccauerunt.*

Illud *Multiplicari* non refertur tantùm ad homines ipsos, sed ad omnia beneficia, diuitias, potentiã, gloriã, referendũ est, hoc modo. Secundùm, quod multiplicabantur à Deo Israelitæ in hominum numero, in diuitiis, in potentia, inque reliquis Dei beneficiis: sic ipsi peccauerunt Deo, id est, sic ipsi multiplicarunt peccata contra Deum. Accusantur ergò hic Israelitæ ingratitudinis, & abusus, atque indulgẽtiæ Dei erga se, quia, quò benignius & liberalius eos tractauit Dominus, eò maiorem ipsi peccandi licentiam sibi sumserunt. Et

huius peccati accusat non tantùm sacerdotes, sed vniuersum populum. Quàm verò multiplicata illis fuerint Dei benedictiones sub Iarobeam, patet ex libro Reg. 4. & 2. Paralip. Contra verò, quàm ipsi multiplicarint flagitia contra Deum, tum ex iisdem libris, tum ex iis, quæ hic Propheta obiicit Israelitis, satis apparet. Sequitur pœna.

Gloriam eorum in ignominiam mutabo.

Nomine gloriæ intelligit omnia illa Dei beneficia, quæ suprà dixit multiplicata fuisse Israelitis, quoniam hæc erant, in quibus Israelitæ gloriabantur: perinde ac si ea à seipsis haberent, & non à Deo, & in iis confidebant. Materiam igitur gloriæ, gloriã appellat. Ac proinde suum contrarium, id est, ignominiam, appellat ereptionem omnium illorum benedictionum, quoniam iis spoliati, ignominiosi facti sunt, & ludibrio expositi. Sensus igitur est. Israelitæ, cum oculos cõiiciunt in suas præsentes opes, diuitias, potentiam, equitatum, currus, denique vniuersum suum splendorem, insolescunt, sibi confidunt, gloriãtur, idque contra me. At Ego auferam illis hæc omnia, ludibrio exponam omnibus hostibus, & ita gloriam illorum in ignominiam conuertam.

Hæc est pœna, quæ competit in omnes illos, qui abutuntur Dei beneficiis. Ratio est. Quoniã Deus non vult, vt sua gratia hoc modo profanetur, ideò solet tandem improbos suis benedictionibus spoliare, & gloriam eorum cum ignominia commutare. Discant igitur non sibi confidere, nec gloriari in potentia sua, quia deus scit mutare in ignominiam.

8\. *Peccatum populi mei comedent*, id est, comedunt scilicet sacerdotes, *& ad iniquitatem eorum*, id est populi, est enim nomen collectiuum, *leuabunt*, tollent, *animam eius.*

Peccatum populi mei comedent id est, comedunt, Significat enim actum continuum, ideò in futuro positũ est, quasi dicat, comederunt, comedunt, & continuè comedẽt sacerdotes, & ad iniquitatem eorum, (scilicet populi, sed est *enallage* in numero quia est nomẽ collectiuum, populi) leuabunt, (ipsi scilicet sacerdotes, pro, leuant) animam eius.

Illud *vau* postremum, est numeri singularis, vt patet. Cæterùm referri potest & ad sacerdotes, & populum, & diuersi erunt sensus.

Si ad sacerdotes, sicut R. D. kimhi refert, est *enallage* numeri, cùm debuisset dicere, animam eorum, i. suas. Sed sic resolui debet *Et ad iniquitatem eorum, leuabunt*, pro, leuant, quisque, *animam suam*, vel, animum suum, seu, leuabunt quisque animum suum.

Si ad populum, est quidem etiam mutatio numeri, cum priùs dixerit, *iniquitatem eorum*, posteà mutans, ait. *Animam eius*. Sed hæc *enallage* vsitata est in scripturis prinse. Quis autem sit sensus, posteà explicabo.

In hoc versu apertè Deus damnat ipsos sacerdotes, oblique autem ipsum etiam populum perstringit. Quid in sacerdotibus hic damnat Deus per Prophetam? Ventrem & auaritiam, deinde falsam superstitiosamque doctrinam, qua, vt suæ auaritiæ inseruirent, populum seducunt. Sunt enim hæc duo simul coniuncta in omnibus falsis sacerdotibus. Ideò enim seducunt populos suis falsis doctrinis, vt inde lucrum faciant, suæque culinæ prospiciant. Videmus, quò spectent Papistæ sua falsa doctrina de purgatorio, de Missis pro viuis & mortuis, de indulgentiis, de peregrinationibus, de auriculari confessione de casibus Papæ reseruatis, de oblationibus, de imaginibus. Quorsum? ad ventrem, lucrum, auaritiam omnia spectant, eodem spectat extinctio Euangelij & suæ doctrinæ. Sic faciebant sacerdotes in Israel. Ventrem igitur, & auaritiam, quæ est radix omnium malorum, in illis reprehendit, dicens.

Peccatum populi mei comedunt.

Peccatum sæpe capitur pro hostia & sacrificio pro peccatis oblato. Exempla permulta in libris Mosis, 2. etiam Cor. 5. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, id est, hostiam pro peccato. Ergo peccatum accipitur hic pro omni oblatione, quæ pro peccatis expiandis à populo offerebatur. Ac proinde, *Peccatum populi comedere*, erat, oblationes à populo pro suis peccatis ad templum oblatas, capere, inque suum vsum conuertere & frui.

At quomodo iis verbis damnatur venter & auaritia sacerdotum? Dominus tamen hoc mandauit in lege, vt scilicet omnes oblationes, quæ pro peccatis offerebantur, cederent in vsum sacerdotibus, Num. 18. Respon. Hoc concessum fuerat veris sacerdotibus, qui scilicet erant de tribu Leui. Sacerdotes autem, qui erant in Israel, & de quibus hic loquitur Propheta, ex tribubus aliarum tribuum contra præceptum Domini à Iarobeam desumti fuerant, vt 3. Reg. 12. & 13. patet & fecit Iarobeam fana in excelsis, & sacerdotes de extremitatibus populi, qui non erant de filiis Leui. Perstringuntur igitur hic illi sacerdotes, quoniam eas accipiebãt, comedebãtque oblationes, quas commedere licitũ eis non erat. Deinde spectauit Propheta studia illorum falsorum sacerdotum, qui nil curabant, nisi ventrem implere, & lucrum facere ex frequentibus populi oblationibus, huc dirigebant omnia sua studia, in hunc finem neglexerunt veram legis doctrinam, & falsam, superstitiosamque populum docuerunt, & illum seduxerunt, vt sequentia verba indicant.

Cum igitur ait, *Peccatum populi mei comedunt*, sensus est, Nihil aliud cogitant, nihil aliud curant ij falsi sacerdotes quàm vt oblationes à populo meo explendi ventris & lucri faciendi caussa quotidie & continuè accipiant, & ad hoc sunt intenti, & in hunc finem populum falsis doctrinis seducunt. Ideò sequitur.

Et ad iniquitatem eorum leuant animam suam, scilicet sacerdotes, id est, ipsi sacerdotes eleuant suam quisque animam, vel, eius, scilicet populi. Kimhi legit. *Et ad iniquitatem eorum* scilicet populi *leuant* sacerdotes *animam suam* id est, suum quisque animum subleuat, attollit, & erigit. Et si ita legamus, duplex potest esse sensus. Primus sic.

Ad iniquitatem populi attenti sunt sacerdotes, diligenterque obseruant, an aliquam iniquitatem committant, & vt committant, desiderant, ac cupiunt. Quare? Quoniam ex iniquitatibus populi lucrum ipsi sacerdotes faciunt, dũ pro iniquitatibus offeruntur sacrificia. Iuxta hunc sensum indicat Propheta, quanta fuerit sacerdotum cupiditas & auaritia, quia cupiebant & in hoc intenti erant vt populus multas iniquitates quotidie admitteret, vt ipsi quoque multas quotidie oblationes à populo acciperẽt. Similes erant socijs furum & latronum, qui libenter audiunt, multa latrocinia esse facta quoniam ex illis suum lucrum exspectant. Sic illi sacerdotes cupide audiebant populum esse deditum multis sceleribus, quia inde suam expectabant prædam.

Alius sensus est Et ad iniquitatem eorum, id est, ad sacrificia quæ pro iniquitate offeruntur, (vt hic accipiatur iniquitas, sicut & suprà peccatum) subleuant animum suum, id est, attento sunt & arrecto animo, si fortè offerant, vt inde ditescant, quasi dicat, nil aliud cupiunt, & curant, quàm vt sacrificia & oblationes pro peccatis offerantur.

Vtro velis modo accipias *iniquitatem*, leuare animum ad aliquid, est attento & arrecto animo aliquid cupere, & cupide expectare. Apparet hinc quanta fuerit auaritia sacerdotum. Annon verò hæc eadem prorsùs quadrent in monachos & sacrificos in Papatu, iudicet, qui velit. Habemus duplicem sensum horum verborum, si primam lectionem sequamur.

Si verò sequamur aliam lectionem, vt illud affixum Eius referatur ad populum, sensus hic erit. Sacerdotes supra iniquitatem populi eleuant, id est, erigunt animum ipsius populi, suis scilicet vanis solatiis, falsisque doctrinis & inanibus consolationibus, illum, qui reus est, & iniquitatis sibi conscius, erigendo, & supra omnem iniquitatem extollendo. Eius verò peccatum extenuando, & quidquid fuit timoris Dei propter peccatum, suis blanditiis sepeliendo & prorsus suffocando. Sic enim dicebant ei, qui aliquam iniquitatem commisisset, & timore iræ Dei propter peccatum consternatus fuisset, ne dubites, remedium in promptu est ad peccatum tuum tollendum, adferas sacrificium ad templum, & sis bono esto animo: Vi enim illius sacrificij & oblationis remittetur & sepelietur subtùs terram iniquitas tua, tu verò iustus & sanctus, supra omnem iniquitatem eleuatus eris. Sic enim Leuit. 4. mandauit Dominus, & pronunciauit, sacrificiis istis expiari peccata.

Hæc erat falsa doctrina, & hæc erant vana solatia, quæ animum peccatoris supra iniquitatem erigebant. Quid spectabat hæc doctrina? lucrum & auaritiam, reddebant securos peccatores. Ipsi ita securi facti & quòd tam facilia sint remedia in promptu ad expianda peccata, eò libentiùs & frequentiùs alia scelera admittebant, pro quibus posteà expiandis alia adferebant sacrificia. ex iis verò ditescebant sacerdotes. Sic omninò fit etiam in Papatu, ita vt propriè Hoseas videatur hic ad viuum depingere papatum & sacerdotes papisticos.

Si quis peccet in Papatu, præstò sunt infinita remedia ad peccata delenda: modò adferas munus ad templum, legatum, vt vocant, aduenit em, præstò sunt missæ, indulgentiæ, aquæ lustrales, cineres, auricularis cõfessio, & infinitæ nugæ. Persuadent sacrifici populis, his rebus aboleri omnia peccata, ita iis vanis solatiis, falsisque doctrinis erigũt peccatores,

& ipsi

& ipsi ditescunt. Redduntur enim peccatores securi. Quid? iam sum absolutus, & quasi solutus ære alieno, quod contraxeram apud Deum, etiamsi alia adhuc admittam scelera, nihil refert. redibo iterum ad sacerdotem, & meum, vt vocant, confessorem, data pecunia aliqua absoluet, missis etiam, & indulgentiis, quicquid pœnæ debetur mihi in purgatorio, totum illud remittetur.

En igitur quid sit: *Leuare animam peccatoris supra eius iniquitatem*. Est falsis imaginationibus, impiisque doctrinis leuare pœnitentem tristitiam, & dolorem pro peccatis, omnem scrupulum eximere, vanisque solatiis lactare impios.

Iuxta hunc sensum, in hoc altero membro Propheta damnat in sacerdotibus Israel falsam, vanam superstitiosamque doctrinam, qua seducebant populos, vt suæ auaritiæ & lucro inseruirent.

At dices, Annon vera erat doctrina illa, quod sacrificiis expiarentur peccata? sic enim Dominus loquitur *Leuit. 4.* Offeret sacrificium, rogabitque pro eo sacerdos, & pro peccato eius, & remittetur ei?

Resp. Hoc est axioma Christianum nullius sacrificij virtute expiata vnquam fuisse, aut esse peccata, nisi vnius sacrificij Christi, quod semel peractum est in cruce. Paulus ad Hebr. hanc quæstionem docte tractauit. Quorsum igitur illa sacrificia? In hos duos præcipue fines fuerunt instituta. 1. Vt horum conspectu peccatores excitarentur ad agnoscendam grauitatem peccati, & iræ Dei contra peccatum, atque ita gemerent, dolerentque de peccato, studerent, curarentque, ne posthac tam faciles sint ad peccandum. Quomodo illa sacrificia ad hanc pœnitentiam excitabant? Quoniam intercedebat mors animalis alicuius innoxij. Illa verò mors animalis testabatur, tanquam symbolum, quid mereretur ille, qui peccauerat: nempe mortem æternam, quàm graue igitur peccatum, & ira Dei contra peccatum. Voluit igitur Dominus, vt illo spectaculo vulneraretur conscientia peccatoris, & excitaretur ad pœnitentiam. Deinde vt sub illis, tanquam typis sacrificij Christi fides excitaretur in futurum mediatorem, quodque per sacrificium Christi omnia peccata essent expianda, & ita per hanc fidem in sacrificium Christi, remitterentur peccata accederetque amor in Deum & proximum. Cum igitur ait scriptura, *Orabitque pro eo, & pro peccato eius, & remittetur ei*, apertè indicat, non vi sacrificij illius, quasi ex opere operato, sed vi fidei in Christum futurum, remissa fuisse peccata. Neque enim orari poterat pro peccato sine fide. Hæc erat salutaris doctrina legis, hanc illi neglexerant. Quare? quia non faciebat ad quæstum. Absterrebantur enim hac doctrina à peccando, & per consequens, incitabantur ab offerendis sæpè sacrificiis pro peccatis & hoc non erat è re sacerdotum.

Altera verò doctrina, quam docebant, faciebat ad quæstum.

Summa, Doctrina legis de sacrificiis & aliis rebus omnibus huc spectabat, ne tam faciles & propensi essent populus ad peccandum, sicut antea fuerat. Doctrina verò sacerdotum Israelis, reddebat homines securos, & ideò faciles ad peccandum, quia etiam proponebat remedia facilia ad expianda peccata.

Habemus, quæ apertè damnat Propheta iis verbis in sacerdotibus. Nunc quid obiiquè in populo damnet, videamus.

Damnat in populo contemptum Dei, & conspirationem quandam, quam habebat cum sacerdotibus. Cur enim sacerdotes, negligebant doctrinam legis puram? Quia sic volebat populus. Nolebat enim audire increpationes ex lege, & tales veri sacerdotes nimis duri populo videbantur. Hinc factum est, vt adulatores sacerdotes non reprehenderent amplius vitia nec bellum gererent, vt decebat, cum vitiis populi, sed tantùm vrgerent sacrificia, & illis contenti fuerint, quia erant è re sua. Cùm enim ait, *Sacerdotes comedunt peccata populi*, est ac si dicat, non bellum gerunt, vt decebat, cum peccatis populi, nec arguunt peccata populi, sed tantùm ea comedunt, & hoc sunt contenti. Quare? Quia sic etiam populus contentus est, & mauult sæpe sacrificia offerre pro expiatione peccatorum, quàm semel serio agere de peccatis. Colludebant igitur simul sacerdotes & populus, & conspirabant contra Deum, quia vna ex parte sacerdotes nil curabant, nisi vt homines largiter adferrent ad templum. Altera ex parte populus non curabat resipiscere, sed contentus erat externis ceremoniis, & sacrificiis facere satis, fingens, se fore immunem à pœna. In medio illorum deludebatur Deus.

9. *Et erit sicut populus sic sacerdos.*

Propriè hic denunciat pœnam communem vtrisque tam sacerdotibus, quàm populo, quia etiam peccatum, de quo antea commone erat vtrisque. Sensus est, Neque illis, neque istis parcam: sed ita puniam sacerdotem, sicut & populum. Quare? Quia scilicet sacerdos non fecit suum officium, neque populus suum.

Sacerdotis officium erat populum in pietate & sancta vita continere prædicatione veræ doctrinæ. At ipse neglexit, & violauit omnem doctrinam, contentus tantùm honore, & lucro. Igitur de eo sumam pœnas.

Populi etiam officium erat curare, vt haberet bonos doctores, qui prædicarent veram doctrinam. At ipse maluit habere adulatores, & mutos. Ergò etiam de populo sumam pœnas. Erit igitur sicut populus, sic etiam sacerdos.

Trahitur tamen à multis etiam ad culpam hic locus. Est verum, qualis sacerdos, talis & populus est, sed non est hæc mens Prophetæ in hoc loco.

10. *Comedent enim, & non.*

Respicit ad id, quod initiò dixit *Comedunt peccata populi*. Pœna autem est, quod frustrabuntur illorum studia, conatus & desideria. Non enim saturandi vis sita est in multitudine ciborum, sed in benedictione Dei. Hanc si auferat à cibis dominus, quomodo alentur? si à spermate, quomodo filij gignentur? Alludit ad illud, quod etiam est in Iesaia, *Auferam baculum panis*.

Summa. Falluntur omnes impij, qui existimant, prauis & illicitis mediis se fore compotes votorum, quia Dominus eorum desideria & studia frustratur, suam auferendo benedictionem. Qui furatur, vt ditescat, fallitur, furabitur quidem sed non ditescet, quia Dominus efficiet, vt incidat in manus Magistratus. Est alius diues, cœpit habere liberos, præter vxorem habet etiam scorta: Scortabitur, sed non suscipiet filios. Remedium igitur est, vt redeat ad Dominum, qui benedicat semini suo.

11. *Scortatio, vinum, & mustum, auferunt cor.*

In hoc versu assignat caussas seu fontes, vnde tanta huius populi fatuitas & insania profecta sit, vt proiecta omni sana doctrina & vero Dei cultu, reiectis que veris sacerdotibus, mulieres & adulteros doctores sibi accersiuerint, & inanes superstitiones sequantur. Vnde profecta est? Ex scortatione, ex vino, ex musto, id est, ex eo, quòd nimis dediti fuerint & sunt omne genus voluptatibus & nimis saginati sunt. Cùm igitur ait, *Scortatio, & vinum, & mustum, auferunt cor*, est, ac si dicat, quòd mei Israelitæ destituti sint recto sensu & intelligentia similesque sint brutis animalibus, inde est, quoniam scortatio & vinum, id est, nimiæ voluptates, lasciuia scilicet, & ebrietas & nimia rerum omnium copia, illos infatuarunt & fascinarunt.

Colligimus hinc 1. Nimiam rerum omnium copiam caussam sæpenumerò esse, vt homines diffluant in fœdas delicias & voluptates, has verò caussas esse, vt deserta sana doctrina, & vero Dei cultu, superstitiones sequamur, & reiectis veris sacerdotibus, qui nostra reprehendebant peccata & voluptates, coaceruemus doctores mutos, & qui nobis adulentur. Huc illud. *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.*

2. Colligimus quàm fugienda sit venus & ebrietas. Hæc enim duo inprimis auferunt cor, id est, spoliant hominem iudicio & intelligentia, similémque reddunt brutis animalibus. Confirmari hæc possunt indoctis tùm autoribus, tum exemplis, & physicis etiam rationibus, sed hoc relinquo studiosis faciendum. Non enim (vt initiò præfati sumus) hic tractamus locos communes, sed tantùm interpretamur Prophetam, satis est locos communes indicasse.

Possumus etiam per scortationem intelligere spiritualem scortationem, cùm deserto verbo Dei sequimur *idola & pareculos*, & per vinum & mustum, spiritualem ebrietatem, vehementem scilicet amorem, desideriumque vanarum superstitionum. Hæc enim ita infatuant cor, vt postea inuocemus ligna, vt sequitur in versu 12. decimo.

12\. *Populus meus in ligno suo postulabat*, id est, per lignum, postulat, & petit, seu consulit, *& baculus eius indicabit*, id est, indicem es, *quoniam spiritus fornicationum*, id est, ad fornicationem seu idololatriam impellens, *errare fecit*, id est, facit eos, *& fornicati sunt*, id est, fornicantur, *de sub*, id est, *à Deo suo*.

Quia superiori versu dixerat, Israelitas esse infatuatos à voluptatibus, vino & scortatione, nunc reipsa ostendit quàm verè sint infatuati. Vnde et à fœdis & crassis superstitionibus ab inuocatione statuarum, & ita benè demonstrat, nos à voluptatibus fœdis ad idololatrias & superstitiones prolabi. Ait igitur, *Populus meus*, ad exaggerationem peccati & rebellationem pertinet hæc particula. *Populus meus*, quasi dicat. Ille qui à me è cunctis gentibus electus fuerat in populum peculiarem, eò iam potuit vsque perfidiæ peruenire, vt,

mè parte suo cœlesti deserto, sequatur diabolicas superstitiones? Lignũ consulat? & audiat baculum ei respondẽtem?

Commemoratione igitur huius beneficij, quòd suam fecerat hunc populum, per quandam tacitam ἀντίθεσιν inter ipsum & gentes, docet, Israelem grauiùs peccare consulendo idola, & diabolicas diuinationes sequendo, quàm faciant Gentes: nec tamen ironicè appellauit eum suum populum, sed verè, quo ad externam adoptionem. Nondum enim erat factus *Lo ammi*, nondum erat repudiatus prorsus, sed adhuc quædam symbola externa retinebat, quibus testabatur, se esse adhuc populum Dei: interim tamen vtinis crassæ in Israele superstitiones grassabantur.

Colligimus hinc grauiorem etiam esse culpam Papistarũ, quòd deserto puro Dei verbo, Ethnicas superstitiones sequũtur, quàm sit ipsarum gentium. Cur? Quoniam Papistę electi fuerunt in populum Dei peculiarem, non ita Sarraceni, & ... cem Turcæ. Et quidem adhuc aliqua ex parte dici possunt & sunt populus Dei Papistę, quoniam licèt variæ grassentur ibi superstitiones, symbola tamen populi Dei externa aliquot habent, atque imprimis Baptismum. Videmus enim infantes illorum, cùm primùm nati sunt, sacri baptismatis sigillo obsignari, id quod certè non conuenit, nisi populo Dei. Cùm igitur etiamnum aliqua ex parte sint populus Dei, grauior certè est illorum culpa, quòd colant idola, quàm sit Turcarum, qui colunt Mahomethem. Nunc tenemus, cur dixerit, *Populus meus*. Quid facit iste populus? ait.

In ligno suo postulat, seu sciscitatur, seu lignum consulit. *& baculum eius respondet ei*. Emphasin habet illud, *Baculum suum, lignum suum*: quasi dicat, non à me ei datum, sed à se inuentum. Locus iste variè exponitur.

1. Quidam inter Hebræos omninò ἀναγωγικῶς interpretantur, hoc modo. Lignũ & baculus (nam pro eodem accipiunt) erat Pseudopropheta, quoniam Israel ab illo pendabat & regebatur, sicut cęcus suo scipione seu bacillo pretentat viam: Ideóque quasi eum cõsulit bacillum, quò sit eundum, quę sit bona, firma, & tuta via. Sic etiam Israelitæ cæci suos cæcos pseudoprophetas, tàm iudicio destitutos in iis, quæ ad Deũ pertinent, quàm etiam lignum & baculus, consulebant, & illorum consilio regebantur. Hoc est, inquiunt, populus in ligno suo sciscitatur, ipsi pseudoprophetę interrogati à populo respondebant ei, sicut baculus cæco, quæ sit firma via. Et hoc est, inquiunt, baculus eius respondet ei. Sed, sicut baculus sæpè fallit cæcum, & in foueam ducit, cùm putat cæcus, se in firma esse via: sic illi fallebant populum, & in foueam, perditionis & mortis adducebant. Et hoc est, inquiunt, *spiritus fornicationum*, qui scilicet erat in pseudoprophetis, *decepit eos, & fornicati sunt à Deo suo*. Eò enim adducebatur scilicet ad idololatriam à pseudoprophetis.

2. Alij in sua propria significatione accipiunt has voces. Hieronymus, & post eum Lyranus hunc locum interpretantur de diuinatione, quã à gẽtibus acceptã etiam Israelitæ vtebantur, & quam Græci vocant ῥαβδομαντείαν, eò quòd [illegible] seu bacillo fiebat, sicut legimus apud Cic. in lib. de Diuinat. & apud Liu. & alios, augures in suis diuinationibus vsos fuisse lituo, id est, bacillo incuruo à Romulo accepto. Apud ipsum etiam Ezech. cap. 21. legimus (iuxta interpretationem Chaldæi Paraphrastæ & Hieronymi) tali ferè specie diuinationis vsum fuisse Nabuchadnezarum regem Babyloniæ, cùm voluit certior fieri, an contra Ammon, an contra Hierusolymam expeditio facienda esset. Sic igitur locum hunc Hoseæ interpretatur Hieronymus, Israelitas ad exemplum gentium præter alias superstitiones, hac etiam superstitiosa diuinationis specie, quæ per baculum consultum fiebat, vsus fuisse, & huius superstitionis hic accusari.

3. Alij simpliciter de idololatria interpretantur, sic. *Populus meus in ligno postulat seu petit*, id est, suas statuas inuocat, & petit ab eis opem: posteà ironicè subdit. *Et baculus eius respondet ei*, id est, & sua statua eum exaudit, scilicet, vt hic derideat stultitiam populi, & ostendat Propheta, quàm infatuatus sit à scortatione & ebrietate: nempe eousque vt ligna, id est, statuas omni sensu destitutas alloquatur, inuocet, opem ab eis petat, & putet, illas posse sibi respondere, & opẽ ferre. O quàm verè igitur scortatio, vinum, & mustum ei abstulerunt cor, & eum infatuarunt. Hæc simplicissima, & similis iste locus est illi Iesaiæ cap. 40. vbi eandem deridet amentiam.

4. Ego hanc postremam amplector, sed ita, vt in secundo membro cum ait, *Et baculus eius*, alludit ad baculum cæci, sicut prima habet expositio. Sic igitur interpretor, *Populus meus in ligno suo petit*, id est, suas statuas inuocat, & opem ab eis petit & de rebus futuris consulit. *Et baculus eius respondet ei*, id est, & suæ statuæ ita ei respõdent, sicut baculus cæci ab eo consultus respondet. *Quia spiritus fornicationum decepit*.

Hoc tertium membrum asseueranter & seriò pronunciandum est. Facit autem ad exaggerandum peccatum Israelitarum. Indicat enim, ita eos & fornicationi spirituali esse deditos, vt mirum non sit si eò dementiæ peruenerint, vt consulant ligna, & statuas, & tanquam cæci suos baculos.

Sensus igitur est. Ideò populus meus infatuatus consulit ligna, & opem ab eis petit, cùm tamen scilicet ei egregiè respondeant, & eum exaudiant, quia à spiritu Sathanæ qui est spiritus ad fornicationem & idololatriam impellens, agitatur, cùm iam fornicatus sit à Deo suo.

Non dixit autem, Quia spiritus Sathanæ, aut idololatriæ, sed spiritus fornicationis. Quia voluit alludere ad furorem, quo agitantur homines libidinosi, & fornicarij, quasi dicat, Sicut homo fornicarius sua libidine immensa inflammatus cæco & pudendo impetu, tanquam bruta bestia, viso suo scorto sine vllo pudore in illius amplexum ruit, destitutus omni iudicio, propter nimium suę libidinis feruorem: Sic etiã facit populus meus. Ideò priuatus omni iudicio, insanit circa suas statuas, eas amplectitur, eas inuocat, & de rebus futuris cõsulit, cùm tamen nequa ei respondere, neque opẽ ferre queant. Quia à spiritu Sathanæ ad fornicationem impellente agitatur. Et vnde hoc, vt à spiritu fornicationis agitetur? Quia fornicatus est à Deo suo. Quia recessit à Deo, & eius verbũ deseruit, eiúsque spiritu priuatus est. Hinc factum est, vt occupatus à spiritu Sathanæ, qui est fornicationis, ab eo agitetur. Fons igitur morbi & insaniæ, in ipso est populo.

Est hic locus similis illi 2. *Thessal.* 2. Et quia non receperunt dilectionem veritatis, vt salui fierent, ideò immisit ain spiritum erroris, vt credant mendacio.

Colligimus ex hoc loco, homines, cùm spreto Dei verbo, & eius spiritu destituti, ad superstitiones se conuertunt: hoc est enim fornicari à Deo: confestim abripi à spiritu Sathanæ, & ita cæco furore, & insano amore ad idola trahi: sicut scortator feruore libidinis inflammatus, ad suum scortũ pertrahitur, imò in eius cõplexum aduolat, sine pudore, sine iudicio, sine delectu, cæcus & ebrius. Exempla in Papatu sunt clara.

13. *Supra capita montium sacrificant.*

In hoc versu duo facit. 1. Explicat quid in versu præcedẽte intellexerit nomine *Fornicationis* cùm dixit, *Fornicati sunt à Deo suo*, & *spiritus fornicationis decepit*. Intelligit idololatriam: hæc est enim scortatio spiritualis. Ideò ait, *Supra capita montium sacrificant*. 2. Denunciat pœnam, quę idololatriã consequitur. Ea est spiritualis, peccatum & pœna peccati, cùm ait, *Propterea filiæ vestræ scortabuntur*.

Supra capita montium. Exemplum antiquitatis secuti Israelitæ, non in angulis, sed in altissimis montibus, & collibus statuerunt idola, & suffitum illis fecerunt, eò adducti à spiritu fornicationis.

Soliti autem erant antiqui in montibus, & collibus suis offerre sacrificia, quia in illis videbantur viciniores & propiores esse Deo, qui in cœlis habitare dicitur. Hęc etiam vna est causa, cur Deus montẽ Zionem sibi elegerit, & ibi templum esse voluerit, vt cogitarent Israelitæ, Deum in altissimis habitare, spiritu igitur in cœlum ascendendum, non in terra persistendum. Sic enim natura inditum est, vt orantes oculos ad cœlum attollant. Tenemus caussam, cur in montibus etiam Gentes sacrificarunt. Ideò & diabolus, quo melius falleret homines & persuaderet se Deum esse, qui eis appareret, solitus est in montibus maximè se transformare in angelum lucis, & apparere hominibus, & eos fallere, & iubere, vt ibi ædificarent templa sacellàque huic & illi diuo & diuæ. Maxima certè pars sacellorum, vbi miracula edita fuisse dicuntur à Maria virgine, & aliis Diuis, in montibus & collibus inter frondosas arbores sunt.

Sub quercu, populo, & tilia, sub iis arboribus, quia frondosæ, ideóque accommodatæ ad talia sacrificia & cultus, solebant suos colere Deos.

Quia bona vmbra eius, id est, densa & suauis & accommodata. Hęc particula Quia, indicat, Israelitas elegisse sibi illos montes & arbores, vt sub illis Deum colerẽt, bona & recta, vt vocant, intentione. Quia prudentia carnis iudicauit esse bonum sub illis amœnis locis, odoriferis incensis Deum colere. Et tamen Dominus hanc bonam intentionem pro pessimo malo habuit, scortationémque appellat talem cultum in illis locis: Itaque loca illa erant Deo lupanaria.

Colligimus hinc Deo displicere, tanquam maximum flagitium, quidquid sine verbo, nostra etiam bona intentione, & iudicio, ac prudentia bonum esse iudicamus.

Certè videtur humanæ prudentiæ, fuisse laudabile, quòd Israelitæ multa templa erigerent in montibus, in collibus. Quare? Quoniam hæc in iis præsertim locis altissimis poterant

poterant excitare magis homines ad Deum in cœlis colendum. Dominus tamen acriter reprehendit, & esse lupanaria pronunciat. Item laudabile exercitium illud Israelitis videbatur, & tamen est scortari. Quare? Quia sacrilegium est, discedere à verbo Domini. Verbum autem Domini iusserat, vt tantùm Hierosolymis, & ritibus à Deo institutis, sine statuis Deum colerent.

Propterea scortabuntur.

Quidam sentiunt, hic describi effecta & fructus idololatriæ, nempe scortationes, adulteria, vagas libidines. Idololatria enim libidine solet absolui, vt patet Num. 26. Primò filiæ eorum scortantur. Deinde Patres etiam (vt in sequentibus patet) cum meretricibus fornicantur. Occasionem iis malis dat idololatria publicè recepta, id est, dùm patres abeunt ad montes, vt colant idola, filiæ domi incidunt in amasios & stuprantur. 2. patres etiam in templis suas inueniunt antiquas amasias, nonnas spirituales & sic tandem.

Sed melius est, vt dicamus, Deum hîc indicare pœnam idololatriæ. Ea est, quòd idololatræ opprobriis replentur. Quibus? Infamissimis, & tam in se, & in suis liberis. Hæc opprobria sunt fœdæ & vagæ libidines. Hanc pœnam describit Paulus Rom. 1. Cur Deus hac pœna punit idololatras? Quia idololatræ, quantum ad se attinet, spoliant Deum suo honore & contumeliis afficiunt Deum, dum colunt idola. Ergò iustè contrà Deus, vt suam vlciscatur gloriam, eos replet talibus opprobriis.

Hanc igitur pœnam idololatriæ describit Hosea dicens, *Propterea filiæ vestræ*. Annon hæc magna pœna idololatris: domi habere filias scorta, vxorem meretricem, & patres ipsos etiam variis libidinibus se contaminare? Iustum igitur Dei iudicium est, cum spiritualem scortationem carnali scortatione punit, tum in ipsis parentibus idololatris, vt scilicet contumeliis afficiant corpora sua, tum in vxore, filiabus, & filiis. Et quia hæc est propria pœna idololatriæ, præsertim ipsa Sodomia, vt Paulus Rom. 1. indicat, ideò hoc vitium primo loco ponit.

Ideò colligo ergo vbi videmus grassari hæc vitia, ibi sciamus poniri spiritualem scortationem. Atqui in Papatu regnant hæc vitia. Annon igitur ex iis saltem quis concludet, papatum plenum esse spiritualibus scortationibus, & totum esse lupanar spirituale?

14. *Non visitabo super filias vestras.*

Continetur hic primò amplificatio illius pœnæ peccati, quam præcedenti versu indicauerat consequi idololatriam. Deinde continetur caussa talis pœnæ: nempe, eam esse, quia patres fornicantur à Deo.

Quod ad primum attinet, Ego, inquit, *non visitabo*. Sensus est, Non Ego volo flagellis filias vestras & nurus à suis fornicationibus & adulteriis reuocare. Quare? Quia scilicet volo, vt suis opprobriis omnibus exponantur, non tantùm in vestris personis, sed etiam in filiabus & nuribus vestris, & sic spiritualem vestram scortationem scortationibus carnalibus puniam.

At nunquid Deus iis verbis indicat, se nolle vllo modo punire adulteria & scortationes filiarum & nuruum? Nunquid vult, illa manere impunita? Annon *Hebr.* 13. Adulteros iudicabit Dominus? Resp. Non hoc ait Dominus iis verbis, sed tantùm ait, se velle iis carnalibus peccatis punire spiritualia: hoc prius velle desistere ab isto flagello genere, quod faceret, si coerceret filias, ne ampliùs scortarentur, quàm ipsi desisterent à spirituali scortatione. Quia illud principium tenendum est, quòd Deus velit peccata spiritualia carnalibus punire, vt contumeliis afficiantur idololatræ, 1 Regum 2. *Qui me honorauerit, Ego honorabo illum: Et qui me contemnunt erunt ignobiles sine, quemmeo aspiciuntur.*

Cæterum hæc, postea peccata, tam illa, quæ fuerant tantùm peccata, quàm illa, quæ fuerunt etiam pœnæ peccatorum, Deus alio pœnarum genere vlciscetur, tàm in hoc, quàm in altero seculo. Proinde, ne ideò sibi promittant impunitatem adulteri & Sodomitæ idololatræ, quia non se corrigit Dominus, sed sinit perseuerare in peccatis, imò hinc potius intelligant, sibi indies maiorem iram Dei thesaurizari, quam tandem reddet illis Dominus in die iudicii.

Colligimus hinc, illud maximum esse signum iræ Dei aduersus vrbem, vel regnum, vel hominem, cum ibi sinit grassari vitia, nec flagellis reuocat homines à peccatis. Contrà, vbi videmus, Deum frequentibus flagellis aliquem visitare, vt à peccatis reuocetur, nec sinit illum florere in peccatis, agnoscamus ibi Dei benedictionem erga talem locum vel hominem. Exempla passim occurrunt in sacris literis.

Quæ cum ita sint, quale igitur signum est, quòd Deus sinit grassari hæc horrenda vitia carnalia in Papatu? Quòd Papistæ non desistunt ab ipsa spirituali scortatione. Ob hanc enim permittit illa.

2. Nunc igitur subdit caussam, cur nolit filias visitare flagellis, & ita à fornicationibus carnalibus prohibere. *Quoniam ipsi* Israelitæ patres *cum meretricibus diuidunt.* D. K. Quoniam ipsi diuidunt vxores à maritis fornicando cum illis, nempe in montibus & sacellis. Solebant enim (sicut etiam nunc fit in Papatu) Israelitæ, cùm ibant ad sua fasta in montes, post spiritualem scortationem etiam carnaliter scortari cum aliorum vxoribus & scortis, quia solet semper spiritualis scortatio absolui & finiri carnali fornicatione, & illa hanc secum trahit comitem. Quia igitur ipsi scortabantur in montibus, etiam Deus efficiebat, vt domi scortarentur illorum filiæ.

2. R. Ioseph à *Peredh*, quod est mulus, deducit, & quia inter animalia bruta nullum est, quod adulteretur, nisi mulus, ideò pro adulteriis interpretatur. Quoniam igitur ipsi cum meretricibus adulterantur, ideò non visitabo filias.

3. A Ezra ait, verbum hoc significare studio atque consultò ad suam quemque meretricem & scortulam, ac nonnam sese adiicere, & separare è consortio aliorum. Quia igitur Israelitæ post scortationem spiritualem solebant se separare alius ab alio ad suam scortulam & nonnam & cum ea carnaliter scortari, ideò ait, Non visitabo filias vestras, id est, scilicet puniam adulteria patrum etiam in filiabus.

4. Cæterùm alia probabilior est, vt hîc loquatur de spirituali fornicatione, qua Israelitæ se separabant à Deo, & coniungebant se cum meretricibus & scortis spiritualibus, variis scilicet superstitionibus, & impudicissimis cultibus. In illud *Paradh* enim diuortium facere à Deo, sed illæ voces, Meretrices & Scorta, allegoricè accipiuntur pro variis & impudicissimis superstitionibus. Hic sensus fuit, quæ etiam est redditio caussæ, cur in suis familiis, filiabus, & nuribus Dominus velit Israelitas visitare, & probrosos reddere. Quare? Quia ipsi prius scortati sunt spiritualiter, & diuortium fecerunt à Deo, variis superstitionibus, tanquam meretricibus amplexis.

5. Ego verò quia ait *Cum scortis sacrificant*, de vtraque scortatione loqui existimo, & vtramque caussam esse, cur Deus velit eos probrosos reddere in suis familiis. Primum enim membrum allegoricè accipio, alterum verò propriè, vt talis sensus sit. Quia ipsi tùm spiritualem fornicationem exercere, cùm scilicet se diuidunt à Deo variis superstitionibus tanquam meretricibus amplecti, idolisque sacrificat, tùm etiam carnalem, vnà cum suis scortis, simul enim offerebant sacrificia idolis, postea simul scortabantur. Itemdò, &c. Sic omnes interpretationes complectimur. Ait autem in tertia persona, Quia ista scilicet Israelitæ quos alloquebatur, vt indicet, se non dignari illos suo sermone.

Et populus non intelligens corruet.

Pertinet hæc particula ad diluendam vnam exceptionem. Ideò est tacita occupatio. Potuissent excipere Hypocritæ, At cur Deus tàm acriter vult punire hunc populum, quòd sacrificet in montibus, cùm id faciant animo recto, & vt gratificentur Deo? Si enim malè faciunt, certè ex ignorantia id proficiscitur. Solent hoc confugere omnes hypocritæ, putabam me benè facere, errore & ignorantia, nō malitia peccaui. Respondet igitur Propheta, ignorantia hæc nullius est momenti coram Deo, neque excusat à peccato, neque absoluit à pœna. *Populus*, inquit, *non intelligens*, id est, in quo non est intelligentia & cognitio Dei, vt supra dixit, *corruet*, punietur, perdetur. Cæterùm, vt antè notauimus, duplex est ignorantia, simplex & affectata, seu inuoluntaria & voluntaria. Quidam sunt non intelligentes, quia nō potuerunt vnquam intelligere nec doceri. Neque ii excusantur, de iis etiam intelligitur, *Populus non intelligens corruet*, de iis illud, *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt.*

Sunt deinde, qui non intelligunt, quia cum potuerint intelligere, noluerunt. De quibus Ps. 36. *Noluit intelligere vt bene ageret.* Tales erant permulti inter Israelitas, imò maior pars. Suprà vidimus, quod nolebant corrigi, nolebant admoneri, versu 4. Cæterum ne quis arguat, ne quis obiurget. Erant igitur non intelligentes. Sed cur? Quia sponte clauserunt oculos ad vocem Dei. His maximè ait, *Populus non intelligens corruet.*

Addo tertium genus eorum, qui prius intellexerunt, posteà quia veritatem in iniustitia detinebant, excæcati sunt & traditi in sensum reprobum, vt dicant bonum malum. Id genus hominum omninò desperatum est, ideo corruant & pereant, necesse est. Tales fuisse plerosque inter Israelitas, non dubito. Ergo populus non intelligens quicunque ille sit, corruet.

Consequens igitur est, vt è verbo Dei discamus esse intel-

ligentes, & agnitam veritatem firmiter retineamus, non in iniustitia, sed in obedientia, sanctáque vita.

15. Si scortaris tu Israel.

Secunda pars. Quandoquidem videt, Israelem factum esse impudentissimum scortum & præfractum, de cuius salute nulla videtur esse spes, admonet Iehudam sororem eius, ne saltem ipsa velit peccare, & imitari sororem suam Israelem in pertinacia. Sed hæc admonitio tacitam habet annexam conquestionem & reprehensionem. Nam etiam ipsa Iehuda infecta erat superstitionibus, sed non ita, vt Israel. Retinebat enim purum verbum, templum, sacerdotium. Dum igitur eã admonet, ne imitetur Israelem, tacitè eã reprehendit, quòd & ipsa infecta sit superstitionibus & aliquando veniat ad templa Israelitarum, in Bethel, & impia cùm sit, iurare tamẽ audeat *Viuit* Iehouah. *Si scortaris Tu Israel*, id est, etiamsi Tu Israel, omni proiecto pudore, tanquam impudentissimum scortum pertinaciter pergis scortari, ah saltem ne Iehuda scortetur!

Hoc modo loquendi in tertia persona de Iehuda, indicat, Iehudam etiã, licèt purior esset Israele: ipsam tamen etiam scortationibus pollutam fuisse. Ideóq. hoc deplorat dicens: *Saltem ne offendat Iehuda*, & simul à peccato dehortatur.

Quia non ait, Si scortantur Gentes, saltem ne scortetur Iuda, sed ait, Si scortatur Israel, indicat, Iehudam fuisse pollutionibus Israeliticis infectam propter viciniam, & propter eandem viciniam periculum imminere, ne magis ac magis inficiatur Iuda: Proinde admonet, sibi bene caueat ab Israelitis, ne illorum consortio ipsa quoque magis inficiatur.

Admonitio hæc obseruanda est. Conclusio est, Non esse filiis Dei & purioris religionis hominibus versandum inter Papistas & impuros homines. Quare? ne & ipsi ex illorum consortio inficiantur variis corruptelis: Est. n. impossibile, versari in pistrino & non aspergi aliqua farina cum ipsis molitoribus. Ita ferè impossibile est, versari inter impios idololatras, & intactos manere ab omni pollutione. Si propter viciniam infecti fuêre Iehudæi, & ideò Propheta eos admonet propter eandem viciniam, vt sibi caueant. Quid contigisset, quidve dixisset Propheta, si in eadem fuissent vrbe & Israelitæ idololatræ, & Iehudæi? Sunt ergo fugiendi mali vicini.

Et ne veniatis in Gilgal, ne ascendatis Bethauen.

Hic apertè duo prohibet Iehudę, ne faciat. Et dum prohibet, tacitè reprehendit, quòd ea faciat. Obiter verò designat superstitiones, quibus Israelitæ vitiarant Dei cultum. Quæ erant? 1. quod erexerunt tẽpla in Gilgal & in Bethel, vbi fingebant, se Deum colere. 2. quod cùm essẽt idololatrę & impii, tamen iurabant per nomen Dei, h. e. cultum Dei miscebant cum cultu dæmoniorum. Quo ad primum, ait, *Ne veniatis Gilgal*. Cur prohibet, ne veniant ad loca hæc celeberrima? Resp. 1. Gilgal locus fuit celeberrimus Israelitis & Iehudæis, quoniam Iehudæi postquam traiecerunt Iordanem siccis pedibus, ibi collocarũt 12. lapides ex Iordane acceptos in perpetuam miraculi memoriam. Ios. 4. Deinde ibidem renouata fuit circumcisio, vt est Ios. 5. Locus igitur ille honorificum semper nomẽ deinceps retinuit, & in magna fuit apud omnes Israelitas reuerentia, verũ sacer iste locus profanatus posteà fuit à Iarobeamo. Quomodo? Quia ibi ædificauit altaria contra verbum Dei, & eò facilior fuit profanatio, quò locus erat celebris, & apud omnes sacer omniúmq. animos illius loci reuerentia occuparat: quia enim videbat Iarobeam, opinionem apud omnes inualuisse locum illum esse sacrum & sanctum, propter mirabilem traiectum populi & lapides ibi positos: iccirco iudicauit, faciliùs posse eò deduci Israelitas ad colendum Deum, quàm aliò. Ibi igitur ædificauit altaria, & cultum superstitiosum obtrusit populo faciliùs.

Ita etiam de Bethel, qui antè Luza dicebatur Gen. 28. postquã Deus apparuit Iacob patriarchę in eo loco, vocauit eum Iacob Bethel. *Terribilis est iste locus*, inquit, *hic est domus Dei, & porta cœli, & ibi sacrificauit Domino*. Ob illud igitur factũ Iacobi, locus ille fuit in magna reuerentia apud omnes, & quoniam ibi sacrificium obtulerat Iacob, putârunt non fore ingratum Deo, si ibi ipsi quoque offerrent. Non enim spectabant præceptum Dei, sed exemplum Iacob. Iarobeam itaque hoc cernens, instituit etiam in Bethel altare. At quoniam hoc fuit contra verbum Dei, ideò loci illi fuerunt à Iarobeamo profanati.

Nunc igitur Propheta videns, vna ex parte loca esse profanata, quia ibi altaria contra verbum Dei, ex altera parte populos detineri locorum reuerentia, propter exempla patrum, quæ spectabant magis, quàm præceptum Dei. Ideò acriter in hæc duo loca inuehitur, & prohibet, ne eò veniant Iehudæi: & quidem, quò magis deterreat eos ab accessu ad talia loca, vocat Bethel non Bethanẽ quod est nomẽ honorificum, & significat domũ Dei, sed Bethauen, id est, domum iniquitatis. Laudem autem in vituperium mutando, docet Propheta, locum esse prophanatum, mutatúmque in obsequium diaboli, & iniquitatis. Ergo non esse eò accedendum. Dum autem dehortatur à Gilgal & Bethauen, tacitè hortatur ad templum, quod erat Hierosolymæ iuxta præceptum Dei.

Obseruandum hoc in loco. 1. Non esse exempla patrum etiam sanctissimorum nobis preponẽda ad imitandum, sed verbum Dei, alioqui facilè labemur in multa absurda cõtra verbum Dei. Exemplum habemus Israelitarum de Bethel. Proinde cùm Papistæ vrgent, se sequi exempla patrum, cùm faciunt contra verbum Dei, friuola est illorum excusatio. Verbi gratia, reprehenduntur, quòd ceremoniis illis & vestimentis vtantur in Missa. Respondent, imitamur sanctos patres Veteris Testamenti, annon licet nobis eos imitari? maximè. In iis, quæ sunt consentanea verbo Dei. At istud est contra verbum Euangelij. Sic faciebant Israelitæ. Annon licet offerre sacrificia in Bethel, vbi etiam Iacob obtulit? At vos contra verbum Dei offertis, non Iacob. Licuit enim Iacobo, sed non vobis. Vobis enim præscripsit Dominus locũ. Factum igitur Iacobi noluit esse perpetuum, aut regulam cultus, sed verbum Dei.

Obseruandum secundo loco, res bonas abusu fieri malas & illicitas. Ex Bethel est facta Bethauen, propter abusum. Sic Missa è sacra cœna & mensa Domini, facta est mensa dæmoniorum. Si igitur Propheta vocauit Bethel Bethauẽ, propter altare ibi additum, & cultum ibi institutum contra verbum Domini. Cur Papistæ nobis irascuntur, quia dicimus, Missam esse mensam dæmoniorum, cùm apertè ibi multa sint instituta contra verbum Domini? Non ergo eundum in Bethel, quia non est ampliùs Bethel, sed Bethauen. Sic de Missa dicendum est.

At quidam aiunt, Non imus ad Missam, quasi probemus abusus additos, sed propter primam institutionem. Resp. Ita etiam Israelitæ & Iehudæi potuissent se excusare. At Propheta vrget, dicens, *Ne eatis in Bethauen*. Non est hic opus disputationibus, in re apertè impia fugienda est idololatria.

Ne iuretis.

Cur vetat iuramentum? Non prohibet piis, sed impiis. Non vult enim Deus ab impiis nomen suum vsurpari, nec iurari in suo nomine, *Deuter.* 10. Dominum Deum time, illi seruias, ei adhęreas, & in nomine eius iures. 1. Iubet, nos esse pios. 2. Tum licet iurare. Non vult Deus, suum nomen misceri cum idolis. *Soph.* 1. Perdam eos, qui iurant in Deo viuo, & iurant in rege suo. 2. *Cor.* 6. Quæ conuentio Christi ad Belial. *Ezech.* 20. Ite, colite idola vestra. Ego repudio omnes cultus vestros.

Deseruit potus eorum, id est, illorum ebrietas nimium fœtet. Potum intelligit licentiam effrenam peccandi, & ebrietatem spiritualem, i. amorem cultus idolorum. Alludit ad ebriosos homines, qui cùm sunt repleti vino, illud eructant, & fœtorem emittunt, ita vt non eos pudeat tanti fœtoris. Sed intelligit, Israëlitas vsque adeò deditos esse idololatriæ, vt non eos pudeat videri esse idololatras, sed sine pudore exhalant suam impietatem, verbis & factis nimis impudentibus. Sensus igitur est, nulla est in populo mediocritas peccandi.

ANALYSIS QVARTI CAPITIS.

1. Audite verbum Domini.

1\. IVbentur Israelitę à Propheta, tanquam à Dei pręcone, audire verbum Domini. Indicat ergo, tum filios Israël ad verba, & admonitiones Prophetæ obduruisse, tum se aliquid graue aduersùs Israelitas, non suo, sed Dei nomine, dicturum.

2\. Dum illos compellat honorifico & antiquo nomine, nimirum filios Israël, refricat illis memoriam fœderis, quod Dominus cum Israële, & eius filiis pepegerat. Obliquè igitur illos incipit perstringere, quòd, cùm essent filij Israël, perbellè tamen scilicet fœdus Dei seruarint.

3\. Citantur Israëlitę ante tribunal Dei, dum illis ait. *Lis est Domino cum habitatoribus huius terræ*. Solẽt autem Prophetæ talibus vti citationibus, cùm vident, se apud contumacem populum diu clamando nihil proficere. Indicat ergo,

se com

se cum Israelitis diu quidem verbis egisse, vt resipiscerent, sed ab eis contemptum ac derisum nihil clamando profecisse. Posthac igitur non cum Prophetis, sed cum Deo negotium illis fore.

4. Bifariam autem litigat Dominus cum hominibus, verbis, & factis. Verbis quidē, cū eos de suis peccatis, per Prophetas altercando, conuincit. Factis verò, cum idem in conscientiis per flagella tam interna, quàm externa efficit.

5. Cæterum quia mundus, cum id per Prophetas fit verbis, putat, sibi litem seu negotium esse nō cum Deo, sed cum hominibus: idcirco peculiariter dicitur Deus litigare, cum id facit reali contentione, seu flagellis & pœnis.

6. Cum itaque præmonentur Israelitæ, quòd Deus velit cum illis litigare, præmonentur, quòd Dominus nolit amplius cum eis per Prophetas verbis rixari, sed reali contentione, finem rixæ tandem imponere.

7. Qui litem alicui intendit, aduersarius est ei, cui litem intendit, in ea caussa de qua lis intenditur. Cum igitur Propheta dicit, litem esse Deo cum habitatoribus illius terræ, admonentur Israelitæ, vt cogitent, sibi non cum Propheta, sed cum Deo aduersario esse negotium, ideò sibi diligenter caueant.

8. Quia Deus nemini iniustè litem intendit, intendit autem litem Israelitis: sciant igitur Israelitæ, se malam habere caussam, reósque esse in contractu Domini: ac proinde ne rideant Prophetarum reprehensiones.

9. Præmonētur Israelitæ à Propheta, quòd Dominus velit cum eis litigare: nempe nisi maturè cum illo reconciliētur. Tacitè ergo hortatur illos ad amicabilem compositionem seu reconciliationem cum Deo, & ne exspectent dūm Deus summo iure cum illis agat.

10. Cum enim non dicat, Iudiciū, sed Lis est Domino cū habitatoribus terræ, indicat, spem adhuc esse veniæ. Vt igitur sua resipiscentia præueniant Dei vindictā, tacitè admonet.

11. Quia autem, quoties Deus minatur suum etiam iudicium ipsis filiis, indicat se nolle ipsos condemnare, quia ideò minatur, vt resipiscamus, & resipiscentia nostra euitemus iudicia sua.

12. Appellantur hic Israelitæ, Habitatores illius terræ scilicet Chenaan, quam promiserat Deus illorum patribus. Oblique igitur perstringuntur ingratitudinis, & violati fœderis. quòd, cum assecuti sint promissiones Dei, ipsi tamen vicissim fidem Deo datam non seruarint.

13. Quoniam non est, inquit, inter eos veritas, beneficentia, & cognitio Dei, sed mentiri tantùm, occidere. Iustam igitur caussam habet Deus litem Israelitis, vtpote totius fœderis violatoribus, intendendi.

14. Cùm enim primùm ait, *Quoniam non est veritas, non est beneficentia in terra*, eamde in altero versu contraria & veritati, & beneficentiæ officia subdit, indicat, Israelitas nō solum non præstitisse ea erga proximum officia, quæ promiserunt, quæque secunda tabula continentur, sed etiam contra ea omnia officia prorsus fecisse.

Cum verò ait, *Non est cognitio Dei in terra*, tum, quasi digito, demonstrat quis reliquorum peccatorum omnium fons in Israelitis fuerit: nempe ignorantia Dei, tum simul etiam illos accusat violatæ totius primæ tabulæ de colendo Deo, quoniam tantum abest, vt coluerint Deum, vt neque verè illum cognoscant.

16 Etsi verò synecdochicè hinc conuincere voluit Israelitas totam legem transgressos fuisse, & totum fœdus violasse: non abs re tamen id in genere nō dixit, sed ad specialia quædam peccata descendit, nimirum, vt indicaret, quænam peculiariter vitia in terra Israelitarum grassarentur.

17. *Quoniam non est*, inquit, *veritas in terra*. Veritas accipitur hic ἀλήθεια & ἐμουνάh pro candore in dictis & factis, próq. fide, seu fidelitate, quæ à Cicerone sic definitur, *quòd sit dictorum conuentorumque constantia & veritas*. Indicat igitur, ita exulasse à terra Israelis omnem veritatem, cādorem, & fidem, & huius loco regnasse mendacium, simulationem, & fraudem, vt instar vulpiū, nihil agerent Israelitæ veraciter, cādide, fideliter, sed omnia simulatè & fraudulēter.

18. *Non est beneficentia*. *Chesedh* & misericordiam, & beneficentiam significat, quorum vnum effectum est charitatis internum, alterum verò externum. Exulabat igitur omnis *Chesedh* tam externa, quàm interna, & huius loco crudelitas regnabat, vt, instar, ferarum, nullo misericordiæ & humanitatis affectu erga proximum afficerentur, sed quisque in proximum crudelissimus erat.

9. *Non est cognitio Dei in terra*. Hoc nomine venit vera solidáque Dei, ex verbo per Spiritum sanctum cognitio, quæ cum timore Dei, veráque in Deum & Christum fide, ac dilectione coniuncta est. Accusantur igitur Israelitæ contemptus Dei, impietatis, & peruicaciæ in peccatis.

20. Illi enim propriè in scripturis dicuntur ignorare, & nō cognoscere Deum, qui ita licentiosè & pertinaciter pergunt peccare: perinde, ac si putent, nullum in cœlo Deum esse, quoniam, in quibus aliqua Dei notitia residet, eos à peccando Dei timor cohibet.

21. Et quidem sicut fons omnis pietatis est vera & solida Dei notitia, ita radix omnium scelerum est Dei ignorantia.

22. Non ait, Quia non est veritas in vobis, sed in terra. Indicat igitur, hanc totius legis Dei contemptum & Dei ignorantiam, passim in omni terra Israelitarum regnasse, & vbique locorum in Israel tantùm licentiæ cuique fuisse in peccando, vt tota terra repleta esset contemptu Dei, & sceleribus omne genus.

II. *Exsecrari*, &c.

1. *Exsecrari*, mentiri, scilicet in terra Israel grassantur. Ergò passim alter alteri verbis contumeliosis mala diuersa imprecabatur.

2. *Mentiri*. Vulgare igitur vitium erat Israelitis, vt non esset veritas in ore eorum.

3. *Occidere*. Ergò passim ipsa etiam homicidia grassabantur in terra Israel.

4. *Furari*. Nomine furti venit omnis iniusta rerum alienarum vsurpatio. Vulgò igitur studebatur auaritiæ, rapinis, lucrísque iniustis.

5. *Adulterari*. Passim igitur admittebantur in Israele adulteria, fornicationes, incestus, & alia id genus peccata.

6. Perruperūt, omnia scilicet repagula & vincula, quibus arceri solent homines à peccatis. Repagula autem hæc sunt timor Dei, metus pœnæ, aliquis pudor & verecundia, & denique quidquid hominē retinet, ne se in peccata proiiciat. Ergo Israelitæ, adque passim, ruptis omnibus repagulis, abiecto omni timore Dei, posito omni metu pœnæ, sine vllo pudore, ad omne genus scelera se proiecerunt.

7. Et sanguines in sanguines pertigerūt. Sāguines in scripturis sæpe capiuntur pro sceleribus maximis, vtpote dignis, quæ puniantur sanguine, vt homicidia, oppressiones pauperum, & alia id genus scelera. Sanguines tāgere, est, peccata peccatis accumulare, sicut etiam patres interpretati sunt, vt Gregorius in Tom. 2. in Ezechielem, li. 2. hom. 11. & in epist. 125. Fuerūt igitur Israelitæ prorsus perditi, & extremo exitio proximi, quoniam vbique locorum in Israel cumulus grauissimorum scelerum quotidie magis ac magis augebatur.

8. Etsi verò Israelitæ non minùs in primam, quàm in secundam tabulam peccabant: Propheta tamen in amplificatione peccatorum contra secundam tabulam versatus est, quoniam ea & notiora erant, vt externa facta, quam interna, impietas, & minus negari poterat esse peccata, quàm superstitiones, quæ sub nomine cultus diuini institutæ erant, & defendebantur. Ergo interna hypocritarum impietas per externa ipsorum peccata in lucem est proferenda, & per ea, quæ negari non possunt esse peccata, conuincendi sunt, eam quoque quam iactant fidem, esse inanem.

9. Summa. Deus sua præstitit promissa Israelitis. Introduxit enim in terram, cuius iam sunt inhabitatores. Israelitæ verò suis non steterunt promissis. In vtramque enim tabulam fœderis grauissimè & pertinaciter peccant. Ergo iustam habet caussam Deus Israelitis litem, nisi maturè resipiscant, intendendi.

3 *Propterea*.

1. *Propterea, id est, quia in terra Israel non est veritas, non est beneficentia, sed grassantur tantum omne genus scelera, ideo lugebit terra*. Peccata igitur caussa fuerunt desolationis & luctus ipsius terræ.

2. Luxit igitur terra Israel, & lāguerunt omnes eius incolæ. 1. Cùm per Tiglathpilesser tres tribus sunt abductæ. Tūc enim reliqui & luxerunt, & languerunt. 2. Multò magis cū reliqui omnes fuerūt partim occisi, partim abducti. Omnes autem è terra illa fugati. Tunc enim terra ipsa desolata, ceu vidua, luxisse visa est, & qui antea in ea inhabitabant, posteà in exilio maximis calamitatibus pressi elanguerunt.

3. Bruta etiam animalibus, & volucribus cœli, & piscibus maris, quæ in vsum & commodum suum Israelitis fuerant concessa, spoliaturum se ait terram illam propter peccata Israelis. Ergò, sicut harum rerum copia testimonium est benedictionis diuinæ, ita earum priuatio argumentum est iræ Dei, & sicut non propter se, sed in hominis commodum conceduntur: ita etiam non propter se, sed in pœnam hominis auferuntur.

4. *Interea tamen quispiam ne obiurget & ne arguat quispiā* hunc scilicet populum, &, quia etiam *populus tuus*, ô Domine, *vere contendentes sunt cum sacerdote*.

1. Etsi populus erat extremè sceleratus: interea tamen nolebat obiurgari, neque vllas poterat ferre admonitiones. Ergo prorsus erat perditus, & incurabilis.

2. Sicut enim ægrotus tùc prorsus desperatus esse dignoscitur,cum nullum vult audire consilium, sed omnia repudiat remedia: sic homo vel populus desperatæ malitiæ esse prorsùs agnoscitur,cùm licet in peccatis sit immersus, nullam tamen vult aut potest ferre admonitionem.

3. Non solùm nolebat argui populus Israeliticus,sed etiã admonitus contra admonitores petulanter insurgebat,eos cõuitiis impetebat sua errata defendebat, atque cum eis litigabat. Ergò erat planè phreneticus,&omnioò desperatus.

4. Si enim ægrotus tunc planè phreneticus esse dignoscitur,cùm non solùm non vult audire medicorum cõsilia, sed etiam cum illis vult disputare,& contendere, se nullo, sicut illi putant,morbo laborare:Ita certè peccator phreneticum se esse demonstrat cùm non solum non vult admonitiones audire,sed etiam sui iustificandi caussa cum illis sacerdotibus,quatenus ex verbo Dei arguunt, disputat, rixatur,contendit,& carpere illos conatur.

5. Sacerdotis autem nomine veniunt hic omnes illi,qui rem verè sacrã,id est verbum Domini,ex vocatione Dei legitima,administrant. Ergò qui verbum Domini non administrant,sacerdotes Domini minimè appellari possunt.

6. Ac proinde imprudenter hoc loco abutuntur Papistæ sacerdotes , ad suam suique Pontificis tyrannidem stabiliendam,quasi nemini liceat cum illis contendere,sed simpliciter sint ipsi audiendi.

7. Neque enim illicitum est,simpliciter eum sacerdotibus contendere(vt exempla Prophetarum,Christi & Apostolorum probant,) sed tantùm eatenus,quatenus officium veri sacerdotis facientes ex verbo Domini docent, & arguunt.

8. Vnde ideò etiam damnantur in scripturis,qui cum sacerdotibus ex verbo Domini docentibus & arguentibus rixantur, quoniam cum Deo, qui per tales sacerdotes docet & arguit, rixantur,iuxta illud Christi. *Qui vos spernit, me spernit. Et qui spernit me spernit eum, qui misit me.*

9. Atqui Papisticis sacerdotibus non resistimus,quatenus docent aliquid ex verbo Dei,sed quatenus præter & contra verbum Dei docent,arguunt,& condemnant. Contrà verò ipsi nobiscum litigant quatenus ex verbo Domini conuincimus eos defectionis à Christo.

10. Tantùm igitur abest,vt Pontificij sacerdotes sint illi veri Domini sacerdotes,cum quibus non licet rixari,vt potiùs ipsi sint populus desperatus,qui à nobis per verbum Domini reprehensus & conuictus,pergit tamen rixari, & suas idololatrias tueri.

11. Est autem extremæ desperatæque malitiæ argumentum,non solùm nolle correctiones ex verbo Domini factas audire, sed etiam doctores ex verbo Domini docentes & arguentes impugnare. Desperatæ igitur malitiæ sint Papistæ,qui hæc faciunt,necesse est.

5. *Igitur corrues interdiu,& corruet etiam Propheta tecum sicut in nocte,& abolebo matrem tuam.*

1. Israelitæ cæci contenti suis cæcis & adulatoribus Prophetis,noluerunt à veris videntibus Prophetis,scilicet & sacerdotibus Domini admoneri,in viam Domini dirigi,oblatúmque lumen recipere. Iusta igitur pœna illis denunciatur, quòd scilicet ipsi cum suis Prophetis ita corruent interdiu : perinde,ac si inter densissimas noctis tenebras sine lumine incedant.

2. Æquum enim est, vt, qui repudiato lumine , & benè oculato doctore reiecto, vult cæcus à cæco duci, vnà cum suo ductore in foueã(sicut etiam Christus docuit)corruat.

3. Quia verò simpliciter ait, *Corrues*, Ideò & de spirituali, & de corporali casu intelligi potest hic locus. De spirituali quidem sic. Quia Tu ô Israel,respuis lumen verbi Dei, contentus tuis cæcis & adulatoribus Prophetis,ideo, tanquam cæcus ductus à cæco,in varios & nouos quotidie errores & peccata,vnà cum tuo Propheta corrues, *In die* seu interdiu, id est,etiam tùm,cùm sol & lux Euangelij totum orbem illustrabit, *Sicut in nocte*, id est, perinde,ac si in obscurissima verseris nocte. De corporali verò casu sic. *Corrues* scilicet in manus hostium, & Propheta tecum cadet , id est , in idem trahetur exitium. *Interdiu*, id est,rebus tuis adhuc integris & regno adhuc florente,quasi sole adhuc splendente. *Sicut nocte*, id est, sicut illi, qui inter densissimas noctis tenebras ambulantes,impingere,& cadere solent, id est, non poteris te defendere.

4. Nomine Matris intelligit Ecclesiam , seu, titulum & nomen Ecclesiæ. Ergò *Abolebo matrem tuam*, est, titulum etiam sacrum,& nomen Ecclesiæ honorificum,quo gloriari soles, tanquam fumum,in nihilum redigam , ne amplius possis nomen iactare Ecclesiæ & sub hoc titulo tua tegere scelera.

5. Refertur autem hoc etiam verbum *Abolebo* ad illam particulam Illatiuam, quæ est in principio versus *Igitur*, id est, Quia non vis argui,sed reiicis verbum Dei,igitur abolebo etiam matrem tuam,id est,Ecclesiam. Ergò vbi reiicitur verbum Dei,ibi aboletur Ecclesia,& vbi penitus est reiectum,ibi penitus abolita est Ecclesia.

Summa. Hęc est iusta eorum,qui lumine Euangelij repudiato à cęcis volunt duci,pœna,nimirum vt corruant, primum quidem spiritualiter in nouos , diuersósque quotidie errores & peccata , deinde corporaliter in varias calamitates & in manus hostium,titulo etiam Ecclesię amisso,postremò in foueam æternæ mortis.

6. *Perierunt populus meus à non scientia* (.i. eò,quòd fuit sine scientia.) *Quia tu scientiam repulisti, Ego etiam repellam te ne sacerdotio fungaris mihi,& quia oblitus es Dei tui,obliuiscar & Ego filiorum tuorum.*

1. Verbum pereundi tàm ad spiritualem, quàm ad carnalem & politicã mortem refertur. Nomine verò populi tàm sacerdotes & Magistratus,quàm reliqua plebs, id est, totus populus, seu totum populi Israelitici corpus complectitur. Nomine autem scientiæ veram Dei, diuinæque voluntatis è scripturis cognitionem intelligit.

2. Pronunciat autem Deus, ideò populum suum perijsse, quoniam destitutus fuit scientia & cognitione:nempe Dei, diuinæque voluntatis. Ergò in vera solidáque Dei cognitione sita est hominis vita,iuxta illud etiam Christi, *Hæc est vita æterna,vt cognoscant te solum verum Deum.*

3. Sicut enim aliquis dicitur corporaliter mortuus,quia est sine anima viuificãte, ita spiritualiter quis dicitur mortuus, quia est sine scientia Dei veram vitam adferente & conseruante.

4. Porrò non simpliciter ait, *Populus perijt*,sed , *Populus meus*. Indicat ergo,Israelitas legem & verbum Domini,vnde scientiam,si voluissent, haurire potuissent habuisse.

5. In hoc enim differt populus Dei Israeliticus à gentibus, quod gentes legem scriptam non acceperunt, Israelitæ verò legem acceperunt,& concredita fuerunt illis eloquia Dei.

6. Ac proinde indicat , populum non destitutum fuisse scientia,sicut gentes,quæ legem non habuerunt , sed ideò destitutum fuisse scientia,quia,cùm legem haberet, legis vsum neglexit,& cum à Prophetis admoneretur,eorum admonitiones contemsit,ac proinde perijsse, quoniam perire voluit.

7. Sacerdotem in Israele alloquitur Dominus , dicens, *Quia tu repulisti scientiam,Ego etiam repellam te,ne sacerdotio fungaris mihi.* Ergò volebant illi sacerdotes retinere sacerdotium, sacerdotijque dignitatem & opes, sed officium sacerdotis, quod est scientiam diuinarum scripturarum & tenere,& populos docere,negligebant.

8. Cùm enim ait, *Repulisti scientiã*, de scientia, quæ propria est sacerdotis,loquitur. Ea autem est cum officio prędicandi coniuncta,quoniam ideò apud sacerdotes talem thesaurum scientiæ deponit Dominus vt toti Ecclesiæ per prędicationem communicetur,iuxta illud Malach.2. *Labia sacerdotum custodient scientiam, & legem requirent de ore eius.*

9. Repelluntur sacerdotes à sacerdotio , quoniam & ipsi repellunt scientiam,officiúmque docendi verbum Dei. Ergò inseparabilia sunt,sacerdotium,& scientia sacerdotalis, seu munus docendi verbum Dei.

10. Ac proinde iuxta hunc Prophetæ locum vbi non est scientia sacerdotalis,seu,vbi non docetur verbum Dei, ibi non est sacerdotium, & vbi non est sacerdotium ibi non est Ecclesia. Contrà verò,vbi est scientia sacerdotalis, ibi est sacerdotium,atque ideò & Ecclesia.

11. Cùm,de sententia Dei,non possit esse sacerdos absque scientia, sed, quicunque scientiam repellit, statim repellitur à Deo , ne sit sibi sacerdos. Ergo ad sacerdotium demonstrandum,non est obtrudenda Episcoporum successio, aut Ecclesiastica hierarchia,sed scientia sacerdotalis in medium est proferenda. Ac proinde Papistę pueriliter faciunt, cùm sacerdotium sine scientia iactant.

12. Non simpliciter ait, *Repelleris*, sed, *Repellam ego te*. Neque simpliciter ait, *Ne sacerdotio fungaris*, sed , *Ne fungaris mihi*. Indicat ergo sacerdotes qui repellunt scientiam , etiamsi non repellantur ab hominibus , ne sacerdotio fungantur extrinsecus in Ecclesia:repelli tamen à Deo , ne sacerdotio fungantur Deo, id est , nec tales coram Deo esse sacerdotes,nec illorum functionem gratam esse Deo.

13. Apostrophe à sacerdotibus ad vniuersum populum facta,sic ait Dominus, *Quia oblitus es legis Dei tui.* Ergo Israelitæ ita defecerant à fide fœderis, & neglexerant legem Dei,vt etiam obliti fuerint, quid Deo deberent, sicut etiam Papistæ ita Christianam religionem neglexerunt,vt etiam obliti sint, quid ea sit,quibúsve in rebus sit posita, obliuio hæc ingnem contemtum demonstrat,

14. Non simpliciter ait, *Dei*, sed, *Dei sui*. Non igitur damnamur, si leges aliorum Deorum, & Cæsarum non teneamus, sed si obliuiscamur legis Dei nostri, id est, illius, qui se totum nobis donauit, & qui factus est nobis bonorum omnium cornucopia.

15. Cùm ait, *Obliuiscar & Ego filiorum tuorum*, ἀνθρωποπαθῶς indicat, quoniam Israelitæ neglexerunt legem Dei, se quoque ipsos, & eorum filios neglecturum, perinde ac si totius fœderis penitus sit oblitus.

16. Etsi enim non dicat, *Obliuiscar & ego tui*, sed *filiorum tuorum*: ipsos tamen etiam parentes synecdochice complectitur, quoniam si propter parentum impietatem filios quoque se reiecturum dicat, multò magis ipsos parentes reiiciebat.

17. His igitur verbis indicat, quoniam ipsi Israelitæ violarunt fœdus cum Deo, se quoque non seruaturum cum eis fœdus, quo promiserat, se fore non tantùm illorum, sed etiam eorundem filiorum Deum. Se igitur parentes, quia defecerunt à fide fœderis, reiicere à fœdere. Filios verò ipsorum quia filij adulterini, nolle censere in fœdere.

18. Non simpliciter ait, *Ego obliuiscar filiorum tuorum*, sed ait, *Quia tu oblitus es legis Dei tui. Ego etiam obliuiscar filiorum tuorum*. Nec ait, *Ego oblitus sum*, sed de Israelitis ait in præterito, *Tu oblitus es*. De se verò, in futuro. *Obliuiscar & Ego*. Indicat igitur, se non citiùs obliuisci nostri, quàm nos obliuiscamur Dei, & ita ideò Deum obliuisci nostri, quia nos priùs obliuiscimur Dei.

7. Secundùm quod multiplicarunt.

1. Secundùm quod multiplicantur Israelitæ à Deo, non solum in hominum numero, sed etiam in potentia, diuitiis & aliis Dei benedictionibus: sic ipsi contra Deum multiplicarunt peccata. Accusantur igitur hic ingratitudinis & abusus beneficiorum Dei, quòd, quò benignius & liberaliùs eos tractauit Dominus, eò maiorem ipsi licentiam peccandi sibi concesserunt.

2. Non ait, secundùm quod multiplicabant se, sed, secundùm quod multiplicabantur: nempe à Deo. Indicat igitur, multiplicationem beneficiorum Israelitis fuisse non à seipsis, sed à Deo. Peccatorum verò contra Deum multiplicationem à seipsis fuisse, non à Deo.

3. Non enim ait, secundum multiplicatis eorum, sic multiplicata sunt peccata eorum, sed, sic peccauerunt mihi, id est, ipsi multiplicarunt peccata. Ergò quòd secundum multiplicationem beneficiorum Dei, multiplicantur hominum peccata, id non est ex natura beneficiorum Dei bona, sed ex natura hominum corrupta & mala, quæ rebus etiam bonis ad malum abutitur. Sicuti contrà, quòd secundum quod multiplicantur hominum peccata, sic magis abundet gratia Dei, vt est ad Rom. id non est ex natura peccati mala, sed è natura Dei optima, qui etiam malis nostris ad bona vti nouit, & potest.

4. Sic igitur beneficiis Deus non est caussa, neque autor peccati, sed homines abusu beneficiorum Dei, quibus suo vitio excæcantur, dùm & illa ex Deo non recognoscunt, & in iis, non in Dei cognitione, gloriantur, suámque felicitatem sitam esse existimant.

5. *Gloriam eorum in ignominiam commutabo*. Indicat igitur, Israelitas in illis beneficiis gloriatos fuisse, perinde, ac si ea à seipsis habuerint, non autem à Deo acceperint.

6. *In ignominiam commutabo*. Solet igitur Deus hanc ingratis mercedem rependere, vt inanem illorum confidentiam, gloria in ignominiam commutata, confundat.

7. Ait autem, *Ego commutabo*. In manu igitur & potestate Dei positum est, sicut dare, sic etiam auferre beneficia, atque ita iniustam hominum gloriationem in iustā eorum ignominiam commutare.

8. *Peccatum populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum attollent animam eius*, vel animam quisque suam.

1. Cùm Dominus transitum à populo ad sacerdotes faciens, ait, *Comedent peccata populi*, si peccatum in sua propria significatione accipiatur, sacerdotes dicuntur peccata populi comedere, cùm ea suo silentio deglutiunt, & quasi in stomachum traiiciendo abdunt, suam ipsorum grauantes conscientiam. Accusantur igitur in hoc primo membro sacerdotes iniquæ dissimulationis, quòd scilicet, ne offendant suum populum, non audent illius peccata reprehendere, sed ea suo silentio tegunt, suam ipsorum conscientiam, quasi stomachum, peccatis populi dissimulatis, quasi grandis cibis deglutitis grauantes.

2. Alterius verò membri vbi ait, *Et ad iniquitatem eorum*, id est, populi. Quia nomē collectiuum est, *eleuant animam eius*, id est, populi, talis erit sensus, sacerdotes non solùm comedunt peccata populi, id est, dissimulant, sed etiam suis adulationibus vanisque solatiis animum populi supra suas iniquitates eleuant, id est, extenuando eorum peccata, eorum vero merita & sacrificia pro peccatis oblata amplificando, eum superiorem suis iniquitatibus faciunt. In primo igitur membro accusantur iniustæ dissimulationis, in altero verò impiæ adulationis.

3. Si autem peccatum accipiatur, sicut frequentissime in scripturis accipi solet, pro hostia, sacrificióque pro peccatis oblato, sacerdotes dicuntur peccata populi comedere, cùm tales hostias & sacrificia capiunt, atque in suum vsum conuertunt. Erat autem hoc concessum sacerdotibus à lege. Non igitur hic simpliciter accusantur, quod hostias caperent atque comederent sacerdotes, sed quòd neglecto vero sacerdotis officio, sacerdotis tantùm beneficia, id est, opes curabant, in hoc vnum intenti, vt multa caperent sacrificia.

4. Cùm enim ait, *Comedunt peccata populi*, subintelligendum est, Tantum, quasi dicat, non pugnant contra peccata populi, sed illa comedunt. Indicat igitur, illos neglecto sacerdotis officio, beneficium tantum sacerdotis & opes curasse: ac proinde non hic damnatur factum, quòd scilicet caperent hostias, sed tùm neglectio officij, tùm illorum auaritia.

5. Cùm ait, *Et ad iniquitatem eorum*, scilicet Israelitarum seu populi *eleuant animam eius*, bifariam legi potest. 1. vt illud *Eius* ad ipsos sacerdotes referatur, sic. Et ad iniquitatem illorum, scilicet populi, attollunt, scilicet sacerdotes, animum quisque suum, id est, attento & cupido sunt animo. 2. vt illud *Eius* ad populum referatur, sic. Ad iniquitatem eorum, id est, populi, attollunt animam eius, scilicet populi.

6. Iuxta primam lectionem, si nomen iniquitatis in propria significatione accipiatur, hic erit sensus. Sacerdotes eleuant suam quisque animam, id est, attento & cupido sunt animo ad iniquitatem populi, an scilicet frequenter iniquitates admittant, pro quibus offerenda sint sacrificia: nimirùm vt ex multiplicatis iniquitatibus, multiplicentur sacrificia, & ex multiplicatis sacrificiis sibi multiplicentur opes. Indicat igitur, illos sacerdotes vsque adeò fuisse, scilicet peccati osores & reprehensores, vt desiderauerint, & ad hoc attento fuerint animo vt multæ fierent à populo iniquitates quò sibi multæ augerentur opes.

7. Si verò accipiatur nomen iniquitatis, sicut etiam suprà, nomen peccati, pro sacrificio, pro iniquitate oblato, talis erit sensus. Sacerdotes eleuant animum quisque suum, id est, attenti sunt ad iniquitates, id est, sacrificia populi, vt scilicet ex iis multiplicatis ditescant.

8. Vtroque autem modo. Eleuare animum ad aliquid, est attento & erecto animo aliquid cupere & exspectare. Vtrobique igitur accusantur sacerdotes tùm neglecti officij sui, tùm auaritiæ.

9. Ac proinde damnantur hic sacerdotes omnes, qui sacerdotium quidem, seu sacerdotis beneficium curant, officium vero sacerdotis negligunt.

10. Iuxta alteram lectionem, Leuare animum populi supra eius iniquitatem, est, ipsum superiorem suis iniquitatibus facere, idque falsis imaginationibus, impiísque doctrinis, peccatum eius extenuando & virtutem sacrificiorum, quæ pro suis peccatis populus offert, amplificando, atque ita vanis solatiis, omnem illi tristitiam & dolorem de peccatis eximendo, omnémque reatum tollendo. Accusantur igitur sacerdotes, quod falsa doctrina de vi illorum sacrificiorum extenuabant peccata, hominésque securos & faciles ad peccatum reddebant.

11. Neque enim sacrificia, quæ illis erant in promptu, vim expiādi peccata habebant, cùm hoc solius sit sacrificij Christi. Vana igitur & falsa erat illorum doctrina, qua vi sacrificiorum amplificata, peccata extenuabant, ideóque animos populi supra suas iniquitates eleuabant.

12. Neque tamen superuacanea erant illa sacrificia, cùm in duplicem salutarem vsum essent instituta quoniam vnus erat agnitio grauitatis peccati, & iræ Dei contra peccatum: alter vero excitatio fidei in sacrificium Christi futurum.

13. Nam volebat Dominus, 1. vt populus spectata morte animalis, quod pro ipsius peccato offerebatur, intelligeret, & quàm graue esset suum peccatum, & quod ipse propter illud æternam mortem merebatur, atque ita tùm de admisso peccato doleret & gemeret, tū ne deinceps peccaret, di-

ligentius caueret. 5. Volebat, vt ſub illis ſacrificiis, tãquam typis ſacrificij Chriſti, fides in futurum mediatorem excitaretur, atque exerceretur, quòd ſcilicet per ſacrificium Chriſti vnicum omnia peccata eſſent expianda, atque ita per hãc fidem tùm remiſſionem peccatorum conſequeretur, tùm ad amandum Deum excitaretur.

14. Ac proinde illa ſacerdotum in Iſrael, de vi ſacrificiorum ad expiandum peccatum, doctrina pugnabat cum vera legis doctrina. Vera enim legis doctrina huc ſpectabat tota, tùm, vt timor, peccati incuteretur populo, ne iàm facilis eſſet ad peccandum, ſicut antea fuerat, tùm, vt de omnibus remediis & viribus humanis deſperatus, ad Chriſtum, Chriſtique ſacrificium futurum, ſpiritu & fide confugere cogeretur. Doctrina verò ſacerdotum tùm reddebat homines ſecuros, & faciles ad peccandum, tùm à fide in Chriſtum auocabat, quoniam & multa, & facilia ad peccatorum expiationem remedia proponebant.

15. Eſt autem eadem plane etiam Papiſtica doctrina de Miſſis, indulgentiis, ſacrificiis, oblationibus, & aliis innumeris remediis, quæ ad expiationem peccatorum in Papatu populis proponunt. Reddit enim homines & ad peccandum ſecuriores, & à fide in Chriſtum auocat. Ergò damnatur hic à Propheta tàm Papiſtica, quam ſacerdotum Iſraelis doctrina.

16. Quanquam autem proprie & aperte damnentur hic ſacerdotes: oblique tamen & populus etiam ipſe perſtringitur, quoniam, quòd ſui ſacerdotes, neglecta ſalutari legis doctrina, impiis doctrinis ſe ſeducerent, id ideò fiebat, quia populus ſic volebat. Exoſus enim veros ſacerdotes, tales adulatores & ſeductores amabat. Colludebant igitur ſimul, & conſpirabant contra Deum populus & ſacerdos.

9. *Et erit ſicut populus.*

1. Erit ſicut populus ſic & ſacerdos ſcilicet tractatus & caſtigatus à Domino. Indicat igitur, tã ſacerdotem, quàm populum cõtra Dominum peccaſſe, ſuúmque officium vtrumque ex æquo neglexiſſe.

2. Sacerdotis autem officium erat, populum in pietate & ſancta vita continere prædicatione veræ & ſalutaris doctrinæ. Populi verò officium erat, curare, vt haberet bonos doctores, qui veram & ſalutarem traderent doctrinam, & eam ſequi. Cùm igitur tàm ſacerdotem quàm populum, à Deo punitum iri dicat, indicat, & populum non curaſſe, vt haberet bonos doctores, & ſacerdotes honore tantùm & lucro contentos, ſalutem populi neglexiſſe.

3. Ac proinde vbi paria ſunt peccata, paria etiam exſpectanda ſunt ſupplicia, niſi mature reſipiſcatur.

10. *Comedent.*

1. *Comedent.* Indicat ergò, illos curaturos & ventrem, & quæſtum, daturóſque diligentem operam opibus, & cibis colligendis, quò vitam in deliciis agant.

2. *Et non ſaturabuntur.* Indicat igitur, fruſtratum iri omnia illorum deſideria & ſtudia.

3. *Scortabuntur.* Indicat ergò, illos daturos operam voluptatibus & ſcortationibus.

4. *Et non multiplicabuntur.* Indicat ergò, etſi deſiderabunt è ſuis ſcortis ſuſcipere liberos, quibus ſuas relinquant opes: nullos tamen habituros, ac proinde fruſtratum iri omnia illorum deſideria.

5. *Si comedent, & non ſaturabuntur, ſi ſcortabuntur & non augebuntur, liberis ſuſceptis.* Ergo neque vis nutriendi in cibis, neque vis generandi in humano ſemine, ſed in ſola Dei benedictione poſita eſt.

6. Summa. Si ideò comedunt impij, & non ſaturantur, ſcortantur & non multiplicantur, quia id illicite & contra Dominum faciunt. Ergò falluntur omnes impij, qui exiſtimant, prauis & illicitis mediis ſuorum ſe fore compotes votorum.

7. *Quia dereliquerunt Iehouam ad cuſtodiendum.* Indicat igitur, radicem malorum omnium Iſraelitis fuiſſe, quod defecerunt à Deo, & eius cultu.

8. Non enim ait ſimpliciter, deſeruerunt Dominum, ſed deſeruerunt ad cuſtodiendum. Indicat igitur, illos non deſeruiſſe profeſſionem nominis Dei, imò iactabant, ſe eſſe populum Dei, & Deum colere, ſed deſeruiſſe, ne ſubiecti eſſent puro eius verbo, & ei obedirent.

11. *Scortatio, &*

1. *Scortatio.* Ergò quod Iſraelitæ ita infatuati fuerint, vt, reiecta omni ſana doctrina, & vero Dei cultu, veriſque ſacerdotibus neglectis, adulatores ſibi doctores accerſiuerint, inanéſque ſuperſtitiones ſequerentur, inde factum fuit, quòd nimis ſaginati, ſcortationi, & crapulæ, & ebrietati, & omne genus voluptatibus operam dederunt.

2. Ac proinde nimia rerum copia, occaſio ſæpenumerò eſt, vt homines diffluant in varias fœdáſque delicias & voluptates. Deliciæ verò & voluptates cauſſæ ſunt, vt reiectis veris ſacerdotibus, qui noſtras voluptates reprehendebant, coaceruemus doctores mutos, & indoctos, qui nobis adulentur. Tales verò doctores & ſacerdotes à vero Dei cultu, ſanáque doctrina ad ſuperſtitiones & idololatrias, nos ſenſim auocant atque ſeducunt.

3. Fugiendæ igitur nimiæ voluptates & deliciæ, nimia verò rerum copia non eſt expetenda. At verò impij, & falſi doctores, ſacerdotéſque adulatores omninò vitandi.

12. *Populus meus in ligno interrogat.*

1. Populus Iſrael petebat in ligno ſuo, id eſt, ſuas ſtatuas inuocabat, opem ab eis petebat, deque rebus futuris conſulebat. Vere igitur ſcortatio, vinum, & muſtum abſtulerunt eis cor & eum infatuarunt.

2. Non ait ſimpliciter, *Populus, ſed populus meus*, cui ſcilicet me ipſum reuelaui, meam legem, & ſcripturas, & Prophetas dedi, cui denique Ego, à quo omnia pendent, factus ſum Deus, id eſt, cornucopiæ. Quanta igitur amentia huius populi, quòd, me deſerto, conſulat ſtatuas?

3. Non appellauit autem eum populum ſuum ironice, ſed vere, tum, quia electus fuerat à ſe in populũ ſuum, tum, quia nondum plane repudiatus fuerat, cùm ſymbola adhuc retineret aliqua populi Dei. Indicauit igitur tacita antitheſi inter hunc & gentilem populum, maiorem fuiſſe huius culpam quòd ſtatuas inuocarit, quàm gentium, quoniam ipſe populus erat Dei, non autem gentes.

4. Non ait, *Conſulit alienos Deos, aut ſtatuas, ſed lignum.* Melius igitur indicat, quanta fuerit populi amentia, qui lignum, omni prorſùs ſenſu deſtitutum, & ad combuſtionem deſtinatum inuocat & conſulit.

5. Neque ait, *Petit à ligno, ſed in ligno, ſeu per lignum.* Indicat igitur, populum Iſraelem, non ſimpliciter inuocaſſe ſtatuas, ſed Deum in ſtatuis & per ſtatuas.

6. Damnantur autem, & magnæ ſtultitiæ accuſantur, quia hoc faciebant. Ergo damnandi ſunt omnes, qui Deum in ſtatuis, atque per ſtatuas & creaturas inuocant.

7. Non ait autem ſimpliciter, *Petit in ligno, aut baculus reſpondet, ſed addit ſuum, & ſuo.* Indicat igitur, ſtatuas illas & talem cultum, non fuiſſe illi à Deo præſcriptum, ſed à ſe ipſo excogitatum, & inuentum.

8. Damnantur verò à Deo hoc Iſraelis lignum, & deridetur hic ſuus baculus. Ergo omnes *ἐθελοθρησκεῖαι* damnandæ & deridendæ.

9. Neque ait, *Vnus & alter petit in ligno, ſed, Populus*, inquit, *meus.* Indicat igitur, commune hoc fuiſſe vitium toti populo, & paſſim ſolitas fuiſſe inuocari ſtatuas.

10. Cùm ait, *Et baculus reſpondet ei* ironice legendum eſt. Indicat igitur, ſtatuas perinde exaudiſſe preces Iſraelitarum, atque baculus aliquis interrogatus, reſpondere poteſt: quippe, quæ nil aliud ſunt, quàm lignum. Quanta igitur populi amentia?

11. Quia verò ſicut dixit, *petit in ligno*, poſtea non dixit, Et reſpondet ei lignum, ſed ait, *Et baculus ſuus reſpondet ei*, ſcilicet. Alluſiſſe videtur ad baculum, quo cæcus per viam incedens, prætentat viam, & quaſi eum conſulit. Indicat igitur, perinde ſtatuas reſpondiſſe Iſraeli, ac baculus à cæco conſultus ei reſpondet. Egregie autem ſcilicet reſpondet baculus cæco. Egregie igitur ſcilicet etiam ſtatuæ reſpondent, & exaudiunt ſuos cultores. Immenſa igitur populi dementia.

12. *Quia ſpiritus fornicationum decepit.* Cauſſa igitur proxima, & in ipſis Iſraelitis inhærens, cur tam veſano & cæco furore encurrerint ad ſtatuas inuocandas & conſulendas, fuit, quoniam non tantùm vinum, & muſtum, & ſcortatio illis ademerat cor, ſed imprimis, quòd ſpiritus Sathanæ ad fornicationem, id eſt, ad idololatriam impellens, eos decepit.

13. Ait, *Decepit.* Indicat igitur, eos ab hoc ſpiritu ita fuiſſe deceptos & excæcatos, vt veritatem crederent eſſe mendacium, & mendacium veritatem, lucem tenebras, & tenebras lucem.

14. Etſi verò ait, *Decepit*: non tamen eorum excuſat peccatum, tùm, quoniam hic ſpiritus in eis inhærebat, ideo non ab illo cogebantur, ſed vltro mouebantur, tùm, quoniam illum ſuis præteritis iniquitatibus ſibi acquiſiuerunt. Sicut Paulus de ſimilibus iſtis Iſraelitis dicit 2. Theſſ. 2. *Et quia dilectionem veritatis non acceperunt, vt ſalui fierent: mittet ſpiritum erroris, vt credant mendacio.*

15. Et quidem deceptio, qua decipiuntur idololatræ, ſimilis eſt deceptioni, qua ebrij à ſua ebrietate decipiuntur, & iudicio priuantur, aut illi, qua homo laſciuus à ſua libidine inflammatus excæcatur, tantum abeſt, vt hæc iudicij priuatio & excæcatio, vel ebrium, vel laſciuum in ſuis malefactis excuſet, vt etiam magis grauet. Ergo neq; deceptio

idololatras excusat, sed magis grauat.

16. Ait, *Spiritus decepit*. Indicat igitur, hunc spiritum fuisse spiritum deceptionis & erroris, cui opponitur spiritus veritatis. Est autem spiritus veritatis Spiritus sanctus, de quo Christus: *Ipse deducet vos in omnem veritatem*. Spiritus igitur erroris & deceptionis, spiritus est Sathanæ.

17. Sicut igitur filij Dei aguntur à spiritu Dei, ac proinde deducuntur in omnem veritatem, ita reprobi aguntur à spiritu Sathanæ, ac proinde ab eo decipiuntur, atque in errorem inducuntur, vt credant mendacio, qui nolunt credere veritati.

18. *Neque verò ait*, Spiritus Sathanæ, aut idololatriæ, sed Fornicationum, neque in singulari, Fornicationis, sed in plurali, Fornicationum. Voluit igitur indicare, furorem, quo agitantur idololatræ ad sua idola colenda, inuocanda, & amplexanda, similem esse furori, quo agitantur homines libidinosi, & fornicationibus multis adsueti, ad sua scorta amplectenda, diuinanda.

19. Solent autem tales homines fornicarij, & immensa libidine inflammati, cùm vident suum scortum, cæco & pudendo impetu, tanquam brutæ bestiæ, in illius amplexum, sine vllo pudore irruere, idque propterea, quòd ob nimium suæ libidinis feruorem, sunt omni iudicio destituti. Indicat igitur, ipsos etiam idololatras simili feruore inflammatos, ideóque cæcutientes, sine vllo pudore ad suas statuas, seu ad suas amasias, colendas, & inuocandas ferri solere.

20. Ac proinde hac locutione, *Spiritu fornicationum*, docet Propheta, qualis sit illa deceptio, qua Israelitas dixit fuisse deceptos à spiritu, talem nimirùm, qualis est hominis fornicarij, & immensa libidine inflammati, qui propter illum immensum libidinis feruorem, omni iudicio destituitur.

21. Cùm ait *Et fornicati sunt à Deo suo*, docet, vnde Israelitis ille spiritus, qui decepit eos: nimirùm inde, quia iam fornicati fuerant à Deo suo. Indicat ergò, homines, cùm spreto Dei verbo, ad superstitiones semel se conuerterunt, confestim abripi à spiritu erroris, & ita cæco furore trahi ad omne genus idololatriæ, sicut & 2. Thess. 2. Paulus docet.

22. Sic autem habet phrasis sanctæ linguæ *Fornicati sunt à sub Deo suo*. Indicat igitur, fornicari à Deo, esse, nolle illi, seu illius verbo, subijci.

13. *Super capita montium*.

1. Sacrificant Israelitæ super capita montium, & super colles, sub arboribus frondosis. Ergò præter & contra verbum Dei faciebant. Præter, quia verbum non habebant, cur deberent hoc facere. Contrà, quia prohibebantur alibi sacrificare, & suffitum facere, quàm Hierosolymis.

2. Hoc autem factum, Propheta appellauit versu præcedenti, Fornicationem, & fornicari à Deo. Ergò aliquid in cultu diuino, præter vel contra verbum Domini instituere, & agere, nihil aliud est quàm fornicari à Deo.

3. Sicut enim mulier dicitur fornicari de sub suo marito, cùm non contenta suo solo marito, alijs quoque viris se subijcit & prostituit: Sic homines dicuntur fornicari à sub Deo suo, cum non contenti solo Dei verbo, alienas quoque doctrinas in religione sequuntur, atque illis parent. Iure igitur totum illum Israelis cultum in montibus & sub arboribus, quamlibet speciosum, quia à verbo Dei alienus erat, fornicationem appellauit.

4. Non autem ait, *Super montem, aut super collem*, sed, *supra montes & colles*. Neque ait tantùm, *sub tilia*, sed *sub tilia, & quercu, & platano*. Indicat igitur, Israelitas, non vno loco, aut vno altari contentos, in multis montibus, & sub multis arboribus, multa habuisse sacella & altaria ideóque gloriatos fuisse, quòd, cùm Iudæi vnum tantùm haberent locum, in quo colerent Deum, ipsi multis in locis Deum colerent, ideóque suum cultum gratiorem esse Deo, quàm Iudæorum.

5. Neque ait simpliciter, *Super montes*, sed, *super capita montium*. Indicat igitur, Israelitas quæsiuisse altiora in montibus loca, vt ibi, extructis altaribus, Deum inuocarent, perinde ac si citiùs preces in editioribus locis à Deo, qui in cœlis habitare dicitur, quàm in humilioribus exaudiantur.

6. Non sub quauis arbore sacrificabant Israelitæ, sed sub frondosioribus, quæ diutius frondes retinerent, vt sub tilia, quercu, platano, idque quoniam, inquit, bona vmbra eius. Quia ipsi iudicarunt, bonum & Deo gratum fore, si in illis commodis locis ei sacrificarent. Indicat igitur, Israelitas in hoc cultu instituendo & sequendo, declinasse quidem à verbo Dei, sed tamen secutos fuisse humanam prudentiam, & bona (vt dicunt) intentione ductos fuisse: ac proinde bonam illam intentionem fuisse illis matrem totius illius falsi cultus.

7. Pronunciat autem Propheta, totum illum cultum ab illa bona intentione excogitatum, fuisse fornicationem & adulterium. Ergò omnes cultus ab humana prudentia excogitati, & bona, (vt vocant) intentione instituti, quamlibet specioso fuco ornentur, adulteria sunt & scortationes spirituales. Ipsa verò bona intentio sine verbo Dei, omnium scortationum & omnis fœditatis est mater.

8. Cùm ait, *Propterea filiæ vestræ scortabuntur, & nurus vestræ adulterabuntur*, docet, in vltionem & pœnam spiritualis fornicationis Israelitarum, Deum iusto suo iudicio effecisse, vt illorum filiæ & nurus carnalibus scortationibus se ipsas fœdarint. Indicat igitur, Deum solere spiritualem fornicationem, carnali scortatione punire.

9. Quia enim idololatræ, quod ad se attinet, dùm colunt idola, spoliant Deum suo honore, variísque afficiunt contumelijs: ideò etiam Deus, iuxta pœnam talionis, vt suam vlciscatur gloriam, solet illos replere varijs opprobrijs, sicut 1. Reg. 2. dicit. *Qui me contemnunt, ignominia afficientur*. Hæc autem opprobria sunt, præter alia, fœdæ & vagæ libidines, in quibus ipsos idololatras, eorúmque familias immergit, sicut & Paulus Rom. 1. testatur.

10. Ac proinde ab effectu ad caussam, & à pœna ad peccatum, facile licet colligere, in Papatu regnare spiritualem scortationem, cùm ibi grassentur carnales scortationes fœdæque omne genus libidines.

14. *Non visitabo super filias vestras*.

1. Dominus, quo maiora, diuturnioráque sint idololatrarum Israelitarum opprobria, non solùm in ipsorum personis, sed & familijs, ait, se nolle punire ipsorum filias & nurus, quòd scortatæ sint, id est, se nolle illas, à scortationibus castigando, ad castimoniam reuocare. Indicat igitur, se ideò permittere grassari fœdas libidines inter idololatras, vt huiusce spiritualibus flagellis, quæ sunt & peccata, & pœnæ peccati, idololatria puniatur.

2. Si ideò ait, se nolle punire flagellis, scilicet corporalibus fornicationes & adulteria filiarum Israel, quoniam vult, vt his fornicationibus & adulterijs, tanquam spiritualibus flagellis, Israelitarum idololatria puniatur. Indicat ergò, flagella spiritualia, quæ & peccata & pœnæ peccatorum sunt, grauiora esse quàm corporalia.

3. Neque tamen interea negat, se nolle illarum adulteria vllo modo aut vnquam punire. *Fornicatores enim & adulteros iudicabit Dominus*, vt ait ad Hebr. 13. sed tantisper sibi nolle corporalibus flagellis facere, donec ijs spiritualibus eorum idololatria fuerit bene punita, séque nolle hoc flagelli genus, carnalem scortationem ab eis priùs amouere, quàm ipsi Israelitæ spiritualem scortationem ab oculis Domini amoueant.

4. Cùm ait, *Quoniam ipsi scilicet Israelitæ cum meretricibus diuidunt, & cum scortis sacrificant*, denunciatæ iam pœnæ caussam assignat. Indicat igitur, se effecturum suo iusto iudicio, vt Israelitarum filiæ & nurus carnaliter fornicentur: quoniam ipsi etiam Israelitæ spiritualiter fornicati sint & fornicentur à Deo suo, ideóque velle illos ijs contumelijs afficere, quoniam & ipsi Deum, dùm colunt idola, contumelijs afficiant, idque vnà cum suis etiam carnalibus scortis.

5. Cùm enim ait, *Quoniam & ipsi diuidunt se cum meretricibus*. Nomine meretricum hoc in loco veniunt allegorica fœdæ superstitiones, impudicique cultus idolorum. Verbo verò *Diuidendi se*, venit diuortium cum Deo. Cùm verò subdit, *Et cum scortis sacrificant*. Quia verbum *sacrificant*, in sua propria significatione accipitur, nomen etiam scorti in sua significatione propria accipiendum videtur. Indicat igitur, Israelitas, vtramque simul scortationem & spiritualem, & carnalem, exercuisse. Spiritualem, dum se à Deo diuidebant, varijs sese superstitionibus, ceu meretricibus, implicantes. Carnalem verò, dùm vnà cum suis nonnis, & scortis inter sacrificandum, scortabantur. Simul enim (vt videtur, Hebræis etiam testantibus) offerebant sacrificia idolis. Deinde simul etiam carnaliter scortabantur, & varijs libidinibus sese inuicem polluebant. Carnalis enim scortatio ipsam spiritualem scortationem fere subsequi solet.

6. *Populus non intelligens corruet*. Indicat igitur, populum Israeliticum fuisse quidem non intelligentem: nempe Dei, & diuinæ voluntatis, rerúmque cælestium: sed tamen illam ipsorum ignorantiam & inscitiam, non potuisse illos à peccato excusare, ideóque nec ab ira Dei defendere. Corruet enim, etsi sit non intelligens.

7. Nam tria sunt hominum ignorantium genera. Quidam, qui nesciunt, quia nunquam scire potuerunt, quippe quibus voluntas Dei nunquam fuit prædicata, vt infantes & multæ gentes. Quidam, qui nesciunt, quia, cùm potuerint, noluerunt scire & intelligere. Postremò quidam, qui primò

quidem nouerunt, sed posteà quia notitiam Dei in iniustitia detinuerunt, excæcati & traditi in reprobũ sensum, præpostero iudicio de rebus iudicant, dicentes bonum malum.

8. Horum autem nulli per ignorantiam à peccato coram Deo excusantur. Non primi, quia quòd non potuerint intelligere, vel per mortem, vel quia non fuit eis prædicatum, culpa in ipsis inhæret: nempe si nulla alia saltem originalis peccati. Ac de iis *Psal.79* Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt, quia scilicet legem tuam nõ habent. Minus secundi, quia culpa in illorum est voluntate, de quibus *Psal.36.* Noluit intelligere vt bene ageret. Multò verò minùs tertij, quoniam propter præcedentem illorum iniquitatem excæcati sunt.

9. Cùm hæc ita se habeant, Populus non intelligens, id est, etsi est non intelligens, corruet. Iuxta illud etiam, *Qui ignorat, ignorabitur,* 1. *Cor.14* & seruus nesciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit, licet paucis. Luc.12. Eóque magis Israeliticus populus, quandoquidem non intelligens erat, quia noluit intelligere, & veros sacerdotes noluit audire, imò cum eis voluit litigare.

10. Ac proinde tantùm abest, vt, quia est non intelligens, non debeat corruere, vt potiùs, quia est non intelligens, id est quia noluit esse intelligens, debeat corruere. Sicut ideò qui meritò debet in foueam cadere, quia cæcus est voluntarie, id est, cæcus esse voluit.

15. *Si scortaris, Israel.*

1. Conuertit sermonem ab Israele ad Iehudam, & hanc cupiens saluam, *Si scortaris, Israel,* ne Yehudæ saltem *offendat Iuda.* Ostendit igitur Israelem quidem fuisse desperatum, déque eius salute conclamatum, de Iuda verò aliquam fuisse spem.

2. Cùm precatur, & simul hortatur Iehudam, ne offendat, id est, ne impudicitias Israelis imitetur, cum quadam deploratione tertia persona id facit, dicendo *Si scortaris Israel, ab saltem ne Iuda ipsius soror offendat.* Tacitè igitur indicat, ipsam etiam tribum Iuda variis fœditatibus fuisse pollutam.

3. Exemplo non gentium, sed Israelis admonet Iudam, ne peccet. Indicat igitur, propter viciniam cum Israele, facile Iudam potuisse infici, ideóque eò diligentiùs sibi cauendum esse, quò vicinior est Israeli: ac proinde docet, filiis Dei fugienda esse malorum consortia, præsertim malos vicinos.

4. Sacrosancta, & magnæ reuerentiæ loca erant in omnibus filiis Israel, Gilgal, & Bethel, propter memoriam, partim visionum & miraculorum, quæ ibi olim à Deo fuerunt facta, partim sacrificiorum, quæ ibi à patribus fuerunt oblata, vt de Gilgal patet Ios.4 5. De Bethel verò Gen.28. Iarobeam igitur, cùm vellet populum ab accessu in Hierosolymam, colendi Dei caussa, aliò auocare, altaria in iis duobus præcipuis locis extruxit, ac Dei cultum instituit, persuasus, eò locorum faciliùs posse populum ad colendum Deum adduci quàm aliò, idque partim propter illorum locorum & sanctitatem, & reuerentiam, quæ iam omnium animos occuparat, partim propter exempla patrum, qui ibi quoque Deum coluere.

5. Propheta verò in hæc duo loca acerrimè inuehitur, & omnibus filiis Israel prohibet, ne ad ea accedãt. Indicat ergò, loca illa fuisse profanata, propter cultum ibi contra verbum Domini à Iarobeam institutum: ac proinde neque locorum sanctitatem esse spectandum, neque nuda patrum exempla semper esse imitanda, sed solum Dei verbum esse sequendum. Verbum autem Domini erat, vt omnes venirẽt in solam vrbem Hierosolymorum ad Deum colendum, nõ igitur in Bethel, aut Gilgal. Nomen loci, quem Iacob vocauerat Bethel, id est, domum Dei, propterea, quòd se ibi Dominus patefecerat, Propheta mutat, & de Bethel, id est, domo Dei, facit Bethauen, id est, domum iniquitatis. Indicat ergò apertè, propter cultum ibi à Iarobeam contra verbum Domini institutum, locum illum fuisse profanatũ. & qui Iacobo fuit locus sacer, posteà abusu Iarobeã factum esse profanum, quia de Bethel factus est Bethauen: ac proinde res à sua origine bonas, posteà abusu fieri malas & illicitas.

6. Si locus ille de Bethel factus est Bethauen, propter nouum cultum ibi contra verbum Domini institutum. Ergò cultus ille fuit *Auen,* id est, iniquitas: ac proinde quidquid est contra verbum Domini, vtut speciosum sit, est iniquitas.

7. Bethel vocat Bethauen. Indicat igitur, excusationem quorundam Israelitarum esse friuolã, qua suum crimen extenuabãt dicentes, se ideò accedere ad eum locum, & sacrificia ibi offerre, non quatenus ille locus sit à Iarobeamo aliquomodo profanatus, sed quatenus à sua origine sacer fuit locus, neq; quatenus sunt ibi altaria à Iarobeamo erecta, & cultus institutus, sed quatenus ibi etiã Patriarcha Iacob obtulit Deo sacrificia. Cùm enim eò veniunt, memoriam Patriarchæ Iacobi sibi repræsentari. Hanc, inquam, excusationem esse friuolam, indicat Propheta, quoniã locus ille nunc totus est Bethauen. Ac proinde excusationem etiam quorundam, tum Papistarum, tùm semi Euangelicorum, friuolam esse, cum dicunt, se ideò accedere ad Missam, non quatenus est aliquomodo profanata, sed quatenus à sua origine bona erat, neque quatenus ibi multa sunt addita à Pontificibus, sed quatenus fuit instituta à Christo, & ibi memoria sacrificij Christi repræsẽtatur. Si enim locus Bethel, propter cultum contra verbum Domini ibi institutum, factus est totus Bethauen. Ergò etiam Missa, propter additas ibi superstitiones & idololatrias, facta est tota de Cœna Domini, cœna & mensa dæmoniorum.

8. Neque ait, *Ne sacrificetis in Bethel & Gilgal,* sed simpliciùs etiam ait, *Ne veniatis.* Indicat ergò, non solùm non ibi sacrificandum fuisse, sed nẹ veniẽdum quidem, vt aliorum sacrificiis interessent: ac proinde etiam nunc filiis Dei non solùm non esse sacrificia cum idololatris offerenda, sed ne in eorum quidem templa esse veniendum, ne illorum impiis sacrificiis communicare videantur.

9. Cùm ait, *Ne iuretis,* non omnibus neque simpliciter & absolutè prohibet iuramentum, sed illis, qui veniunt in Bethauen & Gilgal, vt idolis sacrificent, & conditionaliter, si velint pergere venire in Bethauen, prohibet, ne iurent in nomine Dei. Indicat igitur, sicut piis mandatur iuramentum, tanquam pars diuini cultus, Deut.10. Ita etiam prohiberi impiis idololatris, qui non Deum, sed idola colunt, quoniam non fuit, vt cum impura religione & nominibus Deorum, sua etiam pura religio, & suum nomen misceatur.

10. Non enim ait simpliciter, *Ne iuretis,* sed, *Ne iuretis,* in hanc formam *Viuit Dominus:* nempe si vultis venire in Bethauen, & idololatricum cultum exercere. Indicat igitur Deus, se quidem non curare, quòd idololatræ iurent per nomina suorum Deorum, sed nolle, vt suum nomen misceatur cum nominibus alienorum Deorum sicut Sophon.1. *ait.* Perdam eos, qui iurant in Deo viuo, & (siue) iurant in rege suo: ac proinde puram religionem non esse miscendam cum impura.

16. *Quia sicut iuuenca rebellis, rebellauit Israel. Nunc pascet eos Iehoua, quasi agnum in loco spatioso.*

1. Comparat Israelem iuuencæ indomitæ & lasciuienti, quæ contra pastorem rebellarit, id est, quæ non siuerit se à pastore in ordine vnà cum reliquo grege contineri, & apertè ait, Israelem rebellasse. Indicat igitur, eius rebellionem fuisse, quòd non siuerit se à Deo verbo suo, in ordine vnà cum reliquo grege, qui erat Hierosolymis, contineri, sed ab illo se segregauit, nouúmque cultum sibi adinuenit. Ideò verò rebellasse, quoniam, vt iuuenca indomita, fuit tùm nimis impinguatus, tùm instar irrationalis iuuencæ omni iudicio destitutus.

2. Dicit Dominus, se ideò pasturum Israelem in loco spatioso sicut agnum, quia est, vt iuuenca indomita. Nomine autem loci spatiosi, venit tota reliqua orbis terrarum pars extra Iudam, longe latéque patens, vbi Gentes habitabant. Indicat igitur, se quidem voluisse Israelem in Iuda, ceu in prato, licet angusto, fœcundo tamen ac virenti, pascere: Sed Quia Israel, tanquam iuuenca indomita, & lasciuiens, nimis ferociebat contra reliquum gregem, & omnem quasi locum occupare volebat, iccircò se illum inter gentes, tanquam in vastam solitudinem, abacturum & dispersurum.

3. Non ait, *in loco fœcundo, sed tantùm spatioso.* Indicat igitur, Israelitas ex angusta Iudæa in locum amplissimum sed aridum, seu, in vastam, sed aridam solitudinem expellendos, id est, parce & duriter à Domino inter gentes pertractandos fuisse.

4. Cùm ait, *In loco spatioso,* tacitè innuit, Israelem non contentum suo solo quæsiuisse quotidie, vt fines sui imperij dilatarentur, & instar lasciuientis iuuencæ, omnem quasi locum occupare voluisse. Se igitur velle illum exaudire, & in loco spatioso collocare, sed non eo modo, quo Israel cupiebat. Israel enim volebat esse in loco spatioso, & pinguis, vt iuuenca, sed Dominus effecit, vt fuerit in loco arido, sicut agnus.

5. Non dicit autem, se abacturum, sed pasturum Israelem. Indicat igitur, etiam in exilio & solitudine apud gentes se pastorem fuisse Israelis, nec prorsùs eum deseruisse.

6. Ait, *Nunc pascam.* Indicat igitur, breui illud futurum fuisse.

7. Antithesin facit inter iuuencam indomitam, & agnum: ac docet, Israelem in Iehudæa quidem fuisse, vt iuuencam indomitam

indomitam & lasciuientem, in exilio verò inter gentes futurum, vt agnum. Indicat igitur, sic Israelis superbiam in exilio humiliatum iri.

8. Nec ait, *Quasi agnus, sed agnum*, nec simpliciter *agnum, sed agnum tenellum*. Indicat igitur, Israelitas non fuisse in exilio simul habitaturos, & quasi in vnum gregem coalituros, sed dispergendos, ita vt quisque futurus esset sicut tenellus & recens natus agnus, in vasta & horrida solitudine, sine grege, & pastore errabundus & pauefactus.

9. Ac proinde indicat Israelem, nempe electum, qui in propria patria contra pastorem rebellarat, ab eoque, & eius verbo defecerat, tanquam iuuenca indomita, in exilio Dominum quæsiturum & ad illum clamaturum, tanquam agnum. Proprium enim agni, cùm sit animal gregarium, & quod solitudine delectari non potest, est, vt, cùm se videt in solitudine sine grege & sine pastore dispersum, totus pauefactus huc & illuc currat balans, & suo balatu pastorem quæritans.

17. *Associatus est idolis Ephraim, dimitte eum.*

1. Cùm ait, Ephraim associatus est idolis, alludit ad coniunctionem, qua scortator associat, & quasi agglutinat se suo scorto, vt ambo vna fiant caro. Indicat igitur, Israelem, qui nomine Ephraim per synecdochen venit, tàm obstinato animo, quasi vinculis indissolubilibus, idolis, id est, falso cultui adhæsisse, vt inde euelli non ampliùs posset.

2. Non ait autem Israel, sed Ephraim, ex qua scilicet erant orti reges in Israel. Voluit igitur imprimis perstringere reges in Israel & alios proceres è domo regia, qui autores fuerunt totius idololatriæ in Israel.

3. *Dimitte eum, Quia associauit se idolis Ephraim.* Iubet Deus Prophetæ, vt illum dimittat, nempe in sua pertinacia & obstinatione, nec ampliùs clamādo, quæ frustrà id fiat circa illum desudet. Indicat igitur, sicut desperati ægroti à medicis deseruntur, ita præfractos & contumaces idololatras, apud quos nihil possis proficere tuis sermonibus, prorsus esse deserēdos: sicut etiam Christus docuit, contra tales homines puluerem etiam è pedibus esse excutiendum, & margaritas ante porcos non esse spargendas.

4. Etsi verò Propheta non statim eos deseruit, non tamen peccauit contra Dominum, quia Dominus voluit, vt pergeret concionādo propter electos. His verbis autem indicauit, quid Israel mereretur cùm esset præfractus, tùm etiam prædixit, illos tandem omnino deserendos, & futuros sine verbo.

18. *Putruit potus eorum, scortando scortati sunt, dilexerunt: Afferte, ignominiam, vel turpiter, principes eius.*

1. Cum ait, *Putruit potus, vel vinum eorum*, alludit ad ebriosos homines, qui, vbi bene ebrij sunt, & vino pleni, fœtorem vini emittunt, vinum eructando, atque euomendo. Cum autem hoc faciunt, duo indicant. 1. Se ebrios esse. 2. Se omnē pudorem amisisse. Indicat igitur, etiā Israelitas primùm ita insano superstitionū amore inebriatos fuisse, & omni vitiorū genere repletos, vt omni ex parte nil aliud efflarēt, quàm fœtorem superstitionum, & omne genus vitiorum. Deinde, per consequens, omni pudore peccati spoliatos fuisse.

2. Ac proinde sicut sobrijs intolerabilis est taliū ebriosorum hominum consuetudo, cùm eò venerint, vt licentiam sibi cōcedant eructandi, & fœtoris vini exhalandi, vinique euomendi sine vllo pudore: ita talium idololatrarum & vitiosorum hominum, quales erant Israelitæ, cōsortium prorsùs esse filijs Dei intolerabile: atque, cùm eò perueniunt impij, vt effrenem sibi licentiam sumant, blasphemias eructandi, fœtorem suæ impietatis exhalandi, denique quiduis mali agendi, idque sine vllo pudore. Tunc enim nimis fœtet potus, id est, impietas eorum, cùm nulla est in eis peccandi mediocritas, aut pudor.

3. Hæc phrasis Hebraica, *Scortando scortari*, significat, indesinenter, & sine vllo pudore scortari. Indicat igitur, Israelitas superstitionem sine vllo fine, & sine vllo pudore exercuisse: ac proinde, & tanquam ebriosos, belluinósque homines, & tanquam impudicissima scorta, omnem peccādi, & Deum blasphemandi pudorem amisisse.

4. Cùm ait, *Principes eius*, scilicet populi Israelitici, *dilexerunt*, pro diligunt, dicere scilicet, *afferte*, nempe munera, *turpiter*, id est, idque turpiter diligunt, & ignominiose. Ostēdit, etiam in proceribus regni, extremam fuisse peccandi licentiam. Quoniam ipsi etiam iudices & gubernatores prædæ inhiabant, nihilque, præter munera & diuitias curabant, idcóque plane perditum fuisse totum populum, quando etiam illi, qui debebant aliorum esse censores, non minus reprehensibiles erant, quàm reliquus populus.

5. Appellat autem ipsos Principes *Meginne*, id est, clypeos & scuta, quod debeant protectores esse suorum populorum. Indicat igitur, inuersum fuisse omnem iustitiæ ordinē, quoniam, qui protectores esse populi debeant, illum, neglecta iustitia, & præda tantùm capitæ, perdebant.

6. Non ait, *Acceperunt munera* sed, *dilexerunt*. Indicat ergò, illos ex animo taluasse prædæ, nec tantùm accepisse, sed affectasse munera.

7. Munera autem (vt Scriptura testatur) excæcant oculos sapientum, & peruertunt corda iustorum: nimirùm, vt non possint rectum facere iudicium, & iustitiam. Indicat igitur, Iudices in Israel excæcatos muneribus, omnem neglexisse iustitiam & æquitatem.

8. Nec simpliciter ait, *Dilexerunt* (munera) sed, *dilexerunt*, (dicere, vel verbum hoc) *afferte* (scilicet munera.) Indicat igitur, illos non solùm animo desiderasse & affectasse munera & prædam, sed etiam eousque impudentiæ prolapsos fuisse, vt disertis verbis ea à populis postularent, dicentes, *Adferte, Adferte munera*.

9. Illud *Halon* bifariam construi potest. 1. Cum verbo dilexerunt dicere scilicet hoc sensu, affectarunt, petierúntque dona, idque *Halon* id est, cū ignominia, id est, turpiter & ignominiose. Indicat ergò, eos omnem exuisse pudorem, quādo etiam tàm turpiter munera à populo non desiderarunt solùm, sed etiam petierunt, dicētes, *Adferte*. 2. Illud *Halon* cōstrui potest cum verbo *Adferte*, hoc sensu, Petierunt à populo, vt adferrent *Halon*, id est, munus ignominiosum. Indicat igitur, illos affectasse, & à populo petisse, nō quodlibet exiguum munus: nempe, quod possit sine ignominia à iudicibus accipi, sed talia, id est, tàm magna munera, quæ non nisi cum magna ignominia accipi à iudicibus possunt: ac proinde, quæ sua publice venundari testantur.

19. *Ligauit eam ventus.*

1. Cùm ait, *Ligauit eam ventus in alis suis*, metaphoricè dat alas vento, propter celerem ipsius motionem. Venti autem nomine intelligende subita, & insperata, vehemens ac impetuosa ira Dei. Indicat ergò, Israelitas ab ira Dei, tanquā à turbine raptos & vinctos, in varias mundi plagas, breui ac celeriter per Assyrios abducendos.

2. *Ligauit*, inquit, *in alis suis*. Ergò non poterunt euadere, quia ferantur captiui, quoquo ventus iræ Dei illos eripiet.

3. Alludit autem ad fortes arbores, cùm è terra, vbi fortiter firmatæ esse videbātur, à vento seu turbine raptę euellūtur, atque aliò transferuntur. Indicat ergò, et si Israelitas, licet in suo regno potentes essent, & altas ibi radices egissent, ab ira Dei tamen inde extirpandos, atque aliò transferēdos fuisse.

4. Ac proinde sicut nulla, quamuis bene firmata arbor, immò nulla domus, aut fortissima turris, resistere potest vehementissimo turbini: ita nullam, quamuis potentem & fortem creaturam, iræ Dei resistere posse.

5. Cùm ait, *Et pudefiant à sacrificijs suis*, nomine sacrificiorum synecdochice intelligit totum cultum. Ait autem *Suis*, quia talis cultus non à Deo, sed ab ipsis excogitatus, & institutus fuerat in Israel. Docet igitur, tunc demum Israelitas agnituros, idque cum magna ipsorum confusione, sua sacrificia, totum denique cultum, non solùm non fuisse gratum Deo, sed etiam ingratissimum: quandoquidem non modò non potuit illos ab ira Dei defendere, sed etiam potiùs iram Dei aduersùs illos excitauit, atque, vt in captiuitatem abducerentur, effecit.

6. Ac proinde docet, sicut Israelitæ è suis sacrificijs & superstitionibus nihil boni, sed tantùm captiuitatem & confusionem reportarunt: ita etiam reliquos impios, & hypocritas è suis falsis cultibus, & denique è suis peccatis, nihil nisi iram Dei & confusionem relaturos. Sicut etiam Paulus *Rom. 6*. Quem fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis?

7. Cùm ait, *Suis*, tacitam antithesin facit inter sacrificia, seu, cultum ab hominibus, & cultum è Deo institutum. Ergò si homines è sacrificijs suis, id est, è cultu, quem ipsi instituunt, confusionem reportent, profectò è sacrificijs Dei, id est, è cultu, quem instituit Deus, si illum firmiter retineant, non nisi salutem & gloriam referre possunt.

CAPVT V.

AVdite hoc sacerdotes, & attendite domus Israel, & domus regis auscultate, quia vobis, id est, cōtra vos iudicium, quòd laqueus fuistis monti Mizpa, id est, super montem Mizpa, & rete expansum expansum super Thabor.

Kuschabh in hiphil est attendere.
Pach laqueus à *Pach* quod in hiphil est illaqueare.
Reschoth rete.
Parasch exponere, explicare, explanare.

D. Kimhi Mizpa & Thabor sunt montes excelsi in terra Israel, super quos venatores retia sua extendunt, vt feras auésque capiant. Quasi ergo dicat. Estis laqueus & offendiculum populo, qui videns vestra opera mala, discit à vobis, & sic, instar feræ aut auis, vestris malis operibus capitur.

Inuehitur ergò in principes, Iudices, sacerdotésque Iudæ & Israel simul, quòd corruperint religionem, & iustitiam violarint, graues vtrisque pœnas interminans.

Audite hoc, ô sacerdotes, & attendo animum *domus Israel & domus regis aurem prabe, quia penes vos est iudicium, at tanquam laqueus fuistis in Mizpa & rete expansum super Thabor.*

Domus Israel, inferiores iudices sunt. Nam alioqui penes plebem iudicādi autoritas non erat, nisi forte iudicium accipias pro visione.

Mizpa mons in tribu Gad. *Thabor* in tribu Zabulon. Vterque altissimus, aucupio nobilissimus & commodissimus. Ideò sacerdotes & magistratus comparat laqueis & retibus aucupum & venatorum exercitatissimorum, qui in illis montibus venabantur.

2. *Et mactando* iugulando *declinantes* (Apostatæ) *profundauerunt, Et Ego*, id est, Ego autem *correctio sui omnibus illis.*

Schachath occidere, iugulare, mactare, est in Machor.
Setim declinantes, nomen Toar, e radice, *Satah*, postea *Sin* vertitur in *samech*, Apostatæ.
Hamak profundum esse, in hiphil, est profundum facere, seu profundare, in profundum abire. Per figuram autem est stabiliri, & præualere, vt etiā est in Ps. 92. v. 5 vbi dicit *Meoah hamku*, valde profundæ sunt cogitationes tuæ.

D. kimhi in libro radicum sic exponit, Et ad iugulandum capiendúmque innocentes, declinantes à via recta, profundauerunt, scilicet laqueum, id est, in profundo posuerunt. Sensus: Declinantes, à viis Dei, à vero cultu Dei, iugulando, id est, sacrificando idolis, profundauerunt, id est, multiplicarunt declinationes, & radices egerunt in suis superstitionibus vel profundauerunt cor suum, id est, obstinarunt, vel profunda fecerunt declinationes, id est, declinando in profundum vsque declinarunt.

Musar correctio, castigatio à *Iasar*.

Sanct. Pagn Et ad immolandum qui declinant (à via recta) callidum inierunt consilium, profundauerūt, id est profundum & callidum consilium inierunt. Ego autem (vir) correctionis (sum illis) omnibus.

Hanc autem adfert expositionem: Apostatæ subtili ingenio inuenerunt rationem immolandi idolis, interim non destiti increpare & arguere illos. Consilium autem profundum seu callidum erat, quod dicerent, se idolis immolare in honorem Dei. Homines ergo profundi vocantur etiam Gallice, qui callide & ingeniosè aliquid agunt. Est hoc idem verbum Ierem. 49 pro profundum facere.

Et immolare idolis *apostata* tanquam laqueum *profundè absconderunt: Iccirco Ego castigabo omnes eos.*

Et mactare apostatæ profundauerunt. Declarat similitudinem laquei primo versu positam. Cultum inquit, idolorum callide excogitatum, institutum, & confirmatum, tanquam laqueum profunde absconsum, ideóque ad fallendum magis idoneum, populo obtenderūt, ne ascenderet Hierosolymam ad verum Dei cultum, qui in templo peragi debuerat. Estque secundæ personæ mutatio in tertiam.

Ego castigabo, vel, Ego castigatio seu disciplina & eruditio omnibus illis Peccato pœnam subiungit. Vel est exaggeratio peccati, quasi dicat. Cùm Ego illis prolixe præscripserim in lege veram religionem, quam omnes scire debuerunt: ipsi tamen turpiter errant, & reliquos in errorem trahunt.

3 *Ego noui Ephraimum, & Israel non est celatus mihi: nunc scortari te, Ephraim, impurum esse, ô Israel.*

Ego noui Ephraim, & Israel non est occultatus absconditus *à me, quòd nunc fornicatus es, o Ephraim, contaminatus est*, vel, contaminauit se, *Israel.*

Cachadh celare, abscondere.
Hiznetha est secunda persona masculini generis, præteriti temporis, in hiphil, in quinto ordine Lamed he. Si esset tertia persona fœminini generis haberet sceua sic *Hiznetha*. Ideo miror Sanct. Pag vertisse in tertia persona, sic, Quòd iam fornicatus est Ephraim.
Tama contaminate, in niphal, pollutus est.

Ego noui Ephraim, & Israel non est absconditus à me. Noui, inquam, *quod nunc scortaris* cum idolis, *Ephraim, pollutus es, Ephraim.*

Quasi dicat. Quamuis callidissimi sint, & optime norint idololatriam suam prætextu religionis velare, & imperitam ac simplicem plebeculam in eam inuoluere: tamen non me fallunt, qui noui omnia. Puniam igitur.

4. *Non adhibent actiones suas, vt reuertantur ad Deum suum. Nam spiritus scortationum in ipsis est. & Iehouam non agnoscunt.*

Non dabunt, non ponent, id est adiicient *studia sua ad reuertendum*, id est, vt reuertantur *ad Deum eorum* id est, suum, *quoniam spiritus fornicationum in medio eorum, & Iehouah non cognouerunt.*

Nathan est dare. Est in futuro, sed multi pro præterito interpretantur, & in varias significationes trahunt.

Quidam pro relinquere & omittere. Sic Chaldæus Paraphrastes, Non reliquerunt, inquit, opera sua, vt reuerterentur ad seruitutem Dei, quia spiritus erroris taret eos, & doctrinam, quæ à Domino est, non quęsierunt. Sic & Capito.

Quidam pro permittere, Sicut Num. 21. *Neque dedit Zion*, id est, permisit. *Israelem prateriro per terminum suum*, Ideò Sanct. Pagn. Non permittent opera eorum, vt, &c.

Quidam pro ponere, sic, Non ponent studia sua in hoc, vt reuertantur. Ideò Cal. sic. Non adiicient studia sua, nō dabūt operam, vt reuertantur. Hęc expositio mihi magis probatur.

Sunt qui dant operam vt idololatriæ & superstitiones tollantur, quibus impediuntur homines, ne ad Deum redeant. Sed non curant, vt reuertantur ad Dominum.

Sunt, qui neque dant operam, vt impedimenta tollantur, vt, etsi ipsi nolint, saltē alij possint redire ad Dominum. Sunt qui ponunt impedimenta. Sunt quartò, qui curant, vt auferantur, & reuertantur ad Dominum.

Non concedent opera illorum, vt conuertantur ad Dom̄ suum? nā spiritus scortationū est in eis, & Dominū non nouerunt.

Peccatis suis ita irretiuntur, vt de pœnitentia ne cogitandi quidem detur otium, vel sic, Non instituunt opera sua, vt conuertantur ad Dominum.

Spiritus fornicationum. Relicti sunt sibiipsis, sapientię carnis, & Sathanæ, qui ad malum tantùm impellit, & ab amore Dei abstrahit ad impurum amorem creaturarū, vacui Spiritu sancto, ideò nil bene agere possunt. Respicit etiam ad spiritum propheticum, quasi dicat, decepti sunt à pseudoprophetis. Quare veritati infensi sunt.

5. *Etiam testificatur fastus Israelis in faciem ipsius: quamobrem Israel Ephraimque corruent iniquitate sua, corruet etiam Iehuda cum illis.*

Et respondebit testificabitur. Vau est conuersiuum, & vertit futurum in præteritum, *superbia Israelis in faciem eius.* Et id est, igitur, *Israel, & Ephraim cadent in iniquitate eorum* sua, *cadet etiam Iehuda cum eis.*

Hanah respondere & testificari. Ita hunc locum exponit D. kimhi in libro radicum, vt sit sensus. Palàm arguetur superbiæ, & fastus, contemtúsque verbi Dei.

Est etiam Humiliare. Ideò Thargum, Humiliata est superbia Israel, & ipsi viderunt. Et Sanct. Pag. in lexico, & humiliabitur, vel humiliabit se superbia Israel: In Bibliis tamen sequitur sententiam kimhi. Ego sic. Quid opus est probationibus Israelem esse perditum & profundasse? Ipsius superbia, id est apertus verbi Dei contemtus testificabitur, id est, testificatur hoc in faciem eius, id est, palàm, & in ipsius ignominiam.

Chaschlu cadent, seu ruent, impingent, id est, tandem dabunt pœnas idololatriæ.

Testificabitur autem superbia Israel, contra eum *in facie eius atque Israel & Ephraim corruent propter iniquitatem suam, corruit etiam Iuda cum eis.*

Corā arguetur superbia Israel, vel, transferetur, deprimetur superbia Israelis ipso spectāte. Similis locus est Ies. 28 & inf. 7.

Etiam

Etiam Iuda, quòd simili idololatria se polluit.

VI. Vt cum gregibus suis & cum armentis suis eant ad quærendum Iehouam, non inuenient: cessit se ab eis.

In, id est, *cum ouibus suis*, id est gregibus suis, *& in*, *cum bobus armentis suis ibunt ad quærendum Iehoua, & non inuenient eum, subduxit se ab illis*, id est, recessit, ad verbum, diuisit seu separauit se ab eis.

Betzonim, illud *Beth* potest verti, Per. Per greges & armenta, id est, per hæc sacrificia quæ fecerunt placare Dominũ.

Chalatz est aliquando transitiuum, aliquando intransitiuum. Et igitur subducere se, vel absolutè, recedere.

R. D K. in libro Radicum sic *chalatz*, id est. *chalah vesar*, diuisit se, *venisphrad* & separauit se, *vesar* & recessit, *Mehem* ab eis Hieron. Ablatus est ab eis.

Gregibus suis, & armentis suis ad quærendum Dominum ibunt, at non inuenient, recessit ab eis.

Hyperbole ad explicandum desiderium eorum, quasi dicat totos greges & omnia armenta offerent Deo pro expiatione peccatorum sed nil proficient.

Non inuenient, id est. non habebunt propitium, sed cogentur ferre illas pœnas temporales.

VII In Iehouam perfidè egerunt, Nam filios extraneos pepererunt: nunc consumet eos mensis partes eorum.

Cum Domino perfidè egerunt, vel in Iehouam præuaricati sunt. *Quia filios alienos genuerunt, nunc deuorabit eos mensis cum partibus eorum*. id est, cum portionibus suis, vel partes suas: vt illud *Eth* sit articulus accusatiui.

Bagadh est propriè præuaricari, vt ait R. D. Kimhi in libr. Radicum, id est, transgredi pactum socij sui, & mentiri ei, qui sibi fidebat. Ideò propriè & eleganter vertit Calu. Cum Domino perfidè egerunt, seu dolosè. Vide etiam Capitonem Sanct. Pagn. In Iehouam præuaricati sunt.

Zar alienus, à rad. *Zur*. 1. Quidam ad filios carnales referunt quos scilicet eos ex alienis mulieribus, id est, Chananæis susceperunt. 2. Alij ad spirituales, quòd scilicet non solum ipsi fuerunt idololatræ, sed etiam alios in idololatriua institutione, vt 1. Cor 4. *Ego per Euangelium vos genui*. 3. Ego ad vtramq refero, quòd scilicet filios, quos gignebant, non curarunt instituendos in vera religione, sed in superstitionibus gentium. Sic hodie multi Euangelici nomine, non curant suos filios instituendos in vero cultu, isti alienos filios gignunt.

Chelek pars, portio, Gen. 31. *Num est nobis* Chelek. id est, *pars & hæreditas in domo patris nostri*. Vide expositionem Ionathæ.

Domino fidem fregerunt, quandoquidem Domino filios alienos genuerunt, nunc deuorabit eos mensis, & agros eorum.

Filios alienos, id est, alios etiam, & suos etiam filios idololatriam docuerunt. Sacra scriptura per alios filios, sæpè intelligit falsas & alienas doctrinas. Ies. 2.

Quidam tamen volunt intelligi naturales filios, vt sit reprehensio, quòd non sine colerent matrimonia, sed ingenerent alienigenas contra legem.

Nunc, id est breui. Declarat, subdens, Mensis, quasi dicat, post menstruum tempus, quod est breuissimum, peribunt cum suis facultatibus. Prædicitur transmigratio, eáque celerrima.

Alij, Singulis mensibus, id est, frequenter hostis illos inuadet, & bona diripiet.

VIII. Clangite buccina Gibbha, tuba Rama, vociferamini Bethauene post tergum tuum ô Beniamin, clangat.

Clangite cornu in Gibea, tuba in Rhama, tarantarizate seu buccinate *in Bethauen, post te, ô Beniamin.*

Tahah clangere.

Scophar buccina, seu cornu.

Chatzotzra tuba, a *Chatzar*.

Rob est, præter alia significata, tarantarizare, seu vociferari: est hic in hiphil.

Clangite tuba in Gibea, & buccina in Rhama. Exclamate in Bethauen, tergo tuo (imminet hostis) ô Beniamin.

Hypotyposi ostẽdit hostem imminere, cùm clangere buccina præcipit, vt aduentantibus hostibus fieri solet.

Gibea & Rhama. Vrbes erant in Beniamin, quæ tribus vicina erat tribui Ephraim. Propterea, hac destructa, illa quoque infestanda erat ab hoste.

Bethauen, confinium terris Beniamin & Ephraim.

IX. Ephraim desolationi futurus est die correctionis, quo in tribubus Israelis notum fecero illam certam esse.

Ephraim in desolationem erit in die correctionis, in tribubus Israel cognoscere feci, id est, docui *veritatem vel fidem.*

Schamam desolare.

Iachach increpare, reprehendere. Dies reprehensionis est, cùm Deus nos propter peccatum castigat.

Schebhet multa habet significata. Significat etiam tribũ, frequentius in plurali reperitur *Schibthe*, quasi dicat, Sæpè admonui decem tribus, & veritatem fideléque verbum illos docui: ideò non possunt se excusare.

Ephraim in desolationem redigetur tempore correptionis, quùm *in tribubus Israel ostendam, eam esse fidelem.*

Notam faciam fidelem, scilicet correptionem meam, hoc est, cum ostendam me bona fide per Prophetas meos corripuisse Israelem, ne incideret in extrema mala, quibus illum alioqui præfractum, frangi & ad pœnitentiam adduci oportebat. Nam demum apparuit fides Dei erga Israelem, quòd illum tam diligenter præmonuisset, cum secuta sunt mala, de quibus fugiendis per pœnitentiam præmonuerat.

X. Sunt principes Iehudæ similes iis, qui mouẽt terminum, super eos effũdam velut aquam excandescentiam meam.

Fuerunt Principes Iuda, tanquam vel certè *transferentes terminum, super illos effundam, sicut aquam, iram*, furorem *meam.*

Nasag attingere, cõprehendere, & transferre de loco suo in locum alium. Tales maledicuntur Deut. 27. vers. 16. Maledictus, *masigh gebhul rehhebhu*, transferens terminum proximi sui, vel attingens Targum, Qui mutat terminum proximi sui.

Schaphach effundere.

Hebhrah ira.

Principes Iuda verè transferunt terminos, in eos effundam, tanquam aquam furorem meum.

Particula similitudinis. Quasi, hic est affirmatiua verè. Sic Ioan. 1. *Quasi vnigeniti à patre*, id est, verè. Ita hic, verè transferunt terminos. Recenset peccata in proximũ, propter quæ etiam puniendi erant Iuda & Beniamin. Iis verbis declaratur auaritia Magistratuum, qui subditorũ possessiones & dominia iniquè diripiebant, & pro libidine omnia agebant.

Sicut aquam) quæ scilicet solet vniuersim simul ex vase effundi. Hoc simili impetum & vehementiam, grauitatémque supplicij præclarè ostendit.

XI. Opprimitur Ephraim, conteritur iudicio, quia placet, sequitur mandatum.

Vi direptus, Sanct. Pagn. oppressus fuit, Cal. Prædę expositus erit *Ephraim fractus iudicio* scil. duro, *quoniam volens iuit post mãdatum*, hoc est, voluit ire, & iuit.

Haschuk passiuum. Est autem *Haschak* bona aliena vi occupare, vi rapere, seu opprimere. Est autem passiuum præteritum pro futuro.

Ratzatz frangere, sed non penitus comminuere. Nam *schibber* est penitus comminuere.

Hoil in hiphil à *Iaal*, significat velle & incipere. Ideò quidam, Quia incepit ire post mandatum, scilicet Regis Iarobeam At R. D. Kimhi sic interpretatur, Quia voluit ire post mandatum. Est enim præteritum actiuum sic *Hodilah*.

Halach etiam est præteritum, subintelligitur copula. Et, sic quoniam voluit (&) ambulauit. Hebraismus est pro vlrò & volens ambulauit post mandatum, id est, secutus est præceptum regis de adorandis vitulis.

Fraudibus oppressus erit Ephraim, & confractus iniquis iudiciis, quia vltrò obsecutus est mandato Iarobeami.

XII. Et, igitur, Ego (ero) tanquam tinea ipsi Ephraim, & sicut putredo ipsi Iuda.

Rakabh putredo caries, teredo.

Hasch tinea, quæ rodit vestes, quasi dicat, rodentur sensim decem illæ tribus, & tandem omnes perdentur. Alludit enim ad id quod legimus in libro Regum, quòd primò quædam tribus ablatæ, deinde post vexationes multas reliquæ etiam omnes tandem abreptæ, consumtæque fuerunt.

Et ego ero Ephraim, tanquam tinea, & instar teredinis domui Iuda.

Quemadmodum vestes & lignum teredine absumuntur: Ita Ego perdam Israelem & Iudam. Idem demonstrat similitudine Leonis & Leunculi infrà. Sed in hac lucidius demonstratur potentia Dei in vlciscendis peccatoribus. In vtraque autem Deus induit personam hostium, quos immissurus erat contra Israel.

XIII *Sed videns Ephraim morbum suum, & Iehuda vlcus suũ, abiit Ephraim ad Assyrium, misitque Iehuda ad Regem propugnaturum: sed ipse non poterit mederi vobis, neque curabit vos ab vlcere.*

Et videbit Ephraim morbum suum, vel languorem, & Iehuda vulnus suum, & ibit Ephraim ad Assur, & mittet ad regem Iareb: & ipse non poterit mederi vobis, & non sanabit à vobis vulnus.

Præterita pro futuris more Hebraico.

Chalah ægrotare, *choli* infirmitas, languor, ægritudo.

Mazor vulnus & plaga à *Zur* quod est ligare & aspergere, eo quòd soleant vulnera aliquo puluere aspergi à chirurgis, quo caueant, ne oriatur in eis putredo, vel, quòd soleant circumligari. Ideò *Mazor* vocant aspersum vulnus.

Gahah sanare, curare. Et hic hypallage, pro, non sanabit vos à vulnere.

Cùm senserit Ephraim languorem suum, & Iuda plagam suam, tùm ibit Ephraim ad Assur, & mittet Iuda nuntios ad regem Iareb at ipse non poterit sanare vos, neque curabit vllius ex vobis plagam

Tanta erit induratio & impœnitentia Israelis & Iudæ, vt cùm cœperint affligi, omnia tentaturi sint humano auxilio, sed de diuino ne cogitabunt quidem. Vide 4. Reg. 15. & 16.

Iareb. vrbs in Assyria nomen etiam totius regni, & ipsius regis. Est igitur repetitio.

XIV. *Nã Ego vt ferox leo sum Ephraimo, & velut iuuenis leo domui Iehuda: Ego, Ego rapiam & abibo, deportabo & nemo eripiet.*

Quoniam Ego tanquam leo, ipsi Ephraim, & tanquam leunculus, ipsi domui Iuda Ego rapiam & abibo, tollam scilicet prædam, *& non eripiens erit* quispiam.

Schachal Leo adultus.

Taraph rapere.

Matzil participium est in hiphil à *Natzal* eruere, eripere.

XV. *Abiens reuertar in locum meum, donec reos peragant se & quærant faciem meam, cùm angustia fuerit ipsis, quærent me diluculo dicentes.*

Abibo, reuertar ad locum meum, donec delinquant, id est, sese deliquisse agnoscant & fateantur, *& quærãt faciẽ meam, in angustia* tribulatione *eius*, id est, quæ erit eis sicut & Deut 4. vers. 30. *quærent me* scil summo mane, in aurora & maturè.

Scachar est aurora. Inde verbum.

Ascham delinquere & agnoscere delictum. Sic R. D. K. illud etiam Leuit. 4. versu 1. quæ non sunt facienda & *ieschemu*, id est, fateantur se deliquisse.

Betzar à *tzur.*

Ibo & reuertar ad locum meum, quo ad se in culpa esse agnoscens, & quærant me, in tribulatione enim *sua diligẽter requirẽt me.*

Deseram illos, destituam gratia & fauore meo. Alioqui Deus est vbique, & in Israel præsens erat vltor impiorum.

Faciem meam, id est, me.

Diligenter requirens. Hebraica vox significat aliquid agẽdi caussa summo manè surgere, sicut faciunt, qui de aliqua re vehementer anxii & soliciti, parùm dormiunt.

ARGVMENTVM.

Tota hæc præsẽs cõcio, sicut & superior, inuectiua est. In quos verò inuehatur, prim° versus facilè indicat, cùm ait Propheta. 1. Audite hoc sacerdotes. 2. Et attẽdite domus Israel. 3. Et domus regis auscultate. Inuehitur ergò Propheta, cùm in totum populum, quia totus corruptus, tùm præsertim in sacerdotes & regis consiliarios, totámque aulam, quoniam ipsi autores erant totius mali in Israel.

Quæ etiã sit summa eorũ, quæ hac cõcione cõtinetur, facilè patet ex primo versu, cùm ait, Quia vobis est iudiciũ. Denũciat ergo illis vindictã, & iudiciũ Dei, propter varias corruptelas & scelera, quæ tunc in vniuerso populo regnabãt, idq. culpa sacerdotum & procerum, ideoq. & merito hoc Dei iudiciũ ipsis sacerdotibus & regni proceribus inprimis denũciat. Etsi enim vaticinatur hic Propheta cõtra totum populũ sermonẽ tamen specialiter in ipsos sacerdotes, & regni gubernatores stringit. Quoniam, quòd populus corruptus esset, in caussa fuerunt illi duo ordines. sacerdotũ nimirũ, & procerum, qui regni gubernacula tenebãt Sacerdotes, qui nil curabãt aliud, quàm turpem quæstũ, partim erãt canes muti, partim totã legẽ corruperãt, ideóq. populũ à Deo ad superstitiones abduxerant. Proceres etiã regni, qui sua tãtùm curabãt negotia, partim probauerũt adulterinos cultus, vt stabile esset regnũ in Israel, partim alias corruptelas introduxerũt.

Notandum verò, etsi concio hæc habeat tanquam inprimis, & propriè aduersus decem tribus Israel tamen etiam tribum Iuda ideoque totum illius populi corpus, hic accusari, iudiciũque Domini denunciari, vt in ipsa concione patebit.

Constat ergo tota hæc concio tum reprehensione peccati, tum denunciatione iræ Dei contra peccatum, idque per vices vsque ad finem. In fine tamen, postremo scilicet versu est initium cuiusdam promissionis, qua postea explicatur cap. VI. vers. 6. Ea est de vtilitate crucis in electis, quòd scilicet, postquam fuerint benè castigati, reuertentur ad Dominum, Dominus verò sanabit illos.

Non seco autem hoc caput in partes: quia est vna atque eadem materia, quæ per totum caput variè explicatur.

1. *Audite sacerdotes.*

Tria sunt in hoc primo versu. 1. Præfatio, & quædam quasi Proclamatio, qua Propheta, ceu præco Dei, omnes in vniuersum Israelitas, tam sacerdotes & proceres regni, quàm plebẽ ipsam cõpellat, atq. quid nomine Dei denunciaturus illis sit, audire iubet, dicendo, *Audite sacerdotes.* 2. Denunciatio iudicii Dei contra Israel, dicẽdo, *Quia vobis est iudicium.* 3. Reprehensio peccati, propter quod denunciatur iudicium, dicendo, *Nam laqueus fuistis.*

Quod ad primum ait, *Audite*. Quòd omnes ad audiendam iudicii denunciationem inuitat, indicat, omnes peccasse, ideóque ad omnes pertinere illud Dei iudicium, quod posteà denunciat.

2. Quòd verò primò sacerdotes nominatim appellat, indicat, hoc etiam iudiciũ primùm dirigi in sacerdotes. quòd ipsi etiam grauiùs reliquis peccarint, cùm non solùm ipsi deseruerint verum Dei cultum, & sanam doctrinã, sed etiam reliquum populum suis falsis doctrinis seduxerint, atq. in varias superstitiones pertraxerint. Ideò *iudicium incipit à domo Dei*, vt alius Propheta ait.

3. Simpliciter verò ait, *Sacerdotes*, nec addit, Dei. Non enim erãt sacerdotes Dei, tũ quia nõ de tribu Leui, tũ quia, vt supra, nõ habebãt scientiã sacerdotalem. Erãt ergò sacerdotes, sed Baalis. Tali igitur nomine eos appellat Propheta, quia sic à populo appellabãtur. Sic de sacerdotib° Papisticis dicẽdũ.

4. Ordo etiã propheticus notãdus est. 1. Cõpellat sacerdotes 2. Populũ. 3. & postremo domum regis, seu proceres regni, cur populum medio loco ponit, tanquam à sacerdotibus & regni proceribus cinctũ? Docet, tenerã populũ ab iis duobus cingi: quia ab eis gubernatur, ab ordine scil. ecclesiastico & ciuili. Indicat igitur, populũ ab iis duobus ordinibus perditũ fuisse, ab ecclesiastico scilicet ordine, vna ex parte, & à politico, ex altera, à quibus debebat sanctè & rectè gubernari.

5. Quòd verò tribus verbis vtatur diuersis, cùm inuitat omnes

mnes ad audiendam diuinam denunciationem, non elegantiæ tantùm caussa fecit, sed vt maiorem fidem suis faceret verbis apud Israelitas, & ἀποτομίαν, iudicatęque omninò futurum breui adducturus illos Dei iudicio: ac proinde eos frustra captare subterfugia. Est enim ac si dicat. Vos frustrà captatis subterfugia, & vobis ipsis blandimini, & ad mea verba obsurdescitis. Audite, auscultate, attendite omnes, quoniam certò & breui Dominus sumet de vobis iudicium.

6. Cæterùm illud retinendum, quod etiam superiori capite diximus, cum Dominus præmonet populos, quòd velit cum illis litem intendere, aut iudiciũ de eis sumere, tacitè inuitat eos ad amicabilem compositionem & reconciliationem cũ Deo: ac proinde indicat, se nolle eos perdere, si maturè resipiscant. Ergò dum hîc Israelitas omnes attentos esse iubet ad denunciationem iudicij tacitè illos inuitat ad resipiscẽtiam & locum ac tempus resipiscentiæ illis concedit.

7. Est autem diligenter obseruandus hic locus, quia facit ad stabiliendam autoritatem verbi Dei. Dum enim Propheta tam sacerdotes, & reges, quàm populum iubet audire, verbum scilicet Domini, indicat omnes, tam sacerdotes & reges, quàm reliquos homines, inferiores esse verbo Domini & subiectos: ac proinde etsi reges & sacerdotes antecellant reliquo populo, quo ad muneris dignitatem, potentiam, & splendorem: tamen quo ad obedientiam verbo Dei debitam, omnes esse æquales, & omnes ex æquo illi esse subiectos, nullúmque vel pontificem maximum, vel potentissimum regem ita in sublime euectum esse, aut euehi posse, quin super illius caput emineat Dominus cum suo verbo. Quare super verbum Domini, nec potestas regia, nec autoritas sacerdotalis vllum habet locum. Summa. Docet his verbis Propheta, omnes hominum ordines in ordinem esse cogendos, vt pareant verbo Dei.

Quo ad secundum *Quia vobis iudicium Dei* scilicet imminet, seu quia in vos dirigitur iudicium. Illud *Mischpath* varia significat, vt aliàs docui, & quia sæpè opponitur τῷ ἀνόμῳ, & significat ἀνομίας, seu rectitudinem & rectum ordinem, ideò quidam hunc locum sic interpretantur. Quia vestrum erat facere iudicium, vestrum, inquam, ô sacerdotes, & domus regis, qui Reip. gubernacula tenetis, erat curare rectitudinem, vt quisq. suum officium rectè faceret, sed neglecto vestro officio, facti estis laquei. Verum cum non solum sacerdotes & domum regis, sed etiam reliquum vniuersum populum antea compellarit: ideircò mihi magis placet, vt illud *Lachem* referatur etiam ad populum.

Cæterum iudicium accipi potest hic pro ipsa Dei vltione, vt sit sensus. Vobis, id est, aduersus vos iudicium, id est, vindicta Dei dirigitur.

Non ait autem vindicta, vel, vltio, vel ira, sed Iudicium. 1. vt indicet, Dominum non insultè aut inconsultè caussa pœnas de illis sumturum, sed cum iudicio, seu iudicio peracto, & rebus omnibus diligenter discussis ac iudicatis. Et hæc alia caussa cur in aliis scripturæ locis, ira Dei & vltio diuina significetur nomine iudicij. 2 Id etiã fecit peculiariter propter sacerdotes & primores populi. Ij enim, vt solent tales homines, contemnebant verba Prophetæ, & illos comminationes minimè ad se pertinere existimabant, quoniam videbantur sibi omnibus legibus soluti, & ab omni iudicio immunes. Propheta igitur his verbis illos ad tribunal Dei citat dicens, *Vobis est iudicium*. Quasi dicat. Deus nominatim vos, qui tam securè contemnitis eius iudicium, compellat, & denunciat vobis suum iudicium.

Mihi tamen non displicet, vt, cum Hieronymo, accipiamus Iudicium simpliciter, pro ipso iudicio forensi, quatenus complectitur & caussæ discussionem, & pœnæ denunciationem. In hac enim concione vtrumque fit, nam & peccata tum sacerdotum, tum populi, tum regni procerum explicantur, & pœna simul denunciatur. Ergò hac particula citat omnes ad iudicium Dei, vt primò audiant sua peccata, deinde iudicis contra ea sententiam.

Quo ad tertium, ait, *Quia facti estis laqueus*. Denunciatio Dei iudicij, tùm vniuerso populo Israel, tùm peculiariter sacerdotibus, & proceribus regni, nunc incipit eorum peccata explicare, & simul pœnas, quas Iudex de eis meritò sumturus est, exponere: ac primò quidem à sacerdotibus, quos etiam primo loco ad iudicium Dei citauit, ordietur.

Nam laqueus fuistis in Mizpa.

Mizpa hîc nomen est proprium loci, non autem, vt Hieronymus sensit, appellatiuum, specula. Qualis verò locus fuerit Mizpa, è scripturis facilè possumus colligere. De hoc enim frequens mentio fit cùm in Iosua, tùm in libro Iudicũ, & Regum, & alibi. Iosu. 11. Iabin Rex Asor misit ad Heuæum, qui habitabat ad radices Hermon in terra Mizpa. Hic tantùm habemus, Mizpa terram fuisse.

Iosua ait, quòd Iosua & Israelitæ persecuti sunt hostes eos occidendo, vsque ad vallem Mizpa. Propter hanc victoriam, quæ in Mizpa concessa fuit Israelitis à Domino, locus ille celebris est factus, &, vt probabile est è scripturis, ædificatũ ibi altare. Ibi postrà conuenire solebat Israel, cum de rebus arduis erat consultandum, ac præsertim cum ad bellum erat procedendum, & ibi orabant Dominum pro victoria. Colligitur hoc, quod dixi, ex variis locis scripturarum. Iud. 20 *Egressi sunt itaque filij Israel omnes, & collecta est multitudo quasi vir vnus à Dan, vsque Bersabea, vel Beersheba, & vsque terram Gilead, ad Dominum in Mizpa.* Iud. 21. *Iurauit autem qui que Israelita in Mizpa, dicens, Nemo ex vobis dare debet filiam suam Beniamitæ in vxorem.* Ibidem. *Estne aliquis de tribubus Israel, qui non ascendit ad Dominum in Mizpa.* Ex verbo ascendendi, colligitur fuisse in monte vel colle. 1. Reg. 10 *Et conuocauit Samuel populum ad Dominum in Mizpa.*

Ex his scripturæ locis quidam volunt, duas fuisse vrbes eiusdem nominis scilicet Mizpa. Vna ad Hermon Libanonum montem. Iosu. 11. Alteram in Iudæa, de qua hîc. Alij volunt Mizpa fuisse eum montem, qui Gen. 31. appellatur Mons Gilead propter locum, Iud. 20. *Et vsque ad terram Gilead ad Dominum in Mizpa.* Sic Capito, sic Lutherus.

Cęterum si vnus tantum locus fuit, qui hoc nomine sic appellatus, colligimus ex citatis scripturæ locis, Mizpa 1. locũ fuisse celebrem Israelitis propter victoriam, quam inde reportauit Iosua. 2. Hunc locum fuisse ad radices montis Hermon, non fuisse tamen planiciem, aut in planicie, sed in monte vel colle, propter verbum Ascendendi. 3. Ibi solitum fuisse populum congregari ad Dominum, & habere comitia, cum de rebus grauibus erat deliberandum. 4. Et verisimile, ibi erectum fuisse altare Domino. Hinc illæ voces, *Ad Dominum in Mizpa.* Item *Coram Domino in Mizpa.* Ciuitas ergò fuit in monte vel colle, ad radices montis Hermon sita, celeberrima Israelitis, vbi conuenire solebant primores regni, cum de rebus erat deliberandum. Hæc de Mizpa.

De monte Thabor nulla est dubitatio, fuisse montem altissimum in Galilæa. De quo & Psalm. 89. *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt.* Ierem. 46. Itabyrium appellatur à LXX. interpretibus. In quo & Dominum transfiguratum fuisse, tradunt antiqui scriptores. Mons hic, quia pulcherrimus erat & arboribus frugiferis consitus, erat ceu domicilium auium: ac proinde aucupium in eo exercebatur. Hæc de Thabor.

Iam verò quantum ad horum verborum sensum, *Vos laqueus fuistis in Mizpa, & rete in Thabor expansum*, Quidam Hebræi sic interpretantur. Volunt hæc verba dirigi, & in sacerdotes, & in proceres regni, quos vocat domum regis. Dicunt autem, Proceres regni de consilio sacerdotum collocasse in illis montibus, tanquam in insidiis, homines, qui intercipereent, si qui vellent ex Israel transire in Iudæam, Hierosolymam versùs, religionis caussa. Hac enim transeundũ fuisse Israelitis in Iudęam. Sic etiam hodie iussu Papæ, a Principibus Italiæ, ponuntur in Alpibus, per quos in Germaniam transeundum est, insidiæ vt si qui ex Italia hoc religionis caussa fugere velint, intercipiãtur. Hoc igitur exprobrarit proceribus & sacerdotibus à propheta, quasi dicat, cum vos debuissetis curare, vt populus in vera religione retineretur, quæ exigit, vt omnes eant Hierosolymam, & ibi tantũ sacrificia offerant, non alibi. Vos non solum non facitis vestrum officium, sed etiam iis qui velint sua sponte venire Hierosolymam iuxta præceptum Dei, vos posuistis insidias, tanquam laqueis & retibus in Mizpa & Thabor, per quos transitur in Iudæam, eos omnes intercipitis. Ergò fuistis vestro populo laqueus, & rete ad illum capiendum.

Quidam simplicius sic exponit, vt sit metaphora. Quemadmodum venatores & aucupes solent sua tendere retia, & laqueos super montem Mizpa & Thabor, ad feras, auésque capiendas (in iis enim montibus exerceri solebat venatio,) ita vos vestris doctrinis, traditionibus, præceptis, & falsis cultibus, adde & peruersis iudiciis, & intellectis, irretitis populum, ne veram sequi possit religionem, néve ad Deum currere & volare. Vos igitur, qui debuissetis populo esse liberatores, & eum è laqueis diaboli eripere, fuistis illi laquei & retia, quibus detinetur in peccatis & manibus Sathanæ.

Sed quoniam ait, Vos fuistis laqueus in Mizpa, Ideò possumus etiam sic interpretari, vt per hos duos montes famosos, reliquos quoque omnes per synecdochen intelligat, in quibus ædificata erant altaria, & cultus exercebantur. Non enim tantum in Bethel, & in Dan, tempore Hoseæ, habebãt altaria Israelitæ, sicut tẽpore primi Ierobeami, sed multis aliis quoque montibus & collibus, in Gilgal, in Mizpa,

in Thabor, & alibi. Quia igitur in iis mõtibus cultus, & religio Israelitarum exercebatur, iis autem cultibus & superstitionibus irretiebatur populus, & detinebatur cultu idololatrico, tanquam reti, ne ad Deum cœlestem vero cultu colendum ascendere, & subuolare posset. Iccirco iure Propheta non ait simpliciter, quòd sacerdotes & proceres regni fuerunt laqueus & rete, sed laqueus & rete in Mizpa, & Thabor,& synecdochicè, reliquis etiam montibus, vbi erant sacella: in illis enim erant retia & laquei, id est, superstitiones ipsæ.

Sic in papatu populi, qui cupiunt spiritu in cœlum ad Deum per fidem volare, ibique à Christo ad dextram patris sedente, veniam peccatorum impetrare, & eum in suis necessitatibus inuocare, sunt, ceu aues & feræ, quæ vltra Mizpa & Thabor auent transire, Papa primus venator, cum aliis suis aucupibus, Cardinalibus, Episcopis & sacrificis, tendunt retia & laquea, atque ea nobis opponunt, ne ad Christum peruenire possimus in cœlum. Quæ sunt retia & laquei? falsæ doctrinæ de inuocatione sanctorum, de remissione peccatorum per virtutem Missę, Indulgentiarum, & falsi cultus. Vbi hæc tendunt retia? Vbique, sed maximè in suis templis. Ibi enim traduntur hæ doctrinæ, ibi exercētur ἐθελοθρησκεία. Ergò sunt laquei, non simpliciter, sed in Mizpa & Thabor, id est, in suis templis. Verè autem tales doctrinæ & superstitiones retia sunt & laquei.

1. Laquei non facilè videri possunt à feris & auibus, iccircò, quia non ea vident, facilè in ea impingunt & capiuntur. Sed si auis aut fera videat laqueum vel rete, facilè vitabit & transuolabit: Ita laquei & retia papistica, nõ facilè ab omnibus videntur. Quare? Quia subtiliter sunt fabricatæ illorũ doctrinæ & superstitiones. Deinde prætextu pietatis, nomine Christianæ religionis, & sanctæ matris Ecclesiæ tectæ, præterea exemplis & autoritatibus aliquot sanctorum patrum, adde & locis scripturarum deprauatis, obuelatę, denique miraculis, sed mendacibus, temporum antiquitate, conciliorum approbatione, & aliis infinitis coloribus fucatæ, & pro veris, ac diuinis, populis obiectæ. Qui non videt, eas esse superstitiones, facilè impingunt in eas, & capiuntur. Qui eas lumine verbi Dei, agnoscit esse doctrinas dæmoniorum & superstitiones, facilè vitabit. Ergò verè sunt retia & laquei.

2. Venatores & aucupes non extendunt sua retia & laqueos propter salutem auium, sed propter suam vtilitatem. Sic Papistæ has doctrinas & cultus, non docent propter salutem populorum, sed propter suum lucrum & quæstum. Videmus enim omnia illorũ dogmata & cultus, ad quæstum spectare. Verè ergò sunt retia ac laquei.

3. Laquei & retia, non sunt a Deo facta, sed humano artificio. Sic falsæ doctrinæ, & cultus superstitiosi in Papatu, non sunt à Deo traditi Ecclesiæ, sed ab ipsis hominibus excogitati. Sunt ergò laquei & retia.

4. Retibus & laqueis irretiuntur aues, & capiuntur, captiuæque detinentur, cum essent anteà liberæ. Sic doctrinæ & cultus Papistici huc spectant, vt nos, qui eramus liberi per Christum, liberati à peccato & à seruitute legis, iterùm in seruitutem, & peccati, & legis, redigant. Summa, huc spectant omnes laquei & retia Papistica, vt nos impediant à volatu ad Christum in cœlum, & detineant defixos in terra, atque in elementis huius mundi. Veniamus ad praxin. Si curras ad Christum, vt illum inuoces, confestim aucupes papistici opponunt tibi ante oculos rete sanctorum demortuorum, docent, illos pro nobis apud Christum intercedere, illos igitur priùs inuocandos, & per illos ad Christum posteà accedendum. Quid hoc est, nisi obiicere rete, ne possis ad Christum peruenire, sed in creaturis detinearis: Si eas ad Christum, vt remissionem peccatorum obtineas, actutum tibi obiiciunt, Missas, Indulgentias, & alias nugas, per quas dicunt peccatorum indulgentiam obtineri, & quidem addunt, in virtute sanguinis Christi, sed per illas nobis communicati. Quid hoc est, nisi retibus & laqueis, simpliciores auiculas capere, atque in captiuitate peccatorum & legis detinere: Denique papatus, nihil est, nisi aucupium & venatio animarum, vt eas perdant, mactent, & deuorent. Aperiendi ergò sunt oculi ad lumen verbi Dei, & videnda sunt diligenter hæc retia, & visa sunt fugienda. Videris igitur, quàm eleganter Propheta appellarit sacerdotes Israel, laqueos & retia in Mizpa & Thabor, quia suis falsis doctrinis & cultibus, quos exercebant in illis montibus, illaqueabant & irretiebant populum. Ait, illos extendisse retia in Mizpa & Thabor. At Papa extendit per totum ferè terrarum orbem sua retia. Verum multæ aues iam per Dei gratiam vident retia, & euitant.

11. *Et iugulando declinantes* (apostatæ) *profundauerunt: Ego autem correctio fui illis omnibus.*

In hoc versu duo continentur. 1. est præcipuum totius populi peccatum 2. est occupatio quædam, quæ ad peccati amplificationem pertinet. Quo ad primum, peccatum populi præcipuum fuit in diuinum cultum, seu contra primam tabulam: illud tribus constabat partibus, quæ etiam a Propheta tribus verbis explicantur.

Prima erat, quòd in cultu Deo præstando, non sunt secuti formam a Deo in lege sibi præscriptam, sed ab ea recesserunt, non statim prorsus, sed paulatim ab ea declinando. Hoc explicat, dum ait, *Declinarunt iugulando*, id est, sacrificando. Cùm enim sacrificabant, iugulabant animalia. Sacrificii autem nomine per synecdochen venit totus diuinus cultus. Ac proinde cũ ait, Et iugulando declinarunt, est, ac si dicat, Et in cultu mihi pręstando, à lege mea, seu à forma in lege sibi præscripta, paulatim declinando recesserũt. Mandarat autem Deus post præscriptam formam tum diuini cultus præstandi, tum vitæ cum proximo degendæ, ne quispiam ab ea forma declinaret, vel ad dextram, vel ad sinistram. Graue igitur fuit peccatũ. At quomodo declinarunt? Bifariam, internè & externe. Deus enim in cultu duo præscripserat. Vnum externum, hoc erat tota illa externi cultus facies, quam in lege præscripserat cum omnibus circumstantiis & loci & personarum, & temporis. Verbi gratia, vt soli Leuitæ offerrent, & soli ad administrationem Sacramentorum & sacrificiorum admitterentur, idque in solo Salomonis templo, quod erat Hierosolymis. Ab hac recesserunt, idque paulatim declinando, quia & sacerdotes elegerunt ex aliis tribubus, quàm ex Leuitis, & altaria erexerunt, primò in Dan & Bethel, deinde in aliis etiam plerisque locis. Atque hoc primum est illud, quod maximè hic damnat Dominus, cum ait, *Et iugulando declinarunt*. Alterum quod in cultu præscripserat Dominus, erat internum. Illud erat vera fides, & pœnitentia, ab hoc etiam altero illos declinasse, dubium non est: & hoc etiam tacitè innuit in versu sequenti. Ego cognoui Israel, quasi dicat, interna etiam eius impietas mihi est nota. Tenemus primam partem peccati Israelis in primam tabulam, seu in cultum Dei fuisse, quòd in cultu præstando, recesserunt à forma in lege præscripta, idque paulatim declinando, & sua secuti sunt somnia. Annon idem faciunt Papistæ?

Altera pars sequitur ex prima. Ea autem est, quòd cum recesserint à forma in verbo præscripta, totum Dei cultum, & loca etiam, vbi is cultus præstabatur, contaminarunt, adulterarunt, hoc docet, cum ait, *Et iugulando seu mactando*, cum dicendum videatur, *Et sacrificando*, id est, rem diuinam faciendo, seu diuinum cultum præstando, declinarunt. Noluit illa sacrificia nomine sacrificij appellare, sed iugulationes tantùm & mactationes, vocauit, innuens à coniugatis, igitur ipsa etiam templa vbi sacrificabant, id est, iugulabant, non fuisse coram Deo templa, sed lanienas & macella. Quia cùm totus ille cultus, qui venit, vt dixi, nomine sacrificij per synecdochē, violatus & corruptus esset, quippe qui præstabatur à populo, non iuxta formam à Deo in lege præscriptã, sed iuxta formã ab hominibus excogitatam: iccircò non potuit gratus esse Deo, ideóque nec nomen diuini cultus merebatur. Atque hæc est caussa, cur Propheta noluerit illa sacrificia, nomine sacrificij dignari. Erant enim meræ iugulationes animalium & mactationes, non autem sacrificia: & loca, vbi hæc sacrificabant, erant laniena & macella, non autem templa. Ergò & sacrificatores, non erant sacrificatores sed lanij. Atque hæc est caussa, cur etiam superiùs Bethel appellauit Beth Auen, & alibi vocat, tàm ipse, quam alij Prophetæ, tales cultus, superstitionésque, scortationes, & talia templa, lupanaria, & sacrificatores, scorta & scortatores. Videmus, quibus titulis Prophetæ ornabant cultum, qui etiam Deo præstabatur, cùm illum videbant humanis superstitionibus esse corruptum. Quo nomine igitur appellandus erit cultus, qui in Papatu præstatur? Et quibus hominibus illorum templa dignabimur? Vbi multò plures & grauiores superstitiones cernimus, quàm fuerint vnquam in Israel. Et notanda est phrasis hæc Hebraica, *Et iugulando declinantes profundauerunt*. Non ait, Et cùm iugularent, declinabant, sed iugulando. Locutio hæc significat, quòd, quantò magis iugulabant, id est, offerebant sua sacrificia, eò magis declinabant & recedebant à Deo. Quare? Quia iam aberrarant a via. Quemadmodum, si quis iter faciens Romam initiò aliquantulum aberret à via, & aliam sequatur, quæ ducat in Hungariam, quantò magis festinabit, & curret per hanc alteram viam, tantò magis declinabit à via, quæ Romam ducit, & ab ipsa Roma. Ita omnes hypocritæ, cùm in cultu præstando Deo incipiunt declinare à forma, quam Dominus præscripsit, &, quæ verè, ceu via recta, ducit tàm sacrificia, quàm sacrificantem ad Deum, quantò celeriùs posteà currunt, & quantò plura

offerunt

offerunt sacrificia, & preces multiplicant, tanto longius declinant, seu recedunt a Deo, id quod euenisse in Papatu, manifestum est. Hoc est, quod docet Propheta hac locutione, *Et iugulando declinantes profundauerunt.*

Tertia pars peccati Israelis in cultum diuinum, sequitur ex praecedentibus duabus. Ea autem est quòd quanto magis sacrificia multiplicando à Deo & eius verbo recesserunt, tantò magis suum obfirmarunt animum in suis propriis superstitionibus, & [illegible] & hoc certè iure. Nam quantò longius receditur ab vno contrario, vt à polo arctico, tantò propriùs acceditur ad contrarium alterum, vt ad polum antarcticum, & in eo firmius sistitur. Ita homines superstitiosi quantò longius declinant à verbo Dei, eò magis obfirmantur in suis humanis superstitionibus. Hoc docet Propheta tertio verbo, *Profundauerunt*, sed coniunctim legendum est, cum aliis duobus praecedentibus verbis. Sensus est. *Et iugulando declinarunt, à via scilicet Dei & à Deo, Et declinantes profundauerunt, id est, animum suum profundius obstinarunt & obfirmarunt: nempe in suis superstitionibus, inque illis profundas, id est, altas egerunt radices.* Vel Profundauerunt, id est, venerunt vsque in profundum. Est enim in Hiphil, vt sit sensus. Et ita iugulando paulatim declinarunt, donec venerint in profundum scilicet contemptus Dei, superstitionum, & omne genus vitiorum.

Hoc est proprium omnium superstitiosorum, & reprobatorum hominum. 1. Vt iugulando, id est, suum cultum exercendo, declinent a verbo Dei, & à Deo, ita vt quantò magis iugulent, tantò plus declinent. 2. Vt continue iugulando, id est, suum cultum exercendo paulatim declinent a verbo Dei atque a Deo donec profundent, id est, veniant in profundum contemptus Dei omnium abominationum, & vitiorum, & tandem in profundum inferni. Ergo initio diligenter cauendum est ne aberremus à via, id est a verbo, vel pedem vnum.

Addam & aliam huius loci expositionem. Illi, qui a verbo Dei ad sacrificia declinabant profundauerunt, id est, callido & alto vsi sunt consilio. Quod dicunt enim, se immolare idolis, sed in honorem Dei.

Alterum, quod in hoc versu continetur est occupatio quaedam, quae ad praedicti peccati amplificationem pertinet. Ea haec est. Quia dominus ideò dixerat Israelitas iugulando declinasse & profundasse, quoniam neglecta forma cultus diuini, alium cultum instituerant, in variis scilicet montibus varia extruentes altaria. Potuissent Israelitae se excusando peccatum suum extenuare, dicendo. Nos certè id fecimus, quia putauimus, bonum esse, & gratum fore Deo. & si peccauimus, ignorantia certè peccauimus. Idcircò Dominus per occupationem huic excusationi occurrit, dicens, *Ego autem correctio illis omnibus* quasi dicat. Neque excusare se possunt Israelitae, aut suum peccatum extenuare, se per ignorantiam peccasse. Ego enim non destiti eos per Prophetas, perque meum verbum & legem corrigere, admonere, & ad sanam mentem reuocare, sed illi pertinaciter perrexerunt declinare, non est igitur, quod excusent ignorantiam & errorem, atque ita suum peccatum extenuent. Fuit enim pertinax peruicacia, non tantùm ignorantia, cùm Ego non cessarim per meos Prophetas illos ex totis admonere. Hic est simplex sensus huius loci, & ad amplificationem peccati Israelis vt videmus, pertinet quia ostendit illos non simplici ignorantia, sed malitia & pertinaci obstinatione peccasse, radicésque altas in suis superstitionibus egisse.

Et ait *Omnibus*. Nemo igitur se excusare potest. Nunc obseruent hunc locum Papistae. Neque bonam intentionem, neque ignorantiam vllam possunt obtendere. Nam confestim Dominus respondebit, *Ego autem correctio illis omnibus.* Annon omnibus seculis fuerunt Papistae à Deo, per varios doctores & concionatores ex verbo Domini admoniti, correcti, conuicti suarum superstitionum, & quòd declinabant a regula verbi Dei, ad Gentilitias, Iudaicásque superstitiones? praesertim verò annon fuit illis correctio Domini quadraginta annis antè? Fuerunt primò admoniti, posteà acriter reprehensi, ad haec conuicti ex verbo Domini, ex Patribus, ex conciliis, ex ipsis pontificum decretis, adde & in multis è Scholasticis. Quid amplius superest? *Ego autem correctio illis omnibus*, ait Dominus. Non est ergo quod se excusent Papistae, mera est obstinatio, peruicacia, malitia. Nouit Dominus. Resipiscant igitur & submittant se simplici verbo Domini, nec putent, se suis Missis & reliquo cultu posse iram Dei placare: Quia quò magis tali cultu pergunt Deum colere, eò magis iram Dei contra se prouocant, quia non colunt Deum, sed idolum Dei, ideóque Sathanam ipsum ea ratione.

III. *Ego cognoui Ephraim, & Israel non est absconditus à me.*

Est hic alia occupatio, qua Dominus occurrit omnibus humanis rationibus, argumentis, authoritatibus, exemplis, denique omnibus excusationibus, quibus Israelitae sua conabantur defendere, tegere, aut saltem extenuare peccata. Dominus acriter Israelitas reprehendit versu secundo, arguens. 1. defectionis à Deo. 2. contaminationis sui cultus. 3. obstinationis, in suis idololatriis, propterea quòd in cultu Deo praestando, declinarunt ab eius verbo, aliúmque cultum instituerunt, ab eo, qui est in verbo, diuersissimum, & in eo suos obfirmarunt animos: Potuissent Israelitae sese excusare, suúmque cultum variis rationibus contendere, non esse malum aut impium. Nunc igitur Dominus occurrens omnibus illis excusationibus, & rationibus humanis, ait *Ego cognoui Ephraim*, quasi dicat, cùm vos declinaueritis à verbo meo, proferte modò in medium, vt vt lubet quaecunque velitis argumenta, rationes & probationes quibus defendatis, vos non malè fecisse, vestrúmque cultum esse bonum, & cor vestrum mundum illis omnibus, etsi fortè aliquid efficiatis apud homines, apud me certè nihil efficietis, mihi certè non imponetis. *Ego enim noui Ephraim.* Quid nouit Dominus in Ephraim & Israele? Ait, *Quod in scortatum es Ephraim*, scilicet interiùs, & exteriùs totus es scortator, & Israel totus pollutus. Duo innuit. Vnum, cultum illum non posse defendi, quasi cultus sit Dei: se enim illum agnoscere pro scortatione, & ideò Israelem, cùm illum praestat cultum, scortari, scilicet cum idolis & cum Sathana: quia in eo cultu praestando, declinarunt à forma externi cultus, quam Deus in lege praescripserat. Alterum, neque etiam posse Israelitas obtendere mentis rectitudinem, & cordis puritatem, quia cùm contempserint Deum in externo cultu mutando, & adulterando, apertè declararunt, se cor habere immundum & plenum contemptus Dei, ideò adferant quaslibet excusationes illas nihil apud Deum valere. Se enim agnoscere Ephraim quòd scortatus est non corpore solum, sed etiam animo. Hic est simplex sensus.

1. Colligimus autem hanc certissimam & saluterrem doctrinam, omnes cultus & religiones, quae non sunt secundum Verbum Dei apertum institutae, qualibuscunque rationibus & autoritatibus defendantur, coram Deo esse abominationes & scortationes & tales cultores, qualemcunque obtendant animi rectitudinem, & bonam intentionem, omnes tamen coram Deo esse scortatores & omnino pollutos. Quorsum igitur argumenta à Philosophis, Patribus, à temporum antiquitate, ab episcoporum successione, & aliis locis petita ad probandum cultum, qui testimonium non habet à verbo Dei, esse bonum & Deo gratum? Possunt quidem astuti homines imponere simplicioribus, sed certè non Deo. Quare Ego, inquit, *Cognoui Ephraim*. Neque etiam illis, qui iudicant ex verbo. Sed diligentiùs haec verba perpendamus.

2. Ephraim & Israel pro eodem accipit, pro decem scilicet tribubus, sed tamen non est haec inanis repetitio. Primò nominat Ephraim, quia ex illa erant reges Israel; ideò primo loco perstringit domum regiam, quae falsum cultum introduxerat in Israel. Deinde nominat etiam Israelem, ne fortè reliquus populus putet, se innocentem esse coram Deo, aut suam impietatem non esse notam Deo.

Cùm ait, *Ego cognoui Ephraim*, tacitam antithesin facit inter se, & ipsum Ephraim, quasi dicat se Ephraim non etsi agnoscat, neque videat, suum cultum esse abominationem, suumque cor esse impurissimum: Ego tamen cognoui. Et ait, in praeterito, *Noui*, quia iam ab initio, cum Ieroboam illum cultum instituit, nouit Dominus illius animum, quo consilio id fecerit, non vt seruiret Deo, sed vt regnum sibi perpetuum seruaret, populum impediendo, ne iret Hierosolymam, alludit ad historiam 1. Reg. 12. Et emphasin habet illud Ego, id est, Ego Deus, Ego cui nil est absconditum.

Cùm ait, *Et Israel non est absconditus à me*, duo docet: Primum, Israelitas solitos fuisse se abscondere, id est, suam internam & externam impietatem tegere & occultare, variis excusationibus & defensionibus, quas in tres species diuido, quia illae sunt communes omnibus superstitiosis. Primum tegumentum, erat ipse externus cultus, eo dicebant peccata remitti, ita peccata tegebant hac falsa persuasione, & vano solatio. Alterum, si contendas, cultu illo non remitti peccata, quia falsus & Deo ingratus, vtpote non secundum imò contra verbum Dei, illum tegunt vanis defensionibus & autoritatibus Patrum suorum, antiquitate temporis, miraculis, vt & Israelitae faciebant. Tertium, si conuincas impium esse cultum, huc tandem confugiunt, sibi certè rectam fuisse, & esse mentem atque intentionem, mundum esse animum & cor. Cùm igitur ait, *Et Israel non est absconditus à me*, non dubito, quin innuat, Israelem solitum fuisse, se

suámque impietatem tegere, iis tribus tegumentorum generibus, atque hoc est primum, quod docet iis verbis.

Alterum est, hæc tegumenta, etsi valeant aliquid apud homines: apud Deum tamen nullius esse momenti. Possunt quidem Israelitæ, & alij hypocritæ, iis velaminibus, mendaciis & fucis imponere hominibus, at non certè Deo. Ideò ait *Israel non est absconditus à me*.

Summa: Docet, Deum suis oculis penetrare omnia vela. Non igitur nostris peccatis, & superstitionibus, obtendenda esse vela, quoniam id frustrà fit coram Deo. ipse enim nouit Ephraim, nouit Israelem, nouit totam Papisticam religionem, quæ & qualis sit. Sicut sol penetrat per omnes nubes: sic Deus penetrat per omnes nostras excusationes, & videt, quid in corde lateat.

Cum ait, *Quod tu fornicatus es Ephraim*, docet, quænam cognoscat in Ephraim & Israel. Primò nouit, quòd fornicatus sit, cum suo scilicet nouo cultu obtendebat, se colere Deum. Quare fornicatus est? Quia in tali cultu præstando, declinauit a verbo Dei. Pronunciat ergo, cultum Israelis fuisse scortationem, quia non erat secundum verbum Domini.

Deinde nouit, quod sit scortatus Ephraim, id est, quòd, cùm etiam cultum illum instituit, non fecit animo colendi Dei, sed scortandi à Deo, impediendi populi, ne iret Hierosolymam, & ne, vbi Deus volebat, populus Deum coleret, idque hoc consilio, ne regnum Iuda floreret, & decem tribuum accessione augeretur, alludit enim ad historiam 3. Reg. 12. Hæc igitur de Ephraim duo nouit. 1. Quòd, cùm colebat Deum eo cultu, scortabatur, ideóque illius cultum esse scortationem. 2. Illius etiam animum fuisse impurum, & scortationis plenum. Quare neque defendat cultum, neque obtendat puram mentis intentionem.

De Israele, id est, de reliquo populo quid ait? *Quod pollutus est Israel*, scilicet iisdem scortationis sordibus. 1. Quoniam & dum ipse profitebatur, se Deum colere, non colebat Deum, sed scortabatur & ipse. 2. Neque synceritatem animi obtendere poterat, quoniam nouit Dominus, quo animo populus defecit à regno Dauidis, vt est 3. Reg. 12. Item nouit, quo consilio recepit cultum a Ieroboamo institutum, animo scilicet malo & fornicario. Ergo cùm Ego optimè nouerim vtrumque, & Ephraim, id est, regem, regiámque aulam, & Israelem, id est, reliquum populum, non est opus mecum tergiuersationibus & excusationibus.

Ex hoc loco de scientia Dei, duplicem debemus fructum capere.

1. Discamus, nostris iniquitatibus, nullum excusationum velamen obduci à nobis posse coram Deo. *Ego*, inquit Deus, *noui Ephraim*. Nouit ergo & nos, & corda nostra. Curemus igitur, vt nos ipsi quoque agnoscamus, & humiliemur sub manu Dei.

2. Firmemus fidem nostram, solum illum cultum, qui est secundùm verbum Dei gratum esse Deo: qui verò declinat, esse scortationem, ideóque Papatum scortationem esse. Sic enim de Israele pronunciauit. Quod si adferant argumenta à temporum antiquitate, à Conciliis, & Patribus ducta, & nobis nihil sit, quo possimus illorum argumenta diluere, hoc vno verbo diluamus, Dominus de cultu in Israel, quia testimonium non habebat à verbo Domini, dixit, Ego noui Ephraim, & Israelem, quod fornicati sunt, quia scilicet in cultu Deo prestando declinarant à verbo. Ergo eadem ratione nouit Papalem cultum, quia non habet testimonium à verbo Dei esse scortationem. Hæc Dei cognitio mihi est satis, vt Ego quoque agnoscam, omnes tales cultus, qualis erat Israelis esse scortationes.

IV. *Non adiicient studia sua.*

Hoc versu duo continentur. Vnum est, obstinatio populi in sua malitia, & superstitionibus, propter quam pronunciat, de eo actum esse, nunquam pœnitentiam acturum. Ideoque indicat, peccatum populi fuisse peccatum in Spiritum sanctum. Hoc enim proprium esse eorum, qui peccant in Spiritum sanctum, vt non amplius reuertantur ad pœnitentiam. Hebr. 6. Ideo dicit, Non adiicient studia sua, vt conuertantur ad Dominum. Alterum, est redditio caussæ, cur scilicet non sint reuersuri ad Dominum, ideoque de eis actum sit? Hæc redditio caussæ, duo habet membra. 1. Quia scilicet spiritus fornicationis, id est, spiritus Sathanæ, ad idololatriam impellens atque dementans, in medio eorum est, id est, ita illis dominatur, tanquam rex in medio sui regni, vt ab eius imperio se liberare nec possint, nec velint. Sensus est. Quia sibi placent in suis superstitionibus, & illis delectantur.

2. Quia Iehoua non cognouerunt, quasi dicat, Si agnoscerent Dominum, fortassis quærerent se liberare à tyrannide spiritus fornicationis, sed cùm non agnoscant, non possunt quærere liberationem. Quomodo non agnoscunt? defuitne lumen? non, sed illud respuerunt: ac proinde ad amplificationem peccati facit hęc ignorantia. Hæc igitur redditio caussæ, est talis, ac si dicamus. Non reuertuntur ad Dominum, quia traditi sunt in manus Sathanæ, in reprobum sensum, in desideria cordis eorum, seu quia sepulti in abysso iniquitatis, quia in profundum contemtus Dei & omnis iniquitatis peruenerunt.

Est autem quædam species probationis, qua ab effectu probat, id quod suprà dixerat versu secundo, illos profundasse, id est, in profundum contemtus Dei, & omnis iniquitatis, & obstinationis peruenisse. Illa enim fuit quasi propositio. Postea occurrit excusationibus Israelitarum, primùm ignorantiæ in fine versus secundi, non possunt obtendere ignorantiam, deinde aliis omnibus quascunque potuissent adferre, tùm bonæ intentionis tùm splendoris cultus. Nunc probat, tales esse, ab effectu, quasi dicat. Nemo mihi obtundat caput vllis excusationibus. Vultis videre, illos in profundum obstinationis venisse? attendite & videbitis, illos non reuersuros ad Dominum, imò nec curaturos, vt id faciant. Non enim adiicient studia sua, vt conuertantur, id est, non curabunt redire.

Quia spiritus fornicationis.

Alludit ad mulierem fornicariam, quæ à spiritu fornicationis ita dementata est, & libidinibus dedita, atque inflammata, vt impossibile sit, illam redire ad suum maritum, vsque adeo capta est amore suorum amasiorum, & vsque adeò sibi placet in suis fornicationibus. Indicat igitur, Israelitas factos fuisse impudentissima scorta, quæ vsque adeò frontem omnem abiecerunt, & suis fornicationibus delectantur, vt non ampliùs curent redire ad suos maritos.

V. Et testificabitur superbia Israel in faciem eius.

1. Thargum accepit illud verbum *Hanah* pro humiliari, sicut aliquando accipitur, & sic interpretatur. Et humiliata est gloria Israel, id est, humiliabitur. Quasi dicat, Deprimentur cristæ Israelis. Sic etiam Lutherus, sic Capito, sic LXX. interpretes.

2. Alii vt Hieronymus, Munsterus, Caluinus pro respondere & testificari, in hunc sensum. Superbia, qua scilicet Israel confidens suis viribus & sua sapientia, contemnit verbum Dei, & admonitiones Prophetarum, testificabitur. Quid? quòd scilicet Israel verè fuerit superbus & præ superbia contemserit verbum Dei, ideóque quod verè dignus sit pœna. Testificabitur. Quomodo & quando? Quando Israel deprimetur & humiliabitur. Superbia igitur Israelis sui humiliatione id est, cum humiliabitur, testificabitur, Israelem fuisse superbum Dei contemtorem, ideóque dignum tali pœna, id quod ante ignotum erat. Nam superbia hæc ante, quam puniatur, & antè, quam deprimatur, non benè à mundo agnoscitur esse superbia culpabilis, & pœna digna. Exemplo sunt Papistæ. Quanta est illa superbia, qua contemnunt verbum Dei, suas audent traditiones æquare verbo Dei? qua suis cõfidentes viribus & meritis, contemnunt nudam Christi crucem? interim tamen non agnoscitur à mundo. At cum fuerint puniti & humiliati, tunc agnoscentur fuisse superbi. Tũc igitur superbia testificabitur illos fuisse superbos & tali pœna dignos, testificabitur, inquam, sui humiliatione.

In faciem eius,) id est, palàm & in eius confusionem. Siue igitur primam interpretationem siue hanc alteram, quę mihi magis placet, sequaris, denunciat hic Propheta, superbiam Israelis humiliatum iri, breui & palam, & cum magna eius ignominia. Eadem locutio est versu. 5. cap. 6.

3. Possemus etiam sic interpretari, vt futurum pro præsenti accipiamus, in hunc sensum. Versu secundo accusauerat totum Israelem, quod declinando à lege Dei, corruperint totum Dei cultum, & ita paulatim declinarint, donec profundas egerint radices in sua iniquitate & superstitionibus. Statim excusationi occurrit ab ignorantia ductæ, deinde versu tertio, occurrit omnibus aliis argumentationibus, & excusationibus, quibus potuissent Israelitæ se excusare: Se enim omnes illos nouisse. Versu quarto cœpit probare propositionem suam primam, eos scilicet profundas egisse radices in malitia, & iniquitate, ac superstitionibus, quam probauit ab effectu desperatæ impietatis: nempe ab impœnitentia. Non redeunt, nec redibunt ad pœnitentiam, non curant, nec curabunt redire ad Dominum, seu, sunt prorsus impœnitentes. Ergò declinando à lege Dei, profundauerunt, id est, profundas egerunt radices in impietate: sunt enim traditi in reprobum sensum, & spiritus Sathanæ in medio eorum. Nunc versu quinto probat idem ab alio effectu a superbia, qua Deum, Deíque verbum contemnunt, *Testificatur superbia ipsius in faciem eius*, quasi dicat, quid opus est multis probationibus? Annon superbia ipsius, quà scilicet contemnit

contemnit

temnit Prophetas,& verbum Dei,qua est inflatos,& insolescit contra Dominum,testatur in faciê eius,rem ita se habere, id est, Israelem ita declinasse à via recta,vt in profundũ malitiæ & obstinationis peruenerit. Hactenus igitur conuicit, Israelem verè perditum & desperatum fuisse, profundásque radicas in sua iniquitate & superstitionibus egisse,ita,vt inde auelli ampliùs non possit. Nunc sequitur pœna peccati. Israel ergò & Ephraim propter suam iniquitatem perdentur.

Concidet etiam Iehuda.

Hoc addit, ne putarent Iehudæi,se fore impunes. At capite primo dixit, *Iehuda autem faciam misericordiam*. Illud de misericordia, quæ facta est,dùm a Senacheribus non fuerũt penitus destructi,sicut Israelitæ. Hic autem innuit captiuitatem Babylonicam Hic tantùm de impiis in Iuda loquitur, qui scilicet Israelitas secuti sunt in defectione à verbo Dei, & sequendis idololatriis. Ibi verò de toto corpore.

VI. Cum ouibus & armentis suis ibunt ad quærendum Iehouam, & non inuenient, subduxit se ab illis.

Est etiam in hoc versu tacita quędam occupatio. Quia dixerat vers. 4. Israelem non curaturum redire ad Dominũ,& propterea concluserat. Cõcident igitur in sua iniquitate, potuisset quis excipere. Imò ipsi Israelitę magno studio quęrẽt suum Deum & non desinẽt quærere.& sacrificiis eius iram, si qua est contra Israelem,placare. Deus autem promisit, se adfuturum illis,qui se quærant. Ergò non concidet Israel.

Respondet Propheta & per concessionem irridet illorum studium, atque in summa ait, Israelitas quæsituros quidem Deum, idque magno studio & ardore, sed non inuenturos, quia Dominus se subduxit ab illis. Qua locutione innuit, illos non quærere Deum ea ratione,qua inueniri possit,sed eã potiùs, qua procul a nobis recedit. Tria ergo facit in hoc versu. 1. Per concessionem cum irrisione cõiunctam, describit studiũ,quo hypocritę Israelitę fingent,se quęrere Deum, vt sibi sit propitius Ibunt cum armentis & gregibus.

2. Ostendit illorum studium inane esse, & ridiculum dicens. *Non inuenient.* 3. Caussam indicat,cur non inuenirent, quia scilicet non tali studio acceditur ad Deum, sed potiùs receditur à Deo,& Deus recedit à nobis,dicens. *Subduxit se.*

Quòd ad primum,ait. *Cum gregibus,& armentis suis.* Cum irrisione paucis & eleganter describit quãta studium fuerit Israelitarum & consequenter omnium hypocritarum in quęrendo Deo. Primò ait, *Ibunt*, scilicet huc & illuc, modò ad hunc,modò ad illum montem & locum cursitando. Indicat, hoc esse proprium hypocritarum,vt semper & animo,& corpore vagentur, magno animi feruore, variâ locorum mutatione.cursitationibus peregrinationibus, satagant Deum sibi reconciliare & in hac re multùm sa fatigent. Papatus locum hunc reddit perspicuum. Vt Dominum sibi reconcilient,currunt alii Romam, alii ad sanctum Iacobum, alii Compostellam,alii ad idolum Lauretanum, circumeunt sua sacella & varia altaria. Ergò eunt.

Deinde,& in quem finem EVNT & vagantur,& cursitant, *ad quærendum Iehouam*, subintellige quo ad ipsorum,vt vocant finalem intentionem. Nam non propriè aut verè quærunt Deum,sed seipsos,id est, non Dei gloriam, sed sua commoda. Ideo impropriè loquitur hic Propheta cum ait, *ad quærendum Deum.* Cæterùm si interrogentur ipsi hypocritę, cur hæc faciant,cur cursitent huc illuc?respondebunt,vt quæramus Deum vt eum nobis reconciliemus,atque hæc inquiũt, est nostra intentio Iactant igitur hypocritæ,hunc esse finem suarum peregrinationum,cursitationum,sacrificiorum,operum omnium, denique studiorum suorum,vt scilicet Deum quærant. Deo inseruiant, Deum habeant propitium. Atque ita iactant,vt hanc finalem intentionem, sibi satis esse putent, ad Deum sibi conciliandum & demerendum, licèt mente à Deo vagentur, licet nullâ pœnitentiâ tangantur, licèt denique in peccatis sint immersi Res in Papatu fit perspicua. Sine vllâ pœnitentia & fide,imò sine vllâ sæpe attentione, demurmurant suas,vt vocant,horas canonicas, canunt Missas, obeunt templa,& altaria, ieiunant, interim putant, hæc omnia placere Deo,grata esse Deo,iis Deum placari,& vitam æternam deberi. Quamobrem? Quoniam,inquiunt,iis quærimus Deum & iis seruimus Deo. Atqui ea fiunt sine fide, & sine pœnitentiâ, & mente,ac corde à Deo huc & illuc vagamini. Respondent,at in iis omnibus propositum nobis est quęrere Deum,nostráque finalis intentio est,vt Deo seruiamus, Deo gratificemur,ille autem spectat hanc nostram finalem intentionem. Hoc est,quod hic docet Propheta de Israelitis, *Ibunt ad quærendum Deum.*

Tertiò, Et quomodo eunt ad quærendum Deum,ait, *Cum gregibus & armentis suis.* Iis duobus nominibus intelligit omnia sacrificiorum genera. Nomine autem Sacrificiorum venit totus cultus. Cæterùm non dixit,cum sacrificiis, sed cum gregibus & armentis suis. Quare? Quia indigna erant,quæ appellarentur sacrificia,quippe quæ sine pœnitentiâ,& sine fide, & sine verbo offerebantur ab Israelitis, in locis prohibitis, & damnatis idolis. Erant ergò mactati greges,& armenta,nõ sacrificia, sicut & suprà dixit, *non sacrificando, sed ingulãdo detlmanetes profundarunt* Sic etiam hic non ait, *cum sacrificiis, sed cum gregibus*. Indicat hoc proprium esse hypocritarũ,vt quoniam sunt fide & pœnitentia destituti, sine fine saltem multiplicent sua sacrificia. Sic Papistę faciunt, non contenti vnico Christi sacrificio, quotidie infinitas faciunt Missas, non contenti vnâ Christi oratione,quæ Dominica appellatur, alias infinitas sunt commenti,& eas quotidiè centies ingeminant. Ergò quum ait, *Cum gregibus*, indicat indefessum hypocritarum studium in præstando & augendo suo cultu.

Deinde etiam non simpliciter dixit, *cum gregibus*,id est,sacrificiis,sed addit *Suis* id est,profanis,immundis, Deo ingratis. Facit enim antithesin inter sacrificia Dei, & sacrificia hominum. Sacrificia Dei,ideóque Deo grata,sunt,quę offeruntur iuxta præscriptam in verbo Dei formam,non tãtùm externam,sed imprimis internam:nempe ea corde cum pœnitentia contrito,cum fide in Christum purificato: requirebat enim pręcipuè hęc duo Deus in sacrificiis suis. Hęc duo cum absunt,sacrificia nõ sunt sacrificia Dei,aut Deo grata, sed humana,ideóque profana. Ergo ibũt cum gregibus suis.

Postremò cum ait, *Ibunt cum gregibus suis*, subintelligenda est particula exclusiua *Tantùm*, quasi dicat. Ibunt non cum corde pœnitentia contrito, & fide purificato, vt illud offerant Deo,sed tantum cum suis gregibus,& armentis Deo offerẽdis. Tacitam enim antithesin etiam hic facit, inter ipsos Israelitas,& ipsorum greges, & innuit, Israelitas, & alios omnes hypocritas,non curare, vt seipsos offerant & sacrificent Deo,sed tantum, vt offerant suos greges, id est, res externas à se alienas. Deus autem non externa requirit per se, sed interna,nostros animos,nostra corpora,non boues. *Vide. Ps. 51.* Quoniam si voluisses sacrificium dedissem, utique holocaustis non delectaris. Sacrificium Deo,spiritus contribulatus,cor contritum. *Rom. 12.* Obsecro,vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam. sanctam, Deo placentem, rationale obsequium vestrum. Indicat igitur, quàm ingrata Deo fuerint sacrificia Israelitarum:quia tantum externa erant. Est hæc Scripturarum consuetudo obseruanda: nempe sæpenumerò intelligendam esse particulam exclusiuam, licet non exprimatur. Superius etiam,sacerdotes comedunt peccatum populi,scilicet tantum,id est, nihil curant, nisi vt sacrificia populi capiant,ita hic.

Singulæ autem hæ particulæ declarant, quam ridiculum fuerit studium Israelitarum,& consequenter omnium hypocritarum in quærendo Deo. *Ibunt*, id est, quærent Deum vagantes huc & illuc. Atqui Deus,vt inueniatur,non opus est locorum mutationibus & peregrinationibus, est enim in cœlo,in cœlum autem ascenditur spiritu & mente,fide purgatâ. Est etiam in terra,sed vbique. Stultum igitur est, currere magis ad vnum, quàm ad alium locum, vt ibi Deum quæras. Ergò stultum & ridiculum studium Israelitarum in quærendo Deo. *Ad quærendum Deum.* Non propriè quęrunt Deum,sed seipsos. Ridiculum igitur,quod aiunt, se Deum quærere. Sed per concessionem,esto,quærant Deum. At quomodo? *Cum gregibus suis tantum*, non autem suis cordibus & animis. Atqui Deus non inuenitur,nec placatur iis modis magis. Stultum igitur & ridiculum studium Israelitarum, qui magno ardore satagunt Deum sibi reconciliare, &, vt hoc obtineant, cursitant modò ad vnum, & alterum montem, modò obeunt vnum,modò alterum altare,idque cum multis gregibus & armentis.

Hactenus studium Israelitarum in quærendo Deo descripsit,& , quàm vanum fuerit,indicauit, nunc apertè vanum fuisse explicat dicens.

Quo ad secondum, *Et non inuenient.* Ergò inanis & stultus labor tùm Israelitarum,tùm omnium hypocritarum,quo laborant in suis templis & sacellis, vt Deum quærant, sibique placent. Quare? Quia nunquam illum inuenient,id est,non habebunt placatum hac ratione. Quamobrem? Quia eunt quidem,& currunt,sed extra callem: quò enim magis currunt in suis viis,eò longius recedunt à via Dei, ideóque & Deus videtur longius ab eis recedere.

Subduxit se ab illis.

Loquitur hic iuxta iudicium humanum & hypocritarum. Non enim propriè subducit se ab impiis sed impij subducunt se & recedunt a Deo ipsis tamen impiis videtur Deus à se re-

cedere, se aspernari, se reiicere, cum potiùs contra ipsi eum aspernentur, & ab eo recedant. Sicut cùm quis in naui existens, quò magis ipse recedit à turri Argitinensi, tantò magis videtur turris ipsa sic? recedere: turris tamen eadem manet, mutatio est in homine, qui recedit. Ita Deus semper idem est, à nemine recedit ipse, sed homines recedunt à Deo, interim tamen ipsi Deum accusant, quod se deserat, quod à se discedat. Sensus igitur est, vos quæritis Deum, esto, sed non inuenietis. Quare? Quia quæritis illum contrariâ viâ, quàm quærendus sit, & ita contrariâ, vt quo propriùs vobis ipsis videmini accedere ad Deum, eò longius ab illo recedatis, & ita per consequens Deus à vobis subducitur. Indicat à contrario, Deum non esse propitium (hoc est enim inuenire Deum) nisi iis qui spiritualiter & ex animo illum in Christo quærunt: nam tantùm in spiritu, id est, spiritualiter, fine ceremoniis externis. *& in veritate*, id est, verè & ex animo, non simulatè, sicut adoratur, sic & inuenitur Deus. Concedit ergò Israelitis, in sua perseuerantibus iniquitate, quod etiam si eant ad quærendum Deum: non tamen inuenient eum.

VIII. *Clangite buccina Gibhæ, tuba Ramæ, &c.*

Gibeah & Rama, ciuitates celeberrimæ & munitissimæ erant in tribu (attestante etiam Hieronymo) Ben Iamin, mutuò sibi vicinæ, Ios. 16. & 18.

Beth Auen quæ primò Luza deinde à Iacob Bethel, postremò à Prophetis propter vitulos ibi à Iarobeamo ad cultum positum Bethauen fuit appellata, in qua tribu esset, & quotuplex esset, disputant interpretes. Quidam volunt duas fuisse ciuitates huius nominis, vnam in tribu Ben Iamin, alteram in Ephraim, sic Vatablus in annotationibus in libr. Ios. cap. 18. vers. 1. Quidam, vnam tantùm ciuitatem huius nominis & eam ad finem tribus Ben Iamin fuisse. Deinde montem etiam vnum, eiusdem nominis, sic Bertbaus in Ios 16. Quidam, duas fuisse priùs ciuitates eiusdem nominis, sed posteà propter vicinitatem coniunctas in vnam, sicut Basilica vetus & noua, Roma vetus & noua. De hac, te vide Lyranum in Ios. 16. & 18 Hugo Card. in Ios. 16. ex Genesis 35. colligit, *& locum vbi ædificauit altare Iacob, & ciuitatem, iuxta quam erat ille locus*, appellatum fuisse Bethel.

Cæterùm vni Hieronymo, quia in illa regione diu fuit diligentérque omnia illa loca inspexit, plus fidei do, quàm aliis omnibus, excepto Dei verbo. Is igitur in hunc Hoseę locum sic scribit *Bethauen, quæ quondam vocabatur Bethel, in qua vitulus aureus erat fuisse in tribu Ephraim. Pulchrè autem dici à Propheta, quòd sit post tergum Ben Iamin, quia vbi finitur tribus Ben Iamin, haud procul à tribu Ephraim, hæc vrbs condita.* Sentit igitur, vnam tantùm ciuitatem fuisse quę hoc nomine appellaretur, & eam in tribu fuisse Ephraim, sed ad fines tribus Ben Iamin.

Porrò, montem etiam, ad cuius pedem erat ciuitas hæc, eiusdem fuisse nominis, & illum fuisse in tribu Ben Iamin, non pugnat cum Hieronymi verbis, nec absurdum videtur, imò consonum verbo Dei, Ios. 16. & 18. Vide ibi interpretes.

Hieronymus tamen alibi (vt Musc. in Genesin. ca. 28.) ait, Lozam esse in tribu Ben Iamin, quam posteà Iacob appellauit Bethel, & vsque hodie villam in sinistra parte viæ de Neapoli, pergentibus Æliam. Item sic ait, Bethel vicus est in duodecimo ab Ælia lapide ad dextetam euntibus Neapolin, quę primùm Luza, id est, Amygdalum vocabatur, & cecidit in sortem tribui Ben Iamin, iuxta Betham & Ai, quam expugnauit Iesus, rege illius interfecto. Item scribit, eos falli, qui suspicantur, Bethauen aliud esse oppidum, diuersum à Bethel: eundem enim esse locum, sed ideò appellatum Bethauen à Prophetis, quia ibi à Iarobeamo Nabathi filio idolum positum fuit. Aurogallus etiam in libello de Hebræis vrbium nominibus scribit, Bethel in tribu fuisse Ben Iamin.

IX. *Ephraim in desolationem* vastitatem *erit in die correctionis, in tribubus Israel cognoscere feci* docui *veritatem.*

Duo in hoc versu continentur. 1. Declaratio pœnæ, quam antè minatus est, qualis futura sit in Israel. 2. Contestatio, quòd reuera talis futura sit, qualem prædixit.

1. Quo ad primum. Quia dixerat versu septimo, Israelitas cum suis portionibus omnibus intra mensem, id est, intra breue, & certum temporis spatium, vltra quod nulla erat spes reconciliationis, consumtum iri: nempe per Assur. Et idem posteà quasi iamiam aduentaret exercitus, hypotypôsi quadam quasi sub oculos posuit versu octauo. Potuissent fortasse existimare Israelitæ, se à Deo castigatum iri paternè, id est, mediocriter, & misericorditer, sicut anteà solitus fuerat Deus illos castigare, ita, vt post illam breuem & leuem castigationem, iidem, atque in eodem statu remanerent, in quò anteà fuerant. Iccircò Propheta præcedit illis inanem spem istam, & in summa docet hanc castigationem non fore breuem aut leuem, sicut reliquæ omnes præteritæ, sed eos, sicut meriti fuerant, in nihilum redactum iri. Fuit autem hæc explicatio tum Israelitis necessaria, quoniam stupidi facti fuerunt non solùm ad Prophetarum admonitiones & reprehensiones, sed etiam ad Dei castigationes. Experti quidem fuerant sæpè iram Domini, sed quoniam non ita multò pòst sentiebât, fuisse lenem & breuem castigationem: iccircò non curabant se emendare, sed pergebant in peccatis nihilominus, quàm anteà Erat igitur necesse, vt Propheta ostenderet Israelitis, præsentem castigationem non fore breuem & lenem, quales aliæ, sed perpetuam & extremam, atque ita hac ratione à somno & stupiditate in peccatis excitaret saltem electos. Nobis verò vtilis est hæc doctrina. Discimus enim, Dominum solere peccatores intrò leniter castigare, posteà finem imponere castigationibus, vt hac paterna clementiâ cosinuitet & prouocet ad pœnitentiam. Quod si lenti & tardi adhuc non excitamur ad pœnitentiam, sed resides manemus in nostris peccatis, ille ingeminat plagas semel iterumque & tertiò, & sæpius sed tamen clementer. Verum vbi videt, nos prorsus esse stupidos ad ferulam diuinam, & omnino manere impœnitentes, tunc constituit, nullum reprehensioni locum esse, sed restare tantùm extremum exitium. Discamus igitur resipiscere ad primas Dei ferulas, quamdiu lenes sunt, nec expectemus vltimum exitium.

Sensus igitur horum verborum est, *In die correctionis*, id est, cùm Ego Deus posthac totum hoc corpus Israelitici populi, in quo continentur etiam Iehudæi, incepero corrigere, ipse Ephraim, id est 10. tribus, erit in vastitatem, id est, totum prorsus regnum delebitur, quasi dicat, Ego non ampliùs corrigam Israelem more solito scilicet paternè & clementer, nam sæpè id feci, sed nusquam resipuit, verùm omissis solitis correctionibus, Ego illum prorsus perdam. Qualis igitur erit pœna hæc grauissima & perpetua.

2. Sequitur nunc contestatio, qua affirmat, ita fore. *In tribubus Israel cognoscere feci* docui *veritatem*, quasi dicat. Hoc quod iam vobis dixi, & omnibus tribubus Israel significaui me scilicet totum perditurum Israelem propter suam impœnitentiam, est verissimum & certissimum. Ne ergò quis putet, me minari sicut anteà sæpe feci, & posteà misericordiâ motus, vel nullas omnino vel saltem lenes pœnas sumsi, sed scitote me omnino sicut prædico, facturum, perditurum, scilicet omnino totum regnum Israelis, positurúmque in vastationem totum Ephraim. Ecce iam notam feci vobis veritatem, ecce iam prædixi. Hic est simplex horum verborum sensus, quanquam etiam possunt hæc verba esse Prophetæ immediatè, non Dei, & tamen idem erit sensus.

Quidam tamen volunt, hic exaggerari peccatum populi, quod ita sit contumax, quasi dicat Propheta. Certè populus iste indignus est, qui castigetur leni, atque paterna ferula: nam Ego in tribubus Israel docui per multos annos veritatem, & omnes instruxi de suo officio, ita vt non possint obtendere ignorantiam & errorem: ipsi verò palam contempserunt Deum, idque non ignorantiâ, sed contumaciâ. Cùm hoc ita se habeat, quid igitur restat, nisi vt Deus illum redigat, in vastitatem Prior tamen interpretatio magis mihi placet Ego docui, quasi dicat. Hæc est ipsissima veritas, hæc est vltima denunciatio, eáque certissima, quòd scilicet Deus non simpliciter minetur, vt tantùm inuitet ad pœnitentiam, quasi posteà sit vestri misererurus, sed certam & coram Deo ratam denuncio vobis vindictam, eámque extremam. Ego vobis indicaui veritatem.

Hebræi quidam sic. Dominus loquitur & ait, *Ephraim erit in vastationem, & tunc illa pœna cognoscere faciam veritatem*, id est, quod Ego verum dixi, quando minatus sum transgressoribus legis meæ exitium, quódque Ego sim verus Iudex, *In tribubus Israel*. Sic accipitur præteritum pro futuro. Similis locutio frequens est apud Prophetas. *Castigabo vos, & tunc scietis, quod Ego Dominus.*

X. *Fuerunt Principes Iuda quasi*, vel, certè, *transferentes terminum, super eos effundam, quasi aquas, furorem meum.*

In hoc versu inuehitur Deus in Principes Iuda. Primũ autem grauissimè eos accusat, quod scilicet, qui debuerant populũ in officio retinere, totũ ordinem abruperint, ita, vt etiã ipsorum culpâ totus populus dilapsus sit, & recesserit à suo Deo. Deinde grauissimam illis denunciat vindictam. Capito non metaphoricè, sed propriè hunc locum interpretatur.

Prin-

Principes Iehuda fuerunt verè transferentes terminum, metaphoricè hic loquitur Propheta. Primum igitur explicanda est metaphora, deinde videndus sensus Prophetæ, tertiò quàm graue insit illud peccatum Principum Iehuda.

Metaphora hæc est. Omnia quę sunt in mundo, certis terminis sunt distincta præsertim verò agri, quam sint autē necessarij ij termini videmus: nihil enim certi esset in rebus humanis, & nemo sciret, quid suum, quid non suum, & quod suum esset, non posset retinere, nisi præfixi essent ij termini agris, domibus, vrbibus, regnis, ij termini distinguunt agros, regna, & omnia, & ... in mundo, seu rebus humanis pariūt ac seruant, efficiūtque, vt quisque nōrit, quid suum, quid alienum, retineátque suum, & alienum non tangat. Termini igitur agrorum in rebus humanis sunt necessarij. Qui transfert tales terminos, ... tollit, omnia confundit, omnem ordinem abrumpit. Transferre igitur terminos metaphoricè, est neglectis legibus, neglecta iustitia & æquitate, omnem ordinem abrumpere omnia confundere, sinere, vt omnia sine ordine & ... dilabantur, non retinere subditos in suo officio, sinere denique, vt omnia sursum deorsúmque voluantur, tàm quo ad religionem, quàm quo ad politiam. Leges enim de religione, & de politia, iustitia & æquitas quà curatur, vt in suo quisque se officio contineat, idem sunt in vrbibus & regnis, quod sunt termini in agris: ac proinde tùm Principes dicuntur transferre terminos agrorum, cùm negligunt leges, iustitiam, & æquitatem; sinúntque populum pro sua libidine grassari, tam quo ad religionem, quàm quo ad politiam, multò verò magis, cùm ipsi suis malis exempla omnia peruertunt. Habemus metaphoram.

Iam qualis sit sensus Prophetæ in his verbis ex iis quę dicta sunt, perspicuum est, duabus de caussis dixit, Principes Iuda transferre terminos agrorum. 1. Quoniam illi Principes sua negligentia & oscitantia permiserunt, Iudæos deficere à Deo, & migrare Hierosolymis, ad montes, vbi Israelitę sua habebant sacella, ibique cum Israelitis variis sese superstitionibus polluere. Postquam enim decem tribus defecerunt à regno Dauidis, tribus Iuda, ceu quidam ager & possessio Domini fuerat quasi certis limitibus, distincta ab aliis decem tribubus, ne se cum illis misceret & contaminaret. Qui erant hi limites? Erat Lex Dei, cultus legalis, & politicus ordo. Iis enim volebat *Dominus* distinguí suum agrum & hæreditatem id est, suum populum à reliquis populis. Principes in hoc positi erant à Deo, vt populum Iuda retinerent intra suos terminos in vero Dei cultu, nec illum permitterent misceri, vel cum gentibus idololatris, vel cum decem tribubus apostatis. At verò quid egerunt Principes? Neglexerunt suum officium, indulgebant genio, sua tantùm curabant, ea, quæ Dei vel populi erant, permittebant leges impunè violari, ita quasi terminos agrorum transtulerunt. Populus, fractis terminis & limitibus, migrabat ad apostatas Israelitas in montem Bethauen Gilgal, in Mizpa, & ibi se abominationibus Israelitarum contaminabat, deficiens à Deo, & suo vero cultu. Hæc est prima caussa, cur dicat Propheta, Principes Iuda fuerunt transferentes terminos. Quia, quo ad religionem, permiserunt populum deficere à Deo, & migrare ad apostatas, & cum illis misceri.

Deinde quia etiam domi quo ad politicum ordinem magnam induxerunt ... Cùm enim negligerent suum facere officium, nec curarent, populum in suo ordine retinendum, vnicuique licebat quod libebat. Itaque omnia erāt cōfusa & turbata apud Iehudæos, etiam domi. Hæc est altera caussa, cur dicat, Principes Iuda fuerunt transferentes terminum, id est, permiserunt omnia misceri, turbari, confundi tàm quo ad religionem, quàm quo ad politiam. Quomodo hæc fecerunt? sua ignauia, negligentia, socordia, iniustitia, aliisque vitiis. Ergò, quòd populus dilapsus sit, & recesserit à Deo suo, hoc factum fuit culpa Principum Iuda, qui omne pietatis studium, omnem politicum ordinem, omnémque recti & honesti curam peruerterunt.

Quàm graue autem peccatum hoc fuerit, patet *Deuter.* 27. Maledictus qui transfert terminum proximi sui. Quantò magis qui transferunt terminos & limites religionis & politię, vt fecerunt Principes Iuda. Si maledictus qui transfert terminos ab hominibus positos, quantò magis, qui terminos, id est, leges à Deo positas & firmatas. Sequitur igitur grauissima pœna contra hoc grauissimum peccatum.

In eos effundam, quasi aquas, furorem meum.

Id est, quasi diluuio immenso, eos mea ira absorbebo, & *suffocabo.* Hac metaphora innuit, se grauiùs animaduersurum in Principes, quàm in populum, & quasi totam suam iram in illos effusurum. Non enim ait, effundam sicut vinum, vel oleum, sed sicut aquam. Si effundas vinum è dolio aliquid odoris saltus adhuc remanet. Si oleum aliquid pinguedinis remanet, adhuc inter ... aquam, nec aliquid aquæ, nec coloris, vel odoris. Iuxel igitur ergo, se suam, quasi totam, iram in Principes effusurum. Vel ait, *Sicut aquam.* Quia aqua sine parsimonia effundi solet, nec parcitur aquæ: & proinde aqua, symbolum est copiæ, sicut etiam apud Iesaiam dicitur, *Scientia Domini, sic vt aqua replebit terram.* Indicat igitur, se magnam iræ suæ copiam effusurum super principes Iehuda. Sensus est. Ego mea vindicta & ira ceu diluuio eos obruam & suffocabo. Indicat igitur, eos plus nocuisse suis malis exemplis, negligentia, & ignauia, quàm reliquum populum. Quare? Quia non solùm ipsi defecerunt à Deo, & peccarunt, sed etiam caussa fuerunt, vt reliquus populus defecerit, & peccarit, Populi ergo corruptio & perditio Principibus imputatur.

XI. *Vi direptus,* vel prædæ expositus, *erit Ephraim, quia voluit, & iuit post mandatum* regis, de adorandis vitulis.

Redit ad Israelem. Docet autem in summa, iustam fore Dei vindictam contra Israelem. Quare? Quia non coactus, sed volens, & sponte secutus est impia regis edicta de mutanda religione, & adulterando cultu Dei. Duo igitur facit.

1. Prædicit pœnam, quam de Israele erat sumturus Deus.
2. Explicat caussam talis pœnæ.

Quo ad primum, ait, *Vi direptus,* vel, prædæ expositus *erit Ephraim.* Non ait, illius bona exposita iri prædæ, sed, ipsa Ephraim expositus erit prædę, scilicet cum omnibus suis bonis. Indicat igitur non solùm regnum, omniáque regni bona diripienda ab Assyriis, sed etiam ipsum vniuersum populum, atque ita in captiuitatem abducendum. Non autem ait, Occidetur, vel, abducetur captiuus, sed vsus est similitudine prædę. Quare? Vt meliùs exprimeret, quàm digna hæc pœna tali peccato, pœna scilicet talionis. Ephraim enim, cùm mutauit religionem, cùm coluit vitulos quasi prædatus est gloriam Dei, & eam transtulit ad creaturas, vt Paulus ait Rom. 1. Ergò iusta pœnam talionis Deus effecit, vt Assyrij prædati sint populum cum tota eius gloria, & transtulerint in Assyriam.

Attritus iudicio, scilicet Dei, id est, paulatim consumtus. Hoc etiam facit ad meliùs explicandam dignitatem pœnæ contra tale peccatum. Populus paulatim attriuit gloriam Dei, & de vero cultu aliquid semper paulatim detrahit, & transtulit ad creaturas. Nam initiò tantùm duo montes erant Bethel & Dan, postea multiplicatò duo altaria, posteà multa. Sic ergò Deus populum paulatim etiam attriuit per Assyrium. Primò per Tiglatphalassar attriuit è regno aliquot oppida, Aion, Abel, Bethmaancha, vt est 4. Regum. 15. & è corpore populi attriuit duas tribus cum dimidia, easque transtulit in Assyriam. Deinde per Salmanassar obsedit vrbem Samariam tribus annis, multos interim capiens & abducens, tandem totum populum abduxit. Ergò attritus *iudicio*, id est, iusta Dei vindicta.

Quod ad secundum attinet, pœnæ scilicet caussam, sequitur, *Quia voluit, & iuit post mandatum.* Cur addidit hanc caussæ explicationem, annon satis erat dixisse, quia iuit post mandatum? Fecit hoc, vt meliùs explicaret, quàm iusta esset pœna, quam Deus de illo populo erat sumturus. Nam potuisset sibi fortè videri populus innocēs esse, & extra omnem culpam. Quòd enim religio mutata sit, id non factum fuisse populo autore, neque populi suffragiis, sed solo autore Iarobeamo rege: ac proinde se iniustè puniri propter peccatum Iarobeami. Propheta igitur, vt ostendat, iustam fore pœnam, quam minatus est, docet hic, omnes tàm populum, quàm regem, eodem reatu implicitos esse coram Deo. Regem quidem, quia excogitauit talem religionis corruptelam, & eam proposuit populo. Populum verò, quia non restitit regi, neque coactus fuit à rege, sed sponte secutus est mandatum regis de mutanda religione & perperàm colendo Deo. Ergò nemo sese excuset, aut putet, se pati quippiam præter meritum.

At nunquid sequitur, quia volens iuit, populum igitur iniustè puniendum esse, si non volens secutus fuisset mandatum regis. Resp. Non hoc voluit inferre, sed tantùm indicare, duplicatam fuisse culpam populi, quòd non solùm secutus est mandatum regis impium, sed etiam volens, vltrò, & lubens secutus est. Trifariam enim dicitur aliquis volens peccare, & vnus alio grauiùs peccare. Primùm, cùm quis ita vult peccatum, vt nemine, nisi diabolo autore & impulsore, per sese illud eligat. In hoc gradu fuit Iarobeamus, cùm mutauit religionem, neminem habuit è populo suasorem, sed sua sponte illam religionis mutationem excogitauit, vt euitaret periculum perdendi regni. 2. Deinde quidam volentes per-

eant, ita vt peccato quidem illo delectentur, illúdque sibi eligant, sed non, nisi ab alio propositum. In hoc gradu fuit populus Israel. Cùm primum enim Iarobeam digitum sustulit, mandatúmque proposuit de mutanda religione, adorandóque Deo, alio cultu, quàm, qui in lege præscriptus erat, populus lubens assensus est, non reluctatus est, non contradixit, sed confestim approbauit tale mandatum. 3. Sunt etiam qui volentes peccant, sed metu pœnarum, nisi assentiantur, aut alio respectu commoti, non tamen, quod placeat sibi illud peccatum, nec approbent. Voluntas hæc imperfecta est, & talis homo est, vt Aristoteles in Ethicis habet, [illegible]. Vt cum nauta merces proiicit in mare, ne ipse cum aliis submergatur: volens quidem proiicit merces in mare, sed non lubens. In tali gradu fuit Petrus, cum negauit Christum. Peccant tamen huiusmodi, quanquam non ita grauiter, vt primi & secundi. Omnis igitur, qui volens aliquid malè agit, peccat.

Si qui verò simpliciter cogantur vi ad aliquid malè agendum, illi non dicuntur peccare, si nullo modo voluntate assentiantur, vt qui trahitur ad idolum vi genu flexo adorandum, vel, vt si qua virgo vi stupretur, minimè sua voluntate assentiente, excipitur, peccatum originis, eiúsque motus Hic locus est de voluntario & inuoluntario, qua de re fusissimè Aristoteles in Ethicis & Thom. in 2. parte summæ.

XII. Et Ego tanquam tinea, ipsi Ephraim, & tanquam teredo domui Iuda.

Versu decimo minatus est Principibus Iuda, versu vndecimo, toti Ephraim id est, decem tribubus, nunc hoc versu duodecimo, vtrique regno pœnam denunciat. Quam & qualem? vtriusque populi consumtionem, sed lentam & intestinam, paulatimque consumentem, donec tandem computrescant ambo illi populi Israeliticus nimirùm & Iudaicus. Iudaicus, inquam, ille, qui impietates Israelis secutus fuerat, quanquam prius, id est, Israeliticus citiùs altero erat consumendus. Minatur igitur, se consumturum vtrumque populum, non quidem vno impetu, quasi diluuio obruente, sicut de Principibus Iuda dixit, sed paulatim & intestinè corrosurum.

Quod ad Israelem, ait, *Ego tanquam tinea ipsi Ephraim*, Tinea, animal est paruulum, quod in pannis nascitur ex putrefactione, & pannos corrodit, idque paulatim, donec tandem consumat, nisi maturè accurratur. Sensus igitur est. Ego paulatim Israelitas regnúmque Israeliticum, lenta & intestina corrosione consumam & perdam, sicut etiam euenit, vt patet in quarto Regum libro. Primò enim intestinis odiis & inimicitiis & proditionibus sese inuicem & quidem lentè ac paulatim perdiderunt Israelitę, vt 4. Reg. 15. Mortuo Iarobeamo, regnat Zacharias eius filius sex tantum menses. Contra illum enim conturat Sellum filius Iabes. Sellumum cum regnasset mensem vnum, occidit Manahem. Huic successit filius nomine Pecchaia, sed hunc interfecit Peca filius Romeliæ, & occupat regnum. Contra quem coniurat Hoseas filius Ela. Ergò mutuò sese paulatim perdebant Israelitæ. Deinde apertis exterorum bellis consumti fuerunt paulatim. Nam post hanc Hoseę concionem à Tiglatpelassar multa oppida illis ademta, multíque Israelitæ capti, & in captiuitatem abducti. Postea venit Salmanassar, & captis reliquis oppidis Israelitarum, multísque Israelitis partim occisis, partim abductis, obsedit per annos tres ciuitatem Samariã, postremò ea vi capta, omnes, qui à gladio superfuerunt, captiuos abduxit in Assyriam. Deinceps in ipsa quoque captiuitate sensim & paulatim corrosit Deus illum ipsum populum, donec tandem in censum & genus gentium transierit, & ne nomen quidem Israelitici populi reliquum manserit. Videmus ergo vaticinium hoc Hoseæ impletum fuisse, & Dominum fuisse Ephraim, sicut tineam, quæ pannum lenta corrosione consumit, illud tamen notandum, non dixisse Israeli, sed Ephraim, è qua scilicet tribu erant reges, indicare voluit, se imprimis familiam illam regiam lentè consumturum, vt & factum fuit. Sequitur de Iuda.

Et tanquam teredo domui Iuda.

Teredo, animal paruulum est, quod in ligno & ossa atque è putredine ligni & ossis natum, lignum ipsum lenta corrosione consumit, donec computrescat. Sensus igitur est. Ego etiam Iuda intestinis malis paulatim affligam, & cõsumam & perdam. Vaticinium etiam hoc impletum videmus. Nam & Dominus valdè vexauit atque afflixit Iehudæos, & ceu teredo eos attriuit, sed paulatim. Per Assyrium cepit omnia oppida Iudææ, obsedit Hierosolymam, licèt non eam expugnarit. Posteà per reges Babyloniæ sæpenumero eam infirmauit, spoliauit, deprædatus est, & cepit Hierosolymam, combussit templum abduxit Iudæos multos, & reges Iudæorum, id est tandem omnes Babylonem abduxit. Ibi eos per annos 70. quasi teredo corrosit, attriuitque. Redierunt Hierosolymam, sed non omnes. Postea paulatim etiam imminutus populus, per Hircanum Idumæum, atque eius filios, & nepotes. Deinde per Romanos supra modum eos corrosit. Nunc quoque paulatim corrodit, & corrodet in finem vsque mundi. Quid hæc indicant, nisi, quòd Dominus, ceu teredo, domum Iuda corrodit & consumit? Impletum ergò videmus hoc vaticinium, *Ero domui Iuda sicut teredo.*

Notandus est finis, cur vsus sit hac metaphorá. Is multiplex est.

1. Vt intelligerent, sui corruptionem, non aliunde, quàm à se ipsis seu à suis iniquitatibus ortam esse. Tinea enim & teredo animalia sunt, quæ nascuntur in ipsis pannis & lignis, ex ipsorum pannorum & lignorum putrefactione. Indicat ergo, consumtionem Israelis & Iehudæ, nec vnde ortam, nisi ex ipsius vtriusque populi corruptione, seu impietate, & aliis peccatis Hoc non solum verum est in Israelitis & Iehudęis, sed in omnibus aliis impiis. Nemo ergo sui corrosionem & consumtionem, seu suæ corrosionis & consumtionis culpam transferat in Deum, sed agnoscat, eam residere in seipso, & esse ex seipso.

2. Vt agnoscerẽt, etsi Dominus nõ statim se perdebat prorsus, sed potiùs parcebat ad tempus: non tamen se futuros incolumes: quia paulatim sensuri erant lentã tabem, quæ ipsos erat consumtura. Resipiscant igitur, nec exspectent vltimam sui consumtionem. 3. Atque hic erat tertius præcipuúsque finis, vt scilicet agnitã suã putrefactione, id est iniquitate, & irã Dei, licet lentã, contra iniquitatem, ad pœnitentiam excitarentur. Hic idem finis est, cur multos alios impios nõ statim prorsus perdat Deus, sed paulatim corrodat, vt tinea & teredo: nempe, vt agnita sua ipsorum iniquitate, & quod Deus, licèt non statim perdat, tamen continuè corrodat suã irã, resipiscant, nec exspectent vltimam corrosionem.

Sed Deus in multis nihil perficit, sicut nec in Israelitis, quoniam stupidi sunt, & non benè sentiunt suum morbum: ideò nõ curant redire ad Dominum, & eius opem implorare. Sicut etiam quidam sunt ægroti, qui ita stupidi sunt, vt licèt grauiter ægrotẽt, quippe qui febri lentã in ossibus laborant: tamen non putant se ægrotare, ideóque non curãt medicum accersendum, nec eius opem implorant, quia nõ sentiunt suũ morbum. Necesse igitur illis est, vt febri aliqua vehementi corripiantur, & magno capitis dolore, vt tãdẽ sentiant, quàm grauiter ægrotent, & ita implorent medici opẽ.

XIII. Et vidit Ephraim dolorem morbum *suum.*

Conqueritur hic Dominus, quòd frustrà castiget Israelitas & Iehudæos lentis modis, vt tinea & teredo, quoniã, etsi sentiant sensúq; sint dolorem suum: non tamen perpendũt, neque perpendent caussas morbi, neque cogitabunt se à Deo propter suas iniquitates castigari, ideóque nec ad Deũ reuertentur, sed ad humana potiùs auxilia confugient, quanquam hæc etiam nõ possint illos seruare. Frustra ergo & Deus percussit eos vsitatis modis, & ipsi auxilia humana quæsierunt.

Tria ergo hic continentur. 1. Quod vterque populus stupidus sit, quia sentit quidem dolorem & vulnus suum, sed non caussas perpendit sui mali, ideò manet impœnitens.

2. Quòd vterque, cùm deberet confugere ad Dominum, quando sentiebat se ab illo cædi, neglecto Deo, confugit ad humana auxilia, vt ad opem regis Assur implorandum, ideò frustrà percussi sunt lentis & vsitatis modis. 3. Pronunciat, irritum fore, quidquid Israelitæ & Iehudæi captent auxilij humani contra manum Domini, quia nihil poterit eos iuuare, Deo contra illos pugnante. Vnam igitur tantùm superesse medicinam: nimirum, vt rectà ad Dominum reuertantur.

ANALYSIS QVINTI CAPITIS.

AVdite hæc sacerdotes, attendite domus Israel, & domus regis auscultate, vobis iudicium, nam laqueus fuistis in Mizpa, & rete expansum super Thabor.

1. Propheta, ceu publicus Dei præco, compellat cùm vniuersum populum, tùm imprimis sacerdotes, & proceres regni, iubétque, vt, quod illis nomine denunciaturus est iudicium, attentè audiant. Hac igitur concione inuehitur tùm in vniuersos Israelitas, tùm imprimis in sacerdotes & regni proceres.

2. Omnes

2. Omnes ad præsentem diuini iudicij denunciationem attentè audiendam inuitat. Ergò indicat, omnes peccasse, ideóque ad omnes hoc Dei iudicium pertinere.

3. Primo loco compellat nominatim ipsos sacerdotes. Indicat igitur, sacerdotes grauiùs reliquis omnibus peccasse.

4. Non eos vocat sacerdotes Dei, sed simpliciter sacerdotes. Significat igitur, illos non fuisse veros Dei sacerdotes, tùm quoniam non erant de tribu Leui, tùm quoniam sacerdotalem functionem non tenebant: ac proinde sacerdotes quidem fuisse, sed Baal, non Dei.

5. Compellat primo loco sacerdotes, tertio loco proceres regni, in medio vero loco collocat reliquam plebem tanquam ab illis duobus ordinibus cinctam. Innuit igitur populum ab iis duobus ordinibus, a quibus debebat sanctè & rectè gubernari, perditum fuisse, nimirùm ab Ecclesiastico ordine vna ex parte, & à politico ex altera parte.

6. Non contentus dixisse, *Audite hoc*, addit etiam *Et attendite, & auscultate*. Non est autem inanis & elegantiæ tantùm causa facta repetitio. Indicat igitur, id quod dicturus est, esse & dignum quod ab ipsis attentè audiatur, & certum, atque extra omnem controuersiam positum.

7. Denunciaturus autem illis est iudicium Dei. Indicat igitur, iudicium Dei aduersus Israelitas certo futurum: ac proinde illos frustra sibi blandiri ad verba Prophetæ obiicere, & vana captare subterfugia.

8. Citantur Israelitæ ad iudicium Dei antè, quàm illud fiat. Tempus igitur resipiscentiæ illis conceditur, ac itéque inuitantur ad reconciliationem cum Deo: ac proinde testatur, Deum nolle illos perdere, si maturè resipiscant & præueniant Dei iudicium.

9. Omnes tam sacerdotes & regni proceres, quàm reliquus populus, ex æquo iubentur audire verbum & iudicium Dei. Ergò omnes, tam reges & sacerdotes, quam reliquus populus, ex æquo subiecti sunt verbo Dei: ac proinde nullus vel potentissimus Rex, vel summus sacerdos, in tam sublimem locum euehi potest, quin super eius caput Deus cum suo verbo semper emineat. Quare supra verbum Dei, nec potestas regia, nec ad ostias sacerdotalis, vllum habet locum.

10. *Mischpat* enim significat iudicium, aliquando verò visionem diuinam: hic tamen rectius accipitur pro iudicio forensi, quatenus complectitur & causæ discussionem, & pœnæ denunciationem. In hac enim concione & peccata, tùm sacerdotum, tum populi, tum regni procerum, discutiuntur, & vltio diuina simul denunciatur. Ergo his verbis, *Quia vobis est iudicium*, citantur omnes ad iudicium Dei, vt tam sua peccata, quàm sententiam Dei contra peccata, audiant.

11. Explicaturus omnium peccata, à peccatis sacerdotum & procerum ordine dicens, *Quia fuistis laqueus*. Indicat igitur, aduersus sacerdotes & proceres, penes quos erant regni gubernacula, hoc iudicium in primis dirigi: ac proinde illos totius mali in populo autores fuisse.

12. Ait, hos duos ordines fuisse laqueos & retia nempe reliquo populo. Indicat igitur, sacerdotes & proceres illaqueasse & irretiuisse reliquum simpliciorem populum, id est in miserabilem peccati & Sathanæ seruitutem redegisse, tùm nimirùm malis exemplis & iniustitijs, atque impijs superstitionibus, falsis cultibus, mandatis impijs, doctrinique dæmoniorum.

13. Non enim simpliciter ait *Fuistis laqueus & rete*, sed ait, *in Mizpa & Thabor*. Nomine autem horum duorum celeberrimorum montium συνεκδοχικῶς veniunt & reliqui omnes montes & colles, in quibus Israelitæ noua templa, nouáque altaria extruxerant & nouum cultum instituerant. Indicat igitur populum a sacerdotibus & proceribus illaqueatum, & irretitum fuisse cum alijs malis exemplis, tum imprimis doctrinis dæmoniorum, & falsis cultibus, qui in illis montibus docebantur, & exercebantur.

14. Etenim veri laquei & vera retia, quibus populi illaqueantur & irretiuntur, ne ad Deum rectè colendum, è terra in cœlum spiritu euolare possint, sunt tum hæreticæ doctrinæ, tum impiæ superstitiones. Hæ autem doceri & exerceri maximé solent in ipsis templis & locis diuino cultui dicatis. Ergo in huiuscemodi locis & templis, tanquam in Mizpa & Thabor, doctrinis dæmoniorum & impiis cultibus, tanquam laqueis & retibus, maximè illaqueantur & irretiuntur populi, captiuique in manibus Sathanæ & peccati detinentur.

15. Ac proinde, si tui sacerdotes & proceres Israelis non simpliciter fuerunt laquei & retia, sed laquei & retia in Mizpa & Thabor, aliisque montibus, vbi nouum cultum, & instituerunt, & exercuerunt: Ita Papa, Papisticique sacerdotes, & Papistici regni gubernatores, in ipsis præcipuè templis sua habent expansa retia, suos habent paratos laqueos, suámque exercent venationem & aucupium, ibique simpliciores populos, tanquam caecas auiculas, è liberis captiuos faciunt, ne liberè in cœlum ad Christum spiritu & fide amplectendum, euolare possint.

16. Nam omnia retia & laquei sunt ab hominibus excogitati, sunt subtiliter, ne ab auibus videantur, fabricati, & in hunc finem sunt parati, vt aues in captiuitatem, è libertate captiuæ fiant, néve vlteriùs & altiùs euolare possint. Doctrinæ & cultus Papistici, sunt ab hominibus præter verbum Dei excogitati, sunt subtili artificio fabricati, ita vt non facilè a simplicioribus auiculis, quid & quale sint, videantur & denique homines è libertate in suos laqueos, & ne immediatè ad Christum spiritu in cœlo amplectendum, sursum & mundum transuolent, impediunt. Ergò, quid est inuocatio Sanctorum, quæ ne ad Christum immediatè inuocandum accedamus impedit? Quid statua quæ, ne ad Deum immediatè in cœlo adorandum, transuolemus, retinent? Quid panis Transubstantiatio quæ, vt corpus in pane, sed non est & non in cœlo, vbi est, quærcamus, admonet? Quid Missa? Quid Papisticæ indulgentiæ? Quid denique totus Papisticus cultus qui remissionem peccatorum, salutem & vitam æternam in elementis huius mundi esse, & ibique potissimum esse docet? Quid, inquam, hæc omnia, sunt nisi retia & laquei quibus, ne in cœlum ad remissionem peccatorum, & salutem a Christo per fidem quærendam & accipiendam, liberè e terra is hisce rebus subuolemus, retinemur?

17. Papatus igitur totus nihil aliud est, quam aucupium, & venatio animarum, ad eas capiendas & perdendas. Papa, & Papistici sacerdotes, sunt aucupes & venatores. Cultus Papisticus, doctrinaque Papisticæ, sunt laquei & retia. Templa Papistica, sunt Mizpa & Thabor, vbi venatio & aucupium exercentur: ac proinde iudicium quod hic denunciatur sacerdotibus Israel, in sacerdotes & Principes Papisticos multò, quam in sacerdotes Israel, competit, qui non tantùm in Mizpa & Thabor, sed per totum terrarum orbem sua retia & laqueos extenderunt.

II. Et iugulando declinantes profundarunt. Ego autem correctio illis omnibus.

1. Peccatum, quod primo loco toti obiicit populo, fuit, quòd iugulando, id est, sacrificando, declinantes scilicet fuerunt, id est, declinarunt, nempe a legis præscripto ad humana commenta, & declinando profundarunt, id est, profunda egerunt radices: nempe in suis commentis, & falsis cultibus. Primum igitur ac præcipuum totius populi peccatum in diuinum cultum fuit, seu in primam tabulam.

2. Peccatum illud tribus describit verbis, Iugulandi, Declinandi, & Profundandi. Indicat igitur, peccatum illud tribus constitisse partibus. Quarum prima fuit, quòd in cultu Deo præstando non sunt secuti formam à Deo in lege præscriptam, sed ab ea recesserunt, non quidem statim prorsus, sed paulatim ab ea declinando. Altera fuit, quòd hac ratione, quicquid etiam reliquum apud illos remanserat veri cultus, totum illud profanarunt, ita vt illorum sacrificia, non ampliùs essent sacrificia, sed meræ iugulationes. Tertia fuit, quòd quantò magis sacrificia multiplicando a Deo & eius verbo recesserunt, tantò magis in suis superstitionibus & ἐθελοθρησκείαις suum obfirmarunt animum, seu profundas radices egerunt.

3 Cùm enim ait *Et iugulando defixerunt*, verbum *Iugulandi* posuit, pro verbo Sacrificandi. Nomine autem Sacrificij venit per synecdochen totus diuinus cultus. Cùm verò ait, *Declinantes*, subintelligendum est à forma diuini cultus in lege præscripta, ad humana commenta. Indicat igitur, hanc primam fuisse peccati Israelis partem quòd in cultu Deo præstando ad humana commenta à verbo Dei paulatim declinando recesserint.

4. Huiusmodi autem declinatio, & internè fit, & externè. Internè, cùm cultus Deo exhibetur sine vera fide & pœnitentia. Hæc enim duo imprimis requirit Deus in suo cultu. Externè, cùm aliam externi cultus formam sequimur, quàm quæ in verbo Dei est præscripta. Quicquid enim ad cultum Dei etiam externum pertinet, id totum in lege sua præscripsit Deus.

5. Propheta non explicat, quomodo Israelitæ in cultu diuino a legis præscripto declinarint. Indicat igitur illos & internè & externè, sicut historia librorum Regum tradit, declinasse.

6. Non ait, *Et sacrificando*, sed, *Iugulando*. Indicat igitur, sacrificia Israelitarum, etsi mandata erant a Domino: quia tamen in illis offerendis declinabant à legis præscripto, iccirco coram Deo non fuisse sacrificia, sed meras animalium iugulationes: ac proinde hanc fuisse alteram peccati Israelitarum partem, quòd suis à verbo Dei defectionibus, suisque ἐθελοθρησκείαις totum reliquum

Dei cultum ita profanarunt, vt nomine diuini cultus non amplius dignus esset, sicut ob eandem etiam caussam Bethel non amplius erat Bethal, sed Bethauen.

7. Sacrificia Israelitarum, quia non iuxta regulam verbi Dei offerebantur, non est dignatus nomine sacrificii, sed meras appellat iugulationes. Indicat igitur, ipsos etiam sacrificatores quia non secundum verbum Dei sacrificabant, nihil aliud fuisse quàm laniones, & ipsorũ templa, nil aliud quàm lanienas: ac proinde quidquid in cultu diuino fit præter verbum Dei illud totum esse coram Deo abominationem, tantùm abest vt nomine diuini cultus appellari possit.

8. Hæc phrasis, *Et iugulando declinarunt*, significat, quòd quantò magis iugulabant, id est, sua sacrificia offerebant Israelitæ, eò longius declinabant, & recedebant à Deo, idque propterea quod suis sacrificiis offerendis, à recta via initio aberrarunt. Indicat igitur, eos omnes qui in cultu Deo exhibendo à recta via verbi Dei ad ἐθελοθρησκεία initiò declinare incipiunt, quò postea celeriùs in via suarum superstitionum festinant eo longiùs à Deo recedere.

9. *Ait profundarunt*. Hoc verbum opponit illi alteri. *Declinarunt*, id est, a cœlesti doctrina ad humanas inuentiones declinando, in profundum vsque terrenarum & infirmarum superstitionum peruenerunt, seu altas radices in eis egerunt. Docet igitur, has fuisse tertiam peccati Israelitarum partem, quòd vsque adeò à regula verbi Dei ad ἐθελοθρησκείας paulatim declinarunt, vt tandem, neglecto prorsùs Deo, animum in suis superstitionibus obfirmarint, atque ita obfirmarint, vt inde auelli ampliùs non possint, proinde desperatos fuisse.

10. Quod autem contigit Israelitis, speculum est illius, quod omnibus superstitiosis & idololatris contigit. Proprium igitur omnium & superstitiosorum, & reprobatorum hominum est. 1. vt iugulando, id est, suum cultum exercendo, à verbo Dei ad humana commenta declinent, ita vt quantò magis iugulent, tantò magis declinent. 2. vt suis iugulationibus & ἐθελοθρησκείαις quidquid etiam diuini cultus reliquum manet, totum illud profanent, ita vt non ampliùs nomine diuini cultus appellari meritò possit. 3. vt eò vsque iugulando declinent à verbo Dei, donec profundent, seu in profundum veniant contemtus Dei, omnium abominationũ & vitiorum, & tandem in profundum inferni. Quare initiò diligenter cauendum est, ne à recta via, id est, a verbo Dei vel latum vnguem aberretur, si nolimus, vt in profundum tandem omnium abominationum, & vitiorum veniatur.

11. Fuit Dominus correctio omnibus Israelitis, id est, cùm in cultu exhibendo, à legis præscripto declinarent, non destitit eos per suos Prophetas ex verbo Dei corrigere & ad veram viam reuocare. Nemo igitur potuit obtendere ignorantiam: ac proinde eò grauiùs illorum peccatum fuit, quòd non simplici errore lapsi sunt, sed pertinaci malitia, verbo Dei declinantes, suas mordicùs retinere ἐθελοθρησκείας pertexerunt. Indicat igitur, illos non tantùm fuisse apostatas, sed etiam pertinaces in sua malitia, ideóque perditos.

III. Ego cognoui Ephraim, & Israel non est absconditus à me. Quod nunc scortatus es ô Ephraim, pollutus est Israel.

1. Hoc versu duo in summa docet Deus se agnoscere 1. cultum, quem Israelitæ præter verbum Dei instituerunt, meram esse scortationem. 2. Ipsos Israelitas meros esse scortatores, totósque pollutos. Indicat igitur, neque cultum illum vllo pacto posse coram Deo defendi: se enim probè cognoscere, quòd sit scortatio, neque Israelitas vllam posse obtendere mentis rectitudinem, aut cordis puritatem, sibi enim ignotum non esse Israelem, quod totus sit pollutus, facessant igitur omnes excusationes.

2. Cùm enim ait, *Ego cognoui Ephraim*, tacitam antithesin facit inter se, & Ephraim, reliquósq; homines omnes. Indicat igitur, quod, licèt neque ipse Ephraim se ipsum suúmq; cultum qualis sit, agnoscat, neque vllus alius mortalis agnoscere possit: ipse tamen Deus vtrumque optimè nouit, & quòd cultus ille sit mera scortatio, quia alienus à verbo Dei, & ipse Ephraim vniuersúsque Israel sit scortator, totúsq; intus & foris pollutus, quia cùm contemserint Deum Israelitæ in externo cultu mutando, & adulterando, apertè declararunt se cor habuisse immundum, & plenum contemtus Dei.

3. Ac proinde indicat, Israelitas, etsi ipsis hominibus imponere possent suis argumentationibus & defensionibus, quod scilicet etiam ipsorum cultus sit bonus, & ipsi puro ac recto sint corde: ipsi tamen Deo imponere non posse. Adferant igitur, quot, & quales velint excusationes, probationes, & argumentationes, vel ad se excusandum, vel ad suum cultum defendendum, etsi illis aliquid efficiant apud homines: apud Deum tamen illas nihil valituras, quoniam ipse nouit Ephraim.

4. Docet itaque Deus hoc Israelis exemplo, tùm omnes cultus & religiones, quæ non sunt secundùm verbum Dei apertum institutæ, qualibuscunque rationibus & autoritatibus defendantur, coram Deo tamen esse abominationes & scortationes, tùm omnes tales cultores, qualemcunque obtendant animi rectitudinem, omnes tamen coram Deo esse scortatores, totósque intus & foris pollutos.

5. Cùm ait, *Et Israel non absconditus a me*, duo indicat. 1. Israelitas igitur solitos fuisse se abscondere id est, suam & internam, & externam impietatem tegere & occultare, variis scilicet velis, id est, excusationibus, & defensionibus. 2. Huiuscemodi tamen vela & excusationes etsi valuerunt aliquid apud homines: apud Deum tamen nullius fuisse momenti, quia ipse suis oculis per omnia humana vela penetret. Non posse igitur humanis peccatis vlla obtendi vela coram Deo, nisi velum misericordiæ Dei, & iustitiæ Iesu Christi, quoniam iis duobus solis humana peccata verè tegi possunt.

IV. Non adiicient studia sua, vt conuertatur ad Deum suum, quia spiritus fornicationũ in medio eorum.

1. Vaticinatur, Israelitas non adiecturos sua studia, id est, non daturos operam, nec curaturos, vt conuertantur ad Dominum, per veram scilicet resipiscentiam. Est autem hoc proprium illorum, qui peccârunt in Spiritum sanctum, vt scilicet post tale peccatum nunquam ad Dominum conuertantur, vt est Hebr. 6. Porrò peccatum in Spiritum sanctum est, voluntariè, malitiosè, & animo obstinato, ab agnita per Spiritum sanctum diuini verbi veritate prorsùs recedere, eique omninò renunciare, vt Hebr. 6. & 10. docet Apostolus. Indicat igitur, Israelitas in spiritum sanctum peccasse, ac proinde probat, eos ab agnita verbi Dei veritate, malitiosè voluntariéque recessisse, atque in sua malitia & mendacio, & superstitionibus profundasse, seu profundas radices egisse, vt vers. 2. pronunciârat.

2. Non simpliciter ait, Non reuertentur ad Dominum, sed, non adiicient sua studia, id est, non curabunt, vt conuertantur. Non curare autem, vt conuertamur ad Dominum, testimonium est summi contemtus Dei, extremæque malitiæ. Indicat igitur, istos ita in Spiritum sanctum peccasse, vt in profundum omnis malitiæ & contemtus Dei perueneri.

3. Nec simpliciter ait, *Non adiicient studia*, sed addit *Sua*. Indicat igitur quod Israelitæ non sint conuersi ad Dominũ, culpam in Deum transferri non potuisse, sed in ipsis fuisse, quoniam ipsi non adiecerunt sua studia, nec curârunt, vt cõuerterentur ad Dominum: ac proinde docet, etsi vera ad Dominum conuersio, tota est merum Dei donum, & non conuertimur, nisi Deus nos conuertat: hanc tamen cõuersionem fieri non posse, nisi adiiciamus studia nostra, id est, desideremus conuerti: hoc tamen etiam desiderium & studium Deus in nobis excitante.

4. Nec simpliciter ait, *Ad Deum*, sed addit, *Suum*, quasi dicat, ad illum suum Deum, qui se eis patefecit, qui se in filios adoptauit, qui semper liberaliter tractauit, qui denique eos ingratos & rebelles etiamnum ad se reuocare per Prophetas non desinit. Non solùm igitur hic prædicit, quid facturi erãt Israelitæ, sed etiam illorum ingratitudinem reprehendit, quòd cùm deberent spontè ad Deum suum redire, nunc etiam ab ipso Deo inuitati & rogati, redire tamen ad illum minimè curent.

5. Cum ait, *Quia spiritus fornicationis est in medio ipsorum, & Deum non cognouerunt*, alludit ad vxorem fornicatriã, quæ adeò non curat ampliùs ad maritum redire, tum quia ab vna parte igne libidinis inflammata, & amore suorum amasiorum accensa, nimiùm sibi placet in fornicationibus, delectatúrque amasiorum consortio, tùm quia ab altera parte nullo sui proprii viri amore affecta, illum non agnoscit, id est, non probat, nec vult agnoscere pro suo marito, neque illius sibi placet consuetudo, seu, quia ita dementata est amore suorum amasiorum, vt proprii viri prorsus sit oblita. Indicat igitur, duas fuisse caussas, cur Israelitæ non curârint, ideóque & reliqui hypocritæ non curent ad Dominum redire. Vnam, quoniam spiritus fornicationum in medio ipsorum, id est, quoniam à spiritu Sathanæ occupati, cæcóque superstitionum amore inflammati, nimiùm sibi placent in suis spiritualibus fornicationibus, seu in sua superstitiosa, & idololatrica religione. Alteram, quoniam Dominum non cognoscunt, id est, quoniam nullo Dei timore tacti, nullóque Dei amore affecti, illum non verè agnoscunt pro Deo suo, illiúsque religionem non probant, non amant, non ea sibi placet

placet, seu quia ita dementati sunt à spiritu Satanæ, & excæcati amore suarum superstitionum, vt Dei, & verbi Dei prorsus sint obliti.

6. Nec simpliciter ait, *Quia spiritus fornicationum inter eos*, sed, *In medio eorum*. Indicat igitur, intima Israelitarum corda fuisse cæco, stultóque suarum superstitionum amore accensa: ac proinde cum illorum corda tota essent à spiritu fornicationis occupata, non potuisse Israelitas corde saltem ad Deum redire.

V. Et testificabitur superbia Israel in faciem eius.

1. Superbia Israelis, de qua hic loquitur Propheta, fuit illa turgida animi elatio inanisque sui confidentia, qua Prophetas se corrigentes, ferre non potuit, & verbum Dei in illis contemsit. Dicitur autem superbia alicuius in ipsius faciem testificari, cùm superbus ita palàm humiliatur atque deprimitur, vt omnibus appareat ex eius confusione, illum verè superbum, eáque confusione dignum fuisse. Sicut enim vnumquodque peccatum sui punitione contra peccatorem: sic superbia sui humiliatione contra superbum testificatur. Docet igitur Propheta, Israelitas ita grauiter punitum, humiliatum, atque confusum iri, vt omnibus appareat, quantus in eis Dei contemtu, quantáque superbia fuerit: ac proinde illorum hypocrisin esse detegendam.

2. Nomen Israelis ad vniuersum populum, id est, ad decem tribus. Ephraim verò ad domũ regiam, quæ erat è tribu Ephraim, refertur. Cùm igitur ait, Israel ergo & Ephraim concident in sua iniquitate, docet tàm populum, quàm regni proceres in Israel grauiter punitum iri propter suas iniquitates: ac proinde superbos Israelitas, qui suis deliciis ebrij, inanique sui confidentia inflati, nullum ampliùs putabant aduersus se fore iudicium Dei, frustrà sibi impunitatem promittere: Dominũ enim decreuisse de eis pœnas sumere.

3. Non ait simpliciter, *Concident*, sed *Concident in sua iniquitate*. Nemo igitur concidit seu perit, aut damnatur, nisi propter iniquitatem non alienam, sed suam.

4. Nec ait, *Punientur*, sed, *Concident*. Indicat igitur, illos è fastigio suæ potentiæ, superbiæ, & inanis confidentiæ, in profundum magnæ confusionis delapsuros: ac proinde hoc verbo explicat, quid sit, superbiam illorum in ipsorum faciem responsuram, seu testimonium daturam.

5. *Concidet etiam Iehuda cum ipsis.* Indicat igitur, & tribum Iehuda eodem, quo & Israelitæ morbo, contemtum scilicet Dei, superbiæ, & aliarum iniquitatum laborasse: ac proinde ipsos etiam Iehudæos è fastigio suæ superbiæ in abyssum magnæ confusionis vnà cum Israelitis casuros. Neminem igitur euasurum iudicium Dei.

6. Etsi verò in primo capite excepit Iehudam à calamitate, quam minatus est Israelitis, hic verò vtrosque simul coniungit in eadem ruina: non pugnat tamen secum Propheta. 1. Quoniam in 1. cap. de toto corpore Iehudæorũ loquebatur, hic autem de illis tantum, qui Israelitarum corruptelas secuti sunt, id est qui deficientes ab Ecclesia Hierosolymitana, veniebant in Bethel & Gilgal. Hos vnà cum reliquis Israelitis eadem simul calamitate oppressos, abripuit Assyrius in captiuitatem. 2. Si etiam hic de toto Iudæorum corpore dictum Prophetæ accipias, in primo cap. exclusit Iudæos ab eadem prorsus calamitate, qua erant afficiendi Israelitæ, neque enim per Assyrium tunc erant Iudæi abducendi. Hic verò coniũgit cum eis in simili calamitate quia etiam Iehudæi, sicut & Israelitæ in captiuitatem erant abducendi, quanquam Israel primum in Assyrium, Iudæi postea in Babylonem. 3. In primo cap. docuit, Israelitas penitus reiiciendos, ne essent amplius populus Dei, ab illa verò reiectione exclusit Iehudæos. Hic verò tantum docet, tam Iudæos quàm Israelitas è fastigio suæ superbiæ in magnam confusionem casuros, id est tàm illos quàm istos in captiuitatem abducendos, quoniam tam illi, quam isti deficiẽtes à verbo Dei proiecerunt se ad varias gentium idololatrias, & corruptelas. Ac proinde vaticinium hoc de Iuda impletum primum tum fuit, quando aliquot Iudæi, qui defecerát à Iuda ad superstitiones Israelitarum, vnà cum Israelitis partim occisi, partim abducti ab Assyrio in captiuitatem fuerunt. Deinde, quando totum corpus Iuda post captiuitatem Israelitarum abductum & ipsum fuit captiuum in Babylonem à Nabuchadnezaro.

VI. Cum ouibus suis & cum armentis suis ibunt ad quærendum Iehouam, & non inuenient, subductus est ab illis.

1. Deridet hypocrisin Israelitarum, quòd, dum volebant quærere Deum & eum placare, huc atque illuc currebant, non quidem cum suis cordibus Deo in sacrificium offerendis, sed tantum cum armentis & ouibus, inanéq. fuisse hoc studium ostendit, quoniam cum hac ratione non solum non accedatur ad Deum, sed potius ab eo recedatur, Deus ab illis inueniri & placari nunquàm potuit. Indicat ergo, omnia hypocritarum studia quibus laborant, vt Deum suis externis tantum sacrificiis inueniant & placent, inania esse & ridicula, quoniam iis viis non solùm non acceditur ad Deum, sed etiam eò longius à Deo receditur, quò celeriùs in iis curritur.

2. Ibunt, inquit, ad quærendum Iehoua. Indicat, hoc proprium esse hypocritarum, vt Dei reconciliandi caussa, non mutent corda, sed loca, huc atque illuc ad diuersa scilicet sacella, templa, & altaria cursitando. Inanem autem esse hũc laborem, quia Deus cùm vbique sit, non locorum, sed cordium mutatione inuenitur.

3. Cùm ait, *Cum ouibus & armentis suis*, subintelligenda est particula exclusiua, *Tantum*. Excludit enim illorum corda, fidem & pœnitentiam, antithesin tacitam faciens inter Israelitas, & res externas Israelitarum. Nomine autem ouium & armentorum, id est, sacrificiorum, intelligit totum externum cultum. Indicat igitur, hypocritas ad Deum placandum non solêre afferre se ipsos, sed tantùm externa sacrificia externa opera, externúmve cultũ: Interim verò cordis sacrificium, fidem & pœnitentiam, nihil curare, inanem autem esse hunc laborem, quoniam non externis sacrificiis, sed fide & pœnitentia inuenitur Deus.

4. Non est autem dignatus Propheta talia Israelitarum sacrificia nomine sacerdotij, sed tantum Greges & Armenta appellauit. Indicat igitur, externa hypocritarum sacrificia, totúmque illorum cultum, quia sine fide, & pœnitẽtia præstatur, indignum esse appellatione cultus & sacrificij: ac proinde talem cultum coram Deo nihil aliud esse, quàm abominationem.

5. Nec ait, *Cum oue & boue*, sed in plurali, *Cum gregibus & armentis*. Indicat igitur, hoc proprium esse hypocritarum, vt quoniam sunt sine fide & pœnitentia, vero scilicet, & interno, Deóque grato sacrificio, siue sint saltem sua externa multiplicent sacrificia, suúmque externum augeant cultum: ac proinde studium hypocritarum, in suo cultu præstando & augendo esse indefessum.

6. Nec simpliciter ait, *Cum armentis & gregibus*, sed, *Suis*, tacitam faciens antithesin inter sacrificia à Deo mandata, Deóque grata, & inter sacrificia ab hominibus excogitata, Deóque ingrata. Indicat igitur, sacrificia Dei, Deo grata ea esse, quæ Deo offeruntur, iuxta præscriptam à se formam, internam, & externam. Quæ verò secus offeruntur, vt fiebat ab Israelitis, non diuina, sed humana, ideóque profana, & ingrata Deo esse sacrificia.

7. Cum ait *ad quærendum Deum*, per concessionem cum irrisione coniunctam, intelligendum est. Neque enim Israelitæ propriè quærebant Deum, sed seipsos in suis sacrificiis. Indicat igitur, hypocritas, etiamsi in suis sacrificiis & cultibus, corde procul absint à Deo: iactare tamen solitos esse, in suis cultibus sibi propositum esse tanquam finalem scopum, Deum quærere & reconciliare sibi, atque hoc proposito, finalique, vt vocant, intentione ita contentos esse, vt illam satis superque sibi esse putent ad Deum placandum & demerendum.

8. Cum ait, *Et non inuenient*, docet, propositum igitur, & studium Israelitarum, & consequenter omnium hypocritarum, quo laborant in suis templis & sacellis, vt Deum sibi placent, quia sine fide & pœnitentia id faciunt, inane prorsus atque ridiculum esse: Deum enim externis illis cultibus, sine interna pietate inueniri seu placari non posse, multò verò minus cultibus à Deo non mandatis, sed ab hominibus, præter vel contra verbum Dei, excogitatis.

9. Cùm ait, *Subduxit se Deus ab illis*, caussam reddit, cur Israelitæ, reliquíque hypocritæ, etsi multis sacrificiis Deum in suis templis diligenter quærunt, illum tamen inuenire non possint, & hanc esse indicat, quoniam per eam viam currunt, per quam quò velociùs currunt, eò longiùs cùm ipsi recedunt à Deo, tùm consequenter Deus fugit ab eis, tantum abest, vt inueniri, comprehendique ab eis possit. Indicat igitur, omnes hypocritas suis offerendis, multiplicandísque sacrificiis, benè quidem, & velociter currere ad Deum quærendum, sed quia extra viam currunt, Deum ab eis inueniri non posse.

10. Dicitur autem Deus ab impiis subducere se, atque recedere, cum impij à Deo recedant, quoniam, cum ipsi propriè à Deo recedant, videtur tamen Deus ab eis recedere. Deus enim neminem deserit, nisi deserentem se.

VII. Contra Iehouam perfidè egerunt, quia filios alienos genuerint, nunc vorabit eos mensis cum portionibus suis.

1. Cùm ait, *Contra Iehouam perfidè egerunt* alludit ad fidem maritalem, quam populus, ceu vxor, Deo tanquam viro suo, dederat, & seruare debebat. Indicat igitur populum, tanquā fornicatiam vxorem, Deum deserendo, & cum idolis fornicariam vxorem, Deum deserendo, & cum idolis fornicando, fidem Deo datam fregisse.

2. Cùm ait, *Quia filios alienos genuerunt*, in eadem perfistens allusione explicat, quàm perfidè egerint Israelitæ contra Dominum. Docet enim, Israelem, tanquam vxorem fornicatiam, primum, deserto Deo, sese idolis prostituisse, doctrinámque dæmoniorum, quasi semen adulterinum imbibisse, suxisséque, atque ita fidē marito datam fregisse. Deinde hoc non contentam, ex eodem adulterino semine, neglecto semine Dei, filios etiam adulterinos genuisse, id est, iisdem doctrinis dæmoniorum, & prauis superstitionibus gentium, suos etiam filios ab ipsa infantia imbuisse, inque eadem impiâ religione instituisse, ideóque omnem spem redeundi ad Dominum, in futurum etiam tempus abstulisse.

3. Sicut enim, etsi Patres à Deo ad superstitiones deficiūt: si tamen filios suos sinant veram Dei doctrinam doceri, aliqua spes est, fore, vt saltem filij ad Deum redeant, péque illos vera Dei religio instauretur: ita contrà, cùm patres nōn solum ipsi sunt fœdifragi, sed etiam suos filios in eandē perfidiam adducunt, iidémque prauis doctrinis & superstitionibus imbuunt, omnis resipiscentiæ spes etiam in futurum tempus abscinditur. Indicat ergò Propheta, ita vniuersos Israelitas & patres & filios à Deo defecisse, vitiatósque fuisse superstitionibus gentium, vt nulla spes relinqueretur fore, vt aliquando saltem in posteris vera religio instauraretur: ac proinde de toto Israele, & præsente, & futuro, actum esse.

4. Mensis pro tempore breui & certo, vltra quod nulla sit spes veniæ, accipitur. Solebant enim in mensem tantum, & non vlterius, contractus suos protrahere Israelitæ. Indicat igitur Propheta, Israelitas intra breue & certum statutúmque tempus, vltra quod nulla futura sit spes veniæ, consumtum iri: nempe per Assyrium, nisi intra hoc tempus resipiscāt.

5. Ac proinde docet, vnicuique breue & certum tempus, quod Mensis nomine significatur, à Deo statutū esse ad pœnitentiam, vltra quod nulla posteà spes est veniæ. Non esse igitur hypocritis procrastinandum, longásque inducias expectandas. Si enim intra hoc breue, & definitum illis tempus ad pœnitentiam non resipiscant, actum posteà de illis fore. Sic etiam hominibus ante diluuium 120. anni & Niniuitis 40. dies ad pœnitentiam concessi fuêre.

6. Nec simpliciter ait, *Mensis deuorabit eos, sed etiam cum suis portionibus*, id est, cum omnibus suis munitionibus & præsidiis. Indicat igitur, etsi Israelitę omni rerum copiâ affluerent: nihil tamen ipsis fore subsidio, quo minus posteà cum sua tota opulentia perirent, quia manus Domini est aduersa illis: ac proinde vnam tantùm esse viam defendendi nos ab ira Dei, fidem, & resipiscentiam.

VIII. Clangite cornu in Gibeah, tuba in Ramah, buccinate etiam in Bethauen post te, ô Beniamin.

1. In visione inducitur Propheta, quasi legatus Dei, qui præcones mittat per totum regnum Israelitis ad bellum illis denunciandum. Indicat ergò, Israelitis, tanquam hostibus Dei, certum imminere exitium. Deum enim armatum, nisi confestim resipiscant, iamiam aduersus illos pugnaturum: ac proinde tacitè illos inuitat ad resipiscentiam.

2. Hanc visionem & hypotyposin subiecit, vt vaticinium antè factum, nempe, mensis deuorabit vos, confirmaret. In hunc enim finem semper vaticiniis adiiciuntur visiones. Indicat igitur, comminationem Prophetę ab Israelitis fuisse contemtam atque derisam: ac proinde se hanc hypotyposin necessariò subiecisse, vt intelligerent Israelitę, Prophetæ comminationem non fuisse vnum terriculamentum, quia statim, nisi resipiscant, Deum ipsum ad vindictam suorum hostium armatum sentient.

3. Est enim hęc Dei consuetudo, vt ad suos hostes primò mittat legatos reconciliationis, qui eos ad reconciliationem hortentur, sicut 2. Cor. 5. testatur Apostolus dicens, *Legatione fungimur pro Christo, tanquam Deo exhortante per nos, reconciliamini Deo.* Si verò hostes hanc legationem pacis non recipiant, posteà apertum atque horribile bellum indicit, sicut indicat Paulus 2. Cor. 10. *Parata est vobis & in promptu vindicta contra illos omnes, qui se extollunt aduersus altitudinem Christi, quantumvis ipsi alti sint.* Hac igitur belli denunciatione se priùs legatum pacis apud Israelitas egisse, sed legationem hanc ab illis fuisse contemtam.

4. Illis tribus montanarum vrbium nominibus, Gibeah, Ramah, & Bethaue, quarum duæ priores in tribu erant Beniamin, tertia verò in tribu Ephraim, (Hieronymo etiam, qui loca illa diligenter inspexit, attestante) sed ad fines Beniamin posita, ideóque ipsi Beniamin cōtigua. Illis, inquā, tribus nominibus venit Prophetæ totum Israelis regnum. Cæterum illas tantùm tres vrbes nominauit, tùm quoniam celeberrimę erant, frequētiáque in illis comitia haberi solebāt, tum quoniam iis maximè fidebant Israelitæ, vtpote in quibus validissima erant propugnacula. Solent autem ad huiuscemodi ciuitates maximè mitti ab imperatoribus legati, cùm bellum suis hostibus indicunt. Indicat igitur Propheta, se nomine Dei per publicos (sed in visione) præcones bellum toti regno Israelis indicere, atq. inprimis iis celeberrimis locis, vt intelligāt Israelitę, neq. in iis munitissimis locis se fore securos.

5. Illa verba, *Post te ô Beniamin*, vel sunt verba, quæ Propheta voluit per præcōnes, bellum Israelis indicendo, proclamari, & tunc nomen Beniamin synecdochicè pro toto Israele accipitur, vt hæc sit horum verborum constructio & sensus. Clangite cornu in Gibeah, tuba in Ramah buccinate ipsi Bethauen dicens. Post te, id est, contra te, ô Beniamin id est, ô Israel: subaudi, bellum fer, vel denunciatur, vel aliquid tale. Cæterùm nominat tantùm Beniamin, quoniam in ea tribu erāt illæ duæ primæ ciuitates Gibeah & Ramah, illiúsque finibus coniuncta ipsa Bethauen, quibus iussit indici bellum.

6. Verba sunt Prophetæ immediatè ad Beniamin & tūc duplex potest esse sensus. 1. vt coniungantur cum pręcedente dictione Bethauen, & declarent, vbi sita erat Bethauen, sic, Buccinate ipsi Bethauen (& subintelligatur more Hebraico *Ascher* quæ est) post te, id est, post tuum tergum, ô Beniamin. Erat enim hæc ciuitas ad septentrionem ipsi Beniamin à tergo coniuncta, & ibi initium erat tribus Ephraim. Sic Hieronymus, quē postea glossa ordinaria & alij secuti sunt, interpretatur. Verba eius hęc sunt in comment. in Hoseam: *Super Bethauen, quæ quondam vocabatur Bethel, id est, in tribu Ephraim, in qua vitulus aureus erat.* Posteà subdit. *Et pulchrè dixit, quod Bethauen sit post tergum Beniamin. Vbi enim tribus finitur Beniamin, haud procul in terra Ephraim hæc vrbs condita est.* Cùm talis sit situs Bethauen, (vt Hieronymo, qui loca illa inuisit, credendum est, hęc Hieronymi interpretatio cō emni non potest. 2. Sensus, vt hęc verba non coniungantur cū præcedentibus, sed post mandatum factum pręconibus, ipse Propheta apostrophen faciat ad illam Beniamin partem, quæ erat cum Iehuda coniuncta, ideóque tacitè ipsam etiam tribum Iehuda complectens, hoc modo, Post te, ô Beniamin, subaudi, imminet hostis, & debellatis decem tribubus postea in te conuertent se hostes, Sic Vatablus annotauit, vt habetur in bibliis Rob. Stephani veteribus & nouis.

Nisi fortè sic interpretari liceat hunc versum, Prophetam totum hunc sermonem habere ad Beniamin, quæ cum Iuda erat coniuncta In hunc sensum, ô Beniamitę, clangite in vestris altissimis vrbibus, in Gibeah & Ramah. Canite, inquā, classicum ipsi Bethauen, domui iniquitatis, quę vobis a tergo non procul adiacet, id est, contra Israel. Classicum canite è vestris ciuitatibus, vnde facilè audiri potestis ab Israelitis, qui non procul à vobis adsunt. Sic Tostatius Paraphrastes Prophetarum.

Vel fortè incipit Beniamitas (qui erant cum Iehuda coniuncti, & cum Israelitarum regno illorum fines coniungebantur,) inuitare, vt se parent ad bellum, quod contra ipsos & Ephraim est facturus Dominus Israelitis, dicens. Clangite in vestra Gibeah, & classicum canite ipsi Bethaue, quę est vobis à tergo in Ephraim.

IX. Ephraim in desolationem erit in die correctionis, in tribubus Israel agnosci feci veritatem.

1. Cùm ait, *In die correctionis*, id est, cùm Deus totum hoc corpus Israelitici populi, quatenus in eo Iudęi etiam continentur, incipiet posthac flagellis corrigere, ipse Ephraim, id est, decem tribus erunt in vastitatem, id est, totum prorsus regnum delebitur. Docet, hanc pręsentem, quam suprà minatus, est, diuinam castigationem non fore leuem & breuem ipsi Ephraim, sed grauissimam atque perpetuam. Totum enim regnum esse penitus destruendum. Indicat igitur, hoc extremo exitio, Israelitas extremę fuisse malitię, planéque desperatos: ac proinde turpiter falli, si putent, se leuiter ac paternè castigatū iri à Deo, sicut anteà soliti erāt

castigari,

castigari, quoniam cum extremè sint mali, extremum quoque illis debetur supplicium.

2. Exprimitur autem malitia, propter quã fuit Ephraim in vastitatem detrusus, ea fuit quoniam cultum præter verbum Dei institutum, pertinaciter retinebat & Prophetas, hunc cultum condemnantes, contemnebat. Atqui etiam Papatus idem, & peius facit. Quale igitur exitium totum illud regnum maneat, Propheta tacitè indicat.

3. In vastitatem, inquit, erit Ephraim. Indicat igitur, Deum antea solitum fuisse castigare populum paterne, id est, non ad vastitatem: nempe, quamdiu fuit spes resipiscentiæ. Nunc verò illum velle in totum perdere, quia nulla amplius resipiscentiæ spes restat: ac proinde docet, Deum solitum esse peccatores bifariã castigare. Primùm leniter, more patris, cum scilicet spes est resipiscentiæ. Deinde & capitaliter, more iudicis, cum res est desperata, tunc enim nullum paternæ reprehensioni locum esse, sed extremum tantùm restare exitium.

4. Illud in tribubus Israel *Hodahti Neemanah* trifariam exponi potest. 1. Vt sit contestatio denunciatæ pœnæ, quasi dicat, Hoc, quod iam omnibus tribubus Israel notum feci per Prophetas, me scilicet positurum Ephraim in vastitatem, certissimũ est. Ecce iam veritatem palam indicaui, ne quis igitur putet, me minitari tantùm, nihil autẽ mali illaturum. 2. Vt sit exaggeratio peccati populi, quasi dicat Ego per annos multos veritatem docui per Prophetas in omnibus tribubus Israel. Ergò nemo potest obtendere ignorantiam: ac proinde, cùm populus adhuc pertinax sit in sua malitia, prorsùs indignus est, qui paternè & clementer castigetur, quare necesse est, vt in vastitatem ponatur Ephraim. 3. Vt præteritum pro futuro accipiatur, & ad perstringendam incredulitatem populi, certitudinémque suæ comminationis confirmandã pertineat, quasi dicat, Ephraim non vult fidem adhibere meis verbis nec credit euentura, quæ per Prophetas prædico Bene, erit in vastitatẽ, & tunc in tribubus Israel indicabo veritatem id est, efficiam, vt cognoscant, me vera per Prophetas prædixisse, sicut & alibi ait: *Et tunc scietis quòd Ego Dominus*. Hæc tertia facit & ad exaggerãdum peccatum & incredulitatem populi, & ad certitudinem sui verbi confirmandam. Præteritum autem pro futuro accipi, nimis notum est in Prophetis. Hanc ergò tertiam interpretationem libenter amplector, quanquam reliquas duas non reiicio.

X. Principes Iuda quasi, vel certè sunt, *transferentes terminum super eos effundam, quasi aquas, furorem meum.*

1. Sicut domus, & agri, & fundi, & regna certis terminis atque limitibus distinguuntur, vt quisq. agnoscat, quid suum, quidve alienũ sit: ita populi à populis diuersis legibus, tàm ecclesiasticis, & de religione, quàm politicis distinguuntur, ac, dùm in suo quisque ordine retinetur, conseruantur. Ergò leges tam de religione, quàm politicæ, quas Dominus suo peculiari dedit populo, fuerunt, ceu limites quidam, quibus quos voluit Dominus à reliquis populis distingui, & intra quos voluit illum ita contineri, vt ad alias profanas gentes migrare, ac cum illis communicare minimè liceret.

2. Qui agrorum, ædium, fundorũ, & regnorum terminos transferunt, aut abrumpunt, inducunt ἀταξίαν, omnia confundunt, omnémque ordinem abrumpunt. Ergò transferre terminos, metaphoricè est, neglectis legibus, neglecta iustitia & æquitate, omnem ordinem, tàm ecclesiasticum, quàm politicum abrumpere, ἀταξίαν inducere, efficeréque, vt omnia confusè, sursùm atque deorsùm voluantur.

3. Principes in hoc positi sunt, vt curent leges, tanquam limites suorum populorum seruari, ac denique per eas in suo quemque ordine atque officio, pietate, & honestate retineri. Principes igitur tunc dicuntur transferre terminos, cum neglecto suo officio, sinunt leges impunè violari, cum permittunt populos quocunque volunt, tam quo ad religionem, quam quoad politiam, pro libidine grassari, multò verò magis, cum ipsi sua iniustitia, ἀταξίαν in vrbem inducunt, suísque malis exemplis omnia perdunt.

4. Postquam decem tribus à regno Iehuda, ideóque à vera Ecclesia apostasiam fecerunt, ager Dominicus tanquam propria hæreditas, fuit solum regnum Iehuda, eiúsque populus à reliquis populis, id est, gentilibus idololatris, & Israelitis apostatis, pro cultu legali, & ordine politico à Deo instituto, tanquam propriis terminis distinctus. Principes verò Iehuda in hoc positi erant, vt populum Dei cum iustitia & iudicio, cum bonis exemplis intra suos terminos, in vero scilicet Dei cultu, inque honestate, & in suo quemque officio retinerent, nec illum vel cum gentibus idololatris, vel cum decem tribubus apostatis misceri permitterent.

5. Cum itaque ait, *Principes Iuda transtulerunt terminos*, indicat, Principes Iuda, primum quò ad religionem, non solum neglecto suo officio, permisisse, sed etiam suis malis exemplis & superstitionibus effecisse, vt populus, spreto verbo & legibus Dei, quasi fractis limitibus, migrarit ad apostatas Israelitas in Bethauen, in Gilgal, & alia Israelitarum templa, & ibi se abominationibus Israelitarum contaminarit, atque ita à Deo ad Sathanam defecerit. Deinde quò ad politicũ etiam ordinem eosdem Principes, non solum, neglecto suo officio, permisisse, sed etiam suis malis exemplis effecisse, vt populus, contemptis legibus omnibus, & quasi fractis omnibus iustitiæ, æquitatis, honestatis, & officii terminis, nihil non turpe & inhonestum, nihil non iniusti & iniqui tum in se, tum in proximum suum patrarit, atque ita omnem pietatem, honestatem é ciuitate profligarit: ac proinde docet, quod populus Iehuda sit dilapsus & recesserit à suo Deo, hoc factum fuisse culpa & vitio Principum Iehuda, qui non solum sua ignauia & negligentia, sed etiam malis exemplis, variísque vitiis omnem pietatem & religionem, omnem politiam & ordinem, omnem denique rectè & honestè viuendi regulam, peruerterint.

6. Maledictus in Deut. 27. qui transfert terminum proximi sui. Principes autem Iehuda transtulerunt terminos religionis & politiæ, terminos, inquam, non ab hominibus, sed à Deo positos & firmatos. Porrò grauius peccatum est, transferre hosce terminos quàm illos. Indicat igitur Propheta, Principes Iehuda fuisse à Deo maximè maledictos: ac proinde iure Deum dixisse, iram se super eos iram, instar diluuij omnia obruentis, effusurum.

7. Effundere iram super aliquem, sicut aquam est, grauiter aliquem vlcisci, seu, multas grauésque pœnas de aliquo sumere. Aqua enim, quia sine parsimonia & mensura abundè effundi solet, symbolum est copiæ in sacris literis sicut etiam illud *Iesa.* 11. Scientia domini, sicut aquã replebit terram, apertè docet. Indicat ergò, Principes Iehuda à diuina vindicta, quasi immenso diluuio submergendos atque obruendos fuisse, propterea, quòd non solum defecerunt ipsi à Deo, sed etiam in caussa fuerunt, vt reliquus populus deficeret: ac proinde docet, plures semper grauioresque pœnas manere ipsos idololatriæ autores, & defensores, quam reliquam plebem idololatram.

XI. Præda expositus erit Ephraim attritus iudicio, quia voluit, & iuit post mandatum.

1. Qua pœna sint puniendi Israelitæ, & quàm iusta illa sit futura, hoc versu distinctè docet. Indicat igitur. Deum primò secundum delictorum qualitates, pœnas de impiis sumere, deinde neminem iniustè à Deo puniri.

2. Non ait autem, *Præda exposita erunt bona Ephraim*, sed *Ephraim ipse*, scilicet totus cum omnibus suis portionibus, vt antea prædiait. Indicat igitur, non solum regnum, omniáque regni bona diripienda ab Assyriis fuisse, sed etiam ipsum vniuersum populum: tanquam prædam, partim occidendum, partim vi capiendum, atque in captiuitatem abducendum, ac proinde docet, puniri impios, nõ solum in suis externis rebus, sed maximè in se ipsis, tàm in anima, quam in corpore.

3. Neque ait, *Occidetur & punietur Ephraim*, sed *prada expositus erit*. Solet autem Deus, in pœnis de peccatoribus sumẽdis, vti pœna talionis, vt sit pœna tali peccato, de quo pœna sumitur, digna. Quia igitur ait, Ephraim prædæ expositum iri, id est, ab Assyriis capiendum, atque in Assyriam transferẽdum esse, tacitè indicat, Ephraim prædatum fuisse gloriam Deo, eámque ad creaturas transtulisse: nempe cum vitulis, mutata religione, illum detulit cultum, qui soli Deo debebatur: ac proinde docet, illos, qui Deum suo debito honore fraudant, à Deo magna ignominia afficiendos esse.

4. Nec solum ait, quòd *Ephraim expositus erit præda*, sed etiam addit, *attritus*, id est paulatim cõtritus, *iudicio*, id est, iusta Dei vindicta. Indicat igitur, sicut populus paulatim attriuit gloriã Dei, & de honore, verbóq. cultu Dei semper aliquid paulatim detraxit, atq. ad creaturas transtulit: Ita etiam Deum iuxta pœnam talionis paulatim populũ eius regni per varios hostes attriturum, donec tandem totus penitus consumatur, quemadmodũ historia 4. Reg. 15. & deinceps apertè tradit: ac proinde docet, iudicium Dei non semper statim impios consumere, sed sæpenumerò illos paulatim atterere solere, sicut & ipsi gloriam Dei paulatim solent pessundare.

5. Prædictæ pœnæ causam explicans, ait, *Quia voluit & iuit*, id est, quia voluntariè & spontè iuit *post mandatum*, scilicet regis Iarobeam de mutanda religione, vti est 3. Reg. 12. & 13. Indicat igitur, omnes tam populum, quam regem eodem reatu coram Deo implicitos fuisse. Regẽ quidem, quòd excogitarit talem religionis corruptelam, & eam populo pro-

posuerit atque mandarit. Populum verò, quòd regi talem religionis corruptelam proponenti non restiterit: sed sponte, & vltrò illam sit amplexus: ac proinde docet, tam populos, qui impiis regum edictis parent, quam reges ipsos qui impia mandant, grauiter in Deum peccare, pœnam igitur, quæ de eis sumitur, iustam esse.

6. Ait autem primò, *Quia voluit* scilicet Israel, deinde, *Et iuit.* Indicat igitur, peccatum populi priùs in ipsa voluntate fuisse, quòd maluit obedire regi impio, quam Deo iusto. Inde verò ad ipsam externam facti executionem progressum fuisse: ac proinde, etsi quò ad peccatum originis, omnes in Adamo citra propriæ voluntatis consensum peccauerunt: tamē quo ad peccata actualia, præsertim consummata, neminem nisi propria voluntate consentiente, peccare.

7. Trifariam autem dicitur quis voluntariè peccare, & primus quidē modus alio grauior est. 1. Cum quis ita vult peccatū, & illud probat, vt nemine, nisi diabolo autore, & impulsore, per se, suaque sponte, illud excogitaret atque eligat. In hoc gradū fuit Iarobeam Nabathi filius, cùm mutauit religionem. Sua enim sponte per se, nemine, nisi diabolo suasore illam religionis mutationē excogitauit, vt omne perdendi regni periculum euitaret. 2. Cùm quis ita peccatum quidem probat & vult, vt illud tamen non, nisi ab alio, præter etiam diabolum, excogitatum atque propositum eligat, amplectatúrque. In hoc gradu fuit populus Israel, cùm mandato regis de mutanda religione, seu, de perperam colendo Deo sine vlla contradictione, lubens obtemperauit. 3. Cum quis ita quidem peccatum vult, admittitque, vt tamen illud non probet, nec amet, sed pœnarum metu, nisi assentiatur commotus, vel carnis cōmodis atque illecebris illectus, spiritu repugnante, carnis tandem voluntate amplectatur. Sic Petrus, cùm negauit Christum, & filii Dei omnes, cum spiritu quidem seruiunt legi Dei, carne autem legi peccati. Qui enim ita peccat, volens quidem, quo ad carnem, sed inuitus, quo ad spiritum peccat, ideóque non ita grauiter, vt primi & secundi peccant. Qui verò externa vi ad aliquid malè agendum, voluntate nullo modo assentiente, sed repugnante, simpliciter coguntur, nullo modò peccare dicuntur: ac proinde tacitè docet Propheta, peccato originis, & eius motibus exceptis, nullum esse peccatum nisi voluntarium.

8. Quòd itaque Propheta non simpliciter dixit, *Quia iuit post mandatum*, sed *Quia voluit & iuit*, duabus de caussis id fecit. Vna fuit, vt omnem peccati excusationem illi eriperet. Nō enim inuoluntariè, neq. illa externa vi compulsus, sed voluntariè, suáque sponte mandatum regis est secutus, ideóque peccauit. Altera fuit vt duplicatam fuisse illius culpam ostenderet, quoniam nullis carnis illecebris allectus, nullóve metu pœnæ adactus, post regis mādatum iuit, sed illud prius plena & perfecta voluntate voluit, atque probauit, deinde perfecit. Hoc enim significat locutio Prophetica *voluit*, id est, perfecta voluntate elegit, *& iuit*, id est, perfecit: ac proinde docet, iustissimam igitur fuisse pœnam, quam de eo populo sumturum dixerat Dominum.

XII. *Et Ego tanquam tinea ipsi Ephraim, & tanquam teredo ipsi Iehuda.*

1. Vtrique regno & populo: Israeli nimirum, & Iehudæ corrosionem seu castigationem, sed lentam, & intestinam, paulatímque, instar tineæ, atque teredinis, consumentem, minatur Dominus. Indicat igitur, se non semper æquabili modo punire homines, sed aliquando lentè & paulatim castigare, aliquando verò, instar diluuii omnia confestim perdentis, vt suprà dixerat, totam suam iram super impios effundere: ac proinde minatur quidem vtrique populo castigationē, sed eam lentam, & cum misericordia coniunctam.

2. Alludit autem ad illud tempus, quo vtrumque populum ante, quàm in exilium pertraheretur, variis, sed lentis modis afflixit atque corrosit, sicut historiæ Regum docent. Fuit ergo tinea ipsi Ephraim. 1. Cum effecit, vt intestinis odiis, seditionibus, & homicidiis, & id quidem lentè ac paulatim, sese inuicem perderent Israelitæ, vt 4. Reg. 15. facilè est videre. Sellum enim occidit Zachariam, & regnum ei eripit. Vix mensem vnum regnat Sellum, & occiditur à Manahem, à quo etiam oppidum vnum Thipsa percutitur, & omnes, qui in eo erant, perduntur, grauidæque fœminæ dissecantur. Manahemo succedit Pechaia, sed contra eum coniurat Pecha filius Romeliæ, & in illo interfecto, ille regnum inuadit, sed contra hūc coniurat Hosea, eóque è medio sublato, regnum sibi vsurpat. Tunc igitur primum Dominus fuit tinea Ephraim, sensim ac intestinè illum corrodens. 2. Cum etiam per exteros hostes (vt partim ex 15. & 16. partim ex 17. patet) sensim spoliauit, afflixit, corrosit. Nam per Phul regem Assyriorum magna auri copia spoliatum fuit regnum Ephraim, vt est 4 Reg. 15. Deinde per Tiglatpilassar multa oppida illis adempta, multique Israelitæ capti atque abducti, & mox per Salmanassar reliqua Israelitarum oppida capta, & Samaria ipsa annos tres obsessa, 4 Reg. 15.

Ipsi etiam Iehuda fuit teredo, lente & paulatim regnum eius consumens, cùm partim per Israelitas ipsorum fratres, partim per reges Syriæ, Assyriæ, & Babyloniæ, regnū Iehuda attriuit, vt à 14. cap. 4. Reg vsque ad 25. apparet, donec tandem postea toto regno Iehuda destructo, per Nabuchadnezar omnes Iehudæi Babylonem fuerunt abducti, vt in 25. videre est.

Apparet ergò, quando, & quomodo Deus fuerit cùm ipsi Ephraim, vt tinea, cùm Iehudæ, vt teredo, cùm scilicet ante communē totius populi captiuitatē, partim per intestinas seditiones, partim per exterorum hostium incursiones, & expilationes vtrumque regnum paulatim attriuit, debilitauit, imminuit. Cùm verò totum Israelem in Assyriam, deinde omnes Iudæos Babylonem aperto marte expugnatos abduxit non fuit illis, vt teredo & tinea, sed Ephraim fuit, vt leo, & Iehudæ, vt leonculus, sicut infra versu 14. ait.

3. Tribus autem de caussis tineæ atque teredini, sensim corrodenti, sese comparauit Dominus. 1. Vt intelligerent Israelitæ & Iehudæi licèt Dominus nō statim, atque palam vtrumque illud regnum funditùs perderet: frustra tamen eos sibi blandiri & securitatem promittere. Dominū enim, tanquā tineā atque teredinem, illos iā paulatim, & intestinè corrodere, & nisi resipiscant, corrosurum, donec putrescant, meminerint igitur Deum timere. 2. Vt intelligerent, si non statim perduntur, hoc proficisci ex Dei bonitate, qui cum possit, tanquam leo, vt postea sequitur, vtrumque illud regnum, dictum factum lacerare atque discerpere: maluit tamen, instar tineæ atque teredinis, lentè punire, punire quidem, propter suam iniquitatem, lente autem, instar tineæ, propter suam misericordiam, agnoscant igitur Dei erga se misericordiam. 3. Vt eos ad pœnitentiam inuitaret, se enim nolle eos confestim tanquam leonem perdere, sed, tanquam tineam, lentè castigare, quo tempus illis ad resipiscētiam concedatur. Resipiscant igitur, quamdiu illis est Dominus, sicut tinea, nec expectent, dum illis fiat leo & leunculus, qui eos confestim in frusta discerpat.

4. Tinea & teredo in ipsis pannis & lignis quæ corrodūt, atq ex eorum putrefacta materia nascuntur. Indicat igitur, consumtionem Israelis & Iehudæ non, nisi ex vtrorumque corruptione seu impietate aliisque peccatis fuisse ortam: ac proinde neminem posse, cùm corroditur, atque consumitur ab ira Dei, suæ corrosionis caussam in Deum transferre. Eā enim esse ex nobis ipsis, id est, è nostris peccatis, atque in nobis ipsis, id est, carne nostra corrupta residere.

5. Solet autem Deus impiis esse tinea atque teredo, in anima, in corpore, in rebus externis. In anima, cum illorum conscientias sensu suæ iræ, tanquam vermis, corrodit, atque pungit, cum variis perturbationibus illorum animas affligit, cum multis inquietudinibus eorum corda exagitet, cum excæcat, cùm indurat, cum tradit in reprobum sensum, cum denique peccata peccatis punit, donec tandem in peccatis putrescant. In corpore, cum eos variis morbis paulatim conficit. In rebus externis, cum eos paulatim tineis, carie, & aliis miris modis consumit.

Si quem igitur videmus, vel hominem, vel populum, aut regnum tàm in animo, quàm in corpore, & in externis fortunæ bonis paulatim corrodi atque consumi, agnoscamus Dominum ipsum esse, qui, ceu tinea atque teredo, eos consumit atque corrodit. Ipse est enim qui ait, *Ego tinea & teredo*, sed paulatim id facit, vt tempus pœnitentiæ peccatoribus concedat: ac proinde resipiscamus, dum corrodit, vt tinea, ne posteà, tanquam leo & vrsus, nos penitus & confestim dilaniet.

XIII. *Et vidit Ephraim dolorem suum, & Iehuda vulnus suum, & iuit Ephraim ad Assur, & misit ad regem Iareb, & ipse non poterit mederi vobis, & non sanabit à vobis vulnus.*

1. Verbum *vidit* per concessionem legendum est, & tàm ad præsens & futurum, quam ad præteritum tēpus referendum. Sicut enim Dominus iā cœperat esse, & adhuc futurus erat per aliquod tempus vtrique populo tinea atque teredo: ita vicissim populus iam senserat & sensurus erat adhuc dolorem suum, veruntamen non ad Deum per pœnitentiam erat rediturus, sed ad regem Assyriæ opis implorandæ caussa confugiturus. Dubium igitur non est, quin hic & præsentem, & futuram vtriusque populi (excipiuntur semper paucæ reliquiæ) impœnitentiam, atq ad lentas & visitatas Dei ferulas, stupiditatem deploret, stultámq. illius in humanis

præsidiis confidentiam derideat.

2. Queritur enim, quod frustrà castiget, castigaturû que sit Israelitas & Iehudæos lentis modis, vti tinea, & teredo, quoniam etsi sentiant, sensurique sint dolorem ex corrosione tineæ atque teredinis: quia tamen non perpendunt, neque perpendent caussas suæ corrosionis, tantum abest, vt sint reuersuri ad Dominum, vt potiùs ad humana, eáque inania præsidia sint confugituri. Humana quidem quoniam ad Assyrium, id est, ad Iarobeam Assyriæ regem confugient. Inania verò, quoniam ipse rex Assur non poterit sua ope populum adiuuare, Deo contra eos pugnante. Frustra igitur & se Deum lentis modis illos castigare, & ipsos Iehudæos, atque Israelitas ad Assyrium confugere.

3. Cùm ait, *Vidit Ephraim dolorem suum, & Iehuda vulnus suum*, subintelligenda est particula exclusiua, *Tantum*: quasi dicat, cùm cæditur Ephraim, & Iehuda feritur, non perpendunt caussas sui doloris, & sui vulneris, neque cogitant, à quo, aut in quem finem cædantur, sed tantùm more belluino sentiunt ictus sibi illatos. Indicat igitur Propheta, hanc fuisse caussam, cur Israelitę & Iehudæi ad ferulas Dei non resipuerint, quia etsi dolorem quidem & vulnera sibi inflicta sentirent: non cogitarunt tamen, ea sibi infligi à Deo, propter sua ipsorum peccata, idque in hunc finem, vt peccatorum pertęsi ad Deum confugerent, atque salutem ab eo consequerentur: ac proinde docet, hoc esse hominum, qui spiritu Dei destituti sunt, ingenium. Quemadmodum brutæ pecudes, si feriantur, sentiunt quidem ictus, & eiulant: interea tamen, quia destituuntur iudicio & ratione, non cogitant, à quo, vel qua de caussa illud sibi malum proueniat: ita impij homines à Deo percussi, præsentem quidem dolorem & vulnus sentiunt, & dolent, interim tamen, quia destituti sunt spiritu Dei, & brutus stupor illorum mentes occupat, non reputant, à quo, & quibus de caussis, & in quem finem ita cædantur, atque hanc esse caussam, cur non curent resipiscere, & ad Deum redire, sed existimantes malum hoc casu sibi contigisse, humana tantùm & vana contra illud captant remedia.

4. Cùm ait, *Profectus est Ephraim ad Assur, & (* scilicet Iuda *) misit ad regem Iareb*, subintelligenda est particula exclusiua quæ excludit Dominum Deum, quasi dicat profecti sunt vterque populus, cum à Deo cæderentur, non ad Dominum, sed ad reges Assur, opis scilicet implorandę gratiâ. Nominat autem tantùm Ephraim, licèt etiam Iuda simul accusetur, quia Ephraim prior confugit ad Assyrios, deinde Iehudæi idem exemplum secuti sunt. De Ephraim testimonium exstat 4. Reg. 15. Manahem enim rex Israel, implorauit opem Phul regis Assyriæ, missis ad eum argenti mille talentis, vt regnum in eius manu confirmaret. De Iuda testimonium est 4. Reg. 16. Achaz enim misit nuncios ad Tiglatpilassar regem Assyriæ, qui hic à propheta appellatur Iareb & opem ab eo contra regem Israel, & regem Syriæ petit. Indicat igitur Propheta damnari Israelitas, & Iehudæos, & omnes in eis hypocritas, quod, cæsi à Domino, cùm deberent ad Dominum redire aliò, id est, ad humana tantùm auxilia animos suos conuertunt.

5. Cum ait, *Ipse tamen non poterit mederi vobis, & non sanabit à vobis vulnus*, id est, per metathesin, non curabit vos à vulnere, liptote est. Non solum enim reges Assyriæ non potuerunt Israelitis & Iehudæis à Deo per alios hostes cæsis mederi, sed etiam maiora illis inflixerunt vulnera, Deo per Assyrios vtrumque populum affligente, vt historiæ quarti libri Regum, & secundi paralipomenon tradunt. Indicat igitur, fiduciam Israelitarum, & Iehudæorum, quam in humanis auxiliis collocarunt, non solum fuisse inanem, sed & ipsis perniciosam: ac proinde duo docet. 1. Deo nos cædente, humana remedia, Deo relicto, non tantum inutilia esse, sed etiam in perniciem conuerti. 2. A contrario, cum Deus igitur nos cædit, hoc vnû tantum nobis reliquû esse salutare remedium, vt rectè ad Deum, qui nos cædit, humiles accedamus.

XIV. *Quia Ego tanquã Leo, ipsi Ephraim, & tanquã leunculus domui Iehuda. Ego Ego rapiã, & abibo, tollã, & nemo eripiet.*

1. Cùm ait, *Quia ego tanquam Leo ipsi Ephraim*, confirmat quod superiori versu docuerat, reges Assyriorum non posse Israelitas aut Iehudæos, Deo contra illos pugnante, iuuare. Quoniam, sicut nullum animal resistere potest leoni irato & famescenti: ita nemo potest Deo obstare, quò minus perdat, quibus est iratus: ac proinde vana esse subsidia, quæ Iudæi & Israelitæ contra iram Dei opponunt.

2. Antequam Israelitæ & Iudæi ad humana subsidia confugerant, dixit, se esse, & fore illis, vt tineam & teredinem, id est, lenim & placidè illos castigaturum. At vbi cœperunt ad reges Assyriorum confugere, ira accensus dixit, se illis fore, vt leonem. Indicat igitur, eos illo suo ad humana auxilia cõfugio, diuinam iram magis ac magis contra se prouocasse. Effecisse enim, vt Deus è tinea & teredine factus illis sit leo & leunculus, ac proinde docet, omnes illos, qui non ad ferulas Dei paternæ corriguntur, sed, Deo contemto, ad humana confugiunt subsidia, maximè iram Dei contra se inflammare, ita, vt qui illis erat tinea, & teredo, fiat deinceps leo & leunculus, id est, vt is, qui antea pungebat, vt tinea, posteà lacerer, vt leo, & qui anteà rodebat, vt teredo, in frusta posteà discerpat vt leunculus.

3. Discrimen aliquod facit inter pœnam, quam de Israelitis, & inter illam, quam de Iehudæis sumturus erat. Cùm ait: se Ephraim futurum, vt leonem magnum, domui verò Iuda, vt leunculum. Indicat igitur, grauiorem fore vltionem Israelitis vltione Iehuda. Israelitæ enim in perpetuam, ideóque duriorem. Iehudæi verò in temporalem annorum scilicet 70. ideóque mitiorem, captiuitatem abducendi erant.

4. Verba illa, *Ego Ego lacerabo vel discerpam, rapiam & abibo, tollam, & nemo eripiet*, periphrasis sunt, vltionis & victoriæ leonis in feram. Primò rapit magno scilicet furore, & laniat feram. Deinde potitus, nõ fugit, sicut vulpes, quia nullius terrore mouetur, sed animosè atque intrepidè suo lento gradu, tanquam fortissimus victor, reuertitur ad sua. Indicat ergò hac periphrasi Deus, se maximo furore sine cuiusquã timore vtrumque populum rapturum, in varias mundi partes dispersurum, & quasi in frusta laceraturum, nullúmque vel potentissimum Monarcham fore, qui populum hunc posset è manibus Dei, illum punientis eripere. Frustrà ergò imò in suam perniciem Israelitas & Iudæos ad reges Assur pro ope contra Deum se cædentem imploranda confugisse.

5. Cùm ait, *Rapiam & abibo*, scilicet liberè & lento meo gradu, sine fuga, innuit Israelitarum & Iudæorum subsidia, nullum sibi metum adferre posse, ita vt cogatur sese in fugam vertere. Indicat igitur omnia humana præsidia contra Dei iram opposita, verè inania & ridicula esse.

XV. *Ibo, reuertar ad locum meum, donec peccent*, id est agnoscant, se peccasse, *& quærant faciem meam, vbi fuerit ipsis adflictio, properabunt ad me.*

1. Etsi Deus vbique est quia tamen in cœlo & è cœlo meliùs & clariùs quam alibi virtus & opera Dei declaratur, qua declaratione Deus ibi esse agnoscitur atq; sentitur, icircò proprius Dei locus dicitur esse cœlũ. Huc illud, *Pater noster, qui es in cœlis*. Cùm igitur ait, *reuertar ad locum meum*, intelligitur in cœlũ. Etsi verò etiam nullo loco mouetur Deus, quo ad suam essentiam, quia tamen quodammodò mouetur, quo ad eius effecta & operationes in mũdo, icircò cùm aliquod insigne opus vel misericordiæ, vel iudicij, alicubi operatur, quoniam tali insigni opere suã ibi præsentiam declarat, dicitur de cœlo ad eum locum deuenisse. Cùm verò talia insignia opera desinit alicubi operari, id est, cum nec peccatis ampliùs pœnas sumit, nec sua erga nos beneuolentię signum aliquod ampliùs exhibet, dicitur ab eo loco discessisse. Cùm igitur ait *Ibo*, id est, discedam *reuertar ad locum meum*, duo indicat. 1. Se igitur primum quasi è cœlo in regnum Israel & Iuda venturum, ad sæuiendum scilicet in vtrumque populum, & vtrumque in captiuitatem rapturum. 2. Postquam in vtrumque regnum sæuierit, & vtrumque populum in captiuitatem pertraxerit, se deinde quasi è terris in cœlum reuersurum, id est, se ibi populum deserturum, & nullum vel iudicij vel misericordiæ signum illi præbiturum, & quasi omnem illius curam abiecturum, ideóque se in cœlo quasi quietum & otiosum fore, quoniam nec suã contra illum populum reuelabit, nec vllam etiam lucem salutis illi è cœlo proferet. Sensus igitur est, postquam vltimũ supplicium de vobis sumsero, & in exsilium vos abduxero, vos ibi in Chaldea & Assyria deseram, in neutram partem vos curans, & Ego quasi in cœlum redibo, ibique meã fruar quiete, omni vestri cura prorsus abiecta.

2. Non simpliciter ait, *Reuertar ad locum meum*, sed addit, *Donec peccent & quærant faciem meam*, id est, donec, agnitis suis peccatis, per fidem me quærant, & verè resipiscant. Indicat igitur Deus, se non perpetuò in cœlo quieturum, sed ad tempus, donec scilicet vterque populus resipiscat, tunc enim rursus ad eum rediturum se è cœlo, sed alio adeuntus genere quàm prius: nempe non ampliùs ad sæuiendum, sed saluandum: ac proinde docet, finem tum suæ in electos seueritatis, tum sui ad tempus ab electis discessus esse, vt electi resipiscant & seruentur.

3. *Aſcham*, id eſt, peccare, ſæpenumero in ſcripturis, ſicut & hic, accipitur pro agnoſcere ſe peccaſſe. Tunc enim etiam homines dicuntur peccare, cùm in conſpectum Dei cum vera ſuorum peccatorum cognitione & confeſſione veniam precantes prodeunt. Quærere verò faciem Dei eſt, per fidem quærere in Christo fauorem Dei, ſupplicem ſeſe ei oſtendendo, & veniam poſtulando. Indicat ergò Deus, ſua in populum ſeueritate duo ab illo quæſiuiſſe. 1. Vt agnoſceret, & ſimul doleret ſe peccaſſe. 2. Vt per fidem faciem Dei, id eſt, eius fauorem quæreret & veniam peteret: ac proinde docet, duas eſſe veræ reſipiſcentiæ partes. 1. Ipſam veram ſolidámque peccati cognitionem, quæ, ſi vera & ſolida ſit, ſine eiuſdem peccati deſtructione ac deteſtatione eſſe non poteſt, ad hanc refertur verbum, *Aſcham*. 2. Ipſam fidem, qua faciem, id eſt fauorem & gratiam Dei in Christo vera Dei facie quærimus ac ſupplices petamus, ad hanc refertur locutio illa, *Et quærent faciem meam*.

4. Dicit autem primò, *Donec agnoſcant ſe peccaſſe*, deinde, *quærent faciem meam*. Indicat igitur, neminem poſſe quærere faciem Dei, niſi priùs agnoſcat, ſe peccaſſe: ac proinde cognitionem peccati primam eſſe pœnitentiæ partem, ideóque & primum ſanationis ſeu iuſtificationis initium.

5. Dicit, *Ibo & reuertar ad locum meum, donec agnoſcant ſe peccaſſe*. Indicat igitur, Iudam & Iſraelem, cùm ſenſim corroderentur à tinea (vt antè dixit) ſenſiſſe quidem dolorem, ſed non agnouiſſe, ſe peccaſſe, id eſt, non perpendiſſe ſui doloris & ſui vulneris cauſſa: ac proinde docet, homines ex lenta tineæ corroſione ſæpenumerò ſentire quidem dolorem, ſed non agnoſcere, ſe peccaſſe. Vt ergò verè agnoſcant, ſe peccaſſe opus eſſe crudeli leonis laceratione, id eſt, vehementi ira Dei, & vt à Deo deſerantur.

6. Finis & fructus huius doctrinæ, vbi dixit Propheta populo, Deum faciem ſuam ab eis abſconſurum, id eſt, ſe illos deſerturum in exſilio, non in perpetuum, ſed ad tempus, donec ſcilicet ipſi agnoſcerent, ſe peccaſſe, & quærerent faciem eius, fuit, vt pij, cùm viderent ſe in exſilio ita prorſus à Deo deſtitutos, perinde ac ſi Deus omnem prorſus illorum curam abieciſſet, huiuſce doctrinæ Propheticæ recordarentur, non fore hoc perpetuum, ſed ad tempus, donec ſcilicet reſipiſcant, nec in malum, ſed in bonum finem ſe à Deo deſeri nempe, vt reſipiſcant, ideóque rùm ſe ad pœnitentiam excitarent, cùm ſe in fide & ſpe ſuſtinerent: ac proinde docet, non in alium finem filios Dei à patre Deo ad tempus deſeri, niſi vt non perpetuò ab eo deſerantur.

7. Non contentus dixiſſe, *Ibo, reuertar ad locum meum, donec agnoſcant peccatum ſuum & quærant faciem meam*, adiecit certam promiſſionem, fore certè, vt Iſraelitæ & Iehudæi ſcilicet electi ad Deum reuertantur, quærántque eius faciem. Hoc autem adiecit, vt certam ſpem conciperent ſuæ ſalutis: minimùm, ſe non in perpetuum deſerendos, ſed fore tandem, vt ad Deum ſuum reuertantur. Tria igitur indicat hac promiſſione adiecta. 1. Ex illa igitur particula *Donec* non potuiſſe colligi (quia vim habet conditionalis particulæ) populum tandem quæſiturum faciem Dei, atque ad ſuum Deum reuerſurum: ſicut neque ex illo *Donec*, Euangelii debitorem futurum in carcere, donec perſoluat omnia vſque ad minimum quadrantem, colligi poteſt: Perſoluturum ergò omnia: ac proinde ineptiſſimè loco illo abuſos fuiſſe Papiſtas ad probandas ſatisfactiones purgatorij.

2. Concludit, crucem igitur, ſeu tribulationem ſemper in electis, etſi, non ſtatim, tandem tamen ſuum conſequi effectum & fructum. 3. Fructum autem crucis in electis eſſe veram reſipiſcentiam, reditum ad Deum, ideóque veram ſalutem. Certa eſt enim promiſſio hæc, ad omnes electos pertinens, *Vbi fuerit afflictio properabunt ad me*: ac proinde docet, crucem ipſis electis, etſi ad tempus ſit acerba, tandem tamen fieri illis vtilem atque iucundam, iuxta illud etiam *Heb.* 12. Omnis diſciplina, ſeu caſtigatio, in præſens quidem non videtur eſſe iucunda, ſed moleſta, vt poſteà fructum tranquillum iuſtitiæ reddit iis, qui per illum fuerint exercitati.

CAPVT VI.

I. A*Gite, reuertamur ad Iehouam: nam ipſe rapuit, & curaturus eſt nos: percuſſit, & obligaturus eſt nos.*

Venite & reuertamur ad Iehouam, quoniam ipſe rapuit, id eſt, more rapientis feræ vulnus infligit, *& ſanabit nos: percuſſit*, ad verbum, percutiet, *& curabit nos*, ad verbum, alligabit nos, id eſt, plagas noſtras.

Taraph R. D. Kimhi ait eſſe verbum, licèt habeat duo Cametz.

Iach à *Nachah* eſt futurum 3. perſ. ſing. num. Percutiet, ſed coniungitur cum præcedente verbo præterito: & deeſt vau, quod futurum vertit in præteritum, ideo benè in præterito vertitur.

Chabhaſch alligare, ſcilicet plagas & vulnera, ideóque vno verbo vertitur curare.

Dicéntque, *Agite reuertamur ad Dominum, quoniam ipſe rapuit, & ipſe ſanabit nos, percuſſit, & faſciis vulnera noſtra obligabit.*

Proſequitur metaphoram leonis.

II. *Vita reſtituet nos poſt biduum, die tertio excitabit nos, & viuemus coram ipſo.*

Et viuificabit nos à biduo, vel, à diebus duobus, id eſt, poſt duos dies, ſeu biduum. Eſt enim duale. *In tertio ſuſcitabit*, id eſt eriget, ſeu ſurgere faciet *nos, & viuemus coram illo in conſpectu eius.*

Iechaienu viuificabit nos, à *Chaiah* eſt in piel.

Iomim duale. *Iom Iomaim Iamim* poſt biduum, quo nos percuſſit, eriget nos.

Iekimenu ſuſcitabit nos, in hiphil, eſt futurum.

Sanitati reſtituet nos poſt biduum, ipſo die tertio eriget nos, & viuemus incolumes coram eo.

Poſt biduum, ipſo die tertio, hoc eſt, breuiſſimo tempore poſt.

III. *Vt agnoſcere pergamus, cognoſcentes, Iehouam, tanquam aurora comparato exortu eius: aduenietque vt pluuia nobis, tanquam ſerotina & tempeſtiua terra.*

Et cognoſcemus, & perſequemur ad cognoſcendum Iehouah, id eſt, pergemus in cognoſcendo, *ſicut aurora præparatus eſt egreſſus eius, & veniet ſicut pluuia* vel imber *nobis, & ſicut pluuia temporanea* venit *terra.*

Venedehah eſt cum coniunctione literæ *He* in fine.

Nirdephah quidam Hebræi ſubintelligunt *Aſcher* ſic. Et cognoſcemus, qui perſequemur ad cognoſcendum. Alij copulam *vau* Et, tunc, duplex eſt ſenſus. 1. Perſequemur, id eſt pergemus cognoſcere. 2. Perſequemur, id eſt, imitabimur Christum, ad cognoſcendum Iehouah, id eſt, vt per Christum agnoſcamus Deum. Vel. Et perſequemur, id eſt, imitabimur Dominum, vitam noſtram ad eius beneplacitum componemus, ad cognoſcendum, id eſt prout cognoſcimus, ſeu pro modulo cognitionis.

Ceſachar ſicut, vel tanquam aurora.

Nachon à *Con*, præparatus, concinnus elegánſque eſt. Quidam ſic: Sicut aurora *Aſcher*, cuius præparatus & diſpoſitus exitus eſt, ita Dominus veniet. Sed prima verſio melior eſt.

Geſchem imber, pluuia. Quidam volunt, propriè eſſe pluuiam fortem, nimbum, imbrem. Quidam ſimpliciter quamuis pluuiam.

Malkoſch à *Lakſach* ſerotinum, ſignificat pluuiam ſerotinam, quæ decidit tempore verno.

Ioreh pluuia temporanea, quæ in autumno præſertim in Octobri deſcendit. Eadem appellatur *Moreh* & *Rabhibh*. Pluuiæ igitur duobus temporibus neceſſariæ ſunt ad fruges gignendas & augendas. Ier. 5. v. 24. *qui dat nobis pluuiam* (Geſchem Ioreh vmalkoſch) *temporaneam & ſerotinam*, id eſt, vernam & autumnalem. Immanuel deducit à *Iarah* quod eſt irrigare, ſed metatheſis eſt, vt primum Iod ſit ſignum futuri & vau ſequens tranſpoſitum ſit, cùm ſit in verbo media radicalis. Eſt igitur verbum futurum. Sic autem eſſe patet hac ratione, quia ſi illud *Ioreh* eſſet nomen, eſſet in conſtructione. Talia autem nomina è verbis quintæ ordinis, cùm ſunt in conſtructione, vertunt ſægol in Izere, habet autem ſægol, non eſt ergo nomen, ſed verbum. Ideò ſic legis. Et cognoſcemus, & perſequemur iuxta noſtrum cognoſcere Dominum, ſicut aurora, paratus eſt exitus eius, ſicut pluuia ſerotina, id eſt, quæ poſt iacta ſemina venit, irrigabit terram.

Ergo cognoſcamus eum, *ſtudioſè*, inquam, *feſtemus cognoſcere Dominum*, ſiquidem *tanquam aurora paratus eſt ſeſe proferre, atque veniet nobis ſicut pluuia, ſicut pluuia*, inquam, *ſerotina & tempeſtiua arida.*

Hebr. Sicut aurora, paratus eſt egreſſus eius. Deſcribitur iis verbis promptitudo & efficacia, quibus Deus ſuis ſe patefacit & exhibet, vel, gaudium cordis quo perfunduntur pij

agnita,

agnita Dei bonitate, quasi dicat, Sicut aurora citò & luculenter lucem suam impertit hominibus ita Deus paratus est sui notitiam suis abundè impertiri: atque sicut aurora gratissima est: ita fideles fide & notitia misericordiæ Dei, merè afficiuntur.

Sicut pluuia, hoc simili innuit fructum Euangelij vera fide recepti, quòd scilicet, quemadmodum pluuia serotina quæ cadit tempore verno, & tempestiua, quæ descendit autumno, fœcundant terram: ita Euangelium nos reddit fœcundos fructibus iustitiæ.

IV. Quid facerem tibi, Ephraim? quid facerem tibi, Iehuda? cùm benignitas vestra tanquam nubes matutina & velut ros manè stillans abeat.

Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi, Iuda? Et, id est, nam *misericordia*, id est, iustitia, bonitas, *vestra* est *sicut nubes matutina*, id est, instabilis est & euanida, *& sicut ros manè transiens*, abiens.

Tal, ros à *Talal* operire, tegere.

Maschim, manè à *Schacham* manè surgere.

Quid facere possum tibi, ô Ephraim? *Quid facere tib possum*, ô Iuda? *cùm bonitas vestra sit tanquam nubes matutina, & tanquam ros matutinus euanidus.*

Bonitas, id est, iustitia vestra, quasi dicat, instabilis est & parum diuturna. Estis hypocritæ & temporarii.

V. Propterea cecidi per Prophetas, interfeci istos sermonibus oris mei, & iudiciorum tuorum lux exorta est.

Propterea dolaui, cæcidi, excidi, *in Prophetis, & occidi eos in verbis oris mei, & iudicia tua, lux* Ascher *egreditur.*

Chatzabh & Chatzebh dolaui, excidi, succidi.

Harag in cal, occidere.

Ietze futurum à *Iatza* egressus est, propter actum continuum, in futuro est positum, sed in præsenti vertendum, sic. Sicut lux, (id est, sol) quæ quotidie egreditur, oritur, vadit, & redit.

Iccircò obtudi Prophetas, & enecaui eos verbis oris mei, vt instituta tua essent instar lucis quæ exoritur.

Verbis oris mei, illos scilicet frequenter alloquendo ea, propter quæ ab Israelitis ingratis partim instar lapidum excisi, partim interfecti sunt.

Vt instituta tua, Hebr. iudicia, sed intelligit leges, instituta, ac rationes viuendi. Hæc instituta tunc clarissimæ luci similia dicuntur, cùm nulla hypocriseos nube, aut peccati labe contaminantur. Vel per iudicia Israelis, intelligi potest illa summa Dei sapientia, qua recto iudicio & ordine gubernantur inferiora, quæque luci matutinæ & splendidæ comparatur, cùm Deus felicia & prospera omnia immittit. Quemadmodum comparatur illa tenebris, cùm infelicia & aduersa infliguntur.

VI. Me benignitate delectari, non autem sacrificio, & cognitione Dei magis quam holocaustis.

Nam misericordiam volui & non sacrificium, & cognoscere Dominum à sacrificiis, id est, plus quàm holocausta.

VII. At isti tanquam homines transgressi sunt fœdus, ibidem perfidè egerunt contra me.

Et ipsi tanquam homo transgressi sunt pactum, ibi perfidè egerunt in me.

Ce Adam tanquam homo pactum scilicet meum transgressi sunt.

At ipsi tanquam homines transgressi sunt fœdus meum. *ibi fidem fregerunt mihi.*

Quasi dicat, non maiori religione obseruarunt fœdus meum initum, quàm si cum homine hoc fœdus iniissent.

Ibi, id est, in Gilead, vt sequetur.

VIII. In Gilbhade vrbs erat operantium iniquitatem quaque vestigiis sanguinolentis.

Galaad ciuitas operantium iniquitatem, fœdata à sanguine, quem scilicet effundit.

Hakabh est supplantare, vnde *Hekebh* planta pedis. Ideò vertit Hieronymus supplantata, seu fraudulenta, sanguine, id est, sanguine effundendo, quia scilicet astutè effundebant sanguinem. Sic R. Abr. & R. Dauid in comment. & in libro Radicum ait. Sic patres nostri exposuerunt, quòd callida esset ad sanguinem effundendum. Alibi tamen exponitur Heb. Fœdata sanguine, quem scilicet effuderant in ea Israelitæ. Sic Sanct. Pagn.

Hakubbah est nomen Toar fœmininum.

Cap. Insidiosa propter sanguinem. Calu. occupata, retentàque à sanguine, id est, plena sanguine.

Ego, supplantata, deceptàque à sanguine, quia scilicet erat destinata, vt eos tantùm reciperet in tutelam & patrocinium, qui sanguinem innocenter & fortuitò effuderant. Nunc autem in eam recipiuntur & defenduntur latrones, qui sanguinem nocenter & malitiosè effuderunt. Est ergò decepta ciuitas à sanguine, id est, propter sanguinem, seu è sanguine à sacerdotibus.

In Gilead ciuitate patrantium iniquitatem polluta sanguine.

A parte denotat totum regnum decem tribuum, quasi dicat, Israelitæ sunt facinorosi & scelesti, homines sanguinarij.

IX. Sodalitium verò sacerdotum est simile præstolantibus aliquem turmis, qua via ad Schecemum factum est occidunt: nam scelus faciunt.

Et secundùm exspectare virum latrones, id est, sicut exspectant virum latrones, ad prædandum, vel, si repugnet: occidendum: *sic turma sacerdotum in via occident*, pro occidunt: quia actum continuum significat, *humero* vno, *quia cogitationem fecerunt.*

Vtechakke à *Chacah* exspectare: est in machor, & Iod vltimum est loco *He* radicalis: ait R. D. Kimhi in libro Radicum.

Gedub latro. Sic R. D. hunc locum interpretatur. Secundùm exspectare virum latrones, id est, sicut latrones exspectant virum.

Chebber societas, collegium, turma. Kimhi in libro Radicum vertit *Kibbutz*, id est, congregationem.

Derech pro *Bederech* in via. Sensum huius versus vide in Cap. vel etiam sine *Beth* sic, Via scilicet vna interficiunt, Ionathas tamen Chald. habet in via.

Schechma humero scilicet vno, id est, vno latere & consensu, vt exponit K. in lib. Rad.

Zimmah est cogitatio, est etiam opus malum, scelus, & abominatio. Prouer. 21. v. 2. & vir *Mezimoth* abominationum, id est, abominationes faciens, impiè agit: ideò sic verti potest. Quia scelus perficiunt. Sanct. Pagn. Quia abominationem faciunt. Cæterùm facere *Zimmah*, significat praua cogitata perficere.

Et quemadmodum auidè exspectant virum (transeuntium latronum) *turmæ*: ita *societas sacerdotum* qui in *viis occidere soliti sunt humero vno, certè* quodlibet *conceptum animo scelus patrant.*

Sacerdotes. Vox Hebraica, comprehendit Principes & sacerdotes.

Vno humero, id est, vnanimi consensu Metaphora à bobus sub eodem iugo currum trahentibus.

Conceptum scelus, id est, quicquid cogitant & agunt, scelus est.

X. In domo Israelis video rem horrendam, ibi scortatione Ephraimi pollui Israelem.

In domo Israelis vidi fœditatem, ibi fornicatio est Ephraiim, contaminatus est Israel.

Schaharuriiah à *Schahar*, quod est cogitare. Hieronymus vertit horrenda. K. in lib. Rad. turpitudinem, sordem, id est, idololatriam abominandam.

Nithma à *Tama* contaminatus est, vel contaminauit se Israel.

In domo Israel vidi pollutionem, ibi scortatio Ephraim, pollutus est Israel.

Pollutionem, id est, idololatriam. Scortatio Ephraim, cultus vitulorum, inuectus à Iaroheamo de tribu Ephraim.

XI. Etiam ô Iehuda, Ephraymum posuisse messem in te, cùm reducerem captiuam multitudinem populi mei.

Etiam Iuda posuit plantarium ramum *sibi* scilicet cultui Baal, *in conuertendo me*, seu, reducendo me, id est, dùm ego cogito, seu dùm cogitarem conuertere, hoc est, reducere, *captiuitatem populi mei.*

Katzir plantarius scilicet ramus, significat etiam messem. *Schebuth* captiuitas à *Schabbah* captiuum ducere.

D.K. in libr. Rad. sic exponit, cùm cogitarem reducere captiuitatem populi mei scilicet Israelis, id est, decem tribuum, tunc Iehuda posuit ramum tibi, ô Israel, (Israelem enim alloquitur) reuersus ad colendum Baalim. Sic Cal. & Cap. sequuntur hanc sententiam Vatablus in bibliis Rob. Steph. sic, Etiam (ô Iehuda posuit (scilicet is cuius opera vsus sum,) id est. cùm asserui populum meum in libertatem, qui anteà captiuus erat in Damasco & Hemath, quas Iarobeam filius Ioas rex Israel restituit regno Iehudæ in Israel, vt est 4. Reg. 14. ad calcem. Is, cuius opera sum vsus in hoc facto, posuit incolas in Damasco & Hemath, id est, effecit, vt Iehudæi habitarent in Damasco & Hemath, &, subaudi, tamen fuit ingratus.) Ergo etiam, ô Iehuda, Rex Israel posuit tibi plantarium, (in Damasco & Hemath) dùm ego (per regem Israelis) reducerem captiuitatem populi scilicet ex Damasco.

Capito captiuitatem populi accipit pro peccatis populi, quibus debebatur captiuitas, hoc sensu, Etiam, ô Iehuda, dùm cogito peccata populi mei Israelitici conuertere, id est, corrigere, ponis tibi messem, id est, materiam messis, scilicet segetem, id est, incipis multiplicare scelera, & parare tibi tuis peccatis segetem iræ meæ.

Sed quia illud *Schath* est præteritum 3. personæ, ideò placet sic vertere. Etiam Iehuda posuit tibi, ô Israel, plantam, seu plantarium, ramum, scilicet ad idololatriam tuam propagandam, quia scilicet ipse quoque Iehuda idololatriam Israelis imitatur. Et quando hoc facit? dum Ego conuerto captiuitatem populi mei, id est, dùm Ego correctionibus, admonitionibus cogito, & enitor impedire, ne meus populus in captiuitatem, in quam ducendus est, nisi resipiscat, ducatur. Conuertere ergo captiuitatem, hic est, auertere populum à captiuitate, seu, conari, ne populus in captiuitatem ducatur. Hæc postrema mihi magis placet. Aperuit eam mihi Oecolampadius.

Etiam Iehuda posuit messem tibi, cùm vellem auertere captiuitatem populi mei.

Doctissimus inter Hebr. Cùm summopere laborarem, vt per Prophetas meos Israelem reuocarem ab idololatria ad verum cultum Dei, idque, quo pœnitentia captiuitatem effugeret, regnum Iuda posuit ei ramum vel messem, hoc est, auxilio fuit Israeli suo exemplo, vt in idololatria perseuararet. Metaphoram rami vel messis, assumsit Propheta, quòd qui prauo exemplo alios confirmant in peccatis, ita eorum malitiam promouent, vt illi arborem amplificant qui nouos ramos inserunt, aut messem, qui noua semina iaciunt. Porrò, qui aliena peccata confirmant & cumulant, aliis quoque pœnas simul cumulant. Vnde rectè dicuntur illis ponere messem. Messis autem in scripturis significat mercedem, tàm bonorum, quàm malorum operum. Gal. 6.

ARGVMENTVM.

IN hoc capite duo præcipua continentur. 1. Promissio diuinæ gratiæ, quòd scilicet electi postquam castigati fuerint, redibunt ad Dominum (vt postremo versu capitis præcedentis cœpit dicere) per fiduciam in Deum, & quòd se mutuò hortabuntur ad reditum ad Deum, multis rationibus sese inuicem confirmantes in fiducia de bonitate & misericordia Dei erga se, quòd scilicet se saluabit. 2. Est reprehensio peccati. Redit enim Propheta ad reprehendenda peccata Israelis propter hypocritas. Hæc summa est.

In duas ergo secatur partes præcipuas totum hoc caput. In prima habetur promissio: ea continetur v. 1. 2. 3. In secunda habetur peccatorum, & præsertim hypocriseos obiurgatio, ea continetur reliquis in finem vsque.

Quo ad primum, continuatur hic textus cum superiori hoc modo, dixerat postremo versu, *Cùm fuerit illis tribulatio, properabunt ad me.* Quorum verborum hic est sensus, cùm fuerit illis maior grauiórque tribulatio, quàm nunc sit, id est, cùm benè à Deo, tanquam à Leone, fuerint discerpti, non autem amplius, tanquam à tenui tinea corrosi, tunc properabunt ad me. Quare? quia tunc pressi grauiore dolore, quàm antè, quippe qui videbunt, se à Deo quasi laceratos, & postea prorsus ab eo desertos. Quia, inquam, tunc pressi maiore dolore, quàm antè, perpendent caussam sui mali, fuisse sua ipsorum peccata, quibus cognitis, excitabuntur ad quærendam faciem Dei, seu gratiam & reconciliationem cum Deo, quem offenderunt. Tunc igitur properabunt ad me, cùm benè castigati, sese peccasse cognouerint. Ergò cùm fuerit illis tribulatio, properabunt ad me. Hæc est promissio.

Hinc confestim oriebatur dubitatio. Qui fieri potest, vt cùm tribulatio illis fuerit, præsertim tanta, qua discerpantur à Deo, ceu à leone: Qui fieri, inquam, potest, vt in tanta tribulatione & furore Dei contra se, reuertantur ad Dominum? cùm potiùs tribulatio & immensa Dei ira, arceat ab eius conspectu? Videmus enim Adamum, vbi vidit Deum iratum, & illum audiuit, se acriter obiurgantem, fugisse à facie Domini, contremiscunt etiam cardines orbis terræ à facie Domini irati, atque hoc naturale est omnibus animantibus. Si beneficia in illa conferas, si ablandiaris, audent accedere ad te, si cædas, aufugiunt. Cæde catellum, fugit, ablandire, redit. Videtur igitur, quòd potius in felicitate, & rebus secundis deberent homines redire ad Dominum, non autem in tribulatione, præsertim, cùm sciant, illam tribulationem sibi à Deo infligi. Quomodo igitur in tribulatione quærent Dominum?

Resp. 1. Quæ nunc dicta sunt, verissima sunt naturaliter & ex virtute tribulationis. Neque enim tribulatio hanc habet vim, vt quempiam excitare possit, quo redeat ad Dominum se percutientem, sed potius, vt dictum est, arcet a conspectu illius, qui percutit. Ratio est naturalis, quoniam cùm vnaquæque res amet se, & suum esse: consequenter odit & fugit illud, quod sibi inimicum esse, & ad sui perditionem spectare videtur. Atqui aliquem cædere, præsertim vehementer, & lethaliter, videtur spectare ad illius, qui cæditur, perniciem, & qui ita cædit, inimicus esse naturaliter putatur. Tantùm igitur abest, si naturaliter loquamur, vt tribulatio incitet ad illum, qui tribulatione afficit, vt potiùs ab illo arceat hominem tribulatione affectum. 2. Et tamen verum est, quod Deus ait, *In tribulatione quærent me.* Necesse igitur est, vt hoc fiat supernaturaliter, & non ea vi tribulationis, sed ex virtute (vt ita loquar) solius tribulantis, seu tribulatione afficientis Dei. Cur dico, Solius Dei? Quia ipse solus sua virtute per contraria instrumenta, seu, per contrarias caussas instrumentales, contrarios parit effectus. Exempla. *Per peccatum damnauit peccatum, & iustitiam introduxit, Rom. 8.* Et de peccato damnauit peccatum: per mortem occidit mortem, & introduxit vitã. *Vnde illud*, Qui mortem nostrã moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit. Stultitia prædicationis reddit homines sapientes, per crucem saluos facit credentes, per infirma confundit potentia. Vnde 1. *Cor. 1.* Videte vocationem vestram, Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & cõtemptibilia mũdi elegit Deus, vt confundat nobilia & stulta mũdi elegit Deus, vt confundat sapientes, & ea, quæ non sunt, vt ea quæ sunt, destrueret. Ergò solus Deus etiam per afflictionem, quæ naturaliter arcet à facie affligentis, facit, vt afflicti confugiant ad affligentem Deum.

In quibus autem hoc facit Deus? Non in omnibus, sed in iis, in quibus sic placet facere, i. in electis. Hinc videmus, non omnes in tribulatione redire ad Dominum, sed multos multò magis fuere. Testimonio est, non afflictionem ipsam sua vi homines ad Deum adducere, sed Deum sua solius virtute. Hinc igitur etiam patefit, promissionem hanc, *In tribulatione redibunt ad me*, ad solos electos pertinere.

At quomodo Deus facit, vt in afflictione electi redeát ad Dominum? seu, quam seruat rationem? Ad hunc reditum faciendum, necessaria est duplex cognitio, nostri, & Dei. Nostri, id est, nostri peccati, malitiæ, & imbecillitatis, quòd scilicet peccauerimus, & quòd propter peccatum puniamur: & quòd nostris viribus eripere nos è manu Dei percutientis non possimus. Dei verò, quòd nos summè amet in Christo, quòd summè bonus sit, quòd velit seruare, quòd sit pater, quòd non puniat, vt perdat, sed vt saluet. Prima cognitio scilicet nostri, & nostri peccati necessaria est. Nam nemo accedit ad Deum, nisi priùs recedat à peccato. Nemo autem recedit à peccato, nisi illud detestetur. Quomodo autem poterit detestari peccatum, nisi agnoscat, quàm illud graue, quàm turpe, quàm perniciosum sit? Quis enim deserat statum illum, in quo putat, se benè habere, & vnde voluptatem aliquam sentit? Necessaria igitur est nostri peccati cognitio talis, qualem dixi.

Altera etiam cognitio Dei necessaria est. Nemo enim ad Deum, seu, ad conspectum tantæ maiestatis accedere audebit, nisi agnoscat illum esse optimum, & omnis felicitatis autorem. Neque hoc satis est, nisi agnoscat, illum suum esse Deum, & suum patrem clementem, & misericordem. Non apparet autem talis, nisi in Christo. Ergò necesse est, vt in Christo agnoscatur, vt pater clementissimus, quoniam hæc cognitio fiduciam adfert adeundi ante eius conspectum. Itur autem pedibus fiduciæ.

Iam etsi spiritu suo vtramque hanc cognitionem pariat in electis: sæpenumero tamen vti solet gladio afflictionum. Sunt enim multis squamis obducti oculi nostri, vt nec peccata, præsertim abdita, nec Dei bonitatem videre queãt. Deus igitur gladio afflictionum abigit has squamas ab oculis nostris, eosque purgat & facit, vt primò videamus peccata nostra, quia illa sunt viciniora, vtpote in nobis. Deinde facit, vt agnoscamus Deum, quis qualisque sit erga nos. Ecce quomodo per tribulationem donat electos vtraque cognitione, & illã facit, vt cùm à seipsis, id est, à peccatis recedant, tùm accedant ad Deum. Itaque videmus, quomodo efficiat, vt promissio hæc, In tribulatione properabunt ad me, complementum accipiat in electis.

Quomodo ibunt ad Dominum? fiducia in Deum, quæ, si vera est, sine charitate erga proximum esse non potest. Hæc fiducia, quia oritur ex vera Dei per Christum cognitione, Deus autem cognoscitur in afflictionibus, ideò in afflictione, vbi naturaliter est desperatio & diffidentia, à Deo donari solet. itaque electi in spem contra spem pugnant, cum sunt in cruce.

Tradit igitur hic verum modum, quo electi Israelitæ properabunt ad Dominum: nempe per fiduciam in Deum, idque in medio afflictionum. Deinde simul docet, quanta charitate simul erunt affecti, nam alter alterum animabit ad fiduciam in Deum capiendam, & multis rationibus sese inuicem confirmabunt in fiducia Dei & spe salutis.

II. Viuificabit nos post biduum, tertio die suscitabit nos, & viuemus coram facie eius.

Cœpimus heri dicere, interpretes hunc versum variè interpretari, referemus interpretum sententias, deinde quæ nobis magis placet aperiemus.

1. Hieronymus refert in commentario hanc Hebræorum interpretationem. dicunt, secundum diem esse tempus Messiæ, quo scilicet Messias veniet, vt ipsi etiamnum explicant. Diem verò tertium esse tempus Iudicij, quo scilicet per Messiam suum redimentur ab omni captiuitate, & ait, illos non assignare primam diem, ideirco illam refutat. Hunc secutus est Lyranus & alij latini: Sed quid sibi velit illa expositione, quatenus illam recitat Hieronymus non intelligo, ideò neque in illa refutanda laboro.

2. Alij referunt hanc aliam aliorum Hebræorum interpretationem. Primus dies, est tempus, quo liberati sunt Israelitæ ex Ægypto, tunc enim primam fuisse vitam. Secundus, est tempus quo liberati fuerunt à captiuitate Babylonica, illam enim fuisse alteram vitam. Tertius, est tempus quo Messias eos ab ista præsenti dissipatione, qua dispersi sunt per vniuersum terrarum orbem, liberabit & restituet in regnum suum, hanc enim fore tertiam vitam, quam hic promittit Propheta, hanc tertiam diem nondum aduenisse, sed adhuc exspectant. Illud enim manifestum est, non hic loqui Prophetam de restitutione in regnum temporale, sed tantum de reuocatione ad vitam spiritualem & cœlestem. Neque in hac refutanda hæreo, quòd satis per se appareat ridiculum esse id, quod nugantur Hebræi de restitutione in regnum temporale per Messiam. *Viuemus*, inquit, *coram eo, agnoscemus id est, pergemus & proficiemus in cognoscendo Deo*. Vera autem vita in hac Dei cognitione sita est, vt Christus ait, *Ioan* 17. Hæc est vera vita, vt cognoscant te Patrem & quem misisti Iesum Christum. Quid igitur exspectant temporalem & gloriosam in hoc mundo vitam, cum vita, quam hic promittit Propheta, in cognitione Dei tota posita sit?

3. Quædam alia occurrit expositio R. Salomo tres dies sunt tria templa. Primum fuit, quod a Salomone ædificatũ. Post illum diem & tempus quo ædificatum fuit illud templum, Israelitæ & Iehudæi magnas perpessi sunt calamitates, vt ex libris Regum patet, diuisum regnum in duo, abducti in captiuitatem omnes, destructum templum. Ecce primum diem iræ Dei. Secundum, quod reparatum a Iehudęis post reditũ è Babylone, post etiã illud tempus, magna Dei ira in Iehudęos, ita, vt per Romanos iterùm destructum fuerit templum & omnia. Tertium ergò templum, erit quod per Messiam venturum reædificabitur, vt ipsi aiunt, tunc, vt aiunt ipsi, viuificabuntur. Tunc ergò dicent, *Venite & reuertamur ad Dominum*. Sed si nos intelligamus de templo cœlesti & spirituali illud tertiũ tempus seu diem, tolerabilis erit interpretatio.

4. Patres, quos sequitur Lutherus, vaticinium hoc de Christi resurrectione interpretati sunt, quòd scilicet biduum, die Veneris & Sabbathi cum nocte insequenti, quæ ad tertium diem pertinet, mansurus erat in sepulcro, tertio verò die Pater eum, vt hominem, erat viuificaturus, & a mortuis excitaturus.

At si quis excipiat, nos vi trahere oracula scripturarum ad Christum, cùm tamen de aliis intelligantur. Manifestum enim est, Prophetam hic introducere pios ex Israel & Iehuda, qui postquam fuerint castigati, & quasi occisi à Domino, inque captiuitate, ceu in sepulcro, à Deo deserti & sepulti, fiducia in Deum, & spe suæ salutis concepta, sese mutuò hortaturi sint ad reditum ad Deum, & confirmaturi in fiducia Dei, & spe sal[illegible] [illegible] non ait, tanquam vnus Christus loquatur viuificabit me, sed nos. Vim ergo infertis scripturis. Resp. Minimè vim inferimus scripturis, neque enim pugnant simul, quòd Propheta immediatè hic de electis Israel & Iuda loquatur: & tamen principaliter in Christum oculos direxerit, videritque, hoc vaticinium in Christo suum perfectum complementum habiturum. Primò iuxta regulam illam, multa vaticinia sunt de Christo principaliter à Prophetis edita, quæ tamen primò in aliis, tanquam in typis, impleta fuerunt. Deinde perfectum complementum acceperunt in Christo, vt illud etiam Hoseę, *Ex Ægypto vocaui filium meum*. Secundò, quia Israelitæ & Iehudęi electi, quod erant viuificandi, hoc erant habituri a Christo capite, resurgente propter nostram iustificationem. Ergo principaliter de Christo intelligatur, necesse est.

Sententia ergo Patrum improbari non potest, & vaticinium hoc de resurrectione Christi intelligendum esse, dubium non est. Tamen propter delicatos homines adferam alias interpretationes, quæ tamen omnes ita immediatè de Israelitis & Iehudæis intelliguntur, vt tamen minimè excludant Christum, neque obstant, quin de Christo optimè intelligi hic locus possit.

5. Quidam Hebræi accipiunt illud biduum pro tempore paruo, diem verò tertium, qui post biduum sequitur, cum reliquis deinceps diebus, pro toto reliquo tempore, id est, pro longo tempore. Sic itaque simpliciter interpretantur. *Post biduum die scilicet tertio viuificabit nos*, quasi dicat, etsi adhuc affligamur in hac captiuitate, & multis malis premamur ne despondeamus tamen animos, non diu durabit ista afflictio, adhuc biduo, id est, paruo tempore affligendi sumus & purgandi, elapso hoc biduo, id est, exiguo hoc tempore, posteà tertio die, id est reliquo toto tempore viuificabit nos, & felices viuemus. Hæc interpretatio mihi certè non displicet. Erit ergo aliud argumentum, quo se consolantur, & in fiducia, ac spe salutis confirmant: nempe a breuitate temporis, quo etiamnum sunt affligendi. In ipsa enim cruce adhuc existentes, hæc verba proferunt, quasi dicant, totum reliquum tempus, quo sumus purgandi, erit instar bidui.

Sed quòd postea referunt tertium diem ad tempus, quo liberati fuerunt Iehudæi è Babylone, non probo. Tum, quia promissio hæc, de qua Hoseas, tàm ad Israelitas, id est, ad electos, ex decem tribubus, quàm ad Iehudęos pertinet, vt manifestum est. Liberatio autem è Babylone, Iudęorum tantùm fuit, nõ decem tribuum. Tùm etiam, quoniam liberatio hæc, de qua hic loquitur Hoseas, merè spiritualis est, à peccatis & tenebris ad veram vitam & cognitionem Dei. Illa autem Babylonica non fuit planè spiritualis. Non potest ergo dies iste tertius referri, nisi ad tempus Messiæ, sicut etiam Ionathan Chaldæus vidit. Iuxta hanc etiam interpretationem, oraculum impletum est in Christo & visus est ipse quoque illud biduum, vel triduum pro breui tempore accepisse, cùm hortabatur Apostolos, vt licèt ipse moriturus erat, læto tamen essent animo, *quoniam*, inquit, *tertia die resurgam, & videbo vos in Galilæa*, id est, breui è mortuis resurgam, & vos inuisam. Et sic videtur, pater voluisse illum breui resurgere, ne fides discipulorum perderetur, si diutiùs fuisset eius resurrectio dilata. Ergo biduum, id est breui.

6. Alij contrà biduum accipiunt pro longo tempore, & probant suam sententiam illo Dan. 7. Volens enim Daniel exprimere, longam fore populi afflictionem dixit, *Post tempus, tempora, & dimidium temporis*. Post tempus, id est, post annum Post tempora, id est, post multos annos. Et post dimidium temporis, id est, post etiam dimidium annum. Quasi dicat, post multa secula erit liberatio populi, tempore scilicet incerto, & quo minimè spectatur talis liberatio. Ita volunt, Hoseam locutum fuisse nomine piorum ex Israel & Iuda. Ac volunt esse alteram speciem consolationis, qua se in fiducia Dei & spe salutis confirmant, hoc modo. Etsi Deus nõ statim nos liberet ab hac calamitate, & quasi morte, & viuificet, sed velit adhuc biduo, id est, multo tempore nos in hac morte relinquere: tamen ne despondeamus animos *1. Venite, venite, reuertamur ad Dominum*, pœnitentia scilicet & fiducia in illum, id est, fidamus Domino. Quare? quoniam etiam post hoc biduum, id est, post longum tempus seu diuturnam afflictionem tandem viuificabit nos. Iuxta hanc interpretationem per concessionem legendum est sic. Etsi Dominus nõ eripiat nos è nostris miseriis primo die, id est, cito, sed velit

adhuc biduũ, i. diutiùs nos in hac miseria & quasi in morte esse: non est tamen cur desperemus, quia post ipsam et á diuturnam afflictionem, tandem aliquando viuificabit nos.

Hæc etiam interpretatio mihi nõ displicet. docet enim in summa id, quod alibi Prophetæ tradunt, etiamsi moram faciat Dominus, tamen expectandum esse cum patientia, quia veniet. ... Prophetæ mentem, inde videtur apparere. Exilium illud fuit, quasi sepulcrum ipsis Iudæis & Israelitis Iudæis suum Babylonicũ, Israelitis suum Assyriacũ. ipsi Israelitæ & Iehudæi fuerunt, ceu mortua cadauera, atque occisa & lacerata relictáq; in illis sepulcris. Iam si & biduum cadauer aliquod in sepulcro maneat incipiet fœtere & putrescere, & tunc videbitur prudentię carnis difficilius posse ad vitam reuocari, quàm si primo die, quo mortuum est, id tentetur. Exemplo est Lazarus. Putabant Iehudæi, absurdum & impossibile prorsus esse, vt Lazarus, qui triduo iam erat in sepulcro & fœtebat, ad vitam reuocaretur a Christo, quem tamen sciebant alios mortuos suscitasse, sed eo die, quo etiam mortui fuerant. Dicebãt igitur, iam fœtet, quatriduũ enim est, quasi dicant, si hodie frater mortuus esset, speraremus à te qui alios etiam suscitasti, suscitari posse, sed cùm iam quatriduanus sit in sepulcro, res est desperata. Sic Iehudæi & Israelitæ mansuri erant in captiuitatibus illis, tãquam in sepulcris fere biduum, id est, diu, donec quasi putrescerent. Ista diuturnitas quæ bidui nomine intelligitur in sepulcris, & quasi populi ceu cadaueris, putrefactio, magnam erat allatura populo miseriam & argumentum desperationis impossibile fore, vt ampliùs à Deo inde liberentur. Quare? quia tamdiu ibi erãt mansuri, donec putrescerent, & triduani, vt ita loquar, fierẽt, sicut Lazarus quatriduanus. Quia igitur hæc futura erat magna tentatio, ideò huic tentationi electi opponunt hanc consolationem. Quid? Dominus suscitat mortuos etiã fœtentes & diu in sepulcro desertos, Ergo etiã nos, licèt in hac captiuitate, ceu in sepulcro, simus biduo, id est, diu deserẽdi donec putrescamus: tamen post hoc biduum corruptos & putrefactos, etiam suscitabit. Biduũ igitur accipitur pro illo tempore, quo aliquod cadauer iam incipit putrescere & fœtere, ideóque quo nulla ampliùs videtur superesse spes restitutionis in vitã. Est igitur hoc aliud argumentum, quo se electi ex Israel & Iuda, iam quasi putrefacti in sepulcris, sese mutuò in fiducia Dei & spe salutis confirmant, ductum à potẽtia Dei. Deus potest mortuos etiam post biduum in sepulcris putrefactos, & fœtẽtes ad vitã reuocare. Ergò etiã nos, licèt in hac diuturna captiuitate putrescamus, post biduum tamen id est, post diuturnã istam putrefactionem, ad vitam reuocabit, quia virtute sua superabit quidquid nostræ restitutioni obstare videtur.

Iuxta hanc interpretationem, hoc oraculum etiã in Christo impletur. 1. Christus postquam est mortuus, non statim fuit suscitatus ad vitam, sed mansit biduum in sepulcro donec scilicet res fieret apud homines magis desperata, illũ scilicet non ampliùs victurũ. Vnde etiam Apostoli Luc. 24. *Et nunc*, loquiunt, *tertium est dies quo mortuus est*. quasi dicãt, iam tandem desperamus. Postea tamen, quando nihil minus sperabant, quàm eius resurrectionem excitatus fuit ad vitã tertio scilicet die. In Christo igitur specimen huius potentiæ Dei mortuos et à putrefactos ad vitam reuocantis, ostensa est. Quod verò contigit Christo, quoad carnalẽ resurrectionem, idem contiget Israelitis & Iehudæis: imò electis omnibus quo ad spiritualem, & etiam carnalem. tantum biduum & triduum in Christo, accipitur propriè, pro duobus & tribus diebus, in Israelitis & Iehudæis pro multis annis.

2. Adde quod Christus caput est omnium electorum. Quod ergo illi contigit in sua persona semel, cõtinget sæpè in suis membris, vt diu putrescant in peccatis postea excitentur ad vitam: imò etiam ad resurrectionem corporum electorũ, hic locus aptatur commodissimè & verè. In Christo enim sepulto per biduum in sepulcro etiam ipsi sepulti fuerunt & sunt. In Christo resurgente tertio die, etiam illi resurrexerunt spe certa scilicet. Vnde *Col.* 3. Si consurrexistis cum Christo, quæ supra sunt quærite.

7. Alii ex verbis Prophetæ præcedentibus, colligunt huius loci interpretationem, & hosce tres dies.

Primò dixerat *Rapiam seu discerpam, vt leo*, i. capiam, feriã, dilacerabo, inque diuersas mundi partes, quasi in frusta diuidam captiuósq. abducam. Primus igitur dies fuit tempus, quo Dominus priùs Israelem, deinde Iudam, tanquã leo, iratus ferit, rapuit, lacerauit, atque in captiuitatem abduxit, vnum per Assyrium, alterum per Babylonium reges, & iste dies crucis, & afflictionis, & mortis appellari potest.

Secũdo dixerat. *Ibo, reuertar in locum meum*, quasi dicat, deserã vtrunq populũ mortuũ, in sua quemq. captiuitate, quasi in duobus sepulcris sepultum, omnino penitus illius curam abiiciens, vtpote mortui iam & sepulti. Alter igitur dies, fuit tempus illud, quo populus in sua quisque captiuitate quasi in sepulcro quodam sepultus, putrefactus, prorsúsque desperatus, atq. a Deo destitutus iacuit. & istud tempus seu dies, dies sepulturæ appellatur. Fuit enim ibi tanquam sepultus, cùm a Deo prorsus destitutus maneret (vt antè dixerat capit. 3.) sine rege, sine principe, sine sacrificio sine statua, sine ephod, simul. Hic est secundus dies, dies sepulturæ.

Tertiò dixerat, se ibi relicturum populũ, quasi sepultum, non in perpetuum sed donec agnosceret se peccasse & quæreret faciem eius id est, fauorem, & reconciliationem, per Christum, innuens, se post illos dies mortis scilicet, & sepulturæ populi rediturum ad populum hunc mortuum, & sepultum viuificandum, atque é sepulcris excitandum, id quod certè non carnaliter intelligendum est, sed spiritualiter, neque ad carnalem liberationem Iudæorum ex Babylone, sed ad liberationem vtriúsq populi, é captiuitate peccati & mortis & diaboli per Christũ factam, referendum est Cuius ratio est, quoniam, si ad illam tantùm carnalem e Babylone liberationem referas, in Iehuda tantum vaticinium hoc fuisset impletum: implendum autem erat in vtroq. populo quia hic loquitur de vtroque, & nunquam impletum fuit, aut implendum est in Israel quo ad captiuitatem carnalem, sed tãtum quo ad spiritualem cum etiã ipsi, id est electi ex eo, redempti sunt à morte, peccato inferno per mortem, sepulturã, & resurrectionem Christi. Dies igitur tertius est tẽpus Messię, cùm scilicet primò per Christum mortuum, sepultum & resuscitatum, ipsi quoque electi Israelitæ & Iehudæi, mortui & sepulti, cum Christo ipso mortui ac viuificati sunt. Omnes enim electi, tàm ex Israele, (in quo continentur & gentes, abierant enim Israelitę in centum gentium, & gẽtes sunt Israelitæ secũdùm spiritum,) quam ex Iehudæis, cum Christo à mortuis resurgente, tertia die ipsi quoque viuificati, & cum illo, quasi é sepulcris excitati, resurrexerunt, Ad quam vitam veram & æternam, sicut & Christus, qui resurrexit ex mortuis, iam non moritur, sed spe, vt *Eph. 2. Paulus ait*, Et cõuiuificauit, & conresuscitauit, & cõsidere fecit in cœlestibus cum Christo. Secundo, impletur quotidiè effectu, quoties per viuam fidem incorporamur Christo, à mortuis excitato, tumúsque participes illius spiritus, propter quem spiritum in nobis inhabitantem, etiam corpora nostra resurgent ad æternam vitam & iam propter certam spem resuscitata sunt. Tertius igitur dies est tempus Messiæ, seu noui testamenti, quod incipit a resurrectione Christi, quando resurrexit propter iustificationem nostram, in illum vsque diem populus, cum mortuus, quasi in sepulcro iacuit.

Iuxta hanc interpretationem hoc vaticinium optimè etiã conuenit Christo, & est vaticinium de Christi resurrectione. Primo enim dies populi Israelitici & Iudaici, qui est dies ipsius afflictionis, qui & mortis dies dicitur. respondet dies, quo Christus cruci affixus & mortuus est, id est, dies Veneris totus: tunc enim Deus in Christum hominem læsit, tanquam leo ira inflammatus, propter nostra scelera. Secundo diei populi, qui dies sepulturæ dicitur, respondet dies Sabbathi, quo toto integro die Christus in sepulcro iacuit. Tertio diei populi, qui dies resurrectionis dicitur, respondet dies Dominicus quo Christus a mortuis resurrexit, imò ille dies Christi fuit ipsissimus dies resurrectionis populi, quia eo die cum Christo viuificatus atque resuscitatus fuit.

Videmus ergo, vaticinium hoc in populo quidem, tanquam in membris, in Christo verò, tanquam in capite, impletum fuisse.

Iuxta igitur hanc interpretationem, argumentum alterum, quo se consolantur populi, & quo se in fiducia salutis confirmant, deducit a promissione diuina, & tale est. Promisit Deus, quòd postquam fuissemus lacerati ab ira eius, tanquam leonis, atque in captiuitatem abiecti, & quòd, postquam fuissemus ab eo in captiuitate, tanquam in sepulcro deserti, non in perpetuũ, sed ad tempus, donec scilicet agnosceremus peccata nostra, & quæreremus faciem eius, id est, reconciliationem promisit, inquam, se rediturum ad nos, & nos viuificaturum. Atqui iam elapsum est illud biduum, id est, primò iam fuimus lacerati & discerpti, deinde fuimus in sepulcris his deserti ad multum temporis, quod est dies secundus. Iam agnoscimus nostra peccata & desideramus faciem eius. Ergò venite, nunc tempus est redeundi Quare? quia cùm iam elapsum sit illud biduum, & aduenerit tertius dies, ille viuificabit nos, & hoc tertio die resuscitabit nos, nempe in Christo. Tantùm igitur abest, vt quia videmus nos esse mortuos & sepultos debeamus de salute nostra desperare, vt nunc verè multò magis, quàm antea sit sperandum & fiducia concipienda de nostra salute, & hac fiducia alacriter prodeundum in conspectum Domini, quia ipse viuificabit nos.

Iuxta hãc interpretationem, vnicuique etiam fideli Christiano

stiano sunt tres dies qui tribus Christi diebus respondent. Primus est crucis, hic est tempus illud (nam per diem venit saepe in scripturis tempus) quo Deus, tanquam leo iratus, in nos propter nostra peccata saeuit, & quasi occidit, atque in sepulchris condit. Secundus est dies sepulturae, id est, tempus illud, quo Deus non tam, quasi occisos & sepultos, deserit omni sua ope in sepulchris, omnem quasi nostri curam abiiciens, ita vt neque ab hominibus, neque à Deo, vlla nobis affulgeat lux, sicut etiam mortui prorsus ab omnibus destituti sunt. Tertius dies, est dies resurrectionis, id est, tempus illud quo nos peccatorum iam poenitentes, & faciem Domini, id est, reconciliationem desiderantes, Deus suo spiritu viuificat, ac ceu à morte & inferis, ad vitam reuocat, in spē immortalitatis & aeternae vitae, atque hic dies saepe in scripturis aduentus Christi appellatur. Fuit enim primo semper dies Christi, in figura quando perditis salus affulgebat iterum, per aliquem hominem, qui typus certè erat Christi. Deinde dies Christi fuit, in reipsa, seu in veritate quando Christus ipse venit, praedicauit mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Tunc enim reipsa Deo satisfactum pro omnibus nostris culpis, & resuscitari sumus in Christo spe, accepto scilicet iure vitae & resurrectionis. Tertio, nunc etiam dies est Christi in effectu, quoties ad verbi Euangelici praedicationem, intermortua carne in vitam coelestem spiritu viuificamur, sentimúsque ab ira Dei non prorsus exceptos.

Toti item Ecclesiae & singulis Ecclesiae membris, sunt isti tres dies. Primus crucis & mortis, ille est tempus totum, quo in hoc mundo viuentes sumus. Nam semper sumus sub cruce, & quotidiè morimur, ac in nos saeuit mundus, caro, Sathan, sic Deo iubente. Secundus dies sepulturae, ille est tempus, quo in sepulchris mortui vsque ad diem iudicij iacemus, putrefacti, & consumpti corporibus, sed nō animis. Nam neque Christi anima mortua est, sed tantùm corpus. Tertius dies est resurrectionis, cum scilicet omnes resurgemus priùs viuificati, tunc viuemus ante faciem, seu in conspectu eius, videntes scilicet eius faciem, sicut est. Tunc vere cognoscemus eum, & pergemus cognoscere, seu proficiemus cognoscendo, vel sequemur scilicet in perpetuum ad cognoscendum, quasi dicat, nullus erit finis cognitionis Dei, quia scilicet eum cognoscemus.

D. Bernhardus de resurrectione Domini, sermone habito in die Paschatis pag. 195. locum hunc Holeae ad resurrectionem Christi applicat: deinde tres quoque nobis dies exemplo Christi assignat. Primum vocat diem crucis. Alterum diē quietis, cùm quiescimus in monumentis, sicut & Christus in sepulcro suo. Apoc. 14. Vt requiescant à laboribus suis. Sic Christus die Sabbathi, id est, die quietis quieuit in sepulchro scilicet quoad corpus. Tertium diem resurrectionis, cùm scilicet glorificati resurgemus ad nouam vitam, sicut dies Dominicus, est primus dies nouus post septimanam.

Diximus postremo versu capitis quinti, contineri promissionem de resipiscentia electorum ex Israel & Iuda, fore scilicet, vt postquam benè fuerint castigati, quęrant Dominum. Iis verò tribus primis versibus 6. capitis, rationes explicari, quibus electi ex Israel & Iuda sese mutuo hortabūtur, vt redeant ad Dominum, quibúsque se in fiducia & spe salutis confirmabunt. Ac prima quidem ratio ducta fuit à natura & ingenio, seu à consuetudine Dei. Ea est, quod Dominus, cùm suos percutit & ferit, facit vt medicus, & vt pater: nempe vt posteà sanet. Sic ergo argumentantur, *Venite, & redeamus ad Dominum*. Quare? Quia ipse dilacerauit. Ergò sanabit nos, percussit, ergo curabit nos. Secunda ratio est in secundo versu, cùm aiunt, *Viuificabit nos*. Ea autem secundùm diuersas illius loci interpretationes, a diuersis locis peti potest. 1. A resurrectione Christi tanquam à caussa nostra, sic. Christus post biduum tertio die, per patrem viuificabitur, & à mortuis excitabitur. Atqui resurrectio Christi caussa est nostrae iustificationis, viuificationis, & resurrectionis, (nō enim sibi sed nobis mortuus est, & resurrexit.) Ergò post duos dies tertio die viuificabit nos, patet scilicet in Christo, à mortuis resurgente, & resuscitabit ad vitam: ac reuera electi, in Christo à mortuis resurgente, ipsi quoque ius resurrectionis consecuti sunt, seu, vt scriptura loquitur, corresuscitati sunt spe. 2. A breuitate temporis, quo adhuc erant affligendi, sic. Per biduum tantùm adhuc, id est, per breue tempus sumus adhuc affligendi, die verò tertio, id est, & deinceps viuificabit nos & resuscitabit à mortuis. Ergò ne despondeamus animos, sed laeto corde redeamus ad Dominum. 3. Si accipias biduum pro longo tempore, hoc est, pro eo tempore, quo cadauera incipiunt putrescere, à potentia Dei ducta est consolatio, sic. Deus potis est viuificare mortuum, tàm, postquam biduum in sepulchro mansit & putrefactus est, quàm primo die quo mortuus est. Ergò etiamsi biduum adhuc, id

est, diuturno tempore nos, ceu mortui, in hac captiuitate, ceu in sepulcris sepulti, mansuri sumus: tamen non est cur desperemus, nam tandem post istud biduum tertio die viuificabit nos pro sua omnipotentia, qua vocat ea, quę non sunt, tanquam ea, quae sunt. 4. A certitudine promissionis diuinę, ducta fuit hęc consolatio. Primo dixit Deus, se, instar leonis, nos capturum, in frusta laniaturum, hic est primus dies, crucis scilicet & mortis. Deinde, se nos ibi derelicturum, tanquam cadauera in sepulcris, atque in suum locum rediturum, hic est secundus dies scilicet sepulturae. Tertiò addidit, donec scilicet agnoscant se peccasse & quęrant faciem meā, quibus verbis indicauit, se non deserturum nos in perpetuū, sed ad tempus, donec scilicet resipisceremus & tūc se ad nos viuificandos & resuscitandos, rediturum, & hic est tertius dies scilicet resurrectionis. Atqui iam elapsum est biduum, & nos agnoscimus nostra peccata, cupimúsque faciem Domini. Ergò ne dubitemus cùm elapsum sit biduum, hoc tertio die, quod est tempus Messiae, viuificabit & resuscitabit nos. Huius autem rei, resurrectionis scilicet tertio die, non tantum exemplum, sed etiam caussa in Christo exhibita est. Primus ei dies, fuit dies crucis, alter, dies sepulturae, & verè dies Sabbathi fuit, quia dies, quo quieuit in sepulchro, tertius, dies resurrectionis, illo tertio die verè omnes electi viuificati sunt & resuscitati. Iuxta illos tres dies Christi sunt etiam electis omnibus tres dies. Primus dies crucis, hoc est, totum tempus, quo in mundo viuimus, hic est crucis, quia quotidie in cruce sumus & quotidie morimur. Secundus est sepulturae & Sabbathi, id est, quietis, hic est tempus, quo mortui in sepulcris quiescimus. Tertius est viuificationis & resurrectionis, hic est tempus quo viuificabimur à spiritu Dei, & excitabimur ad aeternam vitam. Post biduum igitur tertio die omnes nos viuificabit Deus, & resuscitabit à mortuis, & tunc viuemus in conspectu eius. Haec diximus.

Nunc quaedam notanda veniunt ex hoc loco. Notandum igitur in hoc secundo versu, describi ordine beneficia, quę à Christi resurrectione accipimus 1. Est spiritus, seu animae viuificatio, quae in eo sita est, quod tùm peccata, quae erant mors animae, ablata sunt, & Christi iustitia imputata, tùm naturae corruptio tollitur, & contra, spiritus viuificans donatur. In iis enim duobus sita est vita, & iustificatio nostra. *Rom.* 4. Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Id. ò ait, Post biduum resuscitabit, seu, viuificabit nos. 2. Est corporis resurrectio, quam duobus modis consequimur, primo spe, deinde reipsa. Primùm enim è Christi resurrectione accipimus ius resurrectionis nostrae, seu spe resurreximus cum Christo. Deinde postremo huius seculi die reipsa resurgemus propter eundem spiritum Christi, qui habitat in cordibus nostris, ideò ait, Et tertio die resuscitabit nos. Est aeterna vita, quae etiam bifariam à nobis habetur. Primum in hoc seculo inchoatiuè, deinde in altero perfectè & consummatè. Ideò ait. Et viuemus, veram scilicet vitam & animo & corpore, tùm in hoc seculo, tùm in altero.

Notandum deinde quod ait, *Coram facie eius*, sc. Dei. Illud coram facie, multa significat. 1. In ipsius gratia & fauore ac beneuolentia. Cùm enim quis vertit faciem suam erga aliquem, declarat, se illum libēter videre, amare, & fauere. ideò indicāt antea Deum faciem suam ab eis auertisse, id est, eos odisse, & sic reuera filij Dei tùm in hoc seculo viuūt coram facie Dei, quia ei semper grati, & eius fauorem semper habent, tum maximè in alio seculo viuent corā facie eius. 2. Significat in perfecta cognitione. Deus enim dicitur agnosci, & à tergo, & à facie, *Exodi* 33. perfecta cognitio est in facie. 1. *Cor.* 13. Tunc autem facie ad faciem. Sic Moses facie ad faciem vidit Deum. Et sic reuera filij Dei tàm in hoc mundo, quàm in alio viuunt coram facie eius, quia nōrunt Deum clarè. 3. Coram facie, id est, in eius conspectu ei obsequentes, quasi semper ei adstantes, & praestò eius dictis audientes. Qui enim sunt semper praestò obsequio alicuius principis, illi dicuntur viuere coram facie illius principis. Et reuera filij Dei viuunt tum in hoc seculo, tum in alio coram facie Dei, quia illi semper obsequuntur.

Hinc colligimus, si viuimus coram facie eius, pudeat ergò nos turpiter & inhonestè viuere. Quem non pudeat, coram rege & principe turpe aliquid agere? multo magis, si quis cogitur semper ei adstare & inseruire, annon pudebit eum aliquid turpe agere. Hinc etiam colligamus, vitam nostram pēdere è facie & conspectu Dei, id est, è fauore Dei quia enim faciem ille vertit aduersus nos, id est, nobis fauet, inde vitam haurimus, ideò benè ait. *Viuemus coram facie eius*.

Sunt verò hic tacitae quaedam ἀντιθέσεις. Viuificabit nos, Ergò antequā Deus nos viuificet sua gratia, mortui sumus. Suscitabit nos. Ergò antè, quàm suscitemur à Domino, sepulti sumus in peccatis, & nisi ab illo excitemur à mortuis,

è monumentis resurgere nequimus. Viuemus coram facie eius. Ergo, vbi auerrit faciem suam à nobis, mortui sumus, & nisi obuertat nobis suam faciem, viuere nequimus.

Quartò notandum, qui loquantur sic. Pij in morte sepulti, aiunt viuemus. Ergo in ipsa etiam morte speranda est vita. Sepulti suscitabimur. Ergo etiam in sepulcro speranda resurrectio. Illi, à quibus auersa erat facies Domini, aiunt, *Viuemus coram facie eius.* Ergo etiam, cùm facies Dei auersa est & videtur Deus nos odisse, speranda est eius facies & amor, in inferno sperandum cœlum, in spem contra spem.

III. Cognoscemúsque eum.

Duo hic facit. Primum explicat, qua in re posita sit vita nostra, de qua anteà diximus, *Viuemus in conspectu eius*: nempe in vera, solidáque Dei cognitione. Ait, 1. Et cognoscemus eum, scilicet postquam ad illum redierimus per pœnitentiam. Indicat igitur, non priùs à nobis verè cognosci Deum, nisi postquam ad illum redimus. Reditur autem ad Deum fide & resipiscentia. Ergo ab infidelibus, improbis, & impœnitentibus non cognoscitur Deus, 2. Et cognoscemus postquam scilicet viuificarit & resuscitarit nos post biduum in Christo. Ergo ante, quàm inseramur Christo, & cum eo resurgamus, non possumus verè Deum cognoscere. 3. Et cognoscemus, postquam scilicet nobis faciem suam obuerterit. Ergo non verè possumus Deum cognoscere, cum auertit faciem suam, id est, fauorem à nobis. Concludit igitur primo loco, vitam nostram sitam esse in solida Dei cognitione: Huc illud Christi. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Patrem, & quem misisti Iesum Christum.* Est autem hoc intelligendum tam de vita, quam hic viuimus, quàm de illa quam viuemus in cœlo. Est enim vna & eadem vita, continuata & perpetua, sed hîc incipit, in cœlo perficitur: hic est, per speculum, & in ænigmate, ibi autem facie ad faciem. Nil ergo pretiosius cognitione Dei, quando tota vita nostra & præsens, & futura in alia re sita non est, quàm in solida Dei cognitione. Euangelium autem est illud, quod nobis affert Dei cognitionem. Quid igitur pretiosius Euangelio? ac proinde, qui Euangelium non amplectitur, in morte manet.

Hinc refutatur error Iudæorum, qui exspectant Messiam, vt illos restituat in regnum temporale, & cum illo viuant in deliciis. Propheta harum rerum nullam mentionem facit, vitam nostram, quæ ex aduentu Messiæ habetur, in sola Dei cognitione reponit. *Et cognoscemus*, inquit, *eum.*

Deinde qualis futura sit hæc cognitio. Imperfecta initiò, sed quæ quotidie perficietur. *Et prosequemur ad cognoscendum Iehouah*, id est, quotidie magis ac magis proficiemus cognoscendo. Est autem hoc dictum intelligendum, non tantum de cognitione Dei, qua Deum in hoc mundo cognoscimus, sed etiam de illa, qua in cœlo agnoscemus. Ait enim quòd postquam resuscitati fuerimus: nempe etiam corporibus à morte, pergemus cognoscere. Ergo etiam in cœlo, nunquam plenissimè Deus cognosci potest, sed semper proficiunt beati in hac Dei cognitione.

Non ait autem, *Sequemur ad cognoscendum vsque ad tale* scilicet tempus sed indefinitè, *Persequemur.* Indicat igitur, cognitionem hanc, & profectum cognitionis, fore perpetuum, ideóque vitam nostram fore perpetuam. Coniungit etiam vtrumque simul. *Cognoscemus, & persequemur ad cognoscendum.* Indicat igitur, illos, qui solidè incipiunt cognoscere Deum, (id quod fit per fidem & Spiritum sanctum in hoc seculo) nunquam penitus destitui cognitione Dei, proficiunt semper electi in Dei cognitione.

Redit posteà ad argumenta, quibus se pii confirmant in fiducia & spe salutis. Ducitur hoc argumentum à simili in natura. Videmus in natura hunc esse positum firmatúmque ordinem, vt non semper sit nox, sed postquam elapsum est tempus nocti præfixum, aurora statim subsequitur, tenebras noctis dispellens. Hinc fit, vt etiam cum sumus in mediis tenebris noctis sepulti tamen non desperemus, quia longo vsu & experientia edocti, scimus, post noctem secuturam auroram & diem: quòd si quis hunc naturæ ordinem non teneret, vt infans aliquis, quomodo, cùm dominantur noctis tenebræ, speraret, subitò exorituram lucem seu auroram? nónne tunc prorsus omni luce destitutus videtur mundus? & tamen, quia tenemus ordinem naturæ, non desperamus. Scimus enim exorituram lucem post elapsam noctem. Ergo quantò minùs desperare debemus, exorituram gratiç lucem, etiamsi in præsentia meræ tenebræ dominentur: exorietur, exorietur aurora, id est, fauor Dei, & has noctis tenebras, in quibus sumus sepulti, discutiet. Liberabimur à captiuitate, sed quando? post biduum, id est, post elapsum tempus nocti & tenebris nostris præfixum. Huc illud Iobi, *Post tenebras spero lucem.* Ergo in ipsis tenebris speranda est lux. Pueri, qui non tenent naturæ ordinem, desperant, cùm sunt in te-nebris. Sic, qui non tenent consuetudinem Dei, vt [illegible] impij. Contra verò pij, in ipsis etiam tenebris, sperant lucem Cur? quia nôrunt naturam Dei.

Argumentum hoc à natura sumitum, optimum est, quia confirmat potentiam Dei. Sic enim Deus per creaturas, vt per auroram, discutit noctis tenebras, & finem noctis imponit Ergò, cur non multò magis per seipsum poterit tenebras afflictionum & peccatorum dispellere, & finem nostris calamitatibus imponere? Imò sicut semper solet depellere per auroram noctis etiam longissimç tenebras: ita etiam omnino solet à suis filiis depellere tandem tenebras crucis, & eis lucem cælestem afferre. Ergò desperandum non est. Sic Paulus 1. Cor 15. vtitur simili argumento Impossibilis videbatur resurrectio carnis quibusdam, quia omnino carnis iudicium superat. *Stulte*, inquit, *quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur*, quasi dicat, videmus corruptum semen, ita, vt si quis cæcæ carnis iudicio iudicet, putet, impossibile fore, vt resurgat fœcundius, & tamen fit Sic etiam resurrectio corporum.

Exitium Dei vocat nouam sui manifestationem, cùm scilicet noua gratiæ luce sese patefacit populo, declaratque se populum suum fauore complecti. Sic aduentus Christi dicitur, quando nouo modo suam patefecit gratiam Deus in Christo.

Veniet, sicut pluuia, nobis, sicut pluuia serotina quæ irrigabit, id est irrigat terram.

Duo facit. 1. Adfert aliud argumentum à simili in natura sumitum, quo pij Israelitæ & Iehudæi sese in fiducia & spe salutis confirmant 2. Simul etiam docet, quàm salutaris futurus sit aduentus Dei.

Argumentum tale est. In natura talis est ordo à Deo firmatus, vt nunquam sit perpetua siccitas in terra, nec perpetuò cœlum sit æneum. Nam, etiamsi per multos menses vel annos, vt tempore Heliç terra maneat arida & sterilis & cœlum maneat clausum: tamen tandem pluuia, eaque salutaris, pluuia scilicet serotina, quæ faciat fruges maturescere, descendat necesse est Hinc fit, vt, etiam in media siccitate & ariditate terræ, speretur tamen ab hominibus, qui naturæ ordinem tenent pluuia, quæ terram irriget atque fœcundet Ergo, etiamsi per multos annos mansuerimus in hac captiuitate, aridi & steriles, sine vlla aqua diuinæ gratiæ, exsiccati ab æstu concupiscentiarum, destitutique omni auxilio, ita, vt videamur prorsus desperati; desperandum tamen non est, sed exspectanda pluuia diuinæ gratiæ, qua corda nostra irrigentur ad proferendos fructus bonorum operum, Ideò ait, *Veniet*, id est, sicut pluuia, eáque serotina post multam siccitatem, tandem venit, & irrigat terram arefactam Ita Dominus salutari aduentu post diuturnam nostram afflictionem, tandem aliquando veniet nobis, id est, ad salutem nostram, & irrigabit corda nostra aqua sui Spiritus.

Alterum quod explicat, est, quàm salutaris sit aduentus Dei ad nos, est, sicut aduentus aquæ serotinæ, ipsi terræ per multos æstus exsiccatç. talis aqua irrigat terram, & facit, vt fructus maturescant, ita aduentus Dei.

Notandum autem hic est, aduentum Dei fieri ad nos, cum donat nobis se, qua cum videamus, facit, vt sentiamus, se nobis benè velle, faciémque suam ad nos conuertisse. Venit autem sicut aqua serotina, qua irrigantur agri ad fructus proferendos. Aqua hæc, est gratia regenerationis Ergo nunquam vera fide Deum complectimur præsentem, quin aqua regenerationis irrigemur. Ac proinde fides sine spiritu regenerationis, ideóque sine noua vita, & renouatione hominis inueniri non potest.

Videmus igitur, quàm salutaris sit aduentus Dei ad nos. Cùm hæc ita se habeant, ergo reuertamur ad Dominum, nec dubitemus de salute consequenda, quia veniet & salutariter veniet.

IV. Quid faciam tibi Ebraim? Quid faciam tibi, Iehuda? Et, id est, nam misericordia synecdoche, id est, iustitia, & bonitas, vestra, quasi nubes mane, id est matutina, & sicut ros mane abiens.

Duo facit in hoc versu. 1. Rediens ad reprehensiones & minas, per interrogationem docet, neque promissiones, neque minas prodesse Israeli, & Iudæ. Quid faciam, inquit, tibi? quasi dicat, tanta est vestra prauitas, vt nullo remedio curari possit, nam si minor, non flectimini: si offeram meam gratiam, eam respuitis, summa, gratiæ meæ nullum datis locum. Quid igitur faciam tibi? Indicat hac interrogatione, Israelitarum & Iehudæorum casum esse desperatum. Magnam habet emphasin illa repetitio, & vtrosque populi de proprio nomine appellatio. 2. Adfert caussam, cur dicat, se nescire

nescire, quid faciat Israeli & Iehudæ. Ea est, quoniam, inquit, misericordia vestra, sicut nubes matutina. Quasi dicat, iccircò nescio, quid agam vobis, seu, quam viam insistam, vt vos saluem, quoniam estis perditi hypocritæ. Quomodo estis hypocritæ? non estis apertè impij, habetis enim aliquam iustitiam, ideò ait, iustitia vestra, vt nubes matutina. Neque estis verè iusti, quia vestra iustitia est res euanida: Est enim sicut nubes, quæ manè apparet à reliquijs noctis, sed ad Solis præsentiam statim euanescit. Est sicut ros qui noctu descēdit super herbas, sed statim ad auroræ exortum euanescit, talis est etiam hypocritarum iustitia. Sicut enim nubes matutina videtur velle irrigare terram, prodesse hortis & agris, sed vbi venit sol euanescit: Ita etiam vestra iustitia. Sicut item ros descendit quidem super herbas noctu, sed non diu durat, nec diu prodest, quia ad ortum Solis exsiccatur. Ita etiam vestra iustitia. Ergò vos estis hypocritæ. Iustitia enim vere iustorum durat, & perpetua est.

Quomodo verò valet hæc ratio, Vos estis hypocritæ. Ergo nescio, quam viam insistam, qua vos seruē. Valet sic. Quoniam si essetis iusti, promissionibus flecteremini. Si essetis apertè impij, vt illi, qui nullum habent cultum Dei, nullumq. profitentur pietatem, sed tamen sua agnoscunt peccata, minis terrefieretis. Non est autem vlla alia ratio ad seruandos homines, quàm vt vel minis terrefiant, & absterreantur à peccatis, vel promissionibus flectantur ad misericordiam Dei amplectendam. Neutra via vobis prodest, quia estis hypocritæ, non reprehensiones & minę, quia eas contemnitis, non promissiones, quia illis abutimini ad licentiam & falsam confidentiam. Ergò, quid agam vobis, vt vos saluem, prorsus ignoro. *Quid igitur faciam tibi, ô Israel, Quid faciam tibi, ô Iehuda?* Cùm vestra iustitia sit sicut nubes matutina, & sicut ros manè diffugiens, id est, cum sitis hypocritæ, quasi dicat, nihil iam superest profectò, nisi vt vos prorsùs abiiciam, sicut, si medicus diceret ægroto suo desperato, Quid faciam tibi ampliùs, cum nulla prosint remedia, nisi vt te omninò deseram?

Alludit autem iis verbis, *Quia iustitia vestra est sicut nubecula matutina*, ad Israelitarum & Iudæorum iustitiam, quę tota sita erat in externis sacrificiis & ceremoniis. Cum mane veniebant in templum ad sacrificia offerenda, videbantur vere resipuisse, videbantur velle prorsus esse erga Deum pij, & erga proximum misericordes, tanta erat externa pietatis simulatio. At præterquam quòd Israelitis cultus adulterinus erat, illud etiam mali accedebat vtriq. populo, quod simulac à sacrificiis domum redierant, simul etiam redibant ad pristinas iniquitates & peccata: ac proinde vere illorum simulata iustitia & religio erat sicut euanida nubes matutina, & sicut euanidus ros, qui mane statim, exorto sole, in fumum euanescit.

Est autem notanda hic consuetudo quædam prophetica, tum illius consuetudinis ratio. Consuetudo est Prophetis, & præsertim nostro Hoseæ, vt initio acriter reprehendant & minentur, posteà subdant promissionem aliquam de gratia Dei, & de regno Christi, tum statim redeant ad reprehensiones, & promissionem aliquam inserant, verum in reprehensionibus & minis diutius immorantur, quàm in promissionibus. Vix enim has attingunt, & mox redeunt ad minas. Hæc est Prophetarum consuetudo. Exemplo nobis esto ille præsens locus. Post longam reprehensionem, quæ durauit à toto cap. 4. vsque ad finem capitis quinti, inseruit hanc præcedentem promissionem, quæ quatuor tantum versibus comprehensa fuit, mox rediit ad reprehensionem & comminationem, quam à versu quarto per omnes reliquos versus & per totum cap. 7. 8. 9. 10. vsque ad versum 8. cap. 11. continuat. Versu enim 8 cap. 11. subditur alia promissio.

Consuetudinis autem huius ratio fuit, quoniam cum duplici hominum genere negotium erat Prophetis, cum impiis nimirum, & piis, qui ambo vnum conficiebant corpus populi. Aliquando igitur sermonem in totum populum dirigunt, tàm in pios, quàm in impios: aliquando in solos impios: aliquando in solos pios: ac primum cum initio concionum incipiunt arguere, minari, & obiurgare, ad totum corpus populi sermo dirigitur, quoniam omnes peccarant, & omnes opus habebant reprehensione & comminatione. 2. Cum autem subdunt promissiones, illæ ad solos electos & pios, qui ex reprehensione peccati, & comminatione iræ Dei consternati fuerunt, déque peccatis suis doluerunt, diriguntur, & ad illos solos pertinent. Postquam enim reprehenderunt totum populum, electi dolent de peccatis, & consternantur denunciatione iræ Dei. Reprobi verò minime, sed potius derident, ideò ad pios tantum consolandos adduut promissiones. 3. Cum verò mox redeunt ad reprehensiones & minas, in ipsos tantum hypocritas inuehuntur. Docent enim, promissiones prædictas ad illos non pertinere, quia præfracti sint, & obstinati in peccatis. Est enim hoc discrimen inter pios & impios retinendum circa reprehensiones & promissiones. Cum fiunt reprehensiones & comminationes, pij, si in aliquo sint peccato eorum quæ reprehenduntur, sentiunt illas reprehensiones ad se pertinere, ideò de peccatis dolentes, cupiunt emendari. Impij verò vel non putant eas ad se pertinere, vel contemnunt eas, ac derident. Cum verò annunciantur promissiones, pij ita illas fide amplectuntur, vt animos erigant ad Dei bonitatem, tum voce, tum sanctitate vitæ celebrandam ac extollendam. Impij autem hypocritæ simulant, se illas amplecti, sed ita, vt illis magis insolescant, & magis laxent frena ad peccata, & licentiam carnis, dicentes, Nos sumus populus Dei, sumus Dei Ecclesia, Deus non deserit suam Ecclesiam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Sumus ergo tuti, quod nec errare, nec damnari queamus.

Cum hæc ita se habeant, iccircò Prophetæ post promissiones prædicatas, mox redeunt ad reprehensiones & minas propter hypocritas, ostendúntque promissiones à se nunciatas, ad illos non pertinere.

Tenemus nunc & consuetudinem Prophetarū in suis cōcionibus, & eius consuetudinis caussam, quod scilicet semper promissiones subdant reprehensionibus propter pios, & promissionibus statim subiiciant alias reprehensiones propter hypocritas. Mirandum igitur non est, quod Propheta noster post promissionem tam præclaram, mox redeat ad reprehensiones tam acres, quales sequuntur.

Concludit igitur, vt summatim dicam, in hoc versu, hypocritas in Israel & Iuda prorsus esse incurabiles, quoniam cum sint hypocritæ, nullo vnquam remedio curari potuerunt: ac proinde se ignorare, quid agendum de illis sit, nisi vt prorsus eos abiiciat, cum præter mendacium & simulationem, nihil habeant isti hypocritæ.

5. *Propterea secui in Prophetis meis.*

Docet hoc versu duo. 1 Caussam, cur tàm de iure per Prophetas cum suo populo fere semper egerit, seu, cur tam acriter populum per Prophetas arguerit, & verbis suis, quasi ancipiti gladio, occiderit, fuisse ipsius populi hypocrisin, seu, cordis duritiem hypocriticam sanctitate velatam, Sed hoc explicat eleganti metaphora, quæ similis est prouerbio satis trito, *Malo nodo malus cuneus.* Docet enim Israelitas & Iehudæos hypocritas fuisse, ceu ligna nodosa & dura, ad illa igitur complananda, fuisse opus duro dolabro, duro acutóque gladio, id est, sermonibus Prophetarum acribus: nempe acerrimis reprehensionibus & comminationibus, non autem blandis sermonibus & dulcibus promissionibus. Hęc est summa horum verborum.

Propterea dolaui Prophetis meis. Quid dolasti? Israelitas scilicet & Iehudęos hypocritas, tanquam nodosa ligna. Quid est propterea? id est, quia bonitas vestra est sicut nubes matutina, quia estis hypocritæ in peccatis destinati, & præfracti. Ego autem non possum ferre talem hypocrisin, sed volo veram misericordiam, nō autem hypocritica sacrificia, & volo fidem, non autem simulata holocausta. Ad præcedentem enim versum, & ad sequentem, refertur illud propterea: iccircò Ego, tanquam faber lignarius, per meos Prophetas, tanquam per dolabra, dolaui vos, tanquam nodosa ligna, quæ simplici cultro non poterant complanari, sed duris opus habebant dolabris.

Et occidi eos, non Prophetas, sed Israelitas & Iehudæos hypocritas. De illis enim loquitur in tertia persona per contextum, *In verbis oris mei.* Planius dicit, quod ante obscurius indicarat. Propterea, inquit, illos quasi occidi verbis meis, tanquam acutis gladiis, acriter eos per Prophetas arguens quoniam scilicet hypocritæ fuerunt. Sensus est. Ne mecum expostuletis, quòd acriter vos per meus Prophetas tractarim & tractem, verbis scilicet duris: Vos enim estis in caussa, quia estis nodosa ligna, id est, præfracti, talia autem nodosa ligna tenui cultello complanari non possunt, sed opus habent durissimo dolabro. Ergò coactus vestra duricie & hypocrisi, tanquam sapiens faber lignarius, vsus sum ad vos complanandos duris dolabris. Tenemus sensum Prophetæ.

Obseruandum hic, quòd Deus aliquando acriter & dure nos tractet suis verbis per Prophetas & ministros, in caussa esse nostram duriciem & hypocrisin, libentius Deus nos corriperet blandis verbis, & solis Euangelij promissionibus, si illa sola prodessent: Sed cum simus nodosa ligna, non potest aliter facere Deus, quàm vt dolabro legis vtatur ad nos complanandos. Discant igitur hinc concionatores, non semper agendum esse cum populo blande & leniter, sed sæpenumerò necessarium illis esse dolabrum acerrimarum reprehensionum, maledictionum & excommunicationum

cùm scilicet homines sunt hypocritæ, & ceu nodosa ligna. Vellent hypocritæ & delicati homines audire tantum Euangelium, quod Christus mortuus est pro nobis, quòd condonata sunt peccata, interim nulla pœnitentia, interim manent nodosi & præfracti. Hic certè optimus faber lignarius mutabit instrumentum, deponet tenuem Euangelij gladium, & assumet durum legis dolabrum, quo iram Dei exaggeret contra istos hypocritas.

2. Docet, etsi dolabro opus est ad cõplanandos hypocritas ex Israele & Iuda: se tamen operam lusisse, vsque adeò enim fuisse duros hosce nodos: vt neque dolabro complanari potuerint. Ac proinde tacitè indicat, nihil reliquum esse, nisi vt hæc nodosa ligna in ignem conijciantur, quia ad nullum alium vsum valent, sed hoc alia metaphora explicat: nempe metaphora lucis, quæ subitò apparet, & statim etiã euanescit.

Et iudicia tua lux quæ egreditur.

Variè hunc locum exponunt interpretes.

1. Et tamen res prosperè semper vobis fuerunt, quia fuerũt sicut lux, id est, sicut sol, qui oritur & occidit, quasi dicat, Et si dolaui in Prophetis, & verbis oris mei: tamen 1.6 destiti rebus prosperis & secundis vos ad resipiscentiam inuitare. Sed coacta est expositio. 2. Alij subintelligũt vt, sic, dolaui in Prophetis vt iudicia tua, id est, iustitiç essent, vt lux, quç oritur, id est, essent perfectæ, non vt nubes matutina & euanida, sed vt perfecta lux. 3. Quidam ad doctrinam referunt, quæ, tanquã lux, illis nunquã defuit. Et iudicia tua, id est, & doctrina tua, seu ratio piè viuendi, fuit tibi instar lucis, quasi dicat, Ego nõ destiti lucem veritatis, & regulam piè viuẽdi vobis exhibere. Scientes igitur & volentes peccastis: ac proinde estis inexcusabiles. Sed iudicia tua, id est, doctrina autem hæc, non fuit Israelis, sed Dei. Igitur non subscribo huic interpretationi.

Possemus ironicè sic legere. Et tamen iudicia, id est, tuç institiæ, tuæ in proximum misericordiæ fuerunt scilicet, vt lux, quæ oritur, nempe, sicut sol, id est, fuerunt scilicet egregiæ & illustres. Vel sic, iudicium sæpè pro rectitudine & reformatione capitur, vt Ioh. 12. *Nunc iudicium est mundi.* Lux etiam appellantur illi qui è tenebris peccatorum conuertuntur ad lucem Euangelij & pietatis. Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Nunc ait, Dolaui, quia scilicet volebam te complanare, & benè reformare: sed iudicia tua, id est, reformationes tuæ fuerunt vt lux, non, quæ permanet & durat, sed quç simulac exorta est, discedit, id est, tua reformatio, fuit religio & pietas simulata, quæ citò euanuit, vt hic idem alijs verbis significet, quod etiam superiùs, cùm dixit, Bonitas vestra sicut nubes matutina. Ita hic, iudicia tua, sicut lux, quæ simulac exorta est, recedit. Reperit ergò, Etsi dolabro vsus est ad eos reformandos: illos tamen remansisse hypocritas, qui etsi obtulerunt sacrificia, & visi sunt velle sequi pietatem, & fieri lux: nihil tamen syncerum & stabile in eis fuit, sed omnia simulata & hypocritica.

6. *Quia misericordiam volui, & non sacrificium, & scientiam Dei pra holocaustis.*

Reddit hic rationem, cur populũ dolauerit per Prophetas, acerrimis reprehensionibus, tametsi indesinenter obtulerint Deo sacrificia, & quidquid externi cultus Deo præstari potest, præstiterint. Quamobrem igitur reiecit illos, & dolauit in Prophetis? Quoniam, inquit, non amaui vestra sacrificia & holocausta, sed volo pietatem veram, quæ in fide in Deum & caritate in proximum sita est tota. Vos autem tantùm externum cultum mihi exhibuistis sine pietate. Ergò iure vos reprehendi acriter per Prophetas. Est igitur hic quædam occupatio tacita, quã occurrit hypocritis qui sacrificia & externũ cultum obijciebant. Ait Dominus, Iure vobiscum dure egi, quoniam etsi sacrificia obtulistis: tamen quia sine fide & caritate ea obtulistis, icircò ea nolui. *Volo enim misericordiam, & non sacrificium.*

Sequentium versuum explicatio, ex sequenti analysi petenda est.

ANALYSIS SEXTI CAPITIS.

Venite & reuertamur ad Iehouah, quia ipse discerpsit, & sanabit nos percussit, & curabit nos.

1. Electi ex Israel & Iehuda, qui cùm res haberent secũdas, turpiter a Domino defecerant, postea maxima pressi calamitate, redeunt ad Dominum. Tantùm igitur abest, vt crux debeat electos arcere à conspectu Dei, vt potiùs debeat illis stimulus, quo vt ad Dominum alacriùs redeant, incitentur.

2. Non solùm redeunt ipsi ad Dominum, id quod fit per veram in Deum fiduciam, sed etiam sese mutuò ad hunc reditum faciendum cohortantur, id quod fit per caritatem in proximum. Indicant igitur, veram in Deum fiduciam nec debere, nec posse esse sine caritate in proximum.

3. Dum proximum hortantur, vt redeat ad Dominum, non aiunt illi veri concionatores Ite & redite ad Dominum, sed venite, & reuertamur ad Dominum. Indicant igitur, officium cuiusque Christiani hominis, atque imprimis veri concionatoris esse, vt ipse priùs resipiscat, atque ad Dominum redeat, deinde alios ad idem secum faciendum adhortetur & stimulet.

4. Isti electi, cùm in horrenda captiuitate, ceu in sepulcro sepulti, omni prorsùs Dei auxilio destituti, ac omninò desperati esse viderentur: variis tamen consolationum generibus, sese in fiducia Dei & spe salutis sustinent atq. confirmant. Indicant igitur de bonitate Dei, déque nostra salute nunquam esse desperandum, sed semper in spem contra spem esse credendum.

5. Argumentantur, redeundum esse ad Dominum, quoniã ipsa eos discerpsit & percussi. Sic autem ideò argumentantur, quoniam sciunt, hoc proprium esse Dei angelorum, vt, quos, tãquam pater, percutit & tanquam medicus, ferit, ideò percutiat & feriat, vt posteà salutariter curet & sanet. Tãtùm igitur abest, vt quoniam Dominus nos ferit, ab eo aufugiendum sit, vt potiùs tum maximè ad illum sit redeundum, cùm nos ferit & percutit, vt qui percussit, ipse etiam sanet.

6. Illud verbum *Taraph* est idem, quo vsus est Dominus superiùs cùm dixit, sese, instar irati leonis populum hunc in frusta laceraturũ. *Ani Ani Ethroph* Ex hoc tamen verbo irati Dei fiduciam capiunt clementiæ Dei, & spem concipiunt suæ salutis, d cendo, *Venite & reuertamur ad Dominum*, quoniam ipse *Taraph Veiirpaenu*. Indicant ergo, etiam ex ira Dei immensã fiduciam diuinæ misericordiæ esse capiendã, & in ipsa morte & dãnatione spem salutis esse concipiendã.

2. *Viuificabit nos à biduo, & tertia die resuscitabit nos.*

1. Cùm aiunt, viuificabit nos, indicant, se nunc esse mortuos. Ij tamen, qui mortuos se esse fatentur, sustentant se spe vitæ & certa spe, illam à Domino exspectant dicendo, *Viuificabit nos.* Indicant ergo, etiam in media morte sperandam esse à Domino vitam, & in sepulcris resurrectionem, in peccatis iustificationem, in inferno paradisum, in ipsa damnatione æternam vitam.

2. Si biduum pro breui tempore accipiatur, tali argumẽto à breuitate temporis, quo etiamnum sunt affligendi, desumta, sese pij consolantur, atque in spe salutis confirmant, tempus, quo adhuc sumus purgandi, breue est, est enim instar bidui. Ergo ne desperemus, nam post istud biduum tertio die viuificabit nos. Indicant igitur, quia calamitates, quas nobis infligit Dominus in hoc seculo, diuturnæ non sunt: iccircò crucem læto & forti animo esse perferendam filiis Dei, certò persuasis, quòd post biduum à Domino sunt viuificandi.

3. Si biduum accipiatur pro eo tempore, quo cadauer in sepulcro incipit iam fœtere & putrescere, id est, pro longo tempore, tali argumento à potentia Dei sumto, sese consolantur, & in spe salutis confirmant, Deus potest viuificare mortuum, tam postquam in biduo in sepulcro mansit & putrefactus fœtet, quàm primo die & hora, qua mortuus est. Ergo etiamsi biduum adhuc, id est, diuturno tempore, nos ceu mortui in hac captiuitate, tanquam in sepulcro sepulti, mansuri sumus, donec scilicet putrescamus: tamen non est cur desperemus de Dei bonitate & potentia, nam post biduum istud, tandem aliquando viuificabit nos. Indicant igitur, etiam in diuturnis & quasi perpetuis afflictionibus, de misericordia Dei, déq. salute nostra, nunquam esse desperandum, sed etiamsi moram nectat Dominus quàm longissimam, exspectandum tamen esse, quia tandem veniet & viuificabit nos.

4. Si primus dies pro die crucis accipiatur, secundus pro die sepulturæ, tertius pro die resurrectionis, hoc argumento, à certitudine promissionis diuinç petito, sese electi in spe salutis confirmant. Promisit Deus, postquam nos, vti leo, discerpsisset (hic est enim primus dies, scilicet crucis) & nos in captiuitate, ceu in sepulcris, deseruisset, non in perpetuum, sed ad tempus, donec scilicet agnosceremus peccata, & quçreremus faciem eius, (hic est enim dies sepulturç scilicet secunda dies) promisit, inquam, se rediturum ad nos scilicet viuificandos, & è sepulcris istis excitandos. Atqui iam elapsum est biduum, & venit dies tertius, & nos incipimus agnoscere nostra peccata, & desiderio tenemur quærendi videndiq. faciẽ Dei. Ergo ne dubitemus, quin post hoc biduum tertio

tertio die, quod est tempus Messiæ, viuificet & resuscitet nos. Indicant igitur, ita attendum esse promissionibus diuinis, vt tamen illarum complementum exspectandum non sit, nisi post biduum, id est, suo tempore. Perfectam enim vitam & resurrectionem exspectandam non esse, nisi post elapsum biduum tempus scilicet crucis & sepulturæ, quia tertio die fiet viuificatio & resurrectio.

5. Si tempus hoc bidui & tertij diei ad tempus Messiæ referatur, hoc argumento se à resurrectione Christi potito, consolantur electi. Post biduum tertio scilicet die Christũ mortuum & sepultum Deus viuificabit & suscitabit à mortuis. In Christo autem, tanquam in capite, tota Ecclesia, vt illius corpus est viuificanda & resuscitanda, non enim Christus sibi moritur aut resurget, sed Ecclesiæ. Ergo Deus post biduum illud, tertio die cum Christo scilicet viuificabit & resuscitabit nos: ne desperemus igitur, sed cum patientia exspectemus. Indicant igitur, omnem vitam & resurrectionem, ideóque salutem omnem, a Christi resurrectione pendere, & ab ea sola esse exspectandam.

6. Sicut tres dies fuerunt Christo, dies scilicet Veneris quo crucifixus est, & dies Sabbathi quo in sepulcro iacuit, & dies Dominicus, quo resurrexit: sic etiam toti Ecclesiæ tres sunt dies, seu tempus præsentis vitæ, quo in cruce semper est Ecclesia, dies sepulturæ, quo scilicet corpora sanctorum in sepulcris iacent vsque ad finem seculi, & dies resurrectionis, quo scilicet ad æternam vitam resurgent. Sicut igitur Christus nõ ante resurrexit, nisi post elapsum biduum, tertio die, sic perfecta vita & resurrectio exspectanda non est, nisi post elapsum nostrum biduum, sed sicut certò post biduum Christi, tertio die secuta est ipsius resurrectio: sic etiam certissimè post elapsum nostrum biduum, sequetur æterna nostri viuificatio & resurrectio.

7. Illud primum verbum, *Et viuificabit nos à biduo*, ad spiritus viuificationem, seu ad iustificationem pertinet. Alterum, *Tertio die resuscitabit nos*, ad corporum resurrectionem. Tertium verò, *Et viuemus coram facie eius*, ad æternam in cœlo vitam. Indicat igitur Propheta his tribus verbis, tria maxima beneficia electos omnia a Christi resurrectione consequi, idque eo ordine quo & hic narrantur. Primum quidem: iustificationem, seu interioris hominis viuificationem, deinde verò corporum resurrectionem, postremò autem vtriusque tam corporis, quàm animæ æternam in cœlo vitam.

8. Primum beneficium duabus in rebus situm est. Vna quidem, quòd electis credentibus tùm peccata, quæ mors erant animæ, non imputentur, tum iustitia Christi, quæ vita est animæ vera, donetur. Altera verò quod eisdem tùm corruptio naturæ sensim tollitur, tùm spiritus viuificans donatur. Hoc autem beneficium ex resurrectione Christi electos consequi, cum Propheta hic indicat, dicens, *Viuificabit nos post biduum*, tùm aperte Apostolus tradit Rom. 4. *Mortuus est propter delicta nostra, & propter nostram iustificationem resurrexit*.

9. Alterum beneficium, corporum scilicet resurrectio, duabus itidem in rebus sita est: in spe nimirum & effectu. In spe, quoniam è Christi resurrectione certissimum nostræ resurrectionis ius accepimus. In reali effectu, quoniam tandem tertio die gloriosè resurgemus.

10. Tertium beneficium, vita scilicet æterna, in duabus itidem rebus posita est in iure, & perfecta possessione. In iure, quoniam & Christi ad æternam vitam resurrectione electi omnes ius æternæ vitæ consecuti sunt, ideóque hic inchoatur, iuxta illud, *Qui credit in me, habet vitam æternam*. In plena verò possessione, quoniam tandem in cœlo coram facie eius perfectam æternæ vitæ possessionem consequemur, túncque verè viuemus coram facie eius, quia perpetuò illi adstabimus, perpetuísque illum præsentem laudibus celebrabimus.

11. Viuere coram facie Domini est, tùm viuere in ipsius gratia & fauore, tùm habere solidam & veram illius cognitionem, tum denique ante illius conspectum stare, eique seruire. Fideles igitur electi in hoc etiam seculo viuunt coram facie Domini, quia viuunt in eius gratia, cognitione, & obsequio, propriè tamen in cœlo viuemus coram facie eius, quia tunc & in perfecta eius gratia viuemus, & perfectè eam videbimus, facie ad faciem, & denique perfectè coram illo adstabimus, eúmque perpetuis laudibus celebrabimus præsentem.

12. Electi viuunt coram facie Domini. Vita igitur electorum è facie Dei dependet, cùm scilicet Deus quasi conuersa ad nos sua facie, & hilari vultu nos intuens, efficaciter tùm externè per Euangelium, tum internè per Spiritum sanctum declarat, se nos suo complecti fauore & gratia.

13. Electi pii etiam in hoc mundo viuunt coram facie Domini. Debet ergo illos pudere, aliquid turpe agere.

14. Cum aiunt, viuemus coram facie eius, docent, faciem igitur Dei à se fuisse auersam. Non enim aiunt viuimus, sed viuemus. Ij tamen, qui fatentur faciem Dei in præsentia à se esse auersam, cum certa spe aiunt, viuemus coram facie eius. Indicant igitur, etiam cum facies Domini à nobis auersa est: eam tamen esse certò spectandam, sicut & Iesa 8. ait, *Sperabo in Domino, qui auertit faciem suam à Iacob*.

3. *Et cognoscemus eum, & persequemur ad cognoscendum.*

1. Simulac dixerunt, *Et viuemus coram facie eius*, statim subiiciunt, *Et cognoscemus eum*. Indicant igitur, vitam æternam electorum in solida Dei cognitione positam esse, iuxta illud Christi Ioh. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te*: ac proinde, cum in hoc etiam seculo electi verè Deum cognoscant, quanquam per speculum & in ænigmate, in cœlo autem facie ad faciem. Vitam igitur æternam hic inchoari, & inchoatam continuari (alioqui æterna non esset) in cœlo autem tandem perfici.

2. Primò dixit, *Coram facie eius*, deinde, *Et cognoscemus*. Indicat igitur, tunc demum verè à nobis Deum cognosci, cum suam ad nos faciem conuertit, ac proinde econtrà, non posse Deum verè a nobis cognosci, cum faciem suam à nobis auertit.

3. Cum aiunt, *Et cognoscemus eum*, subintelligendum est, postquam ad illum redierimus. Refertur enim ad præcedentia, *Venite & reuertamur*. Reditus autem ad Deum, fide & resipiscentia. Indicant igitur, non prius Deum verè à nobis cognosci, nisi postquam ad illum per pœnitentiam & fidem redimus: ac proinde ab infidelibus & impœnitentibus non cognosci.

4. Vita electorum in cognitione Dei sita est. Cognoscitur autem verè & solidè Deus in Christo. In Christo igitur vita nostra posita est, iuxta illud Christi, *Ego sum via, veritas, & vita* ac proinde cum Christus, ideóque Deus per Euangelij prædicationem fide receptam, agnoscatur, Euangelium igitur fide receptum, vitam affert æternam, ideóque qui Euangelium non amplectitur, in morte maneat necesse est.

5. Non simpliciter ait, *Cognoscemus*, sed addit, *Et persequemur ad cognoscendum*, seu, proficiemus in cognitione. Loquuntur autem non tantum de cognitione, qua in hoc seculo Deum cognoscimus, sed etiam de illa, qua in cœlo post corporum resurrectionem eum cognoscemus. Prius enim dixerunt, *Resuscitabit nos* scilicet à mortuis, deinde hoc subdiderunt, *Et cognoscemus*. Indicant igitur, Deum nunquam neque in hoc, neque in futuro seculo, plenè & absolutè ab electis cognosci, sed hanc Dei cognitionem in electis magis ac magis perfici quotidiè, nunquam autem absolui, semper enim persequuntur ad cognoscendum *Iehouah*, seu proficiunt in cognitione *Iehouah*.

6. Non aiunt, Persequemur ad cognoscendum Iehoua vsque ad tale tempus, sed indefinitè. Persequemur (scilicet perpetuò) ad cognoscendum Iehoua. Indicant igitur, hanc Dei cognitionem in electis fore perpetuam, ideóque illorum vitam esse æternam.

7. Vtrumque simul coniungit, *Cognoscemus, & persequemur ad cognoscendum*, id est, pergemus cognoscere, & cognoscendo proficiemus. Indicant igitur, illos, qui solidè incipiunt Deum cognoscere (id quòd fit per fidem & Spiritum sanctum, in hoc seculo) nunquam penitus destitui Dei cognitione, ac proinde neque fide & Spiritu sancto.

8. Isti electi, cum aiũt, *Et cognoscemus, & persequemur ad cognoscendum*, de sua in Dei cognitione perseuerãtia loquũtur, docéntque se certos esse de sua perseuerantia in fide. Indicãt igitur, electos omnes, qui verè iam inceperunt per fidem ad Deum redire, eúmque cognoscere, de sua in fide perseuerantia certos esse debere, imò reipsa certos esse, sed id propter certam promissionem Dei, non propter opera nostra.

9. Primò hortati sunt sese mutuò ad veram resipiscentiam dicendo, *Venite & reuertamur ad Dominum*, deinde, quæ beneficia inde certò essent consecuturi, explicarunt, dicendo, *Quoniam qui percussit, sanabit, viuificabit nos*. Indicarunt ergo paucis, qui, quot, & quales sint fructus veræ resipiscentiæ, seu, qui verè resipiscentes consequuntur: nempe primò placatio iræ Dei, *Quia percussit, & sanabit nos*. 2. Viuificatio, seu iustificatio, *Quia viuificabit nos*. 3. corporum resurrectio, *Quia tertio die resuscitabit nos*. 4. vita æterna, *Quia & viuemus coram illo*, en, vera solidáque Dei cognitio, *Quia cognoscemus eum*. Postremò perseuerantia & profectus in vera fide, solidáque Dei cognitione, *Quia persequemur ad cognoscendum Iehoua*.

10. *Et sicut aurora paratus exitus eius*, ad argumenta redeunt, quibus in fiducia & spe salutis sese mutuò confirmãt. Argumentantur autem à simili in natura, vbi Deus suam po-

tentiam per res creatas & in res creatas exseruit. Absurdum igitur non est, à natura rebúsque naturalibus, ad res diuinas & cœlestes confirmandas desumere. Sicut & Paulus 1. Cor. 15. à simili in natura corporum resurrectionem confirmat.

11. Hoc electorum argumentum tale est. Ipsi, in profundissimis noctis tenebris, vbi nulla prorsus apparet lux, de venturo tamen die non desperamus, quia longo vsu didicimus, quòd pòst elapsum tempus nocti præfixum, confestim aurora noctis depellit tenebras. Quod autem solitus est Deus in natura operari, idem etiam in rebus spiritualibus & potest, & solitus est præstare. Ergo, etiamsi in præsentia sepulti sumus in his spiritualibus tenebris, desperandum tamen non est de futura gratiæ luce, quæ è cœlo certò nobis affulgebit. Post elapsum enim tempus huic nostræ spirituali nocti præfixum & à Deo constitutum, exitus Dei, instar auroræ, omnes has nostras tenebras depellet.

12. Nomine exitus Dei venit noua ipsius manifestatio, cùm scilicet noua gratiæ luce nobis patefacit, sese nos suo fauore & amore complecti. Comparatur autem iste *Dei exitus* auroræ, & ita paratus dicitur ad depellendas spirituales tùm peccati, tùm iræ suæ tenebras, vt aurora parata est ad pellendas noctis tenebras. Atqui ipsa aurora cùm primùm est elapsum tempus noctis, tenebras omnes depellit sua luce. Indicant igitur, etiam gratia sua depulsurum spirituales electorum tenebras, sed id post elapsum, constitutum, & definitum tempus tenebrarum: ac proinde etiam in ipsis profundissimis peccatorum & iræ Dei tenebris, de luce tamen gratiæ & misericordiæ Dei nunquam esse desperandum.

13. Cum aiunt: *Veniet nobis sicut pluuia*, alio argumento à natura sumto sese in fiducia salutis confirmant. Hoc autem argumentum tale est. In ipsa etiam diuturna terræ siccitate, cœlóque æneo, vbi nulla prorsus futuræ pluuiæ spes apparet, sed omnia omnino propter præsentem ariditatem & siccitatē desperata esse videntur, nō desperamus tamen, quin tandem aliquando pluat, terráque irrigetur, quia scimus, tamen fuisse ordinem à Deo in natura firmatum, vt nunquam perpetua sit in terra siccitas, sed post siccitatem descendat pluuia. Atqui Deus quod in natura operari solet, in rebus etiam spiritualibus potest, imò solitus est præstare: nempe, vt post diuturnam siccitatem, aqua suæ gratiæ hominum corda perfundat. Ergò in hac ipsa etiam diuturna nostra spirituali sterilitate & siccitate, de aqua diuinæ gratiæ & Spiritus sancti desperandum non est, quin tandem sit nos, nostráque corda irrigatura. Ac proinde docent isti pij Israelitæ, in ipsa etiam summa cordium nostrorum sterilitate, de salute tamen nostra desperandum non esse, sed aquam diuinæ gratiæ certa cum spe exspectandam esse.

14. Cùm verò aiunt, *Veniet* Cemalkosch, id est, *sicut pluuia serotina* (Ascher quæ) *irrigabit terram*, docent, quàm salutaris sibi futurus sit ille diuinæ gratiæ aduentus, quem suprà argumentati sunt omnino futurum, hoc modo aqua serotina terram, etsi diu arefactam, ita tamen abunde & salutariter irrigat, vt faciat fructus maturescere, copioséque è terra prodire. Atqui diuina gratia adueniet nobis, sicut aqua serotina quæ terram irrigat. Ergo suo Deus aduentu salutem nobis afferet, quia aqua seu spiritu regenerationis corda nostra (licet propter nimium æstium nostræ concupiscentiæ & peccatorum supra modum arefacta) ita tamen abunde & salutariter irrigabit, vt fructus sanctæ vitæ & bonorum operum copiose simus deinceps prolaturi: ac proinde concludunt, Deum non solùm aduenturum, sed etiam salutariter aduenturum.

15. Vtrumque coniungunt isti Israelitæ: nempe, *Et adueniat nobis, & adueniet sicut pluuia serotina, quæ irrigat terram.* Venit autem Deus nobis simpliciter, cum donata nobis fide, qua eum videamus, facit, vt sentiamus illum nobis bene velle & fauere. Venit verò, sicut pluuia serotina, cum gratia regenerationis nostra irrigat corda ad bonos fructus proferendos. Iudicant igitur, electos nunquam vera fide Deum præsentem complecti, quin etiam gratia regenerationis irrigentur: ac proinde docent, veram fidem sine gratia regenerationis, ideóque sine noua vita & renouatione hominis inueniri non posse.

4. *Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi, Iuda?*

1. Cum ait Deus, *Quid faciam tibi?* Sermonem ab electis ad hypocritas in Israel & Iuda conuertit, deploratq. illorum morbum, tanquam desperatum. Cum enim ait, vtrumque populum compellans, *Quid faciam tibi?* docet tantam esse illorum hypocritarum prauitatem & contumaciam, vt neq. minis à peccatis admittendis absterreantur, neque promissionibus ad pietatem sectandam flectantur: ac proinde cum nulla alia supersit via ad illos saluandos, iure se nescire, quid amplius pro illorum salute sit faciendum. Indicat igitur illorum morbum prorsus esse desperatum, quando illi curando nullum medicamentum, nullúmque remedium prodest.

2. *Chesedh* synecdochice pro tota pietate & iustitia accipitur. Ait autem, hanc hypocritarum iustitiam similem esse nubeculæ matutinæ, quæ orto sole statim euanescit & rori, qui simulac sol matutinus suis radiis ferit, confestim in fumum redigitur. Concludit igitur, hypocritarum iustitiam, religionem, & pietatem, quia simulata est, rem esse euanidā, nec diu duraturam: ac proinde cum ait, *Quid faciam? quoniam iustitia vestra, &c.* Indicat se omninò nescire, quid amplius pro illis saluandis faciendum sit, quoniam sunt hypocritæ, quibus curandis neque minæ, neque promissiones prodesse possunt.

3. Cum dat Israelitis & Iehudæis iustitiam dicendo, *Quia iustitia vestra, &c.* indicat, illos non esse apertè impios. Cum verò ait, illam esse rem euanidam, sicut est nubes matutina docet, illos esse non vere & solide iustos. Concludit igitur vere esse hypocritas.

4. Hypocritarum iustitiam, concludit esse rem euanidam instabilem. Indicat igitur à contrario, iustitiam vere piorum stabilem esse atque perpetuam.

5. *Propterea dedolaui in Prophetis meis.*

1. Illud *Propterea* ad præcedentem versum refertur hoc modo: *Quia iustitia vestra est sicut nubecula*, quia estis hypocritæ duri, *Propterea dedolaui scilicet vos vt complanarem, & verò æquos iustóque redderem.* Cum ait, se dedolasse scilicet Iehudæos & Israelitas hypocritas in Prophetis, comparat se fabro ignario seu carpentario, hypocritas nodosis lignis, Prophetas ipsis dolabris. Verbo autem dolandi intelligit acerbas obiurgationes & comminationes. Indicat igitur, se ideò per Prophetas duris obiurgationibus & comminationibus egisse cum Israelitis & Iehudæis quia obstinati hypocritæ fuerunt, ac, ceu nodosa ligna, quæ dulcibus promissionibus & simplicibus admonitionibus ceu tenui cultello, cōplanari non potuerunt, sed acerbis Prophetarum obiurgationibus, ceu dolabris opus habuerunt: non esse igitur, cur hypocritæ cum Deo expostulent, si dure illos tractet, quoniam, vt id fiat, caussam ipsi præbent sua contumacia, & sunt, ceu nodosa ligna, quæ, vt complanentur, non tenuis cultellus, sed durum dolabrum illis est necessarium: ac proinde docet, cōcionatoribus non semper esse eodem tenore blandisq. Euangelij verbis vtendum ad suum populum, sed sæpe aduersus hypocritas duris legis verbis, tanquam duro dolabro, ad eos nodosos homines complanandos, vtendum esse.

2. Cum ait, *Et occidi eos in verbis oris mei*, planioribus verbis explicat, quod antea obscurius significat. Illud enim *Eos*, non ad Prophetas, sed ad Iehudæos & Israelitas refertur. illud verò *Occidi*, explicat verbum *Dedolaui*. Illud, *In verbis oris mei*, declarat illud. *In prophetis meis.* Comparat autem verba sua acutissimo gladio. Duo igitur indicat. 1. Prophetas nil ad populum attulisse, nisi verbum oris Dei. 2. se hoc verbo, nempe acerbissimarum obiurgationum, & comminationum per Prophetas populum exanimasse, ac ceu occidisse, quia scilicet hypocritæ erant.

3. *Mischphath* reformationem rectitudinémque significat, vt, & Ioh. 12. *Nunc iudicium est mundi*, id est, reformatio. Lucis quæ transit nomine, vel venit sol, qui quotidie oritur & occidit, & ita per cœlum quotidie transit, vel venit fulgetrum, seu illa subita lucis vibratio, quæ ante auditum tonitru, simulac facta est confestim euanescit. Metaphorice autem lux in scripturis sæpenumerò significat tum ipsam pietatem, quippe quæ præcipue in luce fidei, cognitionéq. Dei posita est, tum ipsum pium & fidelem, iuxta illud Pauli Eph. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

4. Si itaque his Lucis, quæ transit, nomine, accipiatur sol & vera solidáq. lux: lux hic metaphorice significat veram & solidam pietatem, & tunc ironice legendus est hic locus, hoc modo, *Ego dedolaui, (vt scilicet verè vos reformarem, iustósque facerem) & vestra iudicia, id est, vestra reformationes fuerunt & sunt, lux scilicet, quæ transit, id est, vera & solida pietas*, quasi dicat, vos tamen remansistis hypocritæ, & cum simulata vestra bonitate. Si verò lucis nomine venit fulgetrum, lux significat simulatam & euanidam pietatem, quæ, instar fulgetri, statim euanescit, & tunc legendus est hic locus affirmatiue hoc modo, *Ego dedolaui vos, vt vos reformarem, & tamen iudicia vestra, id est, & tamen vestræ reformationes ac iustitia sunt, sicut lux, quæ transit, id est, quæ simulac facta est, statim euanescit, seu, sunt iudicia vestra hypocritica & euanida.*

5. Vtrouis modo legamus, docet Deus etsi vsus sit duro dolabro ad cōplanandos seu reformādos hypocritas in Israel & Iuda, se tamen operam lusisse: vsq. adeò enim fuisse duros, obstina-

obstinatos & præfractos huiuscemodi nodosos hypocritas, vt neque dolabro, id est, durissimis acerbissimisque obiurgationibus & comminationibus complanari, id est, verè reformari potuerint: ac proinde tacitè indicat, nihil reliquum esse, nisi vt hæc nodosa ligna in ignem coniiciantur, quoniam nulli alii vsui sunt.

6. *Quia misericordiam volui, & non sacrificium.*

1. Verbum *Chaphatzti* volui, significat velle cum delectatione, seu, re aliqua delectari. Nomine *Chesed*, id est, misericordiæ, synecdochicè venit tota charitas, omniaque charitatis erga proximum officia. Nomine cognitionis Dei, venit propriè fides, sed synecdochicè venit tota in Deum pietas: ac proinde iis 2. nominibus totam legis Dei tam primæ, quàm secundæ tabulæ substantiam, ideóque totum internum, verúmque Dei cultum complectitur. Nomine verò sacrificii & Holocausti, itidem synecdochicè venit totus externus, seu ceremonialis Dei cultus.

2. Cùm ait, *Quia misericordiam volui*, rationem reddit, cur tam durè cum hypocritis Israelitis & Iehudæis egerit, & agat, quia scilicet etsi indefinenter sacrificia Deo obtulerint & offerant, & quidquid externi, ceremonialisque cultus Dei præstari potest, præstiterint, ac præstent: quia tamen tantùm hunc externum cultum sine interno, id est, sine fide in Deum & charitate erga proximum, Deo præstiterunt & præstant: idcircò tantùm abest, vt rem gratam fecerint Deo, vt potiùs rem ei ingratissimam fecerint, & faciant. *Se enim nolle sacrificia, sed misericordiam, & pietatem*: ac proinde docet, summam veræ pietatis & veri cultus, quem Deus à nobis exigit, in iis duobus sitam esse: nimirum in fide erga Deum & in proximum charitate.

3. Cùm ait, *Se velle misericordiam, & non sacrificium, cognitionem Dei plus, quàm holocausta*, duæ circumstantiæ sunt expendendæ. Vna est, quòd non simpliciter, sed per comparationem inter externum cultum, sine interno, & inter internum sine externo, loquitur hic Dominus, id quod apertè indicat particula illa *Mem*, & cognoscere Deum plus quàm holocausta. Docet enim, internum etiam sine externo sibi placere: externum verò sine interno se detestari. Altera circumstantia est, quòd Dominus hic ad hypocritas sermonem habet, déque eis conqueritur, quòd, cùm sint impii, putent tamen, se multum promeritos fuisse apud Dominum suum externis sacrificiis, quódque illa & alia opera subinde iactent contra Dominum, vt & Ies. 58. patet dicendo. *Quare ieiunauimus & non respexisti?* Non ergo simpliciter reiicit & damnat Dominus illum externum, quem ipse instituerat, cultum, sed duę sunt causę propter quas illum damnet, reiiciátque. 1. Quoniam illa sacrificia, quibus totus intelligitur cultus externus, offerebantur mortua, id est, separata à sua vita, quę est fides & charitas. Deus autem non delectatur sacrificiis mortuis, sed viua requirit, vt Rom. 12. *Obsecro vos, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, Deo placentem.* 2. Quoniam non solùm mortua, sed etiam putida, & malè olentia, tanquam cadauera putrefacta, idque ab impiis hypocritis offerebantur, seu, quia hypocritæ pleni impietate. &, si illa offerebant, sine fide & charitate: tamen putabant se illis externis sacrificiis Deum sibi, quasi ęre alieno, in perpetuum obstrinxisse, Deúmque per huiuscemodi sacrificia debitorem sibi tum omnis gratiæ, tum vitæ æternæ fuisse. Opinio hæc meriti in illis sacrificiis, quæ tum erant sine fide & pœnitentia, nimis fœtebat coram Deo. Deus autem non delectatur sacrificiis fœtidis, id est, opinione meriti putrefactis, sed requirit sacrificia suauis odoris, id est, fiducia in Deum adspersa, vt scripturæ testantur. Ergo quia erant tum mortua, (erant enim sine vita veræ pietatis & fidei:) tum fœtida & male olentia, (erant enim cum opinione meriti:) idcircò illa respuit & damnauit Dominus. Summa. Non damnat Dominus simpliciter ipsa sacrificia, sed abusum sacrificiorum. Abusus in iis 2. rebus positus est, quarum vna est priuatiua: nempe, cùm aufertur ab eis id, quòd maximè requirit Dominus, quódque est illorum, & totius externi cultus vita: nimirum fides & charitas. Altera positiua, cum in eis ponitur id, quòd maximè abesse debet, quódque est illorum putrefactio: nimirum opinio meriti & inanis confidentia.

4. Non simpliciter ait, *Misericordiam volo & non sacrificium*, sed addit, *Et agnoscere Dominum magis, quàm holocausta*, hæcque duo vno & eodem verbo volendi simul coniungit. Indicat igitur, hæc duo prorsus esse inseparabilia: fidem scilicet & charitatem, & vnam sine altera Deo placere non posse, & perinde Deum velle charitatem in proximum, ac fidem in se.

5. Solet Deus sæpenumerò tum in vitiis reprehendendis à peccatis contra proximum, tum in virtutibus commendandis, ab officiis charitatis in fratres, ordiri, propterea, quòd tam illa, quàm ista, notiora nobis sunt illis, quæ vel contra vel erga Deum tantum fiunt aut admittuntur. Iure ergo primò loco misericordiam, id est, charitatem in proximum, deinde cognitionem Dei, id est, Fidem nominat, quòd charitas tum notior nobis sit, tum longiùs latiúsque pateat, quàm fides.

6. Fidem, appellat cognoscere Dominum, seu cognitionem Dei. Indicat igitur fidem non esse, (de adultis loquimur) vbi cognitio Dei non est. ac proinde inane esse figmentum Papistarum, qui fidem implicitam, id est, sine vlla Dei cognitione, ad salutem sufficere nugantur.

7. Ait, se misericordiam velle, & fidem: nempe, etiamsi sine externis sacrificiis præstentur. Indicat ergo, charitatem & fidem per se, sibi placere. Contrà verò ait, se nolle sacrificia. nempe, si offerantur sine fide & charitate. Indicat ergo, externum cultum, per se, non placere Deo, sed propter aliud: nempe propter internum, atque ita non placere, vt si sit sine interno, displiceat. Internus igitur cultus, fides & charitas, sunt, docendi caussa, ceu in prædicamento substantiæ, quia per se subsistunt coram Deo, eíque placent. Externus verò, id est, ceremoniæ sunt accidentia, quia per se subsistere nequeunt, sed tantum subsistunt coram Deo in substantia, fidei & charitatis, & quidem sunt in prædicamento eorum, quæ sunt ad aliud, quia propter aliud, id est, propter fidem & charitatem sunt & instituta & accepta Deo.

8. Reiicit Dominus & detestatur illum ipsum cultum, quem ipse instituerat, quia non eo modo præstabatur ab Israelitis, quo ipse volebat: nempe cum fide & charitate. Multò igitur magis detestatur cultum ab hominibus inuentum, seu, ἐθελοθρησκείας quæ neq. à Deo sunt institutæ, neque cum fide & charitate præstari Deo possunt: ac proinde indicat, se velle eo tantum cultu, eoque integro coli, quem ipse instituit.

Et ipsi tanquam homines, transgressi sunt pactum, illic perfidiosè egerunt in me.

1. Etsi qui partem aliquam fœderis transgreditur, totum (quanquam non totaliter, id est, omni ex parte) pactum transgressus esse dicitur, iuxta illud Iac. 2. *Qui offenderit in vno, factus est reus omnium.* Quia tamen non explicat, qua in re transgressi sint pactum, sed tum simpliciter ait, *Transgressi sunt pactum*, tum etiam addit, *Et perfidiosè egerunt in me*. Idcircò indicat, Israelitas omnes fœderis partes, ideoque non solum totum pactum, sed etiam (vt ita loquar) totaliter transgressos fuisse.

2. Fœdus autem, quod Dominus à populo circa sacrificium, & cultum stipulatus fuerat, duas præcipuè habebat partes. Vnam, vt illo solo cultu, quem ipse instituerat: alteram, vt toto illo & integro cultu Deum colerent. Sic enim Deuter. 4. & 12. explicatis omnibus legibus ad cultum Dei pertinentibus, adiecit. *Non addes quidpiam, neque detrahes*, quasi dicat, hoc solo (hoc est, ne addas) & integro (hoc est, ne detrahas, cultu me coles, & iis solis integrisque legibus mihi seruies.

3. Porrò cultus ipse, quem Deus instituit, atque à populo stipulatus fuerat, duplex fuit: vnus, internus & essentialis, alter, externus & ceremonialis. Internus cultus, duabus in rebus erat principaliter positus, in fide nimirum cum vera resipiscentia in Deum, & in obedientia seu charitate in proximum. Fides erat, vt agnitis peccatis, illorúmque pertæsi, suæ salutis totam fiduciam in Deo collocarent solo, certóque illam à solo Deo propter suam ipsius misericordiam & merita Messiæ exspectarent. Charitas erat, vt proximum amarent, ideoque nulla in re eum læderent, sed contrà, quidquid officij illi præstari poterat, præstarent. *Externus* cultus in illis ceremoniis positus erat, quas multis legibus per Mosen explicauit. Hæc erat summa & substantia totius diuini cultus tàm interni, quàm externi, quem Deus à populo stipulatus fuerat.

4. Huic autem substantiæ cultus diuini, duæ erant additæ appendices, sine quibus cultus ille placere Deo non poterat. Vna quidem erat, quòd Dominus volebat ita vtrumque cultum internum & externum esse coniunctum, & ita vtroque volebat coli, vt interno quidem per se delectaretur, eóque semper & vbique coli vellet, sed tamen externum etiam suo tempore & loco requirebat. Externum autem & ceremonialem sine interno & essentiali, nunquam probaret, sed potius detestaretur.

Altera appendix erat, quòd tam interno, quàm externo nihil volebat à populo addi, vel detrahi, id est, volebat tàm interno, quàm externo cultu & solo & integro coli. Hæc erat ratio, quam seruari volebat Dominus à populo, cum Deum tàm interno, quàm externo cultu coleret.

1. Cùm itaque absolutè Dominus dicat. *Ipsi autem transgressi sunt pactum meum*, nec hoc contentus, addat, *Et perfidiosè egerunt in me*, indicat, Israelitas totum fœdus & singulas fœderis partes, ideóque omnibus iis præcipuis modis violasse. 1. Quoniam quò ad externum cultum, illum ab interno separarunt, cùm offerrent sacrificia sine fide & charitate. 2. Quoniam hunc etiam externum neque solum, (alia enim addiderunt) neque integrum, (multa enim detraxerunt ipsæ præsertim decem tribus) Deo exhibuerunt. 3. Quoniam quò ad internum, illum prorsus totum neglexerunt. 4. Quoniam hunc etiam internum non solùm neglexerunt, sed et iam alio contrario addito, corruperunt, nam salutis fiduciam, quam in solo Deo propter ipsius solius misericordiam & solius Christi merita collocare debebant, non solum non collocarunt, sed etiam contra illam in suis operibus, id est in suis sacrificiis & deprauato cultu posuerunt. Charitatem verò, quàm proximo debebant non solùm neglexerunt, sed etiam totam in se ipsos suásque voluptates transtulerunt, hoc enim tradunt historiæ & Prophetæ. Iure ergo Propheta absolutè ait, *Ipsi autem transgressi sunt pactum meum*, nec hoc contentus, addit, *Perfidiosè egerunt in me*, vt indicaret, cum Iudæos, tum præsertim Israelitas hypocritas, totum fœdus Dei & singulas eius partes & omnibus modis transgressos fuisse fidémque Deo datam prorsus violasse.

6. Cùm ait, *Sicut homines*, tacitam antithesin facit inter se, Deum, & Israelitas homines. Cum igitur Deus dicit, illos, tanquam homines, transgressos fuisse fœdus, id est, fuisse fœdifragos, ex vi antitheseos innuit, se tanquam Deum, bona fide cum illis egisse, pactísque stetisse, illos verò, tanquam homines, omnem fidem violasse: ac proinde docet, Deum suapte natura, fidelem, constantem, & firmum esse in suis promissis, hominem verò suapte natura infidelem, inconstantem, & fœdifragum esse. Si igitur ipsi, tanquam homines, id est, quatenus homines, transgressi sunt pactum, quid boni potest homo, quídve aliud potest suapte natura, quam fœdus Dei transgredi, quàm violare fidem, quàm perfidiosè agere, quàm denique malè facere?

7. Perfidiosè in aliquem agere, est, fidem alicui ex studio violare. Cùm ait *Ibi*, intelligit in ipsis sacrificiis offerendis, ibi perfidiosè egerunt, & inuenti sunt fœdifragi. Violarunt autem fidem Deo Israelitæ non solum in eo, quòd cultui externo multa addiderunt, & alia detraxerunt, nec solum in eo, quòd internum cultum neglexerunt, & externum ab interno separarunt, offerentes sacrificia sine fide & charitate, sed in eo etiam, quod eam, quam Deo debebant & promiserant, salutis suę fiduciam ac spem in suis mortuis sacrificiis, non autem in Deo collocarunt. Cum igitur ait, *Ibi perfidiosè egerunt in me* indicat, Israelitas in ea re, in qua præcipuè putabant se perbellè, functos fuisse suo officio, Deúmque sibi obstrinxisse, nempe in sacrificiis offerendis, ibi quàm maximè conuictos fuisse violatæ fidei, ibi quam maximè deprehensos fuisse fœdifragos, & ibi cum primis apparuisse illorum perfidiam, ideóque ea in re, in qua præcipuè putabant se consecutos fuisse remissionem peccatorum, ibi cum primis grauissime peccasse, & vbi putabant, se promeritos fuisse vitam æternam, ibi cum primis iram Dei aduersus se prouocasse. Quamobrem? quoniam (vt antè dictum est) ibi verè transgrediebantur fœdus Dei, omnibus illis modis, qui superius sunt explicati, atque inprimis, quod sacris symbolis, quibus Deus vsus fuerat ad suum fœdus sanciendum, ipsi abutebantur ad suam iniquitatem tegendam, atque ita totum Dei cultum corrumpebant & adulterabant.

8. Ac proinde docet, omnes hypocritas tàm Euangelicos, qui neglecta fide & charitate, externa tantum sumunt symbola, illísque ad suam tegendam iniquitatem abutuntur, quę Deus instituit ad suum verum fœdus confirmandum, ideóque ad fidem & charitatem in nobis excitandam & augendam, quàm Papistas, qui totum Dei cultũ, iisdem planè modis omnibus, quibus & Israelitæ corruperunt, docet, inquam, hos omnes hypocritas ibi præcipuè, nempe in suis cultibus, templis, & sacramentis, conuinci perfidiæ, vbi videntur sibi quam maximè fideles fuisse, & iniquitatis, vbi sibi quàm maximè videntur suo perfuncti officio, ac denique ibi pręcipuè deprehendi peccatis iram Dei contra se excitasse, & æternam mortem sibi accersiuisse, vbi quàm maximè putant se legi satisfecisse, peccatorum veniam consecutos fuisse, Deũ sibi reconciliasse, ac vitam æternam promeritos fuisse, idque propterea, quòd, vbi non colitur Deus eo, quo vult ipse coli modo, ibi non seruatur fœdus, sed violatur: ac proinde ibi non placatur Deus, sed magis irritatur, ibi non adquiritur peccatorum remissio, sed grauius peccatur, ibi denique non æterna vita donatur, sed perpetua mors comparatur.

8. *Galaad ciuitas operantium iniquitatem supplantata seu decepta à sanguine.*

1. Galaad vna erat è ciuitatibus refugii, eáque cum aliis quinque refugii ciuitatibus destinata erat sacerdotibus & Leuitis ad inhabitandum. *Auen*, iniquitas, significat omnem legis transgressionem, omneque peccatum. Cùm igitur ait, *Galaad ciuitas operantium iniquitatem*, indicat, vrbem illam plenam fuisse omne genus flagitiorum.

2. Non nominat reliquas Israelitici & Iudaici regni vrbes, sed hanc tantum sacerdotalem. Hæc autem sacerdotalis ciuitas debuisset omnino aliis sanctior esse. Dicit autem, fuisse plenam omne genus iniquitatum. Tacitè igitur innuit, atque à maiore ad minus concludit, totum reliquum regnum fuisse perditum: ac proinde docet, cum sacerdotes perditi sunt de reliquo populo parum boni sperari posse.

3. Nomine *Sanguinis & sanguinum*, sæpenumero in scripturis veniunt homicidia & pauperum oppressiones, nonnunquam omnia grauissima & capitalia scelera. *Hakobh*, propriè significat supplantare & decipere. (Supplantata à sanguine, id est, obruta, & suffocata, quasi sanguis eam totam sub pedes posuerit) nonnunquam tenere & occupare. Si itaque nomine sanguinis grauissima quæque scelera accipias & *Hakubbah* tentam & occupatam interpreteris: Sensus est. Galaad est ciuitas maximis quibusque sceleribus occupata, id est, plena: ac proinde repetitio est prioris sententiæ.

4. Si verò vtramque vocem accipias in propia sua significatione, Propheta videtur hoc, quod nunc explicabo, peccatum in Leuitis & sacerdotibus taxare. Ciuitas Galaad cum esset ciuitas refugii, in hunc vsum erat destinata vt in tutelam & patrocinium reciperet non illos, qui malitia sanguinem effudissent, seu manifesti erant homicidæ, sed tantum illos, qui fortuitò id effecissent, quæstione prius à Leuitis diligenter habita, an ille, qui eò confugerat, fortuitò, an malitia sanguinem effudisset. Ciuitas ergo erat ad sanguinem innocentem defendendum. Nunc, si Leuitæ vel pecuniis corrupti, vel aliis suis affectibus prauis excæcati, manifestos homicidas & latrones in ciuitatem, vt ibi essent tuti, recepissent, vtique ciuitas fuisset supplantata atque decepta a sanguine, quia sub prætextu sanguinis innoxij, seu hominis qui sanguinem fortuitò fudisset, decepta à Leuitis, recepisset in suam tutelam sanguinem noxium, seu hominem, qui malitia sanguinem effudisset, atque ita ex asylo hominum innoxiorum, facta fuisset asylum & spelunca homicidarum & latronum. Cum igitur ait Propheta, Galaad ciuitatem supplantatam esse à sanguine, hoc quod iam explicui intolerabile facinus, in ipsis sacerdotibus, qui erant in Galaad, taxare & reprehendere videtur. Quemadmodum etiam templa Papistica, quæ initiò in hunc vsum fuerant destinata, vt ibi offerrẽtur vera sacrificia, laudis scilicet & gratiarum actionis Deo, nunc autem ibi offeruntur impia Missarum sacrificia, vere dici possunt supplantata est atque decepta a sacrificiis, quia scilicet sub nomine & prætextu veri sacrificii, impia ibi fiunt sacrificia.

5. Superiori versui, vbi totum Dei cultum deprauatum fuisse docuit, subiicit hunc præsentem, in quo ipsas etiam ciuitates refugii, supplantatas atque corruptas fuisse a sacerdotibus, ostendit. Indicat igitur, omnia in regno Israelis corrupta ac deprauata fuisse.

11. *Et secundum exspectare hominem latrones*, id est, & secundum quod exspectant latrones hominem scilicet in silua, *congregatio sacerdotum in via trucidant humero*, id est, vnanimi consensu, *quoniam perficiunt consilia*, scilicet praua & crudelitatis plena *contra proximum*.

1. Idololatrias sacerdotes in Israel, qui habitant Galaad comparat Propheta latronibus, qui prauis simul initis consiliis de spoliandis, &, si obstant, occidendis hominibus, in silua se abdunt, ibique homines transeuntes exspectant, adoriuntur, spoliant, occidunt.

Solent autem Prophetæ, cum obiurgant homines sanguinarios, crudeles, & pauperum oppressores, comparare illos, sicut digni sunt, latronibus. Tales enim sunt latrones, crudeles, scilicet sanguinarii deprædatores. Simpliciter igitur hac comparatione indicare voluit Propheta, sacerdotes illos, etsi fortasse non eoúsque licentiæ progressi fuerant, vt aperte homines occiderent: fuisse tamen homines pessimos, pauperum oppressores, crudeles, & sanguinariis animis præditos.

2. Caussam adfert, cur illos sacerdotes latronibus similes fuisse dixerit, quia, inquit, cognitionem *Zimmach* perficiũt.

Zimmach

Zimmah significat sceleratum consilium, & prauam sententiam. Indicat igitur, ideò se comparasse sacerdotes illos ipsis latronibus. quia, quemadmodum latrones simul coniuncti vno & eodem consensu primò praua inter se ineunt consilia, malitiæ & crudelitatis plena de inuadendis scilicet, spoliandis, & occidendis viatoribus, deinde ita assueti sunt viatoribus spoliandis & sanguini fundendo, vt, quidquid anteà scelerati consilij inter se inierunt, illud etiam facile sine vllo timore perficiant: ita etiam illi scelerati sacerdotes primò simul coniuncti, sceleratissima inter se inibant consilia de opprimendis scilicet astute pauperibus, & alijs malis faciendis, deinde vsque adeò vacui erant timore Dei, vt sua etiam consilia crudelitatis plena, quæ anteà conceperant, perficere illos non puderet, sed callide & astute. Fuisse igitur, etsi non coram hominibus: (non enim manifeste latrocinabantur, aut occidebant) coram Deo tamen veros latrones, quia animis sanguinariis, crudelibúsque præditi erant, & sceleratissima quæque consilia, si non aperte, saltem astute perficiebant: ac proinde hac particula confirmare videtur Propheta simplicem superius explicatam huiusce versus interpretationem.

3. Absurda non est R. Aben Ezræ & kimhi interpretatio, quæ in summa hæc est. Sicut societas latronum conspirat in viatores: ita societas sacerdotum vno & eodem consensu conspirauit in plebem. Et sicut latrones sese abdunt in siluis, ibique exspectant viatores, vt deprædentur: ita sacerdotes in templis, quasi in siluis se abdebant, ibique exspectabant plebem, vt ex ea quæstum facerent. Et sicut latrones, si quis repugnet, nec sinat se spoliari, illum occidunt: ita & illa sacerdotum societas, si qui quæstum & munus pendere sacerdotibus per religionem recusarent, illos tanquam rebelles Ecclesiæ hæreticos, & omnes ordinis Ecclesiastici perturbatores, bonorúmque Ecclesiasticorum iniustos vsurpatores, etsi non occidebat ipsa: occidi tamen per magistratum curabat. Populus cum hoc videret, malebat pendere quæstum & munera, quàm occidi. Ita ergò sacerdotes sua perficiebant consilia, suorúmque fiebant compotes votorum.

10. *In domo Israel vidi turpitudinem, ibi scortatio Ephraim, contaminatus est Israel.*

1. Ait Dominus, se vidisse viderèque in domo Israel, id est, in regno decem tribuum, turpitudinem *Schaharuriiah*. Nomine autem turpitudinis (vt etiam kimhi interpretatur) abominandam intelligit idololatriam. Indicat ergò, totam illam religionem, quæ erat in Israel, vtut speciosa & sacrosancta hominibus videretur, in suis tamen oculis, seu in conspectu Dei nihil aliud, quàm fœdissimam & exsecrabilem abominationem fuisse, ac proinde non esse, cur Israelitæ suam iactent religionem, quasi verum Dei cultum, quoniam ipse probe nouit, eam esse meram abominationem.

2. Ideò pronunciat Dominus, religionem, cultúmque, qui erat in Israel, merà fuisse turpitudinem & sacrilegium, quoniam præter verbum seu legem Dei, ab hominibus, nempe à Iarobeamo, Nabathi filio excogitatus institutúsque fuerat. Docet igitur omnem cultum, omnémque religionem, quæ præter verbum Dei ab hominibus excogitata, atque in Ecclesiam introducta fuit, licet ipsis hominibus sanctissima religio, verus Dei cultus, summáque pietas esse videatur, quia tamen præter verbum Dei est, coram Deo, id est, reuera summam esse idololatriam, exsecrabilem abominationem, intolerabilémque fœditatem: ac proinde venditari quidem posse hasce nugas, apud homines, sed apud Deum, nullum habere locum.

3. Cùm ait, *Ibi scortatio Ephraim*, id est, quam Ephraim inuenit in Israel. Nomine Ephraim, è qua tribu fuit Iaroboam & alij reges Israel, intelligit reges Israel, totámque familiam regiam. Nomine autem scortationis, nempe spiritualis, intelligit totam illam abominabilem religionem, quam anteà fœditatem appellauerat. Perstringit igitur palàm reges Israel, quòd idololatriam ipsi in Israel ingesserint, defenderint, ac conseruarint. Ac proinde docet, hoc proprium esse verorum verbi Dei ministrorum officium, vt cùm in aliis vitiis reprehendendis, tùm præsertim in damnanda idololatria, ne ipsis quidem regibus parcant, imò imprimis in ipsos idololatriæ autores, & defensores Principes inuehantur, quemadmodum mandat Dominus Ezech. 6. *Obiurga montes, & colles contere.*

4. Ait, Pollutum fuisse Israelem nempe scortatione Ephraim. Indicat igitur, Ephraim quidem, id est, reges ipsos idololatriam in Ecclesiam inuexisse, sed reliquum populum culpa non carere, qui illa fuerit contaminatus, & (vt ante 5. cap. dixit) volens secutus fuerit regis mandatum: ac proinde totum regnum Israelis tàm populum, quàm proceres, idololatras fuisse.

11. *Etiam Iuda posuit tibi surculum, plantarium, cùm Ego conuerterem captiuitatem populi mei.*

Alludit in surculo ad illas arbores frondosas, sub quibus sacrificabant Israelitæ.

1. Conuertere captiuitatem populi, est impedire, seu curare, ne populus in captiuitatem abducatur. Impeditur autem, ne populus in captiuitatem abducatur, cùm reliqua peccata, & in primis idololatria, è medio populi tolluntur. Cùm igitur ait Dominus: Dum conuerterem captiuitatem populi mei, scilicet Israelitici, iudicat, se per Prophetas arguendo & reprehendendo cùm reliqua peccata, tum inprimis idololatrias, propter quas abducendus erat in captiuitatem, curasse, vt caussæ captiuitatis tollerentur, vt iis ablatis ipsa quoque captiuitas populi impediretur: ac proinde docet, se non libenter, sed coactum populi pertinacia, in captiuitatem illum expulisse.

2. Dominus alloquens Israelem, (ad Israelem enim refertur illud affixum *Lach* tibi) conqueritur de Iehuda, quod cùm conaretur Dominus tollendis scilicet ex Israel idololatriis, impedire, ne Israel in captiuitatem abduceretur, ipsa tribus Iuda imitari cœperit superstitiones Israelis. Indicat igitur, tùm potissimùm cœpisse Iudaicum regnum superstitiones Israelis imitari, cùm Dominus per Prophetas acriter illos reprehenderet in Israel: ac proinde grauiorem fuisse culpam Ecclesiæ Iuda, quòd eo tempore secuta sit idololatriam Israelis, quo tempore maxime vitare illas debebat, quippe cùm videret, illas vehementer à Prophetis damnari ac reprehendi.

3. Non simpliciter ait, Iuda posuit surculum, sed ait, Etiam Iuda, quasi dicat, etiam Iuda, quæ pura à superstitionibus hactenus seruata est, & in qua purus Dei cultus hactenus cõseruatus est, etiam ipsa, eo præsertim tempore, quo maximè seruare se puram ab omni superstitione debebat, posuit surculum tibi, ò Israel, id est, idololatrias tuas secuta est. Indicat igitur nullam partem in toto hoc populi ex Israel nati corpore, sanam esse, quoniam etiam illa pars, quæ sana esse videbatur, incipit corrumpi ac putrescere.

4. Nec simpliciter ait, Iuda secutus est idololatrias Israelis, sed metaphorice id meliùs explicat dicens, *Etiam Iuda posuit tibi* ò Israel *surculum plantarium, cùm Ego conuerterem captiuitatem populi mei.* Indicat igitur Dominus, se, ceu optimum patremfamilias curasse, è regno Israelis, tanquam ex suo agro, omnes idololatrias, ceu malas arbores, per Prophetas tanquam per agricolas verbo suo, tanquam acuta bipenni, conuelli vel saltem exscindi. Interim verò, dùm hoc fieret, Iudam, ceu quendam vicinum colonum, ne omnes illæ prorsus malæ arbores, quamuis frondosæ & formosæ, id est, superstitiones Israelis perirent, surculum quendam ex illis malis, sed speciosis, arboribus decerpsisse, atque in suo agro plantasse, id est, aliquid è superstitionibus Israelis in suam Ecclesiam transtulisse, eásque imitatũ fuisse: ac proinde maximam iniuriam fecisse Iehudam Deo & Prophetis, quòd cùm ipse vellet & conaretur omnem prorsus idololatriam è suo populo tollere, ipsa Ecclesia Iuda contra curauit, ne prorsus omnes illæ speciosissimæ superstitiones perirent.

5. Est autem Ecclesia Papistica, quæ à vera Christi Ecclesia catholica & apostolica multis in rebus defecit, illi Israeliticæ, quæ in multis à vera, id est, à Iudaica, Ecclesia defecerat, quam simillima. Ecclesiæ verò ad puritatem Euangelij reformatæ, quæ purum retinent cultum & verbum Dei Ecclesiæ Iudaicæ, quæ purum retinebat cultum, simillimæ: ac proinde Dominus, vt per Prophetas, tanquam per agricolas, pessimas quasque arbores, id est, superstitiones ex Israele conabatur succidere, atque euellere gladio sui verbi: ita etiam nunc per multos synceros doctores & Euangelij prædicatores, in hoc incumbit, vt omnes idololatrias, ceu pessimas arbores ex Israele Papistico conuellat. At verò, quemadmodum Iuda, dùm Dominus conabatur euellere malas arbores ex Israel, surculum aliquem ex illis malis arboribus decerpsit, atque in suo agro plantauit, ne prorsus semen illarum pulcherrimarum arborum periret: ita in præsentia, dùm Dominus quotidie Papatum expurgare ab omnibus superstitionibus conatur, nonnullæ priores in Germania Ecclesiæ surculos aliquot è Papisticis superstitionibus decerpere, eósque in suis templis plantare incipiunt. At quemadmodum etiam Iehuda propterea, quod surculum superstitionum Israelitici arborum plantauit Israeli: ne prorsus illa speciosissima, sed impura religio periret, post Israelem ipsa quoque in captiuitatem fuit ducta, iustásque dedit pœnas sui plantati surculi, ita metuendum, ne idem contingat nobis, qui surculos Papisticæ impietatis in nostris templis plantare incipimus.

6. Non ait, Iehuda tibi plantauit arbores aut arborem

sed surculum vnum, eúmque paruulum Indicat igitur, Iehudam non statim omnes Israelis superstitiones aut apertam aliquam & magnam idololatriam, amplexum fuisse, sed aliquid tantum ex illis decerpsisse, inque suam Ecclesiam inuexisse. Sed quemadmodum exiguus surculus in bona terra plantatus, sensim augetur, donec in magnam arborem excrescat: ita etiam ille, quantumcunque paruulus Israeliticarum superstitionum surculus, à Iuda in suis Ecclesiis plantatus, successu posteà temporis in diuersarum idololatriarum arborem excreuit, quemadmodum etiam metuendum est, ne idem contingat multis in Germania Ecclesiis. Ac proinde docet Propheta illa voce *Surculum*, initiò diligenter cauendum esse, ne aliquid, quantumuis exiguum, humanarum superstitionum, id est, quod non habeat testimonium è verbo Dei, in Ecclesias introducatur, fore enim, nisi mature occurratur, vt in immensum, maximarum arborum instar, crescant superstitiones.

CAPVT VI.

ARGVMENTVM.

INuehitur in nobiles aulicos, mendaces, fures, latrones, Epicureos, adulatores, scortatores ventres, irrisores, prauis concupiscentiis inflammatos seditiosos, veritatis osores impœnitentes, & explicat præsentes pœnas, & futuras etiam prædicit.

1. *Dum curo Israelem, tum reuelatur iniquitas Ephraim, & malitia summa Schemronis, nam operantur falsitatem: & fur ingreditur irruit turma foras.*

Dum medeor Israeli, ad verbum, secundùm mederi me Israeli, *etiam retecta fuit*, apparuit, vel, discooperuit se iniquitas *Ephraim, & scelera* malitiæ *Samariæ, quoniam operati sunt*, id est, operantur *mendacium, etiam fur* fur quoque *ingressus est*, ad verbum, ingredietur, vel ingreditur. *Spoliauit*, id est, spoliet *latro foris*.

Niglah niphal à *Galah* apparuit reuelata, retecta fuit, vel discooperuit se Illud *vau* copulat sequentia, non præcedentia, hoc modo. Dùm medeor Israeli, seu, inter medendum me Israeli, discooperuit se & iniquitas Ephraim, & malitiæ Samariæ.

Schaker mendacium, fallacia, ad verbum est, fecerunt mendacium seu fallaciam. *Latine* verò, gesserunt se fallaciter, mendaciter.

Chutz platea & fores, significat hic foris: ad verbum in foris: latine foris, quasi dicat, fures intus in ciuitate clam furantur: foris verò latrones prædantur aperte.

Cùm Ego studeo sanare Israelem, tùm reuelatur iniquitas Ephraim, & scelera Samariæ: nam fallaciter se gerunt, atque fur intus *grassatur, excurritque foras ad spolia turma latronum.*

Ephraim, id est, aulicorum & nobilium regni Israel iniquitas magis ac magis inualuit, dùm ministerio Prophetarum studebam Israelem ad sanam mentem reuocare, & à pœnis liberare.

Reuelatur iniquitas, id est, nouos subinde dolos, fraudes, imposturas excogitant, quibus idololatriam & impia decreta falsi cultus vitulorum stabilient, & veritatem ac veraces opprimant, & ignarum populum circumscribant.

Intus, id est, in vrbe furta clam exercent: extra vrbem aperta vi diripiunt.

2. *Neque dicunt cum animo suo me omnis malitia ipsorum recordari nunc circumstant eos actiones ipsorum, coram facie mea sunt.*

Et non dicent cordi suo, id est, & non cogitant in corde suo quod *totius malitia eorum recordatus sum*, id est, recordor, *nunc circumdederunt eos studia* vel opera aut facinora *eorum*, id est, sua, *quæ coram facie mea fuerunt*, id est, sunt.

Amar est dicere, quando vero de corde est sermo, significat cogitare Fit futurum pro præsenti: quia significat actum continuum Nunquam cogitant.

Sabbah circumdare, gyrare, ambire.

Neque cogitant apud se, quòd omnem malitiam eorum in memoria habeo: veruntamen nunc circumdabunt eos opera eorum, quæ sunt coram facie mea.

Nunc, id est, breui. Circumdabunt eos vndique afflictiones & hostes, quos immittam propter opera ipsorum mala, quæ patrant, quæque perspecta mihi sunt: licet hoc ita esse, minime existiment.

3. *Malitia sua exhilarant regem, & mendaciis suis principes.*

In malitia sua, id est, malo suo *letificabunt* lætificant *regem, & in mendaciis suis principes* exhilarant.

Samech lætari. In piel vero, vt est hic, significat lætificare & exhilarare, futurum pro præsenti.

Cachasch mendacium, negatio, etiam tenuitas & macilentia, à verbo *Cachasch* attenuari, marcescere.

Malitia sua exhilarare solent regem, & mendaciis suis principes.

Toti incumbunt in excogitandas fœdas voluptates, quibus regem exhilarent atque corruptissimis moribus suis soluunt illum omni religione & timore Dei, vt sine vllo conscientiæ cruciatu cum summa voluptate, immanissima quæque flagitia perpetret.

4. *Quotquot sunt adulterantur similes fornaci ardenti à pistore, qui desinet esse vigil, ex quo subacta est massa, vsque dum fermentata sit.*

Omnes adulterantes sunt, sicut furnus accensus à coquente, id est, pistore, *qui*, id est quum *cessabit*, id est, cessat *ab excitando* mulieres, *à conspergendo farinam.*

Id est, postquam consperserint farinam, seu, postquam subegerint massam farinæ, *donec fermentare se*, id est, donec fermentetur ipsa farina.

Naaph adulterari, & adulterium committere.

Thanur à *Thanar* furnus, clibanus, fornax, sed est fœmininum, sicut participium sequens indicat.

Boherah participium à *Bahar*, quod, cùm est intransitiuum, significat ardere: cùm verò transitiuum succendere, comburere hic est transitiuum.

Mehir ab *Hor* quod est suscitare, excitare à somno. Est autem *Mehir* pro *Mehehir* ab excitando.

Batzek conspersio, id est, farina, aqua conspersa: ipsa massa, pasta, quæ φύραμα dicitur.

Lusch conspergere, id est, farinam cum aqua miscere, est machor.

Chamatz est fermentare, est hic in Machor, ait K. Ergo ad verbum, Donec fermentare se id est, donec fermentetur ipsa pasta. Nam tantisper solet calefieri clibanus à subactione pastæ vsque ad fermentationem eius.

Omnes ipsi sunt adulteri æstuantes sicut furnus accensus à pistore tempore quo *cessat ab excitando mulieres*, nimirum *ex quo incipiunt subigere pastam vsque dum ea fermentetur.*

Æstuant libidine, & flagrant studio colendi idola. Descriptio furni vehementer accensi: pistores enim ante, quàm furnum calefaciant, solent excitare mulieres aut alios, qui pastam subigant, quibus excitandis furnum interim accendunt, donec fermentatam pastam & in panes conformatam, adferant, vt coquantur in furno vehementissime calido. Huic intentissimo calori comparat Propheta inflammatam libidinem & idololatriam aulicorum.

5. *Die regis nostri, morbo afficientibus principibus vtre vini, extendit manum suam cum derisoribus.*

Die regis nostri ægrotare fecerunt principes scilicet regem, *vtre vini, extendit manum suam ad illusores.*

Chalah ægrotare, est, hic in hiphil.

Chamath & Chemeth vter, vtris ex pellibus animalium fiunt vtres, ibi asseruátur vinum apud orientales. In Italia etiam vinum aduehitur in vtribus.

Miiam ad verbum, à vino, id est, vtre vini pleno, est transpositio pro, *Michemath Iain.*

Maschach extendere, protrahere.

Letz illusor à *Lotz* irridere, habet duplicatum *tzadhi*, accipitur sæpe pro contemtore & derisore legis Dei, vt Psalm. 1.

In die

In die regis nostri ægrotare fecerunt eum *principes utre vini, extendit rex manum suam cum illusoribus.*

Die natali, aut quo creatus est rex.

Illusoribus, vel nugatoribus, qui omnia rident & contemnunt præter sua flagitia, quique scommatis, blasphemiis, cachinnis, fabulis, obtrectationibus, adulationibus dediti sunt, & iis student suos exhilarare.

6. *Nam ad insidias suas applicarunt animum suum similem fornaci, quæ totam noctem dormiente pistore ipsorum ardet, tanquam ignis flammans.*

Quoniam accedere fecerunt aptarunt *tanquam clibanum* ardentem *cor suum, dùm insidiãtur ipsi, tota nocte dormiens* est cor eorum, *concoquens illa* insidias, vel insidiosa cõsilia, *mane ipsum ardens* est scilicet cor *sicut ignis flãma.*

Ki S.P. Certe Cal. quoniam.

Karabh appropinquare, accedere, est in piel. ideò potest esse transitiuum, appropinquare seu accedere fecerunt, & intrãsitiuum R. Abr. & S.P. volunt esse transitiuum. Sensus est, ad male cogitandum posuerunt cor suum, vt malum, quod cogitarunt, perficerent.

Erebh insidiæ, ab *Arabh* etiam fraudes, est hic verbum in Machor. *In insidiari ipsos*, id est, dùm insidiantur ipsi.

Iaschen Toar pro participio dormiens, à *Iaschan* dormiuit.

Aphah concoquere est participium. Sic ergò vertendum, Tota nocte dormiens est cor eorum, concoquens illa praua & insidiosa consilia.

Sensus est, Aptarunt cor suum rex & principes, tanquam ardentem fornacem ad insidiosa consilia contra proximum meditanda. tota nocte dormit quidem illorum cor, quia scilicet malum quod excogitauit, non exsequitur, sed interius concoquit illas insidias seu insidiosa consilia, accensum, vt fornax, emittit flammas, id est, praua exsequitur consilia.

Munsterus tamen, Capito, Caluinus, Castellio vertunt, Pistor eorum, non autem, concoquens illa.

Certè applicarunt cor suum furno simile, dùm ipsi moliuntur insidias, tota nocte quiescit concoquens eas, manè illud ardet instar ignis flammantis.

Hebr. Dormit cor eorum, cor eorum non exit in opus, sed tota nocte concoquit excogitatas insidias & mala, id est, feruentissimo studio cogitat & meditatur, quibus artibus postero die noceat proximo.

Mane ardet, nimirùm concupiscentiis malis, proximi odio & inuidia accensis.

7. *Quotquot sunt, incalescunt ut fornax illa, & consumunt iudices suos, omnes reges ipsorum cadunt, nemine ex iis clamante ad me.*

Omnes æstuabunt æstuant *tanquam clibanus, & comederunt*, id est, deuorant *iudices suos, omnes reges eorum ceciderunt, non clamans* est *inter eos ad me.*

Iechammu à Chamam incalescere, est in niphal.

Omnes ipsi feruent ut furnus, & absumunt Iudices suos, & reges eorum occiderunt, non est inter eos, qui me inuocet.

Hoc est, nullam correptionem aut iudicium contra se ferre queunt, sed impotentes feruntur & insurgunt aduersùs eos, à quibus corripi & iudicari debuerant.

Ceciderunt, id est, ne vnus quidem regum illorum stetit in fide & vera religione, sed omnes prolapsi sunt in impiam idololatriam: proptereà etiam concidit potestas eorum, & partim sunt interfecti, partim venerunt in manus hostium.

Qui inuocet me, id est, qui me solum agnoscat esse Deum, qui cõdono peccata, & pœnas mitigo, & sub fide me inuocet.

8. *Ephraim cum populis ipse confundit se: Ephraim est ut placenta non versa.*

Ephraim in, inter, cum *populus miscebit* miscuit propter actum continuum, *sese, Ephraim fuit* est, sicut, *panis subcineritius non versatus.*

Balal miscere, est in hithphal.

Hugah panis subcineritius a *Hugh* quod est coquere panes subter prunas.

Haphach est vertere, subuertere, est participium illud *Haphuchah.*

Ephraim populis se commiscet, Ephraim erit tanquam placenta non versa.

Populis se commiscuit, religione, moribus, affinitate, idque contra verbum Domini.

Placenta, cocta subiectis prunis, absumtáque priùs, quàm in alteram partem versa sit: Israel verò absumetur ab hostibus, & in captiuitatem abducetur.

9. *Comedunt extranei vim ipsius, nec tamen agnoscit ipse; etiam canicies aspergit eum, nec tamen agnoscit ipse.*

Comederunt comedunt *alieni robur eius, & ipse non intelligit* nescit, *etiam canicies sparsit se in eo, & ipse nescit.*

Zar, alienus, *Zarim à Zar* quod præter alia significat, alienare.

Cocha robur, vires, potentia.

Sibhah canicies a *Subh* canescere.

Zarak spargere, est in Cal. sed est intrãsitiuum. Sic ergò, canicies sparsit se in eo. Vel, si transitiuum est, subintelligitur natura, sic, Et caniciem sparsit natura in eo.

Comedunt alieni robur eius, ipse verò non animaduertit, vel canicie etiam respersus ipse, non animaduertit.

Robur, id est, opes magno labore partas, & alia omnia, in quibus vires regni consistunt, persequitur similitudinem placentæ.

Etiam canicies respersa est in eo, hoc est, diuturnitate ac veluti senio afflictionum attritus, fractus & morti proximus ne quidem adhuc intelligit caussam suorum malorum esse idololatriam, & alia sua scelera.

10. *Et quamuis testificetur fastus Israelis in faciem ipsius, non reuerterunt ad Iehouam Deum suum, nec quærunt eum omnibus his.*

Et testificata est, sed *vau* vertit præteritum in futurum, futurum autem propter actum continuum in præsens est vertendum, *superbia*, pro, pœna superbiæ, vel superbia punita *Israel in* contra *faciem eius*: *& tamen non reuerterunt ad Iehouam Deum suum: & non quæsierunt eum in toto hoc*, id est, in omnibus iis.

Testificabitur autem superbia Israel contra eum *in facie sua, neque tamen reuertetur ad Dominum Deum suum, neque quærent eum in omnibus his malis.*

Quamuis magna superbia excuset suum peccatum: tamen nunc superbia eius humiliata & punita testatur contra eum & eum conuincit. Vide suprà cap. 5. Et tamen ne iis quidem malis adigi poterunt ad Dominum Deum suum, vt quærant Deum placare seria pœnitentia.

11. *Sed est Ephraim similis columbæ fatua, demens. Ægyptium vocant, Assyrium adeunt.*

Et fuit erit *Ephraim sicut columba stolida* simplex, vel, declinans *sine corde, Ægyptum vocauerunt & Assur audierunt*, omnia ista in præsens vertenda.

Phothah à Phathah declinare cor ad ea, quæ sunt præter rationem: ideò accipitur pro stolida, inde *Phethi* simplex, credulus, qui facile deflectit ad omne verbum.

K. exponit sic: Et fuit Ephraim sicut columba declinans absque corde, id est, quę declinat ad escam, & non est ei cor, vt intelligat & consideret, quòd ad capiendam se, rete expansum est, cùm declinauerit ad cibum: sic Ephraim declinauit ad illos, ad quos trahebat eius desiderium ad Ægyptum, ad Assur, vt quęrerent auxilium, & non erat ei cor ad intelligendum, sciendúmque, quod omnium rerum creator ruere faceret eos, si ab altero quęrerent auxilium, & hoc est, quod dixit sequenti versu, *Cum iuerit, inuoluam eos laqueo.*

Sed erit Ephraim velut columba stolida, absque mente, Ægyptios accersent, ad Assyrios ibunt.

Id est, auxilii gratia, implorabunt opem Ægyptiorum & Assyriorum contra hostem, sed nihil proficient, quia etiam illudentur ab illis.

12. *Cùm adibunt, expandam super eos rete meum, quasi aues cœli deducam eos, castigabo eos, prout auditum est à cœtu ipsorum.*

Quum, vel quemadmodum *abierint, expandam super eos rete meum, tanquam aues cœli, descendere faciam eos: ligabo* castigabo, corripiam *eos secundùm auditum* qui fuit *cœtui* eorum, id est, secundùm quod audiuit cœtus eorum.

Caascher quemadmodum, & quando, ficut hic, non displicet, si vertamus quemadmodum, quasi dicat, secundum quod hæ columbę volarint, id est, quocunque se contulerint, siue in Ægyptum, siue in Assyriam, Ego rete meum super eos expandam. *Psal.* 139. Si ascendero in cœlum, tu illic es, quasi dicat, non effugient.

Paras expandere.

Reschet rete.

Aiisirem ligabo à *Iasar*, & est in hiphil significat etiam corrigere, castigare: sed R.D.K. in lib Rad. sic exponit, ligabo, seu ligare faciam eos.

Targum, castigationes adducam super eos.

Hieronymus hunc secutus vertit, cædam eos.

Reschemah secundùm auditum, auditionem, rumorem: nam *scemah* est auditus.

Labadhathem congregationi eorum: sed quia *Lameth* seruit etiam genitiuo: ideo verterunt congregationis, est à *Iabadh* inde *Hadhah* congregatio.

Cùm autem illi proficiscentur, expandam super eos rete meum, sicut auem cœli descendere faciam eos in ipsum rete, *iuxta auditionem synagoga eorum.*

Id est, malis & obsidione hostili, ac demum captiuitate, tanquam reti, eos opprimam, vt se extricare nulla ratione valeant.

Iuxta synag. id est, iuxta prædicationes Prophetarum, quas congregati sæpius audierunt, eos castigabo.

Alij auferunt ad auditionem benedictionum & maledictionum promulgatam in deserto Leuit. 26. Deut. 27. & 28.

13. *Va eis, quoniam vagantur à me, vastatio eis, quoniam desciunt à me: cùm ego redempturus sum eos, tum ipsi alloquuntur me mendaciis.*

Va illis, quoniam elongarunt se à me recesserunt a me, *vastitas illis* erit, *quoniam prauaricati sunt in me: & Ego redimam* redemi *eos, ipsi locuti sunt contra me mendacia.*

Nadhadh elongare, est hic intransitiuum, elongarunt se.

Schodh vastitas à *chadhadh* diripere, vastare, prædari.

Paschah præuaricari, deficere.

Padhah redimere, est futurum, redimam eos: potest tamen verti in præteritum, & potest verti in præsens.

Gazabu mendacium *kerabhim* mendacia.

Va illis, quoniam recesserunt à me vastatio illis, quoniam subtraxerunt se potestati meæ: cùm Ego redemerim eos, ipsi locuti sunt contra me mendacia.

E seruitute Ægypti & aliis, asserui eos in libertatem, vt mihi seruirent, sed ipsi factis dictisque mea beneficia aliis accepta falsò retulerunt.

14. *Neque inclamant me ex animo suo, cum eiulant in cubilibus suis, cùm propter frumentum & mustum congregantes se diuertunt à me.*

Et non clamauerunt clamant *ad me in corde ipsorum, quoniam vlulabunt* vlulant *super strata* super cubilibus *ipsorum, ad triticum, & ad vinum congregabunt* congregant, tantùm *se, rebellabunt* rebellant *in* contra me.

Zahak clamare.

ki quoniam. Sic Calu. Vel sed, vt sit aduersatiua particula. Tertiò, Cùm, sic S.P.

Ialal vlulare, est in hiphil, & est futurum, sed in pręsens vertitur.

Mischcabh lectus, cubile, stratum.

Iitgoraru congregabunt se scilicet ad emendum, est à *Gur* in hithphal duplicato *Resch*.

Iasuru à *Sur* rebellare, futurum est pro præterito, vel potiùs pro præsenti sic, rebellant contra me.

Neque clamant ad me ex corde suo, cùm vlulare coguntur in cubiculis suis; propter penuriam frumenti & musti congregantur, verùm à me recedunt.

Fame pressi dormire nequeunt, sed erumpunt in querimonias & vehementes vlulatus. Cœtus habent, de leuanda fame deliberant, sed de placenda ira Dei & restituendo vero cultu, nullum verbum.

15. *Cùm autem Ego castigaui, confirmaui brachia eorum, tùm contra me cogitant malum.*

Et ego ligabo ligaui, *& roboraui brachia eorum, & tamen contra me cogitarunt malum.*

Ego quoque instruxi & roboraui brachia eorum; ipsi verò cogitarunt contra me malum.

Dedi illis vires & victorias contra hostes, verùm hęc sibi, sociis, idolis, aut fortunæ potius, quàm mihi tribuerunt.

16. *Reuertuntur non ad excelsum, sunt velut arcus fallax, concedunt gladio principes eorum ab indignatione lingua ipsorum. hac sanna ipsorum in terra Ægypti.*

Reuertuntur ad excelsum, altissimum, *fuerunt* sunt *vt arcus doli* dolosus, *cadent in gladio principes eorum ab ira* id est, propter furorem *lingua ipsorum* qua scilicet me ad iram excitant.

Hal altissimus seu excelsus, à radice *halah*, quasi dicat, *hilum* altissimus. Sensus est Cùm fuerint in tribulatione, reuertentur, non vt clament ad altissimum Deum, sed ad idola sua. Sic D.K. in comment. *hal* cum camez est altissimus Deus. In libro autem radicum ait, esse orationem defectiuam. reuertentur non *baidabbar*, id est, non propter aliquid, sed prior est melior interpretatio.

Remiyahk ait, posse esse nomen substantiuum, id est, dolum, & Toar, id est, dolosum alibi reperit esse nomen, vt Psal. 32. Et non est in spiritu eius *Remiiah*, id est, dolus. Sic ergo etiam hic accipio.

Arcum doli, id est, dolosum Arcus doli dicitur, qui cùm videtur velle sagittam in vnam partem iacere, mox in alteram iacit, accipitur pro homine fraudulento, hypocrita.

Zaham furor, ira, indignatio.

Zo ista scilicet profectio in Ægyptum erit subsannatio, quasi dicat. Propter istam profectionem in Ægyptum, ridebuntur ab Ægyptiis, erunt ludibrio Ægyptiis.

Labag subsannatio, ludibrium.

Reuertuntur at non ad excelsum. sunt similes arcui doloso, gladio corruent principes eorum, propter furorem lingua sua hac est subsannatio eorum in terra Ægypti.

Sicut arcus fallax mittit aliò sagittam, quàm in scopum: ita illi miserias suas, vlulatus, querimonias, non recta referunt in Deum, sed confugiunt ad auxilia humana.

Gladio, quem gladium inflammarunt contra se lingua sua & verbis impiis, quibus prædicabant, virtutem & potentiam atque salutem esse in auxilio idolorum & hominum, non in vero & proprio Deo.

Subsannatio. A quibus opem exspectabant, ab iis, non fallentur modò, sed etiam ludibrio & risui habebuntur.

EXPLICATIO.

Tota hac concio nihil continet, nisi obiurgationes diuersorum peccatorum in Israel, atque imprimis perfidia & obstinata malitia, versu, tamen 20. *&* 30. *quasdam immiscet comminationes contra Israel propter sua peccata.*

Propositio totius concionis hac est: Statum totius populi in Israel corruptissimum est. Hanc postea per partes explicat ostendit enim, non solum plebem, sed inprimis regem & primores regni corruptissimos, nec solum vulgares vrbes, sed inprimis ipsam metropolim, Samariam, vitiis & corruptelis variis scatere, & quanam illa sint, singulis versibus explicat. Hæc est summa.

In partes non seco concionem hanc, quia idem argumentum quod initiò proponit, sine vllo impedimento continuatur in finem vsque. Tantum igitur, quid in singulis versibus contineatur, quàm breuissimè explicabimus, neque enim immorandum est, vbi peccata tantum obiurgantur.

Quod igitur ad primum versum attinet, ille sic habet.

1. *Secundùm quod ego medeor Israeli* in vniuersum & in genere, *sese patefacit* singulariter *iniquitas Ephraim.*

Duo in hoc versu continentur. 1. Propositio quædam generalis, nempe non solum plebem Israelis, sed etiam Ephraim & regiam domum, & Samariam, id est, caput, & metropolin regni, plenam esse iniquitatum & malitiæ. Hæc propositio ibi est: *Dum medeor Israeli, retegitur iniquitas Ephraim, & malitia Samaria.* 2. Explicatio per partes illius primæ propo-

propositionis: incipit enim explicare, quæ vitia & corruptelæ grassentur non tantùm in plebe, sed in primis in domo regia & in metropoli, dicendo: *Quia gerunt se mendaciter.*

Cæterùm, quo melius id explicet, & fortius in animis auditorum figat, vtitur aptissima metaphora, qua totam rem ob oculos subiicit. Comparat se Medico, vniuersum populum, seu totum regnum Israel homini ægroto, cuius caput est Ephraim, id est, rex cum tota aula regia, cor vero ipsa Samaria metropolis in medio regni sita. Totum corpus istius populi grauiter ægrotabat, cæterum non totus morbus patebat. Venit medicus Deus in suis Prophetis, & suo verbo, tanquam pharmaco per Prophetas reprehendens peccata populi, incipit mederi huic ægroto, sed quid inter medendum accidit? id, quod sæpe accidit aliis medicis. Fit sæpenumerò vt medicus, cum primum venit ad ægrotum, agnoscat quidem illum ægrotare, verbi gratia febri laborare, sed non statim alij occultiores morbi vt apostemata in capite, & hulcera aut putrefactiones in pulmone latentes, manifesti ei fiunt: at vbi incipit tentare remedia, & ea videt nihil proficere, imò potius iis grauius alterari ægrotum, in dies magis ac magis deprehendit, in eo grauiores latere morbos: ac proinde fit, vt, prout medicamenta adhibet, sic etiam magis sese probant latentes & interni morbi. Idem etiam euenit Deo in suis Prophetis, illi paulatim agnoscunt populi morbos. Cùm enim Prophetæ venissent ad populum, viderunt quidem, illum ægrotare, id est, variis peccatis laborare, sed non omnes statim morbi grauiores, qui latebant in capite, id est, in rege & primoribus regni, & in corde ac pulmone, id est, in metropoli Samaria, illis fuerunt perspecti. Patebant initio quidam generales ac communes morbi in toto populo. At vbi cœperunt concionari, remediáque adhibere curandis morbis, in dies magis ac magis sese prodebant varij & grauiores, latentésque morbi in aula regis, inque metropoli ipsa.

Vt, si quis ex illis Germanis concionatoribus, qui non omnes nouerunt superstitiones Papatus, eat in Italiam, ibi concionetur, arguat vitia, quò diutius ibi versabitur, modò pergat suum officium facere sicut Prophetæ, eò plures in dies deprehendet grauissimos morbos: & vbi? in ipso præsertim capite Antichristo, in Cardinalibus & proceribus regni, & in ipsa metropoli Roma.

Hoc igitur est quod ait, *Dum medeor*: ac proinde indicat, cùm grauiores morbos deprehenderit in hoc ægroto: certe opus esse etiam fortioribus remediis, non enim sufficere leuia & communia.

Obseruandum hoc loco, Primũ peccata morbos esse animæ, qui nisi in tempore curentur, tandem afferunt æternam mortem. Deus medicus est, & verbum Dei, pharmacum ad curandos morbos, sed necesse est, vt pharmacum ab ægroto recipiatur, non in os tantùm, sed traiiciatur in stomachum, ac retineatur: recipitur autem & retinetur fide.

Deinde erant in Ephraim & Samaria varij morbi, iique lethales, etsi non videbantur nec agnoscebantur initio: morbi tamen erant lethales. Ergò etsi hypocritæ suos morbos diu teneant absconditos, tamen sunt morbi, & Deo non sunt absconditi. Quare licet hominibus sani & iusti videantur, coram Deo tamen ægroti sunt, & grauissimis morbis laborant. Imò sicut morbi Samariæ & Ephraim tandem patefacti sunt: ita etiam patefient cuiusque hypocritæ vitia.

Tertiò, primò ait *Dum medeor Israeli*: deinde: *Patefacta est iniquitas Ephraim.* 1. Cœpit autem mederi, cùm cœpit verbũ adhibere. Duo igitur docet. 1. Esse quędam peccata ita manifesta, quæ etiam ante, quàm verbum Dei prædicetur manifesta sunt omnibus esse peccata, sicut quidã morbi ita sunt manifesti, vt etiã ante, quàm veniat medicus, ab omnibus agnoscantur. Verbi gratia, quis nesciat, etiam inter gentes, homicidia esse peccata. 2. Sed quædam esse, quæ non citiùs agnoscantur esse peccata, quàm verbum Dei illa patefaciat. Verbi gratia, ipsa interna concupiscentia, omnium malorum lerna & fons est. Quis philosophus agnouit vnquã, illam esse peccatum? Quare: Quia sine verbo Dei fuerunt. Ita Paulus *Rom.* 7. Per legem cognitio peccati, nam concupiscentiam nesciebam, scilicet esse peccatũ, nisi lex dixisset. Non concupisces. Aliud exemplum adfero ex Papatu. Ante Euangelij prædicationem agnoscebantur quidem homicidia, furta, & huiusmodi scelera esse peccata sed grauiores morbi non agnoscebantur. Qui erant ij? idololatriæ illa opera, quæ habebantur pro sanctissimis & optimis: vt missificatio, interesse missis, genua flectere ante statuas, inuocare sanctos mortuos, cursitare ad templa pro impetranda remissione peccatorum: ij latentes morbi erant longe grauiores aliis cõmunibus & manifestis, sed latebãt. Vbi cœptũ est prędicari Euãgeliũ, in dies magis ac magis sũt patefacti alij grauiores & pestilentiores morbi.

Videmus, quomodo intelligendum sit, quod ait Deus per Prophetã: *Dum medeor Israeli, patefacta est iniquitas Ephraim.*

Potuit certe dicere Lutherus, dùm morbum vnum curo, nęmpe illarum nundinationum, indulgẽtiarum, patefacti sunt alij grauiores & quàm plurimi morbi in Ecclesia Romana, & in Monachis, Sic Dominus Iesus: dum initiò quibusdam cõmunibus morbis in populo Iudaico mederetur, indies magis ac magis se patefecerunt iniquitates, illæque grauissimæ Pharisęorum, Scribarum & Sacerdotum.

Videmus igitur, quomodo grauiores morbi, idololatriæ & id genus alia, non facile agnoscuntur ab omnibus esse peccata, sed per verbum Dei prædicatum, indies magis ac magis proferuntur in lucem. Hinc ergò colligimus, verbum Dei instrumentum esse, quo abdita & occulta peccata in lucẽ proferuntur, esse lucem, quia illa: quæ indicantur bona esse opera, agnoscuntur aperte grauissima esse peccata. Ideò Paulus ait *Rom.* 7. Per legem, prædicatam scilicet & intellectam, cognitio peccati. Hinc etiã colligimus quæ sit caussa, cur mũdus nolit ferre prædicationem puri verbi & Euangelij Dei: quia scilicet mundus nollet agnosci suos latentes & graues morbos. Euangelij autẽ prædicatio illos omnes patefacit: ideo mundus odit verbum. Huc illud Ioh. 7. *Odit me mũdus, quia testimonium perhibeo de eo, quod opera eius mala sunt.*

Est etiam illud quarto loco obseruandum, hoc proprie deprehendi in hypocritis. Tangas hypocritam, vt aliquem illius latentem morbum cures, confestim prodent se alij quam plurimi grauiores, sed latentes morbi, nempe indignatio, superbia, obstinatio in peccatis.

Summa horum verborũ est. Status totius populi corruptissimus est, sed hæc corruptio indies magis ac magis patefit.

Quia mendaciter se gerunt.

Incipit nunc explicare per partes generalem prophetationem. Et primo ait *Quia mendaciter se gerunt.* Hoc refero & ad Deum & ad proximum, id est, sunt fœdifragi, non seruant fidem, nec Deo, nec proximo, Deinde ait: *Fures ingrediuntur* scilicet vrbem, & clàm furantur. Tertio ait, *Latro foris*, id est, aperto marte deprædatur.

His duabus speciebus omne genus mali contra proximum designat. Indicat igitur, populum intus & foris esse corruptũ: quia alij, vti fures, clàm pérque insidias, proximum offendũt: alij, vti latrones, manifesta vtuntur violentia cõtra proximũ. Itaque alij sunt, ceu vulpes, qui astute peccant depilántque: Alij sunt, vti leones, qui palàm & sine pudore, alienam ad se rapiunt substantiam. Non dubium est, quin hic perstringat populum totum, sed inprimis proceres regni. Ergò totus status est corruptissimus.

2 *Et non dixerunt* dicunt *in corde suo, quòd omnis malitia eorum recordatus sum.*

Duo continentur in hoc versu: Reprehensio peccati, & denunciatio Iudicij diuini.

Quò ad primum ait: *Et non dixerunt in corde suo.* His verbis primo & principaliter accusat Israelitas non tantum socordiæ, quod scilicet nunquam cogitarunt, sibi aliquando reddendam esse rationem coram Deo, sed maxime impietatis. Quæ erat hæc impietas? Quia etsi non disertis verbis: re tamen ipsa Deum negabant. Spoliabant enim Deum duabus rebus, sine quibus Deus non potest esse Deus. Quibusnam? Rerum, quę hic fiunt, id est, peccatorum nostrorum cognitione vel memoria: Ideóque & Iudicio, quod scilicet peccata non esset puniturus, quia illorum non recordatur: annon fuit hęc maxima impietas?

Et non dicunt in cordibus suis, id est non cogitant, quod peccatorum eorum recordor, hęc est socordia, sed, meo iudicio liptote est, quasi dicat, Et putant, me non agnoscere sua scelera, vel si agnoscam, tamen non recordari, ideóque putant, me nunquam mundum iudicaturum, & peccata puniturum: putant, me ociosum in cœlo dormire, vel potius similem me faciunt idolo omnis sensus & cognitionis experti, hoc est, primum quod facit iis verbis.

Deinde indicat, eos ad summum Dei contemtum peruenisse, licentiámque quiduis male agendi, abiecto omni Dei timore concessisse. Quomodo hoc innuit? Quoniam putant, Deum non recordari peccatorum eorum, nec iudicium de eis vnquam sumturum: ac proinde sibi nunquam esse rationem coram Deo reddendam. Qui autem sic cogitat, Deum contemnit tanquam mortuum idolum: ac proinde licẽtiam sibi quidvis maleagendi permittit. Docet igitur iis verbis, Israelitas ad summum omnis malitię cumulum progressos fuisse, propterea quod non cogitarunt, Deum peccatorum suorum recordari, ibique aliquando reddendam esse rationem Deo omnium suorum peccatorum.

Colligimus hinc, caussam cur homines non timeant

Deum nec resipiscant, sed licentiam sibi quiduis male agendi sumant, esse non tantum socordiam, sed etiam infidelitatē, quia scilicet non credunt, vel si credunt, non cogitant, Deū omnia nostra peccata spectare, memoria notare, & tandem aliquando puniturum. Contrà igitur, frenum quo homines cohibentur à peccatis, esse fidem, & firmam frequentémque cogitationem, quòd Deus omnia cernit, & quòd, nisi resipiscamus, rationem tandem à nobis exiget omnium nostrarum non actionum tantùm, sed etiam cogitationū, denique, quòd sit mundum iudicaturus, peccatáque omnia puniturus.

Sequitur nunc altera pars huius versus, vbi minatur Israelitis suum iudicium, simúlque ostendit, quàm hallucinentur, dum cogitant, Deum ipsorum peccata non recordari, ideóque ipsos non iudicaturum.

Nunc circumdabunt eos peccata ipsorum, quæ coram facie mea sunt. Quasi dicat. 1. Putant, me non recordari peccatorum suorum: at Ego pronuncio, illa semper esse in conspectu meo. 2. Putant, me se non puniturum: ac proinde arbitrantur, se facile ex manibus meis euasuros: at Ego assevero, quòd nunc breui circumdabunt eos peccata sua, id est, obsidebunt, tanquam hostium exercitus, ita, vt nullum ipsis pateat effugium, quasi dicat, etsi nunc sibi blandiantur in sua hypocrisi Israelitæ, puténtque, omnia sua peccata euanuisse, quòd ego illorum non recorder: breui tamen sentient contrarium, sentient se implicitos esse omnibus suis peccatis, id est, pœnis suorum peccatorum, sibíque nullum patere effugium à manu mea. Alludit ad futuram obsidionem Samariæ per Assyrium.

3. *In malitia sua exhilarant regem, & in mendaciis suis principes.*

Bifariam exponi potest hic versus. 1. quòd Propheta hic accuset Israelitas adulationis & turpis scurrilitatis studēre exhilarare regem & principes. Sed quibus rebus? non virtutibus & honestis moribus: quia principes non iis delectantur, sed malitiis, id est, improbe factis, deinde mendaciis, id est, adulationibus, assentationibus, scurrilibus verbis. Malitia, refertur ad opera mala mendacia, ad verba scurrilia & adulatoria. Consequenter perstringit regem & principes, qui non delectentur pietate, virtutibus & veritate, sed tantùm vitiis & adulationibus. Et mihi placet hæc expostulatio, quia Propheta varia vitia reprehendit in Israel. 1. Quòd primum reprehendat Israelitas, qui nimis obsequentes & flexiles sese præbuerint suo regi in malo: nempe in recipienda religione impia: sic enim lætificarunt regem, quia vidit suum populum non contradicentē, sed statim amplexantē religionem & sua decreta sequentem: ideò ait, *Exhilararunt.* Deinde etiam ostendit, eos fuisse inexcusabiles, quia non timore id fecerint, sed malitia, quæ lateret in corde, id est, quòd & ipsi anteà propēsi fuissent ad idololatriā, & illam amassent: ideò ait, *In malitia sua.* Imò postremò etiam accusat, quòd contra conscientiam illam probarint: ideò ait, *In mendaciis suis.* Agnoscebant enim, corruptionem esse religionis, tamen disertis verbis eam probarunt, vt bonam. Hæc fuerunt mendacia.

4. *Omnes adulterantes* adulteri sunt, *sicut fornax accensa à pistore* Ascher, *cessabit*, 1. qui cùm cessat *ab excitabo* mulieres: quando cessat *à conspergendo*, id est, postquam cōsperserant farinam, *farinam* massam: *donec fermentare se*, id est, donec fermentetur.

Accusat in hoc versu Israelitas adulterii, idque eleganti similitudine, vt posteà explicabo. Sed quia duplex est adulterium: Vnum spirituale, quod est idololatria, seu cùm fidem violamus Deo, alterum carnale, quod omnibus notum est: Ideò locum hunc bifariam possumus interpretari: Primum de adulterio spirituali: Deinde de carnali.

Quidam de spirituali interpretantur. Summa autem illius interpretationis hæc est: Omnes sunt idololatræ, omnes fregerunt fidem Deo: quia prostituerunt se omnes ad fœdas superstitiones, & se totos corruperunt. Nam vbi homines deficiunt tùm à cultu Dei puro, tùm se in tota vita peruertunt, adulteri esse dicuntur: propterea quòd fides vera & cordis synceritas, sunt vera & spiritualis pudicitia coram Deo. *Omnes ergo*, inquit, *sunt adulterantes*, id est, omnes reatu defectionis à Deo & violatæ fidei, implicitì tenentur.

Posteà addit similitudinem dicens: *Sicut clibanus accensus à pistore*, qui, seu, cùm *cessat ab excitando* mulieres, vt farinam subigant, quando cessat *à conspergendo conspersionē*, id est, postquam consperserint seu subegerint conspersionem, id est, pastam. *Clibanus* accensus, inquam, à pistore, postquam excitauit mulieres ad subigendam farinam, *donec fermentetur ipsa*, scilicet tota conspersio. Hic est ordo verborum. Vt verò sensum verborum intelligamus, notanda est consuetudo, quæ apud Hebræos etiam & Italos in Italia, & apud alias multas gentes seruatur cùm coquuntur panes.

Solēt pistores, seu furnarij, noctu surgere duabus aut tribus horis ante lucem, & per vicos eunt, portas eorum, qui volunt panes cōfici, & coqui pulsant, excitántque à somno mulieres & eas admonent, vt farinam conspergant, pastámque subigānt: postquam excitarunt illas, domū redeunt furnarij, accendūt ignem in furno, illúmque tamdiu calefaciūt, donec pastā iam fermentatam & in panes conformatā adferant mulieres ad furnum, vt coquantur, tunc enim vehementissime calidus est furnus: ideò ait, *Sicut clibani accensus, donec fermentetur pasta.* Tātisper enim calefieri solet furnus, à subactione pastæ, vsque ad perfectam eius fermentationē, donec in immēsum excalescat. Huic igitur calori immenso comparat Propheta feruentissimum idololatrarum studium in adorandis idolis.

Duo sunt præcipua in hac similitudine. Vnum est calor immēsus furni. Alterum est tempus quod describit: nempe ab excitatis mulieribus, subigendæ pastæ caussa, vsque ad plenā pastæ fermentationem. Calor, est non subitaneus, sed diuturnus, deinde immensus. Duo igitur etiam concludit de idololatris Israelitis. 1. quòd feruentissimo calore peccandi & colendi idola, eóque occultato in cordibus suis sic, vt etiam calor in clibano absconditus est, ardebant. 2. quòd hic calor, seu peccandi impetus in Israelitis non fuit subitaneus, sed durasse diu, ita vt confirmati fuerint in sua malitia.

Superiùs autem dixerat cap. 5. versu 2. Israelem vltrò & volentem, secutum fuisse mandatum regis de mutanda religione: item c. 7. vers. 3. In malitia sua exhilararunt regem. Sunt igitur tria, quæ vehementer grauent peccatum Israelitarum 1. quòd impetus ad idololatriam fuerit voluntarius & ex malitia, 2. quòd iste impetus, ceu calor clibani, fuit ardentissimus & vehementissimus. 3. quòd iste impetus non fuit subitaneus, ita vt statim desierit, sed fuit diuturnus, ita vt confirmati fuerint in sua malitia. Ergò prorsùs inexcusabiles & compassione nulla digni sunt.

Possemus etiam interpretari de adulterio carnali. Tunc illud *Omnes* accipitur pro maiori parte, vt illud Pauli. *Omnes quærunt quæ sua sunt.* Nomine adulterij veniunt omnes lasciuiæ & omnes libidinis species.

5. *Die regis nostri fecerunt.*

Significat, gubernationem regni Israelitici fuisse corruptissimam, ita vt in aula regis, nullus esset honesti respectus, nullus pudor, nulla modestia. Solebant quotannis memoriā coronationis regis celebrare, hoc non erat omninò vituperabile. Sed duo erant agenda. 1. Debebant omnes gratias agere Deo, quòd regem conseruasset, & regnum bene administrasset, & simul petere veniam peccatorum, quòd deliquissent in officio suo. 2. Debebant precari Deum, vt in posterum etiam seruaret regem, & spiritum prudentiæ, & pietatis illi precari, vt pergeret in suo officio.

Ad illusores, id est, homines desperatæ salutis, qui Deum & homines ludificātur. Sēsus igitur est: Oblitus sui, nihil retinet grauitatis, sed scurra fit, & cum hominibus nihili se miscet.

Extendere manum ad aliquem, est signum societatis. Facit ergò se sodalem scurrarum, adde etiam contemtorem irrisorémque Dei.

6 *Ephraim inter populos ipse miscuit se, Ephraim fuit panis subcinericius non versus.*

Bifariam hunc locum possumus interpretari.

Primò de peccato. Accusat hic Israelem, quòd miscuerit se cum gentibus, non tantùm quo ad consortium & consuetudinem cum eis, sed in primis quo ad mores & religionem: quia scilicet imitatur superstitiones & mores gentium. Fuit autem hoc graue peccatum: quia contra præceptum Dei & suam vocationem fecit. Deus voluit & iussit, vt populus, id est, totum semen Abrahæ, tanquam peculiaris populus Dei, differret à gentibus 1. lege seu doctrina, 2. cultu ac ceremoniis seu religione, 3. vita & moribus, imò & cogitationibus ac desideriis. Peculiarem doctrinam illi dedit, peculiarem cultum, & purum, peculiares ceremonias & sacramenta, circumcisionem etiam ipsam in carne, peculiarem reipublicæ formam, imo etiam peculiaria vestimenta, & sic iussit: *Sancti estote, quoniam & Ego sanctus sum.*

Amplificat autem hoc peccatum dicens, ipse se miscuit se, inquam, cui insculpseram Ego Deus notam suæ electionis & segregationis à gentibus, Ego elegeram è mundo, & ipse se immiscuit: *Sic nos elegit Christus.* Elegit de mundo. Vos non estis de mundo, non deorsum. Ergo nolite quærere, quę sunt in mundo.

Mouetur hoc loco quæstio: *An licitum sit Christianis populo scilicet Dei miscere se cum aliis gentibus?* Quo melius solutio huius quæstionis intelligatur, præmittendæ sunt quædam distinctiones. 1. Populi cum quibus est communicandum, vel sunt nostræ religionis, vel diuersæ. 2. Si diuersæ, vel ex ignorantia, vel ex infirmitate, vel ex malitia peccant, falsámque sequuntur religionem. 3. Siue diuersæ, siue eiusdem religionis sint, vel sunt tali vinculo nobis coniuncti, hoc est, naturali aut ciuili, (sicut est filius cum patre, vxor cum viro, seruus cum domino, populus cum principe, pupillus cum tutore, & contra) vt licitum non sit quavis de caussa ab illorum vel cohabitatione, vel obsequio, vel familiaritate non seducere, vel tali vinculo coniuncti nobis non sunt. 4. Communicatio hæc potest fieri vel in religione, vel in vitâ & moribus à Christiana pietate diuersis, vel in fraterna amicitia, vel in humano consortio.

His habitis distinctionibus, ad quæstionem respondeo, distinctè & certis propositionibus. 1. Cum nemine quicunque ille sit, communicandum est in impia religione, vel in vita à Christiana dissimili, seu in iis, quæ sunt apertè contra verbum Domini. Act. 5. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* 2. Quo vero ad cohabitationem, obsequium, & familiaritatem cum illis, qui tali vinculo vel naturali, vel ciuili nobis sunt coniuncti, vt per ius naturale & ciuile non liceat ab illorum vel cohabitatione vel obsequio discedere, vt vt impij & facinorosi homines sint, nisi nos vel ad falsam religionem, vel ad facinora cogere velint, cohabitatio & obsequium consortiúmque denegandum illis non est, 1. Cor. 7. *Si mulier infidelis velit esse cum marito fideli.* 3. Cum illis verò qui tali vinculo nobis coniuncti non sunt, sed malitia defecerunt à religione, eamque agnitam impugnant, siue turpis, siue honestæ in speciem vitæ sint: quia vel hæretici sunt, vel prorsus perfidi, non est vllum habendum consortium. 2. Ioh. 10. 11. *Si quis venerit ad vos, non habens doctrinam hanc, ne aue ei dicatis.* Et ipse Iohannes fugit è balneo, cùm ibi vidit Cerinthum. 4. Si verò tales vel ex ignorantia, vel ex infirmitate in sua religione falsa se continent, siue sint honestæ vitæ siue apertè facinorosi, fraterna quidem amicitia cum eis non colenda est, cùm non sint fratres, sed tamen commune consortium denegandum non est, imo etiam beneficiis sunt demerendi & piè sanctéque cum eis versandum est, vt ad Christum conuertantur. 1 Cor. 5. *Scripsi vobis per epistolam ne commisceremini cum scortatoribus, at non omnino cum scortatoribus huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut simulacrorum cultoribus, alioqui exeundum fuisset ab hoc mundo.*

De iis qui eiusdem nobiscum sunt religionis, vel eam saltem profitentur, cùm nulla sit caussa in religione, cur ab illis discedendum sit, sed tantùm vita, duabus propositionibus respondeo, 1. Illis qui vinculo vel naturali vel ciuili, de quo suprà nobis sunt iuncti, viue facinorosi sint, modo ad eadem facinora nos non cogant, cohabitatio & consortium denegandum non est: quia denegare non possumus, neque excommunicatio tales priuat communione suorum domesticorum & subditorum. 2 Cum illis verò quibuscum non sumus ita colligati, si apertè facinorosi sint, consortium habendum non est, & ab Ecclesia sunt excommunicandi. 1. Cor. 5. *Nunc autem scribo vobis. ne commisceamini si quis, cum frater appelletur fuerit scortator, aut auarus, aut simulacrorum cultor aut conuitiator, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi ne cibum quidem capiatis.*

Nunc apparet quibuscum versandum sit, & quibuscum in rebus, & quibuscum versandum non sit.

Ephraim est panis subcineritius non versus.

Est occupatio. *At sumus populus Dei, habemus verbum Dei retinemus sacerdotium. Ergò differimus ab incircumcisis.* Respondet Propheta. Verum est, habetis circumcisionem & sacrificia, sed cum interea omnia inter vos sunt corrupta & habeatis admixtas superstitiones gentium, similes estis placentæ, quæ ab vna parte, aduritur, sed ab altera, cruda est, quia non est versa, id est, non estis vel puræ gentes, vel verus Dei populus, sed estis mixtura quædam ex pasta cruda, & exusta: ab vna parte, in superstitionibus, habetis nimium calorem: ab altera: nimirum in eo, quod ex verbo Dei vobis reliquum est, estis frigidi & crudi.

Quidam referunt ad pœnam. Prædicit, fore vt Ephraim eat in captiuitatem, & misceatur inter gentes. Illud, *Ephraim est panis subcineritius*, sic interpretantur: ab vna parte sunt exusti, scilicet ab igne iræ Dei, tabescunt enim in carne sub suis malis: ab altera parte sunt cruda, incocti, impœnitentes: quia scilicet destituuntur spiritu Dei, qui eos vegetat & emolliat. Sunt igitur duriter castigati sæpenumero, & etiamnum castigabuntur in captiuitate, sed absque profectu.

Lutherus alterum membrum de pœnis sic exponit. Erit vt placenta, quæ non vertitur, id est, cito deripientur Israelitæ à gentibus, sicut placenta semicocta voratur ab impatientibus famis.

Prior interpretatio melior est. Primo igitur membro: accusat Israelitas, quod se profundauerint ritibus & superstitionibus gentium, ita vt esset confusa quædam mixtura ex cultu Dei & gentium superstitionibus. In altero membro respondet per tacitam occupationem Israelitis, qui colorem hunc inducebant suis superstitionibus. Apud nos est verbum Dei respondet Propheta. Verum est: sed coram Deo nihil hæc sunt, non sunt grata Deo, quia estis vt placenta, nec cocta, nec cruda.

IX *Comederunt alieni robur eius.*

Accusat hic Israelitas stupiditatis & pertinaciæ in suis peccatis: quia nullo modo voluunt resipiscere, etiamsi Dominus nullum omittat remedium, quo illos trahat ad se. Obiurgatur, sed non corrigitur: flagellatur: sed frustrà.

Et ipse non cognoscit Sentit quidem dolores, sed non agnoscit caussam & fontem sui mali, id est, non agnoscit, se cædi propter sua peccata neque mentem attollit ad Deum, qui se cædit propter peccata sua, sed ad salutem Ideo stupidus manet & impœnitens.

Canicies in eo. Primò sic exprimitur hic locus, néq processu quidem longæ ætatis resipuerunt, aut cognouerunt, se castigari propter sua peccata. Ergo sunt prorsus stupidi & perditi: ætas enim adfert prudentiam & cognitionem. Sic est exaggeratio stupiditatis Israelis.

Deinde exponitur ita, vt sit amplificatio calamitatum, quibus Deus populum afflixit ita duriter eos afflixit, vt facti sint cani: & canicies oritur aut ex ætate, aut magno calamitatum seu malorum sensu.

X. *Et testificabitur superbia Israel in faciem eius, & tamen non reuersi sunt ad Iehouam.*

Confirmat, quod suprà, esse scilicet Israelem desperatum & incurabilem, quia conuictus, non tamen redit ad Dominum. Etsi omnes istæ calamitates ei acciderint tamen nil curat.

XI. *Et fuit Ephraim tanquam columba stolida absque corde.*

Stultæ credulitatis accusat Israelitas, quòd scilicet crediderunt, se posse ab Assyriis & Ægyptiis adiuuari & ideò ad illos cucurrerunt auxilij caussa, & tamen fuit illis expansum rete ante oculos, sed cæci non viderunt, creduli fuerunt blanditiis Satanæ.

Stulta. Non intelligit Propheta, quòd peccârint merâ inscitiâ, sed quòd priuati fuerunt omni iudicio propter sua peccata. Stultitia hæc opponitur intelligentiæ, quam Dominus illis obtulerat in lege. Damnatur ergò simplicitas, quæ est sine prudentia spiritus, & verbi Dei.

Cucurrit. Noluit ergo stare firmus in verbo Dei, vbi erat securus & tutus, sicut etiam columba est secura in columbario, volat autem foras, allecta illecebris escarum. Acquiescendum ergo est verbo Dei ibi est pax & securitas, alioqui nimia credulitas, quæ præstatur hominibus, abducet nos in varios errores. Sponte erraticus fuit Israel. Simplicitatis igitur prætextu nemo excusatur: hanc damnat Propheta hic: Et Christus *Estote*, inquit, *simplices vt columbæ sed prudentes, vt serpentes* Non igitur inconsideratè cuiuis credēdum. 1. Ioh. 4 *Nolite omni spiritui credere. Sed probate spiritus, vtrum ex Deo sint.*

XII. *Secundum quod ipsi abibunt sic expandam super illos rete meum: sicut autem cœli, deiiciam eos.*

Pœnam denunciat, quòd velit eos corripere secundum minas, quas audiuerint prius Ostendit autem. quod Israelitę, postquam huc & illuc volitauerint, infelicem inuenerunt exitum, Manet autem in similitudine columbarum. Columba videt tantùm escam, non autem videt nec præcauet periculum: ergò stulta & perniciosa simplicitas.

Expandam rete, hoc est, faciā, vt infeliciter cadant omnia illorū cōsilia & studia. Ergo si quid tētemus præter verbū Domini, totū illud erit infaustū. Et cōsilia, quę fiūt à nobis præter spiritum Dei, omnia erunt irrita. Iesaię 1c. & 31. arguuntur Iudęi, quod consulerent absque Domino.

Obserua quoque hic illud certissimum & necessarium dogma: *Prouidentia Dei omnia regi.*

Secundum auditionem cœtus ipsorum. Primò sic exponitur

hic locus. Sicut audierunt omnes in cœtibus suis, & à Mose & à Prophetis pœnas denunciari iis qui deficiant à me. Deinde sic. Secundùm quod ipsi vno consensu violarunt legem meam: Ita Ego vno impetu eos perdam. Tertiò, secundùm spiritum congregationis ipsorum.

XIII. *Væ eis quia recesserunt à me. Vastitas eis, quia perfidè egerunt in me.*

Dixerat initiò per Prophetam Deus: Dùm mederetur Israeli, tanquam cuidam corpori ægroto, interim grauiores, latentésque morbos sese in eo deprehendisse, id est, patefactas fuisse iniquitates Ephraim & malitias Samariæ. Hinc colligebamus propositionem hanc vniuersalem: Vniuersum igitur statum Israelitici regni, tàm regem & proceres, quàm plebem, & tàm metropolin capútque regni Samariam, quàm reliquas ciuitates, multis, grauissimisque sceleribus & corruptelis refertissima esse. Postea propositionem hanc cœpit per partes explicare, & singulis ferè versibus, qui fuerint ij morbi, quibus laborabat Israel, explicauit, ostenditque, tot ac tantos esse, vt prorsùs sit incurabilis ille ægrotus.

Nunc igitur post enumeratos & explicatos morbos Israelis incurabiles, denunciat illis extremum, certúmque exitium: idque per exclamationem, quo maiorem vim habeat ipsa denunciatio, dicendo:

Væ illis.

Illud *Væ*, summum, certúmque malorum gradum significat. *Væ*, inquit, *illis*. Ecce maledictionem. *Quia elongârunt se à me.* Ecce peccatum. Adimit autem illis Propheta omnem spem veniæ, pronunciátque, de ipsis actum esse: quia Deus decreuit eos propter suam à Deo defectionem perdere: ideò explicans istud *Væ*: ait:

Vastitas illis.

Quasi dicat, Non est, cur ampliùs inani se fiducia deludant Israelitæ hypocritæ, quasi Deus velit illos ita præfractos & incurabiles sanare. Deus enim certò statuit illos perdere: ideo Vastitas illis, scilicet maxima & certissima, quamobrem adfert caussam:

Quia Paschhu.

Hoc verbo explicat illud superius, quod dixit, *Væ illis* quia *Nadhadhu*. Quid est *Paschha*? Ionathan Chaldæus ait, esse rebellare contra verbum Domini. Qui autem recedit à verbo Domini, in quo solo est salus & vita, quid illi exspectandum est, nisi damnatio & mors? Iure igitur ait: *Væ illis, quia recesserunt à me, & vastitas illis, quia rebellarunt contra me.*

Colligimus hinc, quid agendum sit concionatoribus cum hypocritis. Hypocritæ quia audiunt, Deum vbique in scripturis prædicari promptum ad ignoscendum, putant, illum sibi quoque fore propitium, hácque inani confidentia, spernunt minas, & audaciùs insurgunt contra Dominum. Debent ergò concionatores hanc illis tollere inanem confidentiam, ostenderéque, quod Deus sit propitius pœnitentibus & credentibus: Hypocritis verò certum immineat exitium. Iure igitur Propheta adimit illis hypocritis hanc vanã fiduciam misericordiæ Dei, & certum denunciat exitium dicens: *Væ illis, & vastitas illis.*

Et Ego redimam eos vel, redemi, *& tamen* ipsi *locuti sunt contra me mendacium.*

Bifariam possumus hunc locum legere. Primò, interrogatiuè in futuro, vt sit indefinitus modus sic. Egóne redimam eos? Egóne eos saluabo? quasi dicat, minimè. Cur? Quia mendacium dixerunt in me, hoc est, quia sunt hypocritæ, fœdifragi, mendaces, nullam vnquam seruant fidem. Egóne igitur redimam hos homines nullius fidei, quia semper mihi mentiuntur?

Deinde affirmatiuè in præterito, hoc modo. Ego redemi eos, scilicet sæpenumero, à diuersis hostibus & malis, variisque beneficiis cumulaui. Sed quid ipsi? Promiserunt mihi quidem semper resipiscentiam & fidem, sed nunquã eam præstiterunt, nunquam mutarunt ingenium, semper deprehensi sunt mendaces in me. Ergo cũ hactenus semper malè mea collocauerim beneficia in hunc populum: quia ipsi semper progressi sunt in sua malitia, & semper reperti sunt perfidi: ideo posthac nolo ampliùs consumere meam gratiam apud tàm ingratum & perfidum populum. Ergò *Væ illis & vastitas illis.*

Obseruandum ex hoc loco, intolerabilem esse illam ingratitudinem, qua homines, quo plura accipiunt à Deo beneficia, eò perfidiores in Deum reperiuntur.

Adferam exemplum, vt meliùs rem explicem. Christus redemit nos à peccatis, à morte. Stipulatus est à nobis fidem & sanctitatem vitæ, nos promisimus ei in bapt[ismate]. Si ergò perfidi reperiamur, si malè & turpiter viuamus, si nunquam resipiscamus, si fidem Deo datam non seruemus, sed, sicut Israelitæ reperiamur semper mendaces: Quæ est ista ingratitudo? Prorsus intolerabilis est. Quid hæc meretur? id, quod hic ait Propheta: *Væ illis, vastitas illis, quia recesserunt à me: quia mendacium locuti sunt contra me.*

XIV. *Et non clamauerunt* clamant *ad me in cordibus suis, quoniam vlulabunt*, pro, vlulant *super strata ipsorum* sua, seu, in cubilibus suis, *ad triticum & ad mustum* scilicet colligendum & accipiendum, vel petendum, *congregabunt* congregant se, & tamen *rebellabunt*, rebellant in me.

Hoc etiam versu obiurgat Propheta Israelitas, quòd toties admoniti verberibus & cæsi, tamen non verè resipiscant. Nomine *Inuocationis*, synecdochicè intelligit totam resipiscentiam: quia inuocatio est vna ex præcipuis pœnitentiæ partibus. ideo ait:

Et non clamauerunt ad me in cordibus suis.

Istæ duæ particulæ *Ad me*, &, *In corde suo*, declarant, quę sit vera inuocatio: illa nimirum, quę primò fit non ad idola, non sanctos demortuos, sed ad solum Deum. *Non clamauerunt*, inquit Deus, *ad me.* Non simpliciter negat Dominus, Israelitas clamasse: nempe ad idola & Deos alienos imo subdit mox, illos vlulasse in suis stratis: sed ait, Non clamauerunt *ad me.* Prima igitur veræ inuocationis pars est, vt fiat ad solum Deum, seu vt solus Deus inuocetur. Altera pars est, vt fiat ex syncero cordis affectu. Ideò subdit *In corde suo.* Quid est in corde suo Deum inuocare? Dominus Iesus, qui est verus Magister, docet Ioh. 4 *Qui adorant Deum, oportet vt adorent in spiritu & veritate*: Spiritus opponitur carni, carnalibúsque & externis ceremoniis. Veritas opponitur mendacio & simulationi seu hypocrisi. Cum igitur ait: *Non clamàt ad me, in cordibus suis*, non negat, quin Israelitæ in suis inuocationibus vsi fuerint externis ceremoniis atque permultis, sed negat, illos inuocasse Deum in spiritu: neque negat, quin suas fecerint inuocationes magnis clamoribus & vlulatibus, sed negat eas fuisse factas in veritate, id est, ex puro synceróque cordis affectu. *Ergò non clamauerunt*, inquit Dominus, *ad me in corde suo, id est, in spiritu & veritate.*

At nonne Israelitæ inuocabant Deum in suis precibus? Resp. Omninò. Neque enim cogitandum est, Israelitas eo idololatriæ peruenisse, quò peruenerunt Papistæ, vt scilicet inuocarint sanctos demortuos. Nusquam legimus in scripturis, Israelitas inuocasse mortuum Abrahamum, Isaacum, reliquósque sanctos demortuos: imò apertè Iesaias omnium Israelitarum nomine ait: *Abraham ignorat nos. & Israel nescit nos, sed suas preces semper ad Dominum dirigebant.*

Cur ait igitur. *Non clamauerunt ad me?* Resp. Quoniam Deum quidem inuocabant, sed non in corde suo, id est, quia labiis quidem, vt ait per Iesaiam, honorabant Deum & inuocabant, sed illorum corda procul erant à Deo. Inuocatio autem nisi fiat ex corde id est, in spiritu & veritate, non potest ascendere in tam sublimem locum, id est, in cœlum, vt perueniat ad Dei aures. Ideò & Dauid ait Psal. 145. *Propè est Dominus inuocantibus eum.* Quibus inuocantibus? *inuocantibus eum in veritate*, id est, ex syncero cordis affectu & non hypocrisi. Si propè est inuocantibus eum in veritate. Ergò procul est ab inuocantibus eum in falsitate, id est, in hypocrisi. Hęc igitur caussa est, cur dixerit per Hoseam, *Non clamauerunt ad me*: quia scilicet etsi Israelitę inuocabant Deum Israelis: non tamen eum inuocabant in cordibus suis, sed tantùm labiis & clamoribus, ceremoniisq. externis. Quid est autem inuocare & colere Deum externis tantum clamoribus & ceremoniis, sine syncero cordis affectu? quid, inquam, est hoc, nisi profanare nomen Dei? Tantum igitur abest, vt tales inuocationes ascendant in conspectum Domini, gratæque sint Deo, vt potius ab illis fugiat Dominus, illásque tanquam detestabiles auersetur. Vera igitur inuocatio illa est, qua solus Deus inuocatur, sed in corde, id est, in spiritu & veritate, seu ex fide, puróque cordis affectu.

Summa: His verbis accusat Israelem impœnitentię, quòd sępenumerò manu Dei percussus, ad Deum tamen non confugerit & deprecatus sit veniam: & hypocriseos, quia si aliquando confugit ad Dominum, eúmque inuocauit: hoc tamen non fecit in corde suo, id est, non syncerè, non in veritate, sed simulatè.

Quia

Quia vlularunt super strata sua.

Illud *Ki* aliquando, secundùm R. Auen Ezra, significat quanquam, seu quamvis: & sic locum illum Exod. 34. ver. 9. exponunt: *Ki, quaeso, inueni gratiam, eat quaeso Dominus in medio nostrum.* Ki, id est, quamvis populus durae ceruicis est. Si hoc modo legamus, constructio & sensus facilis est: *Non clamauerunt ad me in corde suo, quamvis vlularint super strata sua, vel, in cubilibus suis.* Quasi dicat, quamvis instar brutorum animalium vlulent in suis cubiculis & templis: tamen ipsi non dirigunt ad me sua vota, quia non clamant ad me ex corde.

R.D.K tamen in libro Radicum, sentit hanc particulam semper esse rationalem coniunctionem, & significare Quoniam: & reuera hęc est propria huius particulę significatio. Ergò si vertamus *Ki* in quoniam, etiam sensus erit facilis: affert enim caussam, cur dixerit, Israelitas non clamare ad Dominum in corde suo. Quare? *Quia*, inquit, *vlulant* scilicet tantùm, id est quia tantùm instar brutorum animaniū vlulant, sicut emittunt magnos vlulatus. Non ergo clamant: clamare enim est hominum, vlulare est brutorum animalium. Vlulant, vt bestiae brutęq; non ergo clamant, vt homines. Vbi vlulant? ait *In stratis suis*, seu in cubiculis suis, subintellige, Tantùm: quasi dicat, In suis tantùm stabulis hae bestiae vlulant. Ergo non in cordibus suis. Videtur enim Prophera opponere hoc verbum vlulant illi superiori, clamant & illam vocem *Hal Mischkebhotham* illi superiori *Belibbam*. Est igitur optima ratio. Vlulant in suis stratis, vt bestiae. Ergo non clamant ad me in corde suo, vt homines.

Notandum, illud vlulare instar brutorum, id est: impetuosius emittere affectus (vt multi solent, cùm vel amicus, vel aliquid aliud carum illis eripitur, signum esse infidelitatis. Ideò dixit, vlulant, vt indicaret, Israelitas instar pecudum, sine vlla fide & cognitione Dei, ex sensu plagarum Dei eiulasse, & vociferatos fuisse, sed non ad Dominum.

Illud, Conijcere se in stratum suum, & in strato vlulare signum est quòd qui hoc facit, non audet venire in lucem, & sub dio suas effundere querimonias, sed quantum potest, fugit conspectum hominum. Ideò dixit, In stratis suis, quasi dicat, non in cordibus, quibus ascenditur ad Deum, inque conspectum Dei, sed in stratis, suisque cubiculis tantùm, vt indicaret, illos aufugisse, quantum potuerunt, à conspectu & accessu Domini. Vlulant ergo in suis cubiculis: icircò non ascendunt in conspectum Domini, nec assurgunt ad Deum suis cordibus. Hactenus igitur accusauit Israelitas duritiae cordis seu impœnitentiae, & hypocriseos.

Ad triticum & ad mustum congregabunt se.

Bifariam etiam illa verba interpretari possumus.

Primò, vt pertineant ad superiorem sententiam, opponatúrque concursus iste Israelitarum ad vinum & mustum, illi verò & syncero studio precandi, de quo locutos est superiùs, hoc sensu Quòd Israelitae vlulant in suis cubiculis, hoc non faciunt, quia illis doleat, quòd me offenderint, & ex flagellis, quae sentiunt, perspiciant, me sibi propter sua peccata iratum esse, hoc minime curant. Quare igitur vlulant? Tantùm, quia priuantur pane & vino & aliis huius seculi bonis. Haec enim duntaxat bona curant, meam verò gratiam vel offensam, nihil morantur: perinde illis est, sine me aduersum, sine propitium habeant, modò fruantur copiâ vini. Concurrunt igitur ad mustum & triticum scilicet colligendum, & comparandum, id est hunc tantùm mundum curant: regnum autem Dei nihil morantur. Ergo quòd vlulant id non faciunt, quia me offenderint, sed tantùm quia destituuntur, vino & pane. Pater à contrario ad mustum enim & triticum tantùm currunt quasi dicat, non autem ad me placandum, imò contrà deficiunt à me.

Sic quidam interpretantur: ac proinde aiunt, hîc accusari Israelitas, quòd praeposterè omnia agant. Deberent primùm curare regnum Dei, quia posteà haec omnia bona adijcientur. Ipsi verò neglecto regno Dei currunt tantùm ad mustum & frumentum.

Altera etiam expositio, quam mox adferam, mihi non improbatur: nempe, Prophetam redire ad amplificandam populi ingratitudinem, sicut cœpit versu 11. & id facit per antithesin inter beneficia Dei erga populum, & peccata populi contra Deum: hoc cœpit facere vers. 13. cùm dixit, *Ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia.* Ita hic, *Currunt ad triticum & mustum* (quae scilicet illis mitto) *colligendum, & tamen ipsi posteà deficiunt à me.* Sic versu 15. continuat hanc ingratitudinis amplificationem dicendo: *Ego ligaui & roboraui brachia eorum, & ipsi contra me cogitant malum.*

Mihi igitur non improbatur, si dicamus, Prophetam nunc redire ad amplificandam populi ingratitudinem, per antithesin inter beneficia Dei erga populum, & peccata populi contra Deum.

Vtraque interpretatio pia est, neque aliena à mente Prophetae. At reuera iuxta priorem interpretationem, Israelitae faciebant sicut & Papistae. Cùm peccabant nunquam currebant ad Deum inuocandum, culpámque deprecandam: sed cùm deerat vinum & panis, concurrebant ad petendum vinum & panem: sicut etiam Papistae orant pro siccitate vel pluuia impetranda, pro vino, pro frumentis, sed nullum illis est propositum, vt Deum sibi reconcilient. Ideò sic legere possumus. *Non clamant ad me in cordibus suis, sed tantùm vlulant in cubiculis suis propter plagas, à meo verò conspectu fugiunt. Quòd si aliquando concurrunt ad me inuocandum: concurrunt tantùm propter vinum & panem à me impetrandum, & mox à me deficiunt.* Sic etiam Christus dicebat quibusdam Ioan. 6. *Vos quaeritis me propter panem.* Hoc modo benè conuenit hoc alterum membrum cum superiori huius versus.

Et iuxta hanc interpretationem, à contrario colligendus est ordo, qui seruandus est in nostris precibus. Isti Israelitę nunquā currebant ad Dominum inuocādum, nisi cùm deerat panis & vinum, tunc omnes simul currebant ad triticum & vinum, scilicet petendum à Deo, quasi dicat, nihil aliud curantes, & ideò mox deficiebant. A contrario igitur quis est legitimus ordo, qui in oratione seruandus est?

1. Si signum aliquod irae diuinae videamus, quaerendum primo loco est, vt redeamus cum illo in gratiam, vt possimus illum patrem appellare. Nam nisi prius reconciliemur Deo, sentiamúsque, illum nobis è seuero iudice factum esse dulcissimum patrem, non poterimus illum ex corde inuocare, non possumus autem sentire illum nobis esse reconciliatum, nisi ipse det fidem & spiritum, quo id sentiamus. Primo igitur loco quaerendum est, vt reconciliemur Deo.

2. Vbi agnouimus, illum esse patrem, statim quaerenda est eius gloria, regnum. Sic Christus Apostolos Deo iam reconciliatos docuit dicens, *dicite: Pater noster, qui es in cœlis: Sanctificetur nomen tuum: veniat regnum tuum: fiat voluntas tua in terra, vt in cœlo.*

3. Petenda etiam sunt, quae pertinēt ad statum praesentis vitae: ideò subdit: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, &c.*

XV. *Ego ligaui & roboraui brachia eorum, at ipsi contra me cogitant malum.*

1. Hic procul dubio Propheta amplificat ingratitudinem populi contra Deum. Persistit autem in metaphorâ initio capitis propositâ: comparat enim Deum medico & chirurgo: populum verò aegroto, qui brachia habeat luxata vel fracta. Chirurgus restituit ossa & neruos brachiorum in sua loca, & variis medicamentis illi brachia non solùm curauit, sed etiam corroborauit. Ecce beneficiū medici. Ipse verò aegrotus quid loco mercedis & remunerationis cogitauit? malum contra medicum, vt scilicet illi noceret, & aliquam iniuriam faceret. Hoc est quod ait Deus: *Ego ligaui brachia eorum.* Iis enim verbis synecdochicè veniunt omnia officia, quae praestat chirurgus alicui aegroto, qui membra habeat fracta vel luxata, curando.

Brachia, quibus operamur, significant vires. Nomine igitur brachiorum Israelis intelligit vires regni Israelitici: hę vires fuerunt à variis hostibus infirmatae, & variis cladibus, alijsque rebus aduersis attritae instar brachiorum luxatorum. Dominus virtute suâ conseruauit regnum Israelis, viribus ei restitutis, illud fulciuit & roborauit id quod maximè contigit sub altero, id est, postremo Iarobeamo, tunc enim regnum Israelis satis firmatum fuerat. En quid sit, *Ego ligaui & roboraui brachia eorum.*

At quid Israelitę curati, sanati, & firmati? Cùm debuissent gratos se praebere Deo, gratias illi agere, debito cultu illum colere, vitam ad eius placitum componere: (nullum enim aliud praemium pro tanto beneficio ab eis requirebat Dominus:) quid, inquam, illi fecerunt? ait, *Cogitauerunt malum contra me.* Quod est hoc malum? duplex fuit. Vnum, quòd conspirarunt contra Deum: nihil enim peius hac conspiratione. Quomodo conspirarunt? Quia, cùm potiti sunt aliquâ victoriâ, cùm viderūt se de hostibus triomphasse, vires suas firmatas fuisse, omnia ex sententia succedere, cogitarunt, se beneficia haec accepisse propter suam religionem: sicut etiam Principes Papistae cùm reportant aliquam victoriam, putant, propter merita sanctorum, propter missas & suam religionem, se consecutos illam fuisse. Hinc igitur factum fuit, vt decernerent inter se primores regni cum suis sacerdotibus, religionem & cultum illum, id est, superstitiones magis ac magis stabilire. Ita stabilitae

sunt superstitiones in Israel post victorias reportatas, multò magis quàm anteà Deus stabiliuerat illis vires & regnū, & ipsi stabiliuerunt contra Deum superstitiones. Hoc est primum ac principale malum, quod cogitauerunt, hoc est, decreuerunt & fecerunt contra Deum benefactorem suum, confirmatio superstitionum.

Alterum malum fuit licentia vitæ: nam post illa tot tantáque Dei in se beneficia, facti sunt Israelitæ licentiosiores, crudeliores, elatiores, petulantiores, denique secura est licentia omnium scelerum. Hoc est quod ait, *Et ipsi cogitarunt contra me malum*, id est, audaciùs contra me iniurias texerunt. Quanta hæc est ingratitudo? Meritò igitur præcidit illis Propheta omnem spem veniæ dicendo: *Væ illis, quia defecerunt à me. Vastitas illis, quia perfidè egerunt in me, &c.*

Obseruandum est hinc, nullum esse vitium detestabilius ingratitudine: ac proindè, cùm Deus, ceu medicus, nobis medetur, nostra vulnera ligat, sanat, & nos luxatos corroborat, agnoscamus eius gratiam.

XVI. *Reuertentur, non Deo, vel, non ad altissimum: sunt tanquam arcus dolosus. Cadent in gladio principes eorum.*

In hoc versu duo sunt: reprehensio peccati, deinde denunciatio pœnæ contra peccatum.

Quò ad primum, ait, *Reuertentur*. Exagitat rursus malitiam, perfidiā, & hypocrisin Israelis *Reuertentur*, id est, fingunt aliquam resipiscentiam: *Sed non Deo*, quasi dicat, mentiuntur, quòd velint resipiscere, quoniam non reuertuntur ad Deum. Quò igitur reuertuntur? tacitè innuit Propheta, illos redire ad superstitiones & peccata cōtra Deū. Reuertentur non Deo. Ergo contra Deum. Quia, *qui non est mecū, contra me est*, ait Christus. Hoc modo subiectâ similitudine, meliùs explicat dicendo: *Fuerunt* sunt *tanquam arcus dolo.*

Arcuarius, dùm vult emittere sagittam, primò collimat ad aliquem locum, & magno conatu figit pedem, ne aberret, sed, si arcus sit obliquus, sagitta quidem videbitur rectè volare ad illum locum, ad quem collimat sagittarius, sed vbi exoneratur arcus, sagitta aliò volat, in partem longè diuersam: Sic hypocritæ fingunt magno studio, se velle redire & volare ad Dominum, sed mox animus ipsorum retrò agitur, & per flexuosas ambages vagantur, vt nunquam ad Deū accedant, sed potiùs illi tergum obuertant. Arcus obliquus est cor, Sagittæ, desideria, cogitationes, pœnitentiæ.

Propter furorem linguæ suæ, id est, indignationem, qua concitare solent me. *Ista erit subsannatio eorū in terra Mizraim*, id est, propter istam profectionem in Ægyptum, subsannabuntur ab ipsis Ægyptiis.

ANALYSIS SEPTIMI CAPITIS.

DUm medeor Israeli, retegitur quoque iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ: etenim fallaciter se gerunt, fur quoque ingreditur, & spoliat latro foris.

1. Propheta, totum Israelis statum corruptum esse, primùm quidem a genere, indicat: deinde, vitiis illius explicatis, apertè demonstrat.

2. Nomine Israelis venit vniuersus populus in genere, id est, decem tribus. Nomine Ephraim, Reges & proceres regni. Nomine Samariæ, ipsa metropolis & caput regni. Dicitur verò mederi Deus alicui, cum per Prophetas & ministros, primū peccata suæ legis explicatione retegit, obiurgat, damnat: deinde verò Euangelij prædicatione pœnitētibus ac credentibus, condonata esse denunciat. Cùm igitur ait: *Dùm medeor Israeli* indicat se Deum, tanquam medicū, per suos Prophetas ad vniuersum populum Israelis, tanquam ad manifestum ægrotorum curādum venisse, illúmque prædicatione verbi, tanquam vnico medicamento, à manifestis morbis, id est, patētibus peccatis curare cœpisse.

3. At verò, dùm communibus patentibúsque totius populi morbis, verbi prædicatione mederi pertexit, subindè alij peculiares, grauioré sque, sed latentes morbi in lucem prodierunt: iniquitates nimirùm Ephraim, id est, quæ in rege, regnique proceribus, & totâ regis aulâ, tanquam in capite, & malitiæ Samariæ, id est, quæ in ipsa metropoli, tanquam in corde totius regni, præcipue latebant. Indicat igitur, Prophetas inter prædicandum, subinde grauiores corruptelas, in regno Israelis deprehēdisse, & ea, quæ alioqui bona censebantur esse opera, grauissima esse peccata, patefecisse. Ac proinde docet verbum Dei prædicatum, instrumentum esse, quo abdita & occulta peccata in lucem proferantur, vt agnoscantur esse peccata iuxta illud etiam Paul. Rom. 7. *Per legem cognitio peccati.* Et Ioh. 16. *Spiritus* (in Apostolis scilicet per verbum) *conuincet mundum de peccato.*

4. Generalem per partes explicans propositionem: nempe corruptissimum esse totius regni statum, declaránsque quinam sint illi grauiores, latentésque morbi, quos inter medendum in ægroto Israele deprehendit: 1. Ait *Quoniam fallaciter se gerunt.* Indicat igitur, primum grauissimúmque Israelis morbum fuisse, quòd tam erga Deum, quam erga proximum perfidi, mendacésque fuerunt. ac proinde docet, reliquorum morborum omnium radicem, ipsam esse perfidiam, cum scilicet nec Deo, nec proximo seruamus fidem.

5. Cum ait, *Fur ingreditur*, scilicet per vrbem & domos ad clam furandum, *& latro foris*, scilicet aperto marte, spoliat: his duabus speciebus omne genus mali contra proximum designat nec populum solum, sed inprimis primores regni perstringit. Indicat igitur, vniuersum Israelis populum intus & foris fuisse corruptissimum, ac ceu desperatum ægrotum, intus & foris grauissimis laborasse morbis: quoniam alij tanquam fures clam, pérque insidias, proximum lædebant, &, ceu vulpes, astutè peccabant: alij verò, tanquam latrones, manifestè contra proximum vtebantur violentia, &, ceu leones, palam ac sine vllo vel timore vel pudore, alienas ad se rapiebant substantias.

II. *Et non dixerunt in corde suo, quòd omnis malitia eorum recordatus sum.*

1. Dicere seu loqui in corde suo, est cōgitare. Porrò, Dominus dicitur peccatorum recordari, cum ea punit. Obliuisci verò, seu, non recordari cum ea condonat, & punire non vult. Recordari igitur peccatorum, cum de Deo dicitur, non solum ad cognitionem, sed etiam ad voluntatem, puniendi scilicet vel non puniendi, refertur. Est autem in iis Prophetæ verbis liptote: est enim, ac si dicat Deus, non solum non cogitant, quòd malitiæ eorum recordor, sed etiam putant, me ipsorum scelera prorsus ignorare. Accusantur igitur Israelitæ atque in primis primores regni, tum magnæ socordiæ, tum summæ impietatis. Socordiæ quidem, quòd cum quotidiè maxima admitterent scelera, nunquam tamen cogitabant, sibi tandem aliquando standum esse ante tribunal Dei, eorúmque omnium, quæ gesserunt, reddendam rationem. Impietatis verò, quoniam Deū spoliabāt, tum eorum, quæ hic fiunt, cognitione, tum etiam iudicio, & peccatorum vltione: ac proinde, etsi non disertis verbis: re tamen ipsa Deum esse negabant, vel saltem, eum in cœlo dormire fingebant.

2. Putarunt Israelitæ, Deum non spectare, quæ ab se admittebantur scelera, neque de eis vllum aliquando iudiciū sumturum. Qui autem sic cogitant, Deum, tanquam mortuum idolum, contemnunt, licentiámque sibi quiduis mali agendi, permittunt. Cum igitur ait: *Et non cogitant in corde suo, quòd malitia eorum recordor*, indicat, Israelitas ad summum Dei contemtum peruenisse, licentiámque quiduis mali perpetrādi, abiecto omni Dei timore, sibi concessisse: idque propterea quod non cogitarunt, Deum peccatorum eorum recordari, sibique reddendam aliquando esse omnium suorum peccatorum rationem: ac proinde duo docet. Vnum quidem, caussam cur homines Deum contemnant, & ad omne genus flagitia se proiiciant, hanc vnam esse præcipuam, quòd non credunt, vel, si credunt, non cogitant, Deum omnia nostra peccata spectare, & de eis tandem aliquando nisi resipiscamus, pœnas sumturum. Alterum, à contrario igitur, optimum ad arcendos homines à peccatis frenum, hoc vnum esse: Fidem scilicet & firmam frequentémque cogitationem, quòd Deus omnia cernit, &, nisi resipiscamus, peccata nostra sit acribè puniturus, totúmque mundum iudicaturus.

3. Ait, *Nunc circumdabunt eos facinora eorum*, id est, instar exercitus, obsidebunt, vt nullum pateat eis effugium è mea manu. Indicat igitur, Israelitas hallucinari, cum putāt, sua peccata sic euanuisse, vt Deus non amplius illorum recordetur, neque vllum de eis sumturus sit supplicium: breui enim se effecturum, vt sentiant Israelitæ, se implicitos esse suis peccatis, peccatorúmque pœnis circumdatos proinde docet, non esse, cur hypocritæ sibi blādiantur in suis peccatis: quoniam, etsi Deus ad tempus conniueat, videatúrque oblitus esse malitiæ eorum: tamen tandem efficiet, vt illi hypocritæ sentiant, neque se impunè peccasse, neque Deum iniquitatum illorum prorsus oblitum fuisse.

4. *In conspectu meo sunt*, inquit, scilicet peccata eorū singula. Indicat igitur, nihil eorū, quę hic fiunt, Deū latere posse: ac proinde

ac proinde docet, debere vnumquémque pudore turpe aliquid committere, quandoquidem in conspectu saltem Dei omnia peccata admittuntur: ambulandum igitur integrè & syncerè in conspectu Dei, vt Abrahæ iussit dicens: *Ambula coram me, & esto integer.*

III. *In malitia sua exhilarant regem, & in mendaciis suis principes.*

1. Accusantur etiã Israelitæ, quòd suum Regem & Principes studeant exhilarare, non virtutibus, sed malitiis suis, non veritate, sed mendaciis suis. Duo igitur indicat. Vnum quidem, ipsum Regem & Principes non delectatos fuisse virtutibus & honestis factis, sed tantùm vitiis & turpibus scurrilitatibus, neque amantes fuisse veritatis, sed adulatoribus tantùm & mendacibus aures præbuisse: ideóque fuisse improbos homines. Alterum, Ipsum etiam populum, præsertim aulicos, sese ad mores & aures suorum Principum accommodasse, ideóque fuisse tantum turpes scurras & improbos adulatores: ac proinde docet, qualia sint tùm Principum, tum aulicorum hominum: talia nimirùm, vt nec virtute nec veritate, sed tantùm vitiis & adulationibus, scurrilitatibúsque delectentur.

2 Non solùm in rebus domesticis & politicis, sed etiam in religione exhilararunt regem Israelitæ suis malitiis & mendaciis: nimirùm cùm regis mandato de amplexanda falsa religione, confestim sine vlla contradictione sese obsequentes. Exhilaratio igitur regis in eo fuit, quòd vidit, populum sibi sine vllà contradictione, in re tam malà obsequentem. Scelerati igitur fuerunt. Malitia Israelitarum in eo fuit, quòd non ex ignorantia rei, neque ex timore regis, sed ex certa malitia, quæ diu in eorum cordibus latuerat, & qua superstitiones amabant, propositam à rege corruptã religionem confestim amplexi sunt. Inexcusabiles igitur fuerunt. Mendacium verò in eo fuit, quòd, cùm agnoscerent propositam religionem esse malam, vtpote contra verbum Domini: eam tamen contra cõscientiam, tum verbis, tum factis, tanquam bonam, approbarunt. Peccarunt igitur in Spiritum sanctum. Ac proinde docet, sicut nihil gratius tyrannis potest contingere, quàm cum vidẽt, populos in omnibus, quę mandant, ac pręsertim in falsâ religione amplectenda & retinenda, sibi sine vlla contradictione obsequentes esse: ita Deo nihil ingratius posse fieri, quam cum eo contempto, morem gerimus principibus in rebus malis, & tali obedientia illos exhilaramus, quia tunc Deus tristitia à nobis afficitur. Ergò docet, principibus in Domino tantum, non contra Dominum, parendum esse.

IV. *Omnes adulterati sunt.*

1. Cum ait: *Omnes adulterantes sunt*, disertis verbis accusat Israelitas scortationis. Est autem duplex scortatio: Carnalis nimirum, & spiritualis. Non explicat autem Propheta, de vtra loquatur, sed simpliciter ait: *Omnes adulterantes sunt.* Fieri igitur potest, vt tàm de vna, quàm de altera accusarit Israelitas.

2. Cum ait: *Sicut clibanus accensus*, similitudine clibani, noctu à pistore post excitatas mulieres ad pastam subigẽdam, accensi, & vehementer, tàm diúque ardentis, donec tota pasta fermentetur, & fermentata atque in panes formata, ad furnum adferatur, scortationem Israelis, siue de carnali, siue de spirituali loquatur, elegantissimè ac vehementer exaggerat.

3 Si de carnali scortatione intelligatur iste locus, sex sunt in illa similitudine, quæ ad Israelis scortationem tum explicandam, tum exaggerandam faciunt. 1. Est clibanus accensus & vehementer ardens. Indicat igitur Israelitas ac præsertim aulicos (iniquitates enim præcipuè Ephraim & Samariæ, quæ, dum mederetur Israeli, sensim prodierunt in lucẽ, explicat Propheta) immenso fœdæ libidinis ardore accensos fuisse. 2. Est forma clibani: non enim eos comparat aris, & focis accensis, sed clibanis. In clibanis autẽ magis collectus, ideóque vehementior est calor, quàm in focis & aris. Deinde forma clibani similior est formæ cordis humani, quam focus & ara. Indicat igitur Israelitas non modico, sed immenso calore libidinis æstuasse, & ignem hũc vehementẽ libidinis, in ipsis pręcipuè Israelitarũ cordibus inclusum fuisse 3. Est pistor, à quo accẽsus fuit ignis in clibano. Pistoris autem nomine venire potest Satan. Indicat igitur, à Satana inflammata fuisse illorum corda ad scortationes. 4. Est tempus quo ignis fuit à pistore accẽsus in furno: nempe post excitatas mulieres ad pastam subigendam: dum enim mulieres pastam subigebant, pistor ignem in furno accendebat. Nomine conspersionis, seu pastæ, quæ in furno est coquenda & circa quã occupandus est calor furni, venire potest materia, quæ coquenda est ab æstu libidinis in corde ardentis & circa quam libidinis æstus occupatur: nempe ipsa caro, vel nostra, vel proximi, seu, ipsa actualis in carne scortatio. Nomine autem mulierum, quæ pastã subigunt, venire possunt omnes, qui carnem ad libidinẽ incitant, materiámque libidinis excitant suis verbis vel factis. Indicat igitur, tum Satanam incępisse libidinis ignem in cordibus Israelitarum accendere, postquam excitauit illos vel illas, quę materiam libidinis vel verbis vel factis pręparent, commoueant, & quasi subigant. 5. Est tẽpus, quo ignis in furno fuit continuatus, donec scil. fuit tota pasta fermentata. Est autem illud tempus satis diuturnum, nẽpe 3. aut 4. horarum, vsque ad auroram. Indicat igitur, libidinẽ feruoris in Israelitis non fuisse subitaneum, sed diuturnũ, durasséque, & in omnibus impiis durare per totam noctem vsque ad auroram, id est, quandiu sunt in tenebris, luce fidei & spiritus destituti, &. donec tota pasta fermentetur, id est, donec omnem expleant libidinem, totáque caro nostra perfectissimè corrumpatur. 6. Est finis, cur ignis in furno accendatur à pistore: nempe, vt in eo coquatur pasta, postquam fuerit benè fermentata. Pastę autem nomine (vt dixi) venit materia: nempe, nostra vel proximi caro, circa quam versatur libido. Indicat igitur, ideò à Satana accẽsũ fuisse in Israelitis, & in omnibus impiis accendi libidinis æstum, vt actualibus etiam scortationibus, tum nostra, tum proximi caro igne libidinis aduratur, coquatur, panísque, id est, cibus diaboli fiat.

4. Si etiam de spirituali scortatione locum hunc interpretemur, sunt itidem sex capita in hac similitudine, quę hanc Israelitarum spiritualem scortationem, vnde qualis & quanta fuerit, explicant. 1. Clibanus accensus & vehemẽter ardens. Hoc est Israelitarum cor ardentissimum, superstitionum amore inflammatum. 2. Et pistor, à quo accẽsus fuit ignis. Hic est Satan à quo amor superstitionum in cordibus Israelitarum accensus fuit. 3 Est tempus, quo accendit hunc ignem Satan: nẽpe noctu post excitatas mulieres ad pastã subigendam. Nox hęc, tempus fuit, quo Israelitæ deseruerunt verbi Dei lucem, & sequi cęperunt tenebras humanę excogitationis, & prudentię carnis. Cum primum igitur cæperunt Israelitæ deserere lucem verbi Dei, tunc Satan incipit in illorum cordibus amorem, ceu ignem superstitionum, accendere. 4. Est conspersio seu pasta, ad quã fermentandam & subigendam mulieres excitatæ fuerunt à pistore. Conspersio hęc, fuit populus ipse. Fermentum, interprete Christo, ipsa impia doctrina Pseudoprophetarum & sacerdotum. Mulieres, fuerũt molles & delicati, impiíq. sacerdotes ac Pseudoprophetę. Ad hunc igitur populum tali fermento corrumpendum & subigendum, id est, seducẽdum, excitati fuerunt Pseudoprophetæ & falsi doctores. Tunc primùm igitur pistor Satan cæpit ignem, id est, amorem superstitionum, in furno id est, in cordibus Israel, accendere, cùm Pseudoprophetæ & impij sacerdotes cæperũt sua impia doctrina populum tanquam pastam fermentare, corrumpere, seducere, idque noctu, cùm scilicet iam destituti essent lumine verbi Dei & Spiritus sancti: dùm enim istæ mulieres subigunt & seducunt populum, Satan accendit ignem, id est, amorem superstitionum in cordibus Israelitarum 5. Est tempus quo ignis iste in clibano pérdurauit, atque à pistore auctus & conseruatus fuit: nempe tempus, quod fuit ab initio fermentationis & subactionis pastæ, vsque ad tempus, quo tota pasta fuit benè fermentata. Hoc diuturnum tempus docet, amorem igitur Israelitarũ erga superstitiones non subitaneum, sed diuturnum fuisse, perpetuóque durasse, donec tota pasta, id est, totus Israel fuit impia sacerdotum doctrina fermentatus, ac tandem æstu, amoréque superstitionum immenso excoctus, & cibus diaboli factus. 6. Hinc patet, quis finis accẽsi ignis fuerit, vt scilicet tota pasta in panes conformata, & benè fermentata illo igne coqueretur, & cibus tum sacerdotum (hi enim externa populi bona comedere satagebant) tum pistoris, id est, Satanæ (hic enim & animas & corpora populi deuorare curabat) fieret.

Credo, vos habere explicationem huius versus absolutissimam. Propheta quidẽ duo præcipua hac similitudine explicare voluit. 1. Israel immenso superstitionum desiderio & amore flagrasse, vti furnum accensum. 2. Illúmque amorem non subitaneum, sed diuturnum fuisse. Verum in gratiam quorundam volui singulas particulas explicare.

V. *Die regis nostri.*

1. Nomine *Diei regis*, venit annua dies, qua memoria coronationis regis à toto populo in Israel celebratur nomine

Vtre vini, venit immodica crapula, & ebrietas. Cùm ait: *Ægrotare fecerunt*, subintelligitur, eum scilicet regem nostrum. His igitur verbis indicat, eo die, quo memoria coronationis, regis celebratur (quo potissimum die, cùm vniuersus populus, tùm inprimis rex ipse cum tota sua aula debebat cùm gratias agere Deo, quòd regē, regnúmque conseruasset, tùm etiā eundem rogare, vt condonatis peccatis, vellet, regis, populi, totiúsq. regni curam habere) indicat, inquam, eo coronationis die, cum vniuersum populū, tùm inprimis ipsum regem, totámq aulā, nulli honesto officio operam dedisse, sed tantum crapulæ ebrietati & scurrilitati sine vllo pudore & sine vllo temperamento, indulsisse, ita vt, præ nimia potatione, ad quam principes regem suis propinationibus inuitabant, rex ipse in morbum inciderit, ac proinde totam aulam fuisse corruptissimam.

2. *Principes*, inquit, *ægrotare fecerunt eum*, suis scilicet propinationibus. Indicat igitur, quàm fugiēdi sint isti importuni, impudentésque propinatores, qui suis propinationibus ad exhaurienda pocula vi cogunt. Isti enim viros alioqui graues sua importunitate ad ebrietatem impellunt, & inde in morbos varios inducunt.

3. *Extendere manum ad aliquem vel alicui*, signum est societatis & amicitiæ. Nomine *Letzim* seu illusorum, veniūt non simplices scurræ, sed tales scurræ, qui res etiam diuinas irrideant, & ad risum excitādum dictis aliquot è verbo Dei desumptis abutantur. Cum igitur ait: *Regem extendisse manū ad tales illusores*: nempe in signum applausus & societatis, duo indicat. 1. Ipsum regem cum esset in mensa cum aliis principibus non solum ebrietati indulsisse, sed etiam factū ebrium, suíque & suæ dignitatis oblitum, scurris similem factum fuisse, illísque se petulanter miscuisse, ita, vt in signum societatis, manum etiam illis dederit. 2. Totam etiam aulam vnà cum suo rege, iisdem vitiis & impiis, turpibúsque scurrilitatibus delectatam & deditam penitùs fuisse omnémque honesti respectum a se omnes abiecisse, Deique contemptores factos fuisse. Ac proinde, præter alios, duos docet ebrietatis effectus. 1. Quòd in varios morbos inducit, vires eneruat, & denique mortem maturat. 2. Quòd reddit hominem ridiculum & contemtibilem, & facit, vt sui, suæque dignitatis oblitus nullam retineat grauitatem, sed omni pudore & honesti respectu abiecto, cum hominibus nihili sese petulanter misceat, similémque faciat non tantum scurris, sed etiam brutis: denique facit, vt homo fiat Dei, rerúmque diuinarum non contemtor solum, sed etiam irrisor, aliórumque irrisorum sodalis.

I. Bifariam legi potest hic versus. Prima lectio, quam secuti sumus in huius loci interpretatione, hæc fuit, quam etiam S P. habet:

Certè applicarunt, *tanquam fornacem* feruentem, *cor suum, in insidiari ipsos*, id est, dum ipsi Israelitæ insidiantur proximo: *tota nocte dormit* cor eorum, *coquens illa*, scilicet insidiosa consilia, *manè ipse*, id est, cor ipsum, *ardens* est, *sicut ignis flamma*, id est, flammas emittens. Altera sic:

Quoniam aptárunt ad nocendum proximo, *tanquam furnum* feruentem *cor suum*, *dùm insidiantur ipsi*, scilicet contra proximum: *Ideò tota nocte dormiet* quidem *pistor eorum, manè tamen ipse* furnus *ardens* erit, *sicut ignis flammæ*.

1. Siue primam, siue alterā lectionem sequamur, accusantur Israelitæ insidiarum, quòd scil. insidiosa & fraudulenta, occultáque consilia, quibus proximo noceant, excogitent, & istis cogitationibus cor suum ad nocendum inflamment & quòd, licèt non statim illa, suámque malitiam in medium proferant, sed per totam noctem dormiant: illorū tamen corda, tanquā furni accensi & lignis pleni, nihil de suo calore, id est, de feruore suæ malitiæ, fraudulentorúmq. consiliorum, quibus æstuant, remittant: imò eū magis ac magis foueāt, donec manè, id est, primo quoq. commodo tempore flammam in proximum emittant, suáque fraudulenta consilia perficiant.

2. Si illud *Ki* capiamus in sua propria significatione pro Quoniam iuxta alteram huius loci lectionem: rationē præmittit Propheta cur feruor malitiæ Israelitarum ad peccandum, ac præsertim ad proximum lædendum, in ipsorū cordibus, tanquā in furnis, accensus, nihil remittat, sed potius indies augeatur, ita vt apertas etiam malitiæ flammas contra proximum tandem foris euomat: & hāc, in summa, esse dicit, quoniam ipsi aptárunt cor suum, tanquam furnum, id est, quoniam non solum ignem malitiæ in suis cordibus, ceu in furnis, accenderunt, sed etiam paulatim, longóque temporis successu maximam diuersorum scelerum & insidiarum massam, tanquam pyram lignorum in furno clàm conceperunt & incluserunt: ita, vt fieri non possit, quin illorum cor, tanquam furnus, tot conceptis sceleribus & cogitationibus fraudulentis, tanquam lignis refertum, indies magis ac magis malitiæ feruore æstuet, & tandem flammas etiam foras ad peccandum & nocendum, emittat.

Cum igitur ait: *Quoniam aptárunt sicut furnum, cor suum, dùm insidiantur ipsi*, indicat, Israelitas insidiosis & sceleratis cogitationibus, tanquam lignis, ignē malitiæ in suis cordibus, tanquam in furnis, accēdisse, & paulatim, longóque temporis successu, illis lignis in furnum inferēdis, illum ipsum malitiæ ignem fouisse, continuasse, auxisse, atque ob hanc causam factum fuisse, vt ille malitiæ calor nunquam remiserit: ac proinde docet, ideò feruorem malitiæ in impiis non remittere, imò indies magis ac magis augescere, quia ipsi impii tanquam pistores, vel veri pistoris Satanæ ministri, corda sua tanquam furnos continuis impiis insidiosisque cogitationibus, tanquam lignis ad peccandum, nocendúmque inflammant.

3. Cum verò ait: *Totâ nocte dormit* scilicet cor, *coquens illa* scilicet insidiosa consilia, iuxta priorem lectionem, manè autem ardet tanquam ignis flammæ, indicat, etiamsi totam noctem dormierint Israelitæ, & domi suæ quieuerint: interim tamen illorum furnum insidiosis consiliis & malitiis ad nocendum accensum, non deferbuisse, sed potius consilia illa iam in se concepta diligenter concoxisse: manè verò flammas odij & inimicitiarum in proximum emisisse suáque insidiosa consilia perfecisse.

4. Si verò posteriorem lectionem sequamur, per quandam tacitam occupationem docet: Etsi Israelitæ hypocritæ videntur dormire, nihilque mali contra proximum machinari: interim tamen cor eorum accensum est ad malum & ad nocendum, id quod suo maturo tempore perficiūt. Docet autem hoc exemplo Pistoris, qui ignē supponit in suo clibano, congerítque & componit in eo tātam ligni copiā, quanta sit satis ad benè furnum calefaciendum postquā ita instruxit suum furnum, vt ignis neque extingui, neq sopiri possit, quiescit atque dormit aliquātulum: interim clibanus ardet, & ligna comburuntur, etsi igitur pistor dormiat atque quiescat totam noctem post accensum furnum vsq. ad mane interim tamen ignis in furno non deficit, sed cōtinēter calefacit furnum, ita, vt cum posteà manè euigilat pistor, inueniat furnum vehementer calefactum, & inflammatum, instar ignis qui flāmas emittit: quies igitur pistoris nocturna, nihil impedit, quò minus ignis furnū calefaciat. Quare? quia tantam in eo ligni copiam cōstruxerat pistor, vt posset ardere vsq. ad manè. Indicat igitur, etiā Israelitas ita fecisse, nimirum ipsos, ceu pistores, vel saltem pistoris Satanæ ministros, ignem malitiæ accendisse in suis cordibus, & tot tantáque concepisse scelera insidiosáque cōsilia, vt, licèt quiescere, nihilque mali agere, quo ad extrinsecas actiones, viderentur: interim tamen corda illorum plena essent prauis & occultis cogitationibus, desideriis, malitiis, fraudibus, consiliis insidiosis atque sceleribus, ita, vt continenter furnus illorum malitiæ igne arderet, atque ita arderet, vt, postquam diu dissimulassent, ignémque malitiæ in suis furnis diu occultatum retinuissent, tandē etiam illum patefecerint, apertis odij & offensarum flammis foras in proximum immissis. Ac proinde docet, etiamsi hypocritæ ad tempus suas fraudes & scelera tegant, ita, vt coram hominibus dormire & quiescere, id est, nihil mali agere videantur: illorum tamen furnos malitia, tanquam igne, semper æstuare, quia plena sunt illorum corda, licet occultis, prauis cogitationibus, desideriis, fraudibus, atque ita plena, vt tandem etiam manè, id est, suo tempore cogatur ille ignis malitiæ suas flammas foras emittere, & ad manifesta scelera prosilire.

VII. *Omnes calent tanquam clibanus, comedunt iudices suos, omnes reges eorum cadunt, nemo in illis clamat ad me.*

1. In eadem persistens metaphorâ, comparat etiamnum Propheta Israelitas clibanis ardentibus. Non ait autem: *illorum corda calent, vt clibani*, sed *omnes calent, vt clibanus*. Indicat igitur, ipsos Israelitas totos quantiquanti erant, & intus & foris, igne malitiæ, variisque concupiscentiæ aliorúmque affectuum omnium incendiis æstuasse, ita vt illorum calor non amplius in corde solo inclusus maneret, sed foras ad omnes corporis partes prosilierit, vsque adeò, vt toti viderentur vnus esse clibanus accensus: ac proinde docet, illos ex hypocritis factos esse apertè & manifestè sceleratos.

2. Cum

2. Cùm ait: *Comederunt, vel comedunt Iudices suos.* Nomine Iudicum, veniunt reges & gubernatores regni, vt mox explicat. Persistit autẽ in furni metaphorá, quòd, sicut clibanus cum in eum inferunt panes, & ipse eos, quasi ore capit & coquit, videtur panes ipsos deuorare: ita etiam Israelitæ, qui erant, vt clibanus ardens, cum suos reges, & regni gubernatores per coniurationes & insidias occiderunt, visi sunt, instar furni, quasi ore illos deuorasse. Alludit autem ad historiam 4. Reg. 1. Accusat igitur Israelitas conspirationis & aperiæ violentiæ ac homicidij in suos reges, atque isto versu explicat præcedentem, quòd tametsi ad tempus visi sunt dormire & calor in furno absconditus fuit: tandem tamen ignis ille erupit in flammas, ipsique Israelitæ ad manifesta scelera prosilierunt.

3. *Omnes reges eorum ceciderunt, vel cadunt,* scilicet gladio occisi. Explicat igitur quid sit, quod anteà figuratè dixit. *Comederunt iudices suos.*

4. *Nemo in illis clamat ad me.* Indicat igitur Israelitas, etiamsi tantam viderent populi seditionem, tot tantásque contra reges conspirationes & cædes: vsque adeò tamẽ fuisse stupidos & oblitos ipsius Dei, vt inter illos nemo esset, qui inuocaret Dominum, ad opémque tanto regno implorandam confugerit: ac proinde accusat illos non solum seditionis & conspirationis contra suos reges, sed etiam stupiditatis obliuionique sui Dei.

5. Non simpliciter ait: *Nemo clamat,* sed, *Nemo clamat ad me.* Indicat igitur, illos inuocasse quidem idola & alienos Deos, sed non verum Deum. Simul igitur illos accusat idololatriæ, quòd non verum Deum sed alienos Deos & idola inuocarint: ac proinde docet, solum verum Deum, non autem vel diuos, vel statuas esse inuocandas.

6. Non ait, *Nemo vlulat vel vociferatur ad me,* sed simpliciter, *Nemo clamat,* scilicet verè & ex corde ad me. Illi autem dicuntur verè clamare ad Dominum, qui ex corde aperto sua vota & preces ad Deum in cœlũ vsque dirigũt, ita vt ad aures Dei perueniant: non possũt autem eò peruenire, si cor pertinaciá & impœnitentiá sit obstinatũ. Indicat igitur, etiamsi Israelitæ suum verum Deum voce inuocabãt quia tamen cor illorum pertinaciá erat obseratũ, iccircò illorum clamores non potuisse vsque ad Deum in cœlum peruenire: ac proinde docet, nisi resipiscentiâ & fide cor aperiatur, indéque omnis malitia eiiciatur, preces & clamores nostros ad Deum peruenire non posse.

VIII. *Ephraim inter populos ipse miscuit sese.*

Cum ait: *Ephraim inter populos ipse miscuit sese,* duo facit Propheta. 1. Disertè Israeliticum populum reprehendit, quòd ipse populus scilicet Dei sese sæpe sponte miscuerit cum gentibus profanis & idololatris non explicat autem, qua in re sese cum gẽtibus miscuerit, sed absolutè ait: *Miscuit sese cum gentibus.* Indicat igitur, Israelitas modis omnibus a Deo damnatis sese cum gentibus miscuisse: nimirum arctissimas cum illis consuetudines & amicitias colendo, fœdera ineundo, connubia ineundo, & denique in moribus impuris & profanis superstitionibus cũ illis communicando. Ac proinde docet, grauissimum esse peccatum, cùm populus Dei à mundo selectos, ad veram pietatẽ sanctámque vitam in verbo Dei expressam vocatus, sese cũ gentibus profanis & idololatris aliquo illorum modorum, & præsertim communicatione impiæ religionis commiscet.

2. Deinde iis etiam verbis obliquè iustam talis impiæ communicationis pœnam denũciat, fore scilicet breui, vt Israelitæ inter gentes à suâ patriá expulsi, in exsilio commisceantur: ac proinde docet, eos qui à Deo eiúsque verbo ad gentium superstitiones & mores deficiunt, cum ipsis etiam gentibus permixtos.

3. Similes facit Israelitas placentæ succineritiæ: quæ, quia à nemine versa fuit ab vna parte tota exusta est, ab altera verò omninò incocta & cruda est pasta, ideóque tota prorsus inutilis, & palato ingratissima. Duo igitur indicat. 1. Ipsam Ecclesiam Israeliticam, quæ partim ex gentium superstitionibus, partim ex præceptis a verbo Domini cõposita erat, mixturam fuisse quandam prorsus inutilem & Deo displicentẽ: quia instar placentæ a parte inferiori, nimirum in superstitionibus nimium habebat caloris & exusta erat, à parte verò superiori, nimirũ in eo quod reliquũ illis erat ex verbo Dei, nihil habebat caloris, & omninò crudissima erat. Ac proinde docet, omnes hypocritas, omnesque hypocriticas religiones quia mixturæ quædã sunt partim ex verbo Domini, partim ex superstitionibus gentium confectæ, & tanquam pasta quædam nec cocta, nec cruda: iccircò Deo ingratissimas & abominabiles esse.

4. Quod iis verbis indicat, est Israelitas sæpenumerò duriter quidem castigatos fuisse, & etiam castigatum iri, sed absque profectu: quia instar placentæ à parte quidem inferiori, id est, in carne ab igne iræ Dei exusti fuerunt, (ita enim in carne sub iugis mali:) à parte verò superiori, id est, in anima & corde fuerunt crudi, incocti, impœnitentes: idque propterea quòd destituebantur spiritu Dei, qui eos verteret, & benè coqueret. Ac proinde docet, omnes hypocritas reprobos sentire quidem in carne ignem iræ Dei & ab eo exuri, sed in corde & spiritu, tamen manere semper crudos & impœnitentes: quia spiritum Dei cor conuertentem, & suâ quidem culpâ, non habent.

IX. *Comederunt extranei robur eius, & ipse non intelligit, etiam canicies sparsa est in eo, & ipse non intelligit.*

1. *Extranei comederunt sæpenumerò robur Israelis.* Indicat ergo, Israelem sæpe fuisse non solùm verbis a Domino per Prophetas obiurgatum, sed etiam variis cruitisque ferulis per diuersos hostes cæsum & viribus suis eneruatum: subintelligendum verò est, in hunc finem vt cæsus ad Dominum rediret.

2. *Et ipse non intellexit,* non ait: *Et ipse non sensit,* sed, *Non intelligit.* Indicat igitur Israelitas cùm cæderẽtur, ictus quidem Dei sensisse, sed tamen non intellexisse, nempe à quo, qua de caussâ & in quem finem cæderentur: nimirum, à Deo, propter sua ipsorum peccata, & vt redirent in viam, ac saluarentur. Ac proinde quia hoc non intellexerunt, iccircò inuitum eos peccatorum non pœnituisse & ad Deum non redisse: stupiditatis igitur simul & impœnitentiæ hic accusantur Israelitæ.

3. Illud, *Canicies in eo sparsa est & non intelligit* exaggeratio quidem est stupiditatis populi, sed ea vel a magnitudine calamitatum, quibus afflictus fuit, vel a diuturnitate temporis, quo afflictus fuit, petita & facta est. A magnitudine quidem calamitatum, hoc sensu. Durissimè fuit populus à Deo castigatus ita vt ex magnitudine calamitatum, grauissimorũmque malorum sensu, canicies mox in eo sit sparsa, id est, mox factus sit totus canus: Canicies enim non solùm à longa ætate, sed etiam a magnitudine curarum, quæ hominem conficiunt, prouenit. Et tamen non intellexit, vsque adeò stupidus est factus. A diuturnitate verò tẽporis sic. Diutissime à Deo castigatus fuit Israel, dùm scilicet canicies in eo sparsa fuit, & tamen nunquam intellexit: neque adhuc intelligit, à quo, qua de caussa, in quem finem castigatus fuerit vsque adeò stupidus & mente captus est. Indicat igitur, Israelitas nec magnitudine malorum, quibus afflicti sunt, nec processu longæ ætatis & diuturni temporis quo afflicti sunt, ad considerandum fontem sui mali, ideóque ad resipiscendum expergefieri, excitarive vnquam potuisse, vsque adeò stupidi, præfractique fuerũt. Ac proinde docet, solidam peccati cognitionem & veram resipiscentiam, Dei donum esse, quando reprobi, etsi grauitatem calamitatum, idque diuturno etiam tempore sentiunt: nunquam tamen nisi cœlitus spiritu Dei donentur, solidè intelligunt, se a Deo propter sua peccata sed in salutem castigari, ideóque non resipiscunt, vsque adeò stupidi & perditi sunt.

X. *Et testificabitur superbia Israelis in faciem eius.*

1. Superbiam, seu quoduis alicuius peccatum in eius faciem testificari, est superbiam, seu quoduis alicuius peccatum iam detectum, atque in lucem prolatum & debitâ vltione punitum, hominem illum palàm, tanquam in publico iudicio, vti reum, declarare apertè conuincere, & ceu suo testimonio, damnare. Superbia autem Israelis, fuit quędam animi elatio atque ferocia, qua quia populus Dei appellabatur, sese aduersùs Deum attollebat, Prophetas contemnebat, omnes admonitiones proteruè respuebat, & sua etiã peccata excusabat. Indicat igitur Propheta, populum Israeliticum etsi præ superbia ferociter sese aduersus Deum efferebat, omnes Prophetarum admonitiones contemnebat, suáque peccata excusabat: tandem tamen hac sua superbia nihil effecturum fuisse: quia sicut anteà sæpenumerò, sic etiam breui cum hac sua superbia deiiciendus sit, vt hæc sua infracta superbia futura ei esset instar testis, qui eum palã conuinceret, quòd esset reus, & verè supplicio dignus. Ac proinde docet, peccata nostra cum deteguntur & puniuntur, esse, ceu publicos testes, qui aduersus nos testificentur, quòd verè simus rei & supplicio digni & quia peccata nostra semper sunt Deo detecta, ideò illa semper coram Deo aduersùs nos nimirùm, quòd simus rei & digni supplicio, testificantur. Huc illud Dauidis Psal. 51. *Peccatum contra me meum semper est.*

2. Cùm ait, *Et non sunt reuersi ad* Iehouah *Deum suum, & non quæsiuerunt eum in omnibus iis,* indicat. Israelitas, etsi illorum vires sæpenumerò debilitatæ fuerunt ab exteris

hostibus etsi illorum superbia, sæpenumerò fuit deiecta, idque in hunc finem, vt agnitâ suæ calamitatis caussâ & fonte, ad Deum redirent: nunquam tamen ad suum Deum rediisse nec eum, cùm iis calamitatibus afficeretur, quæsiuisse, sed præfractos & impœnitentes semper mansisse: ac proinde docet, tale esse omnium reprobatorum ingenium: nimirùm, vt nullis vel verbis, siue sint promissiones, siue obiurgationes, vel factis, siue sint beneficia, siue flagella, flecti possint ad pœnitentiam, seu, vt ad Deum redeant.

XI. *Et fuit Ephraim ceu stultula*, credula, *columba sine corde, clamant Ægyptum, proficiscuntur in Assyriam.*

1. *Potah* nimis credulum, & qui facilè illecebris decipitur & ad cuiusuis verbū deflectit, significat. *En Lebb*, id est, sine corde, est esse sine prudentiâ & intelligentiâ, seu stultum. Improbatur stultæ columbæ simplicitas in hoc, quòd, cùm in columbario habeat & quod edat & quod bibat ibiq. ab omni periculo tuta & secura esse possit: cōspectâ tamen alibi esca, confestim, nimis credula, deserto columbario, cœco impetu ad illam escam fertur, & interim stultula non videt nec considerat sibi paratas esse insidias, & rete, in quod incidat & irretiatur, ibi expansum. His autem nimis credulis, stultis, & sine corde columbis comparantur Israelitæ. Indicat ergo hāc fuisse Israelitarum stultitiam, quòd, cùm haberent Deum, eiúsque verbum, ceu columbarium, in quo nihil eis deerat, & in quo ab omni errandi periculo, & à malis omnibus tuti securique esse poterant: conspectis tamen aliarum gentium superstitionibus, moribus & potentiis, nimis creduli blāditiis Satanæ & mundi, confestim deserto Dei verbo, ad aliarum gentium superstitiones & mores imitandos se contulerunt, &, neglectâ Dei protectione, peculiariter Ægyptios inuocârunt, & ad Assyrios concurrerunt auxilij petendi caussâ & interim cœci non viderunt, & stulti non considerârunt rete iræ Dei supra se expansum, seu, non præuiderunt, in quot & quanta mala erāt casuri, cum primùm à Deo & eius verbo recedebant. Ac proinde docet, hanc esse nimis stultam & damnabilem hominum simplicitatem, cùm scilicet nimis creduli deserto verbo Dei, in quo solo, ceu in optimo & tuto columbario continere nos debemus, sinimus nos ferri ab omni vento doctrinæ, & neglectâ Dei protectione, ad humana auxilia confugimus, sanctósque, vt nobis adsint inuocamus, & interim non videmus rete diuinæ iræ expansum esse, & in illud, inque varios errores nos, cùm primùm à nostro columbario, id est, à verbo Dei vel tantillum deflectimus, confestim ruituros.

2. Cùm damnat Israelitas, quòd fuerint, ceu columbæ nimis credulæ, & sine corde, non eos simpliciter damnat, quòd essent simplices, sed quòd simplices erant sine prudentia spiritus & verbi Dei, seu sine illa intelligētia, quàm Dominus illis dederat in lege. Docet igitur, sicut non omnis prudētia probatur, vti est prudentia carnis, quæ inimicitia est aduersùs Deū, sed tantum prudentia spiritus: sic non omnem simplicitatem laudari, sed illam tantùm, quæ cum prudentia spiritus & verbi Dei coniuncta est, eámque demùm veram esse simplicitatem, cum quis simpliciter continet se in solo Dei verbo, eíque simplicissime obtemperat, non curans sapere plus, quàm oporteat sapere. Proinde Dominus Iesus non tantùm dixit, *Estote simplices sicut columbæ*, sed addidit, *Et prudentes sicut serpentes.*

3. Cùm ait: *Inuocârunt Ægyptios, iuerunt ad Assyrium*, aliqua ex parte explicat, quæ fuerit stultitia Israelis: nimirùm, quòd, cum Dominus ipse vellet illos regere suo verbo, & solus esse illorum rector & protector, ipsi nimis creduli hominum blanditiis, maluerunt se cum Ægypriis & Assyriis fallendos prostituere, quam Deo eiúsque verbo sese regendos committere. Hoc fuit, à columbario columbas stultas huc & illuc volitare. Ac proinde docet, hanc incōsideratam credulitatem, vti pestem, esse fugiēdam. Hinc Salomon ait: *Qui citò credit, leuis est corde.* Et 1. Ioan. 4. mandat Dominus, dicens, *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, an ex Deo sint.* Ea enim credulitas facit, vt non contenti verbo Dei, semper vagi feramur in nouos & varios errores, atque ita tandem pereamus. Simplicitas, quæ est sine prudentia spiritus & Scripturarum intelligentia, in Israelitis damnatur à Propheta, atque ita damnatur, vt eam ostendat caussam fuisse malorum omnium in Israel. Ergo nemo simplicitatis prætextu excusari potest à suis idololatriis, erroribus, & aliis peccatis.

XII. *Secundùm quod ipsi abibunt sic extendam super illos rete meum sicut auem cœli deiiciam eos.*

1. Deus in similitudine columbarum persistens, postquam Israelitas similes fecit stultulis columbis, quæ à colūbario huc atque illuc inconsideratè volitant, nunc similē se facit prudentissimo aucupi, qui suo amplissimo reti ita omnia post colūbarium loca vndiquaque circumdat, tegit & occupat, vt columbæ a columbario ad nullum locum auolare queant, quin in rete illud incidant, irretiantur & capiantur. Nomine autem *Retis Dei* quo omnia loca occupantur, & in quod columbæ a colūbario digressæ incidant oportet, venit ipsa Dei ira, potentiaque, seu, manus Dei vbique terrarum extensa, & qua nemo, nisi qui in columbario verbi Dei se continet, tutus esse potest, sed quicūque à columbario auolat, tandem in illam manum Dei viuentis incidat, necesse est. Est autem horrendum incidere in manus Dei viuentis.

Nomine verò, *stulti & superbi volatus columbarum ad varia extra columbarium loca*, veniunt omnia tum cōsilia tum studia, quæ cum Israelitæ, tum reliqui impij extra verbum Dei meditantur & agitant, & quibus superbè putant se cœlum conscensuros, mirabilia facturos, & opimas escas, variaque bona consecuturos. Indicat igitur Deū hac locutione, Israelitas mirabilia quidem molitos fuisse dum a verbo Dei digressi auolarunt huc & illuc, modò ad regem Ægypti, modò ad regem Assur, sed se contrà effecisse suâ manu & prouidentiâ, vt omnia illorum consilia infelices & miseros exitus habuerint, &, vt loco escarum, quas sperabāt, inciderint in rete suæ iræ, ibique irretiti fuerint, vt nullo se inde modo potuerint extricare. Ac proinde docet, hāc esse debitā & iustam stultæ simplicitatis, & temerarij hominum à verbo Dei ad humana cōsilia discessus mercedem: nēpe, vt quidquid consiliorū, studiorum & operum extra verbum Domini tētamus, totum illud infaustus semper exitus consequatur: nos verò, qui id tētamus, etsi videamus aliquādo volitare supra nubes tandem tamen è cœlis in barathrum vsque inferni deiiciamur. Huc illud Iesai. 30. *Væ filiis contumacibus, vt capiant consilium, & non ex me.* Non esse igitur vllo modo inconsideratè cuivis credendum & à verbo Dei ad humanas & erraticas excogitationes vagandum.

2. Cum ait, *Secundùm quod iuerint ipsi, extendam super eos rete meum, sicut auem cœli deiiciam eos*, est ac si dicat Secundum quod istæ stultulæ columbæ volitauerint, Ego quoque, vt prudens auceps, ibi extendam rete meum, quia siue ad dextram, siue ad sinistram, siue in altum sursum, siue in hanc, siue in illam partem volitarint, Ego semper opponam illis rete meum, vt effugere nequeant, quia si etiam nubes ipsas suo volatu penetrarint. Ego deiiciā eos inde, sicut reliquas cœli aues, quarum nulla supra nubes diu consistere potest. Docet igitur Deus, se suum rete ita vbique locorum extensum habere, vt nemo eorum, qui à verbo Dei, tanquā a columbario post humanas atque erraticas excogitationes vagantur, illud euitare aut effugere possit.

3. Non ait: *Efficiam, ne volitent huc & illuc*, sed tantum, *Secundùm quod ipsi ibunt, Ego quoque extendam rete meum.* Indicat igitur, se & Israelitas & reliquos impios non impedire, quin extra verbum Dei, quocunque lubet ad tempus volitent, sed tandem se non permissurum, vt impunitus maneat illorum volatus.

4. Nec ait: *Extendam vbique rete meum*, sed tantum, *Secundùm quod ipsi volauerint, Ego extendam rete meum.* Nec simpliciter ait: *Extendam rete meum*, quasi intelligat super omnia, sed ait: *Supra eos*, qui scilicet à columbario digressi volitant huc & illuc. Indicat ergo, se suam iram non effundere vbique, neque supra omnes, sed tantum ibi vbi fiunt isti volatus, id est, vbi disceditur à verbo Dei, & super eos qui hosce volatus extra columbarium faciunt, id est, qui extra verbum Dei vagantur & peccant. Econtrà tutos igitur esse illos ab ira Dei, qui se continent in columbario, vbi est esca & potus optimus Iesus Christus, vbi quies & pax, & securitas, & vita.

5. Neque simpliciter ait: *Extendam rete meum super eos*, sed adiecit, *& detrabam illos sicut aues cœli.* Indicat igitur, Israelitas & reliquos etiam impios ac superbos homines audere quidem volare alis suæ confidentiæ inanis, in cœlum vsque, quasi Deum è sua sede exturbaturos, sed contrà euenire, quàm sibi promittant: non enim Deum ab ipsis è suo throno exturbari posse, sed ipsos potius à Deo, postquam permissi sunt ad tempus, ad nubes vsque efferri, è nubibus cum maxima ipsorum confusione deiici: non enim aues rete super se expansum detrahere possunt, sed rete eos capiat, necesse est.

6. Israelitæ tunc quasi supra nubes contra Deum ascendisse dicuntur, quando contemto Dei verbo, totam spem & fiduciam in potentia Ægyptiorum & Assyriorum, à quibus certam salutem exspectabant, contra Deum collocârunt. Indicat igitur, tunc eos fuisse quasi è cœlis deiectos, quādo ab illâ suâ spe & fiduciâ cum maximâ sui cōfusione deiecti fuerunt

ac proinde docet omnes superbos tūc è cœlo deiici, quando illorum superbia deprimitur, fiduciaque, quam in mundi & hominum potentiā collocāt, ant confunditur.

7. Ait, *Afsirem, Ligabo eos*, vt R.D. Kimhi exponit. Ergò persistēs in metaphora, significat Israelitas, vbi in retia Dei inciderint, ibi a Deo ligatos, id est, inter retia detentum iri ita, vt ea frangere, idcóque euadere inde non possint: ac proinde docet, qui semel a columbario verbi Dei & Ecclesiæ Dei digressus in rete, id est, in iram & manum Dei viuentis inciderit, inde nunquam suis viribus, nisi Deus ipse sua gratia eum liberet, & in columbarium restituat, liberari posse: imò, quò magis alas & pedes, vt inde aufugiat, exagitauerit, eò tenacius innolutum, irretitum, & implicatum iri.

8. Illud, *Secundum auditionem cœtus eorum*, trifariam exponi potest.

1. In præterito, idque in actiuā significatione hoc modo. Secundum quod Ego audiui omnes Israelitas in suis cœtibus, vno & eodem consensu decreuisse, vt à columbario digressi ad regem Ægypti & Assyriæ auxilij petendi caussa, iran volent: sic etiam Ego omnes vno & eodem reti cōplicabo, id est eodem exitio pariter omnes inuoluam. Indicat igitur omnes, sicut simul cōtra Deum conspirauerant: sic etiam omnes eodem simul exitio opprimendos fuisse.

2. In futuro sic. Secundum quod audiero in eorum cœtibus, consilia & decreta contra me fieri: nempe, vt à columbario meo digressi in Ægyptum & Assyriam escæ, id est auxilij contra me captandi caussa transuolent: Sic Ego eos ligabo: nempe meis retibus, ne amplius liberè eis sit volatus. Erit igitur orationis ἀξέησις vt primò ad effecta respiciens, dixerit: Secundum quod ipsi iuerint: sic etiam Ego rete meum extendam. Deinde, augeat orationem, & ipsa etiam Israelitarum consilia spectans, dicat: Imò etiam secundùm quod audiuero in eorum cœtibus consilia contra me fieri: Sic Ego eos vlciscar. Docet igitur, se nolle, vt vel mala contra se Deum consilia impunita maneant.

3. In passiuā significatione, idque tàm in præterito, quàm in præsenti, hoc modo. Secundum quod ipsi in suis cœtibus, tùm à Mose, tùm à Prophetis semper audierunt & audiunt, nempe me perditurum eos, qui deficiunt à me: Sic eos puniam & ligabo ne è manibus meis elabi possint. Hęc est magis recepta. Duo igitur indicat iuxta hāc expositionem. 1. Se nihil aduersus Israelitas, & reliquos impios facturum, quod multis antè seculis eis non prædixerit, imò quòd non quotidiè in eorum synagogis & cœtibus per Prophetas eis prædicet. & prædicat: non posse igitur illos de Deo conqueri. 2. Ipsos Israelitas verè esse præfractos & perditos: quoniam cùm sæpè in synagogis audierint, imò quotidiè audiant, quæ & quanta Deus minetur suis rebellibus, suæque legis contemtoribus: tamen nunquam cessant peccare, & contra Deum, eiúsque verbum petulanter insurgere.

XIII. *Va illis, quia recesserunt à me. Vastitas illis quia perfide egerunt in me. Ego redemi eos, & locuti sunt contra me mendacia.*

1. Deus, tanquam medicus, postquam multas & grauissimas & incurabiles sui ægroti, nempe populi Israelitici morbos explicauit: nunc, quid ei euenturum sit, extremum scilicet & certum exitium, denunciat. & simul tùm hoc, tùm aliis sequentibus verbis, tanquam epilogo caussas tanti mali, non tantùm repetit, sed etiam clariùs quam antea explicat. Certum exitium denunciat, cùm ait: *Va illis*: item cum illud Væ explicans ait: *Vastitas illis*, præcipuam caussam tanti mali explicat, cùm primò ait: *Recesserunt à me*: deinde, cùm maioris explicationis gratia subdit: quia *Pasche-bu*: *Paschah* autem secundùm Ionath. Cha d est rebellare contra verbum Domini. Indicat igitur caussam huiusce certi & extremi exitij Israelitarum hanc fuisse: quia scilicet a Deo, id est, ab eius verbo, tanquam columbæ à columbario, ad Ægyptios & Assyrios, id est, ad homines voluntariè & pertinaciter defecerunt: ac proinde docet: quicunque a verbo Dei cognito ad humana figmenta spontè & pertinaciter deficiunt: nihil eis esse, nisi extremum certúmque exitum exspectandum: cùm in solo verbo, a quo recedunt, vita & salus contineatur.

2. Si illud *Ephdham veanokhi* in futuro, vt est, sed interrogatiuè legamus hoc modo: *Et Ego curabo eos*? Ostendit Deus, ægrorum hunc nullo modo a se curari posse, cùm sit omninò incurabilis. Caussam autem, cur sit insanabilis esse: quia sine fide erga medicum & semper fuit & est ægrotus. Egóne curabo eos quasi dicat, minimè fieri potest, caussam subdit, inquiens *Et* (pro quia) *locuti sunt contra me mendacia*. id est, quia perfidi & sine fide erga me semper sunt deprehensi.

3. Non simpliciter ait: *Quia peccauerunt in me*, nec, *Quia mendacia cogitarunt contra me*, sed: *Quia mendacia locuti sunt contra me*. Duo igitur indicat. 1. Israelitas non solùm multa peccata commisisse, & male de Deo sensisse sed etiam in suis cœtibus & consiliis eblocutos fuisse, & mendacia contra eius verbum dixisse Exempli caussa Quòd Deus vel non posset, vel nollet sicut promiserat, Israelitis opitulari quòdque se non amaret: ideò recurrendum esse ad regem Ægypti & Assyrij, auxilij capiendi caussa, non autem esse fidendum iis promissionibus, quæ nomine Dei à Prophetis annunciantur. Hoc fuit loqui contra Deum mendacia, mendacémque Deum facere. 2. Caussam, cur Israelitæ a Deo sanari non potuerunt, quanquam ipse optimè sanare eos poterat hanc fuisse: quia cum essent sine fide in medicum Deum, eiúsque verbo non fiderent: etsi promittebant sæpenumerò, ea pharmaca sumturos, quæ ipse Deus medicus illis per Prophetas præscribebat: nempe, veram cordis resipiscentiam & fiduciam in Messiæ sanguinem: tamen non solum tanquam ea pharmaca sumserunt, sed etiam de medico tanquam vel imperito, vel minimè amico, déque eius verbo, seu præceptis, tanquam inutilibus & minimè bonis, obloqui in suis consiliis soliti fuerunt. Si talis sit ægrotus erga suum medicum, sanari quomodo poterit? Israelitas igitur ob hanc caussam sanari non potuisse Ac proinde docet, caussam, cur aliquis peccator non iustificetur & non sanetur, non esse, quia habeat peccata, sed, quia cum non credat verbo Dei, sanguinem Christi verum & vnicum ad sanandos quosvis ægrotos pharmacum, etsi promittit se sumturum: non tamen sumit, imò alia potius ab hominibus excogitata, eáque pestilentissima pharmaca, quia magis carnis palato arrident, sumit: hæc comprobans, illa verò Dei tanquam mala contemnens & improbans, atque ita mendacia contra Deum loquens.

4. Si verò futurum pro præterito capiamus & affirmatiuè legamus hoc modo. *Ego curaui eos* scilicet sæpenumerò, *& ipsi*, mercedis scilicet nomine *locuti sunt contra me mendacia*, incredibilem illorum ingratitudinem, idque per antithesin inter sua erga populum beneficia, & populi blasphemias & peccatum in Deum, grauissimè obiurgat. Indicat igitur, ideò se illis certum extremúmque exitium nunciasse dicendo: *Va illis*: quia cùm sæpenumerò illos à variis hostibus & malis liberarit: ipsi tamen gratiarum, pro huiusce beneficiis, actionis loco, mendacia & blasphemias in Deum dixerint, idque bifariam. Vno modo, quoniam alij negabant se fuisse Dei beneficio liberatos, sed vel suā ipsorum virtute, vel fœderatorum & regum, vt Ægypti & Assyriæ auxilio, è manibus hostium ereptos se fuisse prædicabant. Quid autem Deo ingratius hoc mendacio esse potuit? Alij verò, etsi verbis sui liberationem Deo acceptam ferebant: tamen reipsa negabant: quia promiserunt quidem se fore Deo gratos, fidem & obedientiam illi præstituros: nihil tamen horum vnquam præstabant, sed mendaces semper & perfidi in Deum deprehēsi sunt. Quid hac perfidia turpius? His igitur modis duobus mendacia in Deum dixerunt: nempe, cùm partim disertis verbis, partim reipsa apertam Dei erga se beneuolētiam & beneficentiam impudenter negārunt. Ac proinde docet intolerabilē omninò esse hanc tùm Papistarum & aliorum idololatrarum tùm etiā multorum Christianorum & Euangelicorum erga Iesum Christū ingratitudinem, quod cum ipse vnicus seruator nos suo sanguine redemerit, & ipse vnus solus iustus & iustificās peccata remittat & iustificet omnes tamē ferè loco gratiarum actionis pro tanto beneficio nimis aperta blasphemias & impudentissima mendacia contra eum loquuntur quando alij disertis verbis negant per solum Christum fide apprehensum, remissionem peccatorū & salutem haberi, sed eam vel suis, vel sanctorū meritis & intercessionibus, vel Missis, vel aquis & aliis innumeris nugis vel omninò, vel magna ex parte attribuunt. Quid his verbis blasphemis magis horrēdum? Alij verò, etsi verbis veritatem fateantur: factis tamen negant: quia promiserunt quidem Christo fidem, resipiscentiam, obedientiámque perpetuam, nunquam tamē eam præstant, vitiis tantum, crapulis, ebrietatibus, & aliis sceleribus indulgētes. Quid hac perfidia Christo ingratius? *Ego*, inquit Christus, *redemi eos, & ipsi loquuntur contra me mendacia*. Illam igitur extremi exitij denunciationem, iure optimo in præsentem mundum quadrare: *Va illis, quia recesserunt à me Vastitas illis, quia rebellârunt contra me, Ego redemi eos, & mendacia contra me loquuntur.*

XIV. *Et non clamant ad me in cordibus suis, quoniam vlulant in strata ipsorum sua, ad triticum & ad*

mustum congregant se, & tamen rebellant contra me.

1. *Clamare* significat inuocare. Nomine autem *Inuocationis* venit synecdochicè tota resipiscentia seu conuersio ad Deum. Cùm igitur Deus accusat Israelitas quòd non clament ad se in cordibus suis, duabus de rebus accusat: de impœnitentia, & de hypocrisi. De impœnitentia quidem quoniam & verbis obiurgati & verberibus cæsi, nunquam tamen ad Deum confugiunt aut culpam deprecantur, id est, nunquam resipiscunt. De hypocrisi verò, quoniam, etsi aliquando ad Deum clament: hoc tamen nō faciant in suis cordibus, id est, ex puro cordis affectu, sed tantùm externis vlulatibus, neque, vt culpam deprecentur, sed tantùm propter mustum & triticum accipiendum, quibus acceptis, statim rebellant contra Deum. Cùm igitur ait: *Et non clamant ad me*, indicat, Israelitas apertè perditos nunquā resipuisse, sed tantùm hypocritas resipiscentiam aliquam simulasse: ac proinde docet, tale esse omnium hypocritarum ingenium, vt nunquam ex animo resipiscant, nunquam syncero corde Deum inuocent, nunquam de suis peccatis deprecādis illorùmque veniā impetrandā, sed tantùm de tritico & vino aliisque huius seculi bonis sint soliciti, semper verò contra Deum sint rebelles.

2. Non simpliciter ait, *Non clamant*; sed *Non clamant ad me*, neque hoc tantùm, sed *In cordibus suis*. Inuocare autem Deum in corde est (Christo interprete Ioan. 4.) inuocare Deum in spiritu, quatenus spiritus opponitur carni & externis carnalibúsque ceremoniis, & in veritate, quatenus veritas opponitur falsitati seu hypocrisi. Cum igitur ait Dominus: *Non clamant ad me in cordibus suis*, duo indicat. 1. Se non negare, quin Israelitæ inuocârint Deos alienos, sed negare, quòd inuocârint se verum Deum. 2. Etsi aliquando visi sunt verum Deum inuocasse: id tamen eos non fecisse in cordibus suis, id est, vel in spiritu vel in veritate, seu ex syncero cordis affectu, sed tantum in carne & ex hypocrisi: ac proinde docet veram inuocationem duabus præcipuis constare partibus. Vna quidem, vt ad solum verum Deum fiat non autem ad Diuos vel Diuas, imagines aut statuas. Altera, vt ea fiat in corde, id est, in spiritu & veritate.

3. Cùm ait, *Kiieialilu*, si illud *Ki* pro quamuis (vt facit R. Auen Etra) accipiamus, occupatio est qua tacitę exceptioni respondetur, hoc modo, *Non clamant ad me in cordibus suis quamuis vlulent in suis stratis*, seu, synecdochicè, *in suis cubiculis*. Docet igitur, etsi quis magnis clamoribus in suis precationibus vtatur: tamen, si non ex syncero cordis affectu oret, illius preces ad Deum vsque non penetrare. Si verò *Ki* pro quoniam, vt K. facit, accipiamus, particula Tantùm, est subintelligenda, & est ratio, qua duo probat. 1. Israelitas non clamare ad Dominum. Quare? quia tantùm vlulant bestiarum more: clamare enim hominum est: vlulare bestiarum. Vlulant tantùm, vt bestiæ. Ergo non clamant, vt homines. 2. Israelitas non clamare ad Dominum in suis cordibus. Quare: quia in suis tantum cubiculis vlulant. Ergò non in cordibus clamant: non enim ad Deum supra sua cubicula assurgunt. Docet igitur, hinc colligi posse, illos non clamare ad Deum in suis cordibus, qui in suis templis magno vlulatu delectantur, quia tantum vlulant, idque in suis tantum templis, & nunquam ad Deum supra sua cubicula & supra nubes ad cœlos assurgunt suis cordibus. Alii, vt Imm. Tremel. *Ki*, pro quando.

4. Illud: *ad triticum & mustum congregant se*, bifariam exponi potest. 1. Vt finem orationis Israelitarum explicet, in quem scilicet finem vlulent, & tunc iterum subintelligēdum est, Tantùm, in hunc sensum: Quòd vlulent, ideò faciunt, non, quia moreantur vel meam gratiam vel offensam, sed tantum, quia malis pressi, solliciti sunt de pane & vino, id quod patet: quia illis acceptis deficiunt à me. Congregant igitur se, cum me orant, in hunc tantum finem, vt triticum & mustum à me obtineant, quibus acceptis, à me mox deficiunt. Indicat igitur, finem non solùm Israelitarum, sed omnium hypocritarum in suis precibus non esse vel gloriam Dei, vel suam cum Deo reconciliationem, vel Ecclesiæ salutem, sed tantum sua ipsorum, eáque carnalia commoda: ac proinde docet, tales preces, quæ in hunc tantum scopum collimant, non ascendere in conspectum Domini, eique gratas non esse, & eos, qui ita orāt, mox à Deo, beneficiis acceptis, deficere. Econtra ergò huc in nostris precibus collimandum esse: primum, vt Deo reconciliemur: deinde, vt reconciliati gloriam Dei, tanquam patris, super omnia, quæramus: & deinde hinc etiam vitæ necessaria petamus. 2. Potest etiam sic exponi, vt sit noua sententia, in qua Deus amplificet populi ingratitudinem, idque per antithesin, inter sua erga populum beneficia, & populi contra Deum peccata, sicut etiam fecit versu 13. & facturus est 15. hoc modo. Congregant se, seu, aceruatim currunt ad triticum & mustum, quæ scilicet illis mitto, vt colligant: Et tamen ipsi postea deficiunt a me. Indicat igitur hoc esse hominum mundi ingenium, & hanc esse impiorum perpetuam ingratitudinem, quòd quotidiè currunt ad beneficia Dei colligenda è terra & ex aquis, sed tamen ingrati contra Deum semper sunt rebelles.

XV. *Et Ego ligaui, & corroboraui brachia eorum: & contra me cogitant malum.*

1. Nomine *Brachiorum Israelis*, quoniam iis opera ferè nostra perficimus, veniunt vires regni Israelis. Verbo *Ligandi* venit tota curatio chirurgica. Verbo *Corroborandi*, venit ipsa membrorum consolidatio. Cùm igitur ait, *Ego* scilicet Dominus, tanquam chirurgus *brachia eorum ligaui & corroboraui*, duo indicat. 1. Vires igitur regni Israelis à variis hostibus, variis cladibus acceptis, & aliis rebus aduersis infirmatas & attritas fuisse, ita, vt fuerint sicut brachia luxata. 2. Ipsum verò Dominum, tanquam chirurgum, suâ solius virtute, regnum Israelis, viribus ei restitutis, curasse & maiori etiam potentiâ ei adiectâ, corroborasse, id quod maximè contigit sub Iarobeamo secundo, vt historiæ 4. libri Regum testantur: ac proinde duo docet. Quòd vires humani generis & nostri liberi arbitrij, infirmatæ &, ceu luxatæ, imò attritæ sint, hoc non fuisse à Deo, sed tùm ab hoste nostro Satana, tùm à nobis ipsis. Quòd verò curati simus, & vires nobis restitutæ, hoc esse non a nobis, aut vlla alia creatura, sed à chirurgo Iesu Christo Deo & homine. *Ego Ego* scilicet solus, *ligaui & roboraui brachia ipsorum*, quasi dicat, alii luxârunt & attriuerunt, Ego verò curaui & corroboraui.

2. Cum ait: *Ipsi verò contra me cogitant malum*, liptote est. Non solùm enim cogitârunt malum Israelitæ contra Dominum, sed etiam reipsa fecerunt. Indicat igitur, tantam fuisse Israelitarum ingratitudinem, vt sanati & corroborati à Deo, nō solùm non ei gratiam vllam vel retulerint, vel egerint, vel habuerint, sed etiam huius loco malum contra Deum & fecerint, & quotidie facere cogitârint.

3. Etsi malum non tantùm cogitârunt, sed etiam fecerunt, maluit tamen dicere, cogitant, quam faciunt. Indicat igitur, Israelitas non semel aut iterum & vel ex ignorātia, vel infirmitate contra Dominum peccasse, sed tantā fuisse illorum malitiam, vt nihil aliud quotidiè cogitârint, animo voluerint, & meditati fuerint, quàm malum contra Dominum. Ac proinde docet, hoc esse reprobatorum omnium ingenium, vt non solum mala agant, sed etiam nihil aliud in eorum cordibus, & animis versetur, quàm malitia, quàm prauitas, quam malum aliquod contra Dominum.

4. Non ait autem *Mala*, sed in singulari numero *Malum*, sicut Ioan. 1. non dicit: *Ecce agnus Dei qui tollit peccata*, sed *Peccatum*, τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, quasi dicat, Quicquid fuit, est, aut vnquam erit peccati in mundo, totum illud tollit Christus & præter hunc nemo. Indicat igitur, nihil mali excogitari posse, quod non Israelitæ contra Dominum cogitârint ac proinde docet tale esse corrupti hominis ingenium, vt nihil non mali contra Deum cogitet & agat, nisi Deus nos vel suâ gratiâ reuocet, sicut facit in electis, vel saltem freno aliquo coerceat, sicut facit in reprobis.

5. Etsi verò nihil non mali cogitabant Israelitæ contra Dominum: Malum tamen illud ad duo præcipua capita redigebatur. Vnum fuit superstitiosę religionis confirmatio, hoc fuit contra primam tabulam. Alterum fuit licentia vitæ, hoc contra secundā fuit tabulam. Non sine caussa verò primò præmittit, quòd ipse Israelitarū vires corroborarit, & deinde subdit, quòd ipsi malum cōtra se cogitârint. Indicat igitur, tunc maximè Israelitas & superstitiosæ religionis confirmationē cogitasse, & licentiosæ vitę frena laxasse, cum beneficio Dei, deuictis hostibus, vires recuperare cęperunt, suúmque regnū indies magis ac magis firmari viderunt. Innuit enim, illos facere solitos fuisse id quod etiā in Papatu videmus fieri. Cum reportant de hostib. victoriā & regna sua indies magis ac magis florere firmariq; sentiūt, suæ impiæ religioni, Missis, diis tutelaribus, statuis, beneficiū illud acceptum ferunt. Hinc igitur primùm supplicationes ad Diuos fiunt, hinc Missæ canuntur, pro gratiarum actione, hinc denique magis, quàm vnquam anteà, superstitiones confirmantur & augentur, deinde conuiuia, triumphi & luxus sequuntur: idem etiam ab Israelitis factū fuisse innuit Propheta. Ac proinde docet, hāc esse propriam impiorum & hypocritarum ingratitudinem, vt quātò magis Deus confirmat ac corroborat illorum brachia, variis beneficiis eos cumulando, tantò magis ipsi contra Deum cogitent malum, & suas ipsorum superstitiones cōfirmando & omne genus vitiis indulgendo.

Reuer-

XVI. *Reuertuntur, non Deo, sunt tanquam arcus dolosus, cadent in gladio principes eorum.*

1. Reuerti, sed non Deo, est pœnitentiam coram hominibus simulare, sed non verè coram Deo resipiscere. Cùm igitur ait, Israelitas reuerti, sed non Deo, indicat, illos fuisse & præfractos & hypocritas. Præfractos quidem, quia nunquam resipiscunt, nunquam enim reuertuntur ad Deũ. Hypocritas verò, quia etsi videntur aliquando reuerti, externæ pœnitentiæ symbola ostentando, non tamen ad Deum reuertuntur, id est, non verè resipiscunt: quia non recto & syncero cordis affectu, veniunt ad Deum, sed tantùm per varias ambages vagantes, fingunt se venire.

2. *Kescheth Remiiah* arcus doli, id est, dolosus, arcus obliquus & fallax, qui, dùm videtur in locum aliquem recta iaculaturus, mox in alium longè diuersum locum sagittam iacit, vel etiam in ipsum sagittarium eum reflectit. Accipitur autem in scripturis pro homine fraudulento & hypocrita, sicut etiam in Psal. 78. vers. 9. Cùm igitur ait, Israelitas fuisse, vt arcum doli, indicat, eos fuisse, (sicut antea dixit, *Reuertuntur non Deo*) egregios hypocritas. Quòd sicut sagittarius habens arcum dolosum, in scopum quidem certum collimare, in illum sagittam intendere, & ictum suum dirigere videtur, ita, vt propter apparatum, quem facit, pedem figendo, brachia firmando, extendo, & collimando, nemo sit, qui non eum speret suam sagittam in scopum illum demissurum, sed quia arcus fallax & dolosus est, in longè diuersum locum sagittam iacit, vel etiam retro in seipsum reflectit: Ita Israelitæ cùm premebantur malis, magnum quidem apparatum pœnitentiæ externum faciebant, ieiunia indicebant, sacrificia multiplicabant, vestimenta scindebant, cineribus capita aspergebant, pullis & saccis se induebant, in templis & cubiculis vlulabant, & alia externa pœnitentiæ symbola ostentabant, ita, vt omninò verè ad Deum redire ac resipiscere velle viderentur, sed tamen quia arcus illis erat obliquus & dolosus, i. cor non rectum erga Deum, sed in seipsos & in mundum retortum: ideò suas etiam ipsorum sagittas, id est, desideria, cogitationes, studia, opera, quę omnia à corde proficiscuntur, non ad Deum rectà in cœlum vsque direxerunt, sed in seipsos & mundum retorserunt: quia non ex puro & recto corde resipuerunt, sed resipiscentiam tantùm simulârunt. Ac proinde docet, talem esse omnibus hypocritis arcum seu cor, obliquum & dolosum, vt magno quidem apparatu, & externis symbolis se velle ad Deum rectà redire & resipiscere, simulent, & tamen nunquam verè & ex animo resipiscant.

3. Cum pœnam suæ obstinatæ malitiæ Israelitis minatur, dicens: *In gladio principes eorum cadent*, synecdoche est, quasi dicat, omnes cadent, ita, vt ne ipsi quidem principes euadere possint. Indicat igitur, certum toti regno Israel imminere exitium ac proinde nullam esse spem veniæ illis sperandam.

4. Cum ait *A*, seu præ, *superbia*, seu arrogantia & magniloquentia *linguæ ipsorum* scilicet cadent in gladio. Nomine *Magniloquentia linguæ ipsorum*, intelligit tùm illa mendacia & blasphemias, quas in Deum locuti sunt, vt suprà dixit, tùm illam superbiam & arrogantiam, qua disertis etiam verbis seipsos magnificabant, suas vires iactitabant, confœderatos suos reges extollebant, suas superstitiones magnificabant, Deum verò & eius verbum, Prophetas & eorum admonitiones contemnebant ac deridebant. Indicat igitur, hanc illorum superbiam & iactantiam & has in Deum blasphemias atque mendacia, præcipuam caussam fuisse exitij Israelitarum: ac proinde docet, nihil hac contra Deum arrogantiâ & superbiâ (qua nos ipsos, nostrásque vires iactamus, Deum verò & eius verbum contemnimus ac deridemus) nihil, inquam, hac superbiâ Deo ingratiùs & nobis pestilentiùs & detrimentosius esse.

5. Cùm ait: *Hoc eorum ludibrium in terra Ægypti* scilicet erit, indicat Israelitas, quia iactabant suas vires, & fiducia eorum acquiescebat fœderi, quod fecerant cum rege Ægypti, illóque fœdere freti, obstinati erga Deum manebant, eúmque in Prophetis deridebant: iccircò expositos fuisse ludibrio & risui non solum apud suos maleuolos & inimicos, sed etiam apud suos fœderatos Ægyptios. Derisio autem & ludibrium hoc, etiam apud Ægyptios fuit Israelitis, cùm à rege Assyriæ omnes in captiuitatem abducti fuerunt, postquam expugnati omnes fuissent. Ac proinde docet, hanc esse iustam superborum idololatrarum & contemptorum Dei pœnam, vt, quia, quod ad se attinet, student Deum, eius verbum, religionem, ministros verbi, Ecclesiam, ludibrio & risui apud omnes exponere, ipsi verè à Deo ludibrio & risui apud omnes tandem exponantur.

CAPVT VIII.

P*Ergit exaggerare idololatriam Israelis & Iehuda, simúlque pœnarum grauitatem amplificat.*

Adhibita palato tuo buccina, dicito, *inuolat similis aquila in domum Iehoua, eo quòd transgrediuntur fœdus meum & contra doctrinam meam deficiunt.*

Ad palatum os tuum (*appone*) *tubam, sicut aquila contra domum Iehoua* veniet: *propterea, quòd transgressi sunt pactum meum, & contra legem meam rebellarunt*, perfidè egerunt.

Chech palatum.

Nescher aquila.

Iahan, propterea quod.

Paschah est propriè, rebellare, perfidè agere.

Palato tuo admoue, applica, *buccinam, tanquam aquila* inuadit hostis *domum Domini: propterea quòd trãsgressi sunt fœdus meum, & contra legem meam rebelles fuerunt.*

Vel Deus Prophetam, vel Propheta populum alloquitur. Significat imminere hostem defectiua & concisa oratio, accelerationem malorum exprimit.

Hostis, aquilæ comparatur, propter agilitatem & rapacitatem. Prædicitur destructio templi & totius regni Iudæ, quæ captiuitatem decem tribuum secuta est sub Zedechia.

II. *Ad me clamantes Israelitæ, Deus mi, agnoscimus te.*

Mihi, ad me *clamabunt, Deus mi, nouimus te, Israel.*

Israelitæ ad me clamare debuerant, dicentes, *noster Deus, agnoscimus te.*

Numerorum est in Hebræo enallage, & perturbatus constructionis ordo, & hoc est quod obscurum hunc reddit versum. Illud Israel, primo loco ponendum est in constructione. Potest autem esse exhortatio ad pœnitentiam: sic, *clament ad me, dicendo, Deus noster.*

Vel est eadem sententia quæ cap. 5. *Gregibus suis & armentis quærent Dominum, & non inuenient*: quasi dicat, quamuis Israelitæ inuocent me & obtestentur per fœdus meum: non tamen exaudiam eos.

Potest esse etiam reprehensio inuocationis & cultus Dei, sine vera pœnitentia, vt coniungantur hæc verba cum sequenti versu: sic, *Ore inuocant me & dicunt se nosse, quem tamen factis negant: nam repulit Israel bonum.*

III. *Eo quod deiecit Israel bonum, inimicus persequetur eum.*

Reiecit procul *à se bonum, hostis persequetur eum.*

Zanach abominatus est, elongauit à se, repulit, deseruit, reiecit.

At fastidiuit Israel bonum, iccircò *hostis persequetur eum.*

Bonum, Deum, vel bonitatem, quam à nobis requirit, vel legem, in qua bonitas ista præscribitur.

IV. *Ipsi constituunt reges, at non ex me, præficiunt principes, quos non agnosco: argento suo & auro suo faciunt sibi terricula, vt exscindatur Israel.*

Ipsi regnare fecerunt regem constituerunt, *& non ex me, principari fecerunt*, principatum instituerunt, *& non cognoui: argento suo & auro suo fecerunt sibi imagines vt excidetur*, vel, propterea excidetur, vel, argentum suum & aurum suum fecerunt sibi idola, ideò excidetur.

Schur principatum gerere, In Hiphil est facere dominari, seu gerere principatum, seu principatum constituere.

Carath excidere, est in niphal, futurum.

Ipsi sibi regem elegerunt, verùm non ex mea sententia principem constituerunt, at non approbaui: ex argento suo & auro fecerunt sibi idola, vt exscindatur bonum, id est, cultus meus.

Elegerunt & constituerunt sibi regnum seorsim à Iuda, rerum nouarum, non meę volũtatis studio, idque cõfirma-

tum idololatria, vt cultus meus exscindatur.

Vel bonum, id est, nomen Dei, qui solus bonus est.

v. *Deseret vitulus tuus, ô Schomron eos ex ardescent ira mea in ipsos: quousque non poterunt* colere *innocentiam?*

Elongauit te à terra tua *vitulus tuus, ô Samaria*. Sic D. K *excanduit furor meus in eos* vitulos, vel, Israelitas illorum cultores: *quousque non poterunt mundiciem* seu innocentiam, scilicet sibi comparare, amare, vt sint mundis & puris animis?

Hieronymus etiam ait, illud *Eos*, vel ad vitulos, qui duo erant, vel ad illorum cultores referri posse.

Hadh quousque.

Ma hi quando. Ergo ad verbum, vsque quando.

Nikkaion innocentia. D.K. Quousque non poterunt esse innocentes & mundi ab hac iniquitate.

Repulit te vitulus tuus, ô Samaria, exarsit ira mea aduersus eos, quousque non poterunt colere innocentiam.

Repulit, propter certitudinem prophetiæ præteritum pro futuro ponitur. Sic etiam legi potest, *Quousque scilicet exardescet ira mea*: deinde per subiectionem legas sic, *Quamdiu non poterunt adiungere animum ad innocentiam & vitæ integritatem?*

vi. *Nam in Israele ipse quoque est, artifex parauit illum, neque Deus est: nam in fragmenta erit vitulus Schomronis.*

Quoniam ex Israele etiam hic vitulus fuit, *artifex fecit illum, & non* est *Deus ipse, quoniam in frusta erit vitulus Samariæ.*

Ki Schebhabbim ad verbum. Quoniam in contritiones, id est, frusta.

Schabhibh scintilla: ideò R.Abr. interpretatur scintillas: Sed est contritio & frustum: ideò K. in comment. interpretatur contritiones & frusta, quasi dicat, erit contritus & in frusta comminutus.

Hieronymus verò in comment. ait *Schebhabbim*: propriè nominari aranearum fila per aërem volitantia, quæ dum videntur, intereunt, & in atomos atque in nihilum rediguntur. Vitulum igitur Samariæ rectè illis comparari, quem eo tempore pro pretij magnitudine, quia aureus erat, populus adorabat.

Etenim ab Israele & ipse vitulus conflatus est, *artifex fecit eum, ideircò non est Deus, imò in frusta, redigetur vitulus Samariæ.*

Etenim, vis copulæ est hæc. Inuentum Israelis, in deserto, fuit vitulus conflatus: sunt etiam ij duo vituli, quos non colunt, ab Israele.

vii. *Cum vento seminauerint, etiam turbini metent: culmus nullus erit ei, germen non efficiet farinam, si fortè fecerit, extranei absorbebunt ipsam.*

Quia ventum seminabunt, seminare solent, & seminare pergunt, significat actum continuum, *& turbinem metent: culmus* seges *non ei est, germen non faciet*, producet *farinam, si fortè fecerit, alieni deuorabunt eam.*

Suphah turbo à *Suph*, id est, consumere: quia citò consumit obiecta, ait K. *Suphah* etiam significat consumere, sed hoc nomen est à *Suph*.

Katzar metere.

Kamah seges, antequam metatur, culmus à *Kum* surgere, quòd surgat è terra.

Tzemach germen.

Kemach farina.

Vlo si fortè.

Balah deglutire, absorbere, pro deuorare capitur.

Vti ventum seminare solent: ita tantùm turbinem metent: seges maturescens non erit ei, germen non faciet farinam, quòd si fecerit, alieni deuorabunt eam.

Vanum & confictum cultum, vento, eius fructum & mercedem turbini comparat.

viii. *Absorbebitur Israel: mox erunt in gentibus similes instrumento, in quo nulla* est *delectatio.*

Deuoratus est Israel: nunc fuerunt, erunt, *inter gentes tanquam vas non complacentia in eo.*

In quo non est complacentia hominis, id est, abiectum & contemptum.

Nibhlah præteritum pro futuro: deuorabuntur opes & facultates eorum.

Chephetz voluntas beneplacitum.

Keli vas à *Calah*.

Deuorabitur Israel: iamiam erit inter gentes sic, vt vas, in quo nihil est, quod placere queat.

Absorptus est Israel, id est, prorsus peribunt, & erunt inter gentes abiecti, tanquam vas, turpissimis vsibus destinatum.

ix. *Quia ipsi ascenderunt ad Assyrium, onagrum solummodò studentem sibi, Ephraim ita mercede conduxerunt amores.*

Quoniam ipsi ascenderunt ad *Assur* tanquam *onager solitarius sibi, Ephraim mercede conduxerunt amores* amatores.

Pere onager, asinus siluestris.

Bodhedh solitarius, 1. *Badhadh* solus.

Hithnu in hiphil, à *Hanah* mercede & donis corrumpere, conducere & donare.

Ahabh amor, pro re adamata capitur: sic etiam latinè hominem carissimum amorem nostrum appellamus.

Quia ascenderunt ipsi in Assyriam, erunt velut onager qui secum solitarius agit, Ephraim mercede conciliarunt amicos.

Iuerunt vagi, tanquam onager huc & illuc quærendi auxilij caussâ: Vel quia confisi viribus humanis, securè peccauerunt, destituti omni auxilio, sicut onager solus agit desertus ab omnibus.

Amicos confœderatos 4. Reg. 15.

x. *Etiam quia mercede conduxerunt* alios *in gentibus, mox congregaturus sum eos (cœperunt enim paululum) propter onus regis principum.*

Etiam, quod mercede conduxerint scilicet multos amicos *inter gentes, nunc colligam eos*, Israelitas, *& dolebunt ab onere regis & principum.*

Gam ki, pro, etiamsi.

Pithnu futurum pro præsenti, actum continuum significat, quasi dicat, etiamsi conducant sibi inter gentes multos amicos, & fœderatos: tamen colligam ego ipsos Israelitas.

Kabbatz congregare, sed in malam partem hîc accipitur: significat enim strage edita, cadauera in aceruum colligere. Sicut etiam Ezech 16. vers. 37. *Ecce Ego* Mekabbetz *congregans sum, omnes amatores tuos scilicet vt perdam simul omnes vna strage.*

Possumus tamen etiam sic simpliciter vertere & interpretari: *Etiam quia conducent inter gentes*, amicos & fœderatos multos: ideò *nunc Ego colligam eos* scilicet amicos & fœderatos in gentibus, contra ipsos Israelitas.

Vaiachelu quidam à *Chol* dolere. Sic K. & S.P. & receptum est. Quidam à *Cahlal* polluere, profanare, sed in hiphil significat incipere, itaque sic exponunt, vt R.D K. testatur in libro Radicum. *Et cœperunt*, nempe, murmurare. *propter onus*, id est, propter tributum, *paululum*, hoc dicit respectu captiuitatis, tributum fuisse paruam rem.

Massa onus, à *Nasa*.

Atque licet mercede conciliarint amicos *inter gentes, nunc ipsos colligam* aduersus eos: *imo nunc cœperunt paululum affici propter tributum regis & principum.*

Cœperunt affici. Hebraicum verbum significat incipere & dolere. Sensus igitur est. Inceperunt dolere aliquantulum, quod sint tributarij, quæ doloris caussa minima est, si cum exsilio conferatur. Attingit caussam, quare gentium copiæ sint colligendæ, nempe, negatum tributum sub Osea filio Æla: eadem de caussa venerunt contra Iuda sub Ieboachin & Zedechia.

ix. *Quia multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum, sunt ipsi altaria ad peccandum.*

Quoniam crescere fecit, multiplicauit, *Ephraim altaria ad peccandum, fuerunt* erunt *ei altaria ad peccandum.*

Zabhah sacrificare, inde *Mizbeha* altare, quod super illo sacrificetur.

Certè

Certe multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum cùm nimis multa *eſſent altaria illi ad peccandum.*

Vitulis adiunxit lucos Achabi 1. Reg.6.

XII. *Quæ præſcribo ei documentis ampliſſimis legis meæ, tanquam res extera reputantur.*

Scribam illi ſpecies ſ, a mea, ſed tanquam alienum, res alienæ, *reputata ſunt.*

Cathabh ſcribere, eſt hic futurum pro præterito.

Rubbe, inſtar *Chube* à *Chob* honorabilia, eſt *Rubbe* à *Rabbabh* magnificare, multiplicare: ſignificat igitur magna ſcilicet verba, legis meæ, id eſt, honorabilia, vt S.P. vertit. Vel, Magnalia vel pretioſa, vt alij vertunt.

Zar alienum, extraneum, ſed ſingulare pro plurali.

Chaſchabh reputare, eſt in niphal, & ſignificat: *Et ſicut res alienæ, reputata ſunt ſcilicet magnalia & pretioſa legis meæ.*

Scripto dedi ei eximia legis meæ, & tamen tanquam aliena dogmata *reputata ſunt* ab eis.

Rubbe & excellentiam & multitudinem ſignificat, quaſi dicat, præſtantiſſima & quam plurima mandata illis præſcripſi, ſed ipſi ea tanquam aliena, quæ nihil ad beatitudinem facerent, contemſerunt, ceu alieni & hoſtes.

XIII. *Sacrificia ipſa donariorum meorum ſacrificantes carnem comedent, quæ Iehoua non accipit: nunc recordatur iniquitatis eorum, & animaduertet ipſos in Ægyptum reuerti.*

Sacrificia aſſatorum meorum, id eſt, holocauſtorum *ſacrificabunt* ſacrificant, *carnem, & comedent* comedunt? at *Iehoua non vult*, non approbat, *ea, nunc recordabitur iniquitates eorum, & viſitabit peccatum eorum, ipſi in Ægyptum reuertentur.*

Habhabhai eſt quadratum, ſignificat aſſatum, ait K in lib. Rad. ideò quidam benè vertunt holocauſtum. In comment. verò vult eſſe donum, & deducit à *Iahabh* quod eſt dare: ita S P. hanc ſequitur.

Ratzah velle, ſibi in aliquo placere, inde *Ratzon* &c.

In ſacrificiis donorum meorum immolant carnem, & comedunt eam, Dominus non delectatur illis ſed nunc recordabitur iniquitatis eorum, & puniet peccata illorum, tametſi in Ægyptum reuertantur.

Reprehenderat ſuprà Iſraelitas, quod omnes facultates in idola profunderent, nunc accuſat eos, quod in ſuis ſacrificiis ſupra modum parci & maligni ſint. *Si quando*, inquit, *ſacrificarunt, hoc fecerunt ſui commodi gratia, vt ſcilicet veſcerentur ſacrificatis*, non, vt me placarent.

Memor erit) ſcilicet Deus: mutauit perſonam, quaſi dicat, recordabor & puniam.

Humano auxilio non liberabuntur à pœnis, quas ſumturus ſum de illis.

Reuertentur in Ægyptum.) hoc eſt, propter afflictiones cogentur redire in Ægyptum.

XIV. *Denique oblitus eſt Iſrael opificis ſui, exſtruxítque templa, & Iehuda multiplicauit ciuitates munitas: ideò immittam ignem in ciuitates huius, vbi conſumſerit palatia illius.*

Et oblitus eſt Iſrael factoris ſui, & ædificabit templa ſcilicet in honorem idolorum, *& Iuda multiplicauit vrbes munitas, &c.* id eſt, igitur *immiſi* immittam *ignem in ciuitatem eius, & comedet* deuorabit *ædes* palatia *eius.*

Hechaloth templa, ab *Hachal*, ait R.D.K. fieri poſſe, vt Iod ſit radicalis in *Hechal*, & ſic erit nomen, quadrilaterum ſignificat templum. Hier. 40. verſ. 4. nolite confidere in *Hechal Iehouah.*

Butzar munire, *Betzurah* munita, *Betzuroth* munitæ.

Armon ædes, domus magna & alta, palatium, à rad. *Aram.*

Oblitus eſt Iſrael factoris ſui, & exſtruxit palatia etiam, Iuda multiplicauit vrbes munitas, at Ego immittam ignem, id eſt, hoſtes, *in vrbes eius, & abſumet palatia eius.*

Hoſtes crudeliſſimi, qui nemini parcunt, & omnia citò conſumunt, igni comparantur.

EXPLICATIO.

Tota hæc concio conſtat comminationibus tantùm & peccatorum obiurgationibus, idque aduerſus Iſraelitas. Poſtremo tamen verſu etiam in Iehudam, ſermonem ſuum ſtringit Propheta.

1. *Ad palatum.*

Synecdoche eſt pro, *Admoue ori tubam* Tria autem facit hoc primo verſu. 1. Attentum reddit auditorem Propheta, magnúmque ei timorem incutit, dùm introducit Deum, iubentem ſibi, vt tubâ ori admotâ tanquam fecialis, bellum Iſraelitis, quod iam eſt in propinquo, denunciet. 2. Denunciat bellum, & quaſi claſſicum canit Propheta dicendo: *Sicut aquila ſuper domum Iehouæ.* 3. Cauſſam adfert huius denunciati belli, eam ſcilicet eſſe: quia fœdifragi rebellârunt contra Dominum dicendo, *Propterea, quod tranſgreſſi ſunt fœdus meum.*

Quò ad primum ait, *Ad palatum tuum*, id eſt, ori tuo *tubam* ſcilicet *admoue* eſt hypotipôſis. Introducit Deum, qui mandat Prophetæ tanquam feciali & præconi, vt exitium populo Iſraelitico, id eſt, decem tribubus, quod ei iam imminebat, denunciet, & quaſi ſub oculos ponat. Facit autem hæc hypotipoſis ad reddendum auditorem attentum: indicat enim Propheta, ſe mira annunciaturum, quando Dominus vult, vt non ſolum verbis, ſed etiam tubâ ori admotâ, quò omnes meliùs audiant, populo ſuo denunciet, quid aduerſus illum acturus ſit, & propter quam cauſſam, quaſi dicat, non ſolùm verbis, ſed etiam tubâ ori priùs admotâ, denuncia populo meo, quæ tibi iuſſero. Oportet igitur, grauia eſſe illa, quæ Dominus vult denunciari ſuo populo, & grauiſſimas eſſe cauſſas cur id fieri velit.

Non eſt vero cogitandum, Prophetam tubâ arreptâ, claſſicum ceciniſſe, ſed Dominus ſic ſolet ſuis Prophetis varias induere perſonas, vt præconum & caduceatorum ſeu κήρυκων, & iis dicendi figuris vti, vt attentos reddat auditores, exaggerétque meliùs doctrinam, quam eſt traditurus, ac doceat rem seriò agi, non autem, ſe cum illis ludere, non iocari. Ob hanc igitur cauſſâ Dominus mittit Prophetam cum ſolenni mandato, ad denunciandum bellum Iſraelitis, & hac loquendi figurâ, facit eum, ceu ſuum præconem, vt melius oſtendat, rem ſeriò agi, certiorémque reddat ſuam doctrinam, atque ita attentius reddatur populus ad audiendum. Quòd verò tantâ breuitate vtatur, vt multis omiſſis, tantùm dicat, *Ad os tuum tubam*, non caret emphaſi: indicat enim, iamiam adeſſe hoſtem, vt ſibi non vacet multa facere verba.

Quò ad ſecundum, maximâ breuitate denunciat bellum certum, repentinum, crudele, à Deo, his paucis verbis. *Sicut aquila contra domum Dei.*

Nomine *Domus Dei*, Propheta intelligit populũ Dei, id eſt, decem tribus, quæ ideò domus, id eſt, familia Dei, appellabantur, quia electi à Deo in ſuum populum.

Facit autem hoc epitheton in præſenti loco non ad honorem, ſed ad maiorem infamiam & confuſionem Iſraelis, quaſi dicat Etſi gloriaris hoc nomine, quod ſis populus Dei, & ita, licèt ſceleratè viuas, putas tibi optimè conuenire cum Deo: hoc tamen non poterit impedire quin Deus te perdat, nam contra ipſam domum & familiam Dei bellum & certum exitium iamiam futurum eſt.

Nomine *Aquila*, intelligit Deum, ſed in ſuis ſeruis, ſeu in miniſtris ſuæ iræ vt in Aſſur, nam per ipſum, Deus erat populum perditurus.

Vſus eſt autem hoc ſimili, ſcilicet Aquilæ, multis de cauſſis, quarum tres ſunt præcipuæ. 1. Vt indicaret, bellum hoc Iſraelitis futurum è cœlo, id eſt, à Deo, tanquam præcipuo autore & hoſte Iſraelis. 1. aquila enim eſt, ceu cœleſte & diuinum animal, & nulla auis altiùs volat aquilâ. 2. & ea eſt alitum omnium regina. 3 neque vllum animal acutiùs videt aquilâ. Iure igitur Deus aquilæ comparatur: vnde Aquila quaſi acula ab acumine. 4 antiqui etiam poetæ tradiderunt, Aquilam Ioui tela geſtare. Indicare igitur voluit. 1. Bellum hoc Iſraelitis imminere è cœlo, à Deo. 2. Bellum hoc & exitium, mox & derepentè illis futurum, & quaſi iam imminere illorum capitibus: Aquila enim velociſſimum eſt animal, & momento, immenſum cœli ſpatium conficit. Deum igitur iamiam, quaſi vno volatu, & vno momento, cum ſuo exercitu, de improuiſo in illorum capita, inſtar aquilæ, inuolaturum, & eos diſcerpturum, ne igitur putent, longam adhuc moram necti: in propinquo eſt, iamiam imminet ipſorum capitibus ſuum exitium. 3. Bellum hoc contra Iſraelitas futurum cum victoria. Aquila etiam apud gentes, victoriam, & felices bellorum exitus magnarúmque expeditionum ſucceſſus portendebat, & in hunc finem primò Perſæ, deinde Romani elegerunt ſibi Aquilam pro ſuo inſigni, vt indicarunt, ſe fore in omnibus

bellis felices, & omnes tandem populos sibi subiecturos. Eze. bellis etiam 1. loquens de destructione certissima, quæ futura erat Hierosolymæ, per Nebucadnezarem, vtitur hac eâdem similitudine aquilæ dicens: *Aquila grandis, magnarum alarum longo membrorum ductu plena plumis, & varietate, venit ad Libanum.* Posteà explicans similitudinem, ait: *Nescitis, quid ista significent? Rex Babylonis veniet Hierosolymam.* Ita hic de destructione decem tribuum, quæ futura erat per Assur, comparat Assur, vel, vt dixi, Deum in Assur, Aquilæ, ob caussas prædictas. Ne putent igitur, posse se elabi ex vnguibus Dei: omnes igitur discerpere decreuit.

Quo ad tertium ait: *Quia transgressi sunt fœdus meum, & contra legem meam rebellarunt.*

Lex & fœdus, sunt synonyma. Est igitur repetitio, sed non frustanea: posterius enim membrum exponit prius.

Primùm ergo dictio *Lex*, expositiua est vocis *Fœderis*, quasi dicat Quod fœdus transgressi sunt: legem meam, id est, illud, quod consignatum erat in lege, quod scriptum illis tradidi: non possunt igitur excusari, quod ignorarent, quod esset fœdus illud, cum in lege & scriptum & consignatum sit illud ipsum fœdus.

Deinde verbum *Pasthah*, expositiuum est illius, præuaricati sunt, quasi dicat, quomodo transgressi sunt pactum meum? rebellârunt contra legem meam.

Obseruandum est hoc ex loco, nunquam Deum minari cuipiam, quòd transgressus sit mandata hominum, sed tantùm quia transgressus est legem Dei. *Legem meam*; inquit. Ideo Chrysostomus optimam habet sententiam in sermone de libello repudij: Dominum neminem iudicaturum secundum alienas leges, sed secundum suam tantùm legem.

Addidit deindè, *Legem meam*, vt ostenderet, illos esse inexcusabiles: quia fœdus illud transgressi sunt, non quod oretenus per successionem illis erat reuelatum, sed illud quod in lege scriptum & consignatum erat. Ergò Papistæ nullo modo excusari possunt, habent fœdus Domini scriptum, illud tamen contemnunt, & nescio quas doctrinas non scriptas nobis venditant.

II. *Mihi clamabunt, Deus mi, nouimus te, Israel.*

Id est, Israel mihi clamabunt, *Deus mi, nouimus te.* Quia nomen est collectiuum: ideò vsitatissima est ista ἀνωμαλία numeri, in scripturis.

Perstringit autem hic hypocrisin Israelitarum & sensus est. Cum me iratum, viderint cum tanto exercitu, de improuiso illorum capitibus imminere, clamabunt ad me, vel etiam nunc incipiunt clamare, *ô Domine mi, nouimus te:* Indicat igitur illos esse hypocritas.

Clamabunt, inquit, sed non ait, *In corde*. Ergò simulata innocatio. Coniungit autem duo cum verbo *Clamabant*. Quid clamabunt? Primum, Deus mi. Deindè: *Nouimus te.* Est μίμησις refert enim illorum voces, & cum sarcasmo legenda sunt hæc duo: *Deus mi, nouimus te.* Duo igitur iactabant Israelitæ in suis precibus. 1. Nomen Dei, quod Deus esset illorum Deus, & consequenter ipsi illius populus: *Deus mi.* Sic hypocritæ omnes plenis buccis nomen Dei iactant, nomen Christi, quòd Christus sit illorum seruator, quódque ipsi sint populus Christianus: *Deus mi, Christe mi.* 2. Iactabant notitiam Dei, notitiam veræ doctrinæ: *Nouimus te*: quo verbo venit notitia vera: doctrinæ Dei & fides. Iactabant igitur notitiam doctrinæ Dei & fidem. Sic nostri Papistæ, sic etiam multi Euangelici.

Sed quid prodest ista gloria? nihil. Quare? quia profitentur quidem verbis, factis autem negant: resonabunt hæ voces in ore eorum, sed interim res aliter docet. Arguit & conuincit illos meros hypocritas. Quomodo?

III. *Reiecit procul à se Israel bonum, hostis persequetur eum.*

Antithesis est inter *Reiecit*, & *Persequetur*. Ipse populus reiecit à se bonum. Ergo iure hostis persequetur eum.

Duo in hoc versu continentur. 1. Peccatum populi. 2. Pœna tali peccato debita.

Peccatum est, quod populus à se procul reiecit bonum. Quod bonum? Quidam intelligunt Deum: alij Christum. Verum est, sed simplicius est, si dicamus, nomine *Thobh*, hoc in loco venire, quidquid rectum & iustum est; sicut suprà nomine Mali intellexit, quidquid iniustum & iniquum est: *Cogitas contra me malum.* Quidquid autem rectum & iustum est, in lege Dei continetur. Ergo repulerunt a se legem meam, quidquid rectum & iustum est, præcipiente. Est ergo explicatio illius primi versus, *Rebellârunt contra legem meam*, hoc est, eam à se procul reiecerunt.

Zanach procul à se reiicere, est verbo Dei prorsus renunciare quódque nolis amplius vllum cum verbo Dei habere negotium, est peccatum in Spiritum sanctum.

Sequitur pœna. *Hostis persequetur*, id est, comprehendet eum. Obseruandus est ordo. Primo Israelitæ deserunt bonum. Ergo iure destituti omni bono, in mala omnia incidant necesse est. Ideò ait: *Hostis persequetur*, quasi dicat, incidet in manus hostis, & omnibus malis afficietur.

Nihil igitur detrimentosius, quam deserere verbum Dei, æquum & iustum: quia statim desti tuti Dei auxilio, exponimur omnibus malis. Contra nil salutarius, quam continere se in verbo Dei, iuxta illud credere & viuere: hæc est munitio tutissima aduersus omnes hostes.

Ciuitates ergo & principes, ne putent, se tutos ab hostibus, quia habeant munitas vrbes & strenuis militibus. Si repellant à se illud *Thobh*: certè hostis persequetur, & ita persequetur, vt tandem etiam assequatur.

IV. *Ipsi regnare fecerunt, & non ex me.*

Versus hic continet obiurgationem peccati, & pœnam. Duo autem scelera populi capitalia notat Propheta, quibus conuincitur perfidiæ & rebellionis.

Dixerat in genere, *Reiecit bonum*, item, *rebellauit contra legem meam*. Nunc ea explicat. 1. Quod defecerunt a regno Dauidis, ideòque à Deo, & nouum regem sibi contra voluntatem Domini constituerunt. Ideò ait: *Regnare fecerunt, & non ex me*: alludit verò ad historiam 1. *Reg.* 11. 12. 2. Quòd defecerunt à religione bonâ, & nouam idololatriam fabricârunt, vnde ait: *Aurum suum & argentum suum fecerunt idola*: alludit autem ad historiam 1. Reg. 12. quando fecerunt duos vitulos aureos, in Dan & Bethel. Mutârunt igitur & regnum & sacerdotium, in quibus duobus fundata erat illorum salus. Quare? quia in his duobus erat Christus, & gratia Dei splendebat in regno & sacerdotio. Ergo reiecerunt Christum. Deus enim vtroque medio volebat regere populum: primum regno, vt essent sub regno Dauidis, & hoc, quo ad politiam attinet. Deinde sacerdotio, quod ipse instituit, & hoc, quo ad religionem. Illud autem regnum typus erat regni Christi, & sacerdotium sacerdotij Christi. Cum ergo populus sponte penitus a regno defecit & sacerdotium corrupit, annon visus est data opera procul à se reiecisse, quidquid Deus statuerat pro eius salute, & nolle amplius regi manu Dei? ideòque annon reiecit Christum procul a se. renunciarunt enim omnibus regibus Iudæ & declarârunt se nolle amplius tribus Iudaicæ regibus subiici, Atqui sciebant, ex illa tribu oriturum regem Messiam. Ergo renunciarunt etiam Messiæ.

Argento & auro suo fecerunt sibi imagines, id est, argentum & aurum suum insumserunt in sculptilia, id est, in vitulos in Dan & Bethel: & idola alia gentilia.

Vt succideretur. Dupliciter accipi potest. vel aurum & argentum ipsorum perijt, quia effusum est in vana idola: Vel, vt succideretur nomen eorum, hoc est, vt ipsi perirent cum nomine suo.

V. *Reiecit procul te, à terra tua vitulus tuus, ô Samaria, exarsit furor meus in eos, quousque non poterunt munditiem.*

Sunt hic tria membra, & in singulis multa docet. Primo membro, cum ait *Reiecit procul te à terra tua vitulus tuus, ô Samaria*, tria facit. 1. Perstringit Israelitas idololatriæ, quod scilicet ipsi coluerint vitulos aureos. Etsi enim ait in singulari numero *Vitulus tuus*, duo tamen fuerunt, sed maiorem gratiam & emphasin habet in singulari numero *Vitulus tuus.* Samariam etiam alloquitur, tanquam caput regni, sed omnes Israelitas complectitur: quanquam illud etiam dici potest, præter illos duos quendam etiam Samariæ positum posteà fuisse. 2. Prædicit certè Israelitas è sua terra in captiuitatem in longinquas regiones breui expulsum iri: ideò ait, *Reiecit procul scilicet te à terra*, & ait in præterito, *Reiecit*, tanquam iam expulsa sicut indicet, certò & breui expulsum iri. Alludit autem ad pœnam talionis, suprà dixit versu 3. quod Israel reiecit procul a se bonum est enim idem verbum hic & ibi, benè: iure igitur te etiam, ô Samaria, procul reiiciet à terra tua, quid: vitulus tuus, id est, tua idololatria. 3. Indicat ergò, caussam totius huiusce captiuitatis & exilij Israelitarum, nullam aliam esse, quam sua peccata, atque imprimis idololatriam. *Vitulus tuus, ô Samaria*, quasi dicat, tu procul reiecisti à te bonum, & vitulus tuus, id est, Deus propter vitulum tuum, reiiciet te procul à terra tua. Tu noluisti reiicere vitulum è terra tua, Ergò vitulus reiiciet te.

Notan-

Notandus certè est hic locus, nihil aliud nos perdere quàm peccata nostra, atque imprimis idololatriam. Vitulus tuus. Missa tua, ô Argentina, reiiciet te procul, tu non reiicere vis vitulum, vitulus reiiciet te, si non è terra hac, saltem à multa felicitate in maximas miserias. Reiiciet te a conspectu Dei, è cœlo in infernum.

Altero verò membro, cùm ait, *Excanduit in eos furor meus*, docet Deus, quanta sit sua ira contra idololatriã Israelitarum: *Excanduit*, inquit, *furor meus in eos*. Illud *Eos*, quidam referunt ad vitulos: quidam ad ipsos Israelitas vitulorũ cultores, potest etiam ad vtrosque referri. Solet enim Deus ad maiorem idololatriæ detestationem in scripturis exitiũ non solùm idololatris, sed etiã idolis ipsis sæpenumerò denunciare, vt etiam Iesaiæ 1. ad calcem. Solet ferè Deus, cùm minatur idololatris, vti hac locutione, *Excãduit furor meus, ac census est ira mea*. Docent ij loci, rem certè esse nimis intolerabilem & abominandam, quòd scilicet quis eò vsq. perueniat, vt prostituat se ante idola muta eáque colat. Deus enim, cùm hoc videt non simpliciter irascitur, sed excãdescit, sed furore accenditur suo modo. Neque enim in Deo sunt hæ passiones sicut in nobis, sed per ἀνθρωποπάθειαν sic loquitur Deus in scripturis, vt ostendat, quàm sibi displiceat idololatria & alia scelera.

Tertio membro, quo ait, *Quousque non poterunt mũdiciem* scilicet amare, ferre & curare, vt sint mundi? quatuor facit.

1. Docet, illos fuisse semper & etiamnum esse, non solùm impuros prorsus & immundos, tàm internè in cordibus, quàm externè in religione, in tota vita, sed etiam omnis puritatis & mundiciei, id est, omnis & honestatis & puræ religionis impatientes atq. inimicos. Est enim ac si dicat: Quousq. isti impuri atque inhonesti homines nõ poterunt mũdiciem, id est, puram religionem & vitæ honestatem ferre?

2. Docet, non solum immundos semper fuisse & esse, sed etiam in posterum tales semper futuros esse, omnis scilicet puri cultus & honestæ vitæ inimicos. Est enim ac si dicat porci semper fuerunt & sunt, porci etiã semper futuri sunt qui in luto semper immersi, nunquam mundicie delectari possunt. sunt igitur desperati quia in sua malitia obstinati neque vnquam vllo temporis progressu redire ad sanam mentem potuerunt, neque in posterum redituri sunt: quousque igitur non poterunt mundiciem?

3. Docet iis verbis Deus, se diu illorũ immũdicias id est, & impurã vitam & fœdissimas idololatrias patienter tulisse, & adhuc patienter ferre, seu diu patiẽter exspectasse, & adhuc patienter exspectare, vt ad studiũ puritatis & innocẽtiæ animũ tandem applicent: ac proinde se non posse ab Israelitis reprehendi impatientiæ & nimiæ seueritatis. Quousq. non poterunt mundiciẽ? quasi dicat, Ego ab eo tẽpore, quo hunc populum mihi in peculiarem populum elegi, atq. ex Ægypto liberaui, vidi eum semper immundum, conaui illum mũdare viis & verbis & factis omne genus: sed ille instar porci mox ad lutum redijt, nõ cessaui illum lauare, sed neque ipse cessauit ad immundiciem redire, anni sunt ferè 300. ex quo defecerunt à regno Iuda, atque à vera religione ad fœdas idololatrias, pertuli semper patiẽter & adhuc perfero illius immundiciem, sed quousque tandem perferam? quousque non poterunt ipsi immundiciem ferre?

4. Postremò igitur docet, se sumturũ tandem de illis pœnas, quia cùm ipsi Israelitæ non possint mũdiciem, quam illis offert Deus, ferre & amare neque ipse ampliùs potest illorũ immundiciem ferre atque in malitia obstinationem. Quousque igitur non poterunt mundiciẽ, quasi dicat Nunquam poterunt mũdiciem amare. Ergo neque Ego possum ampliùs illorum in malitia obstinationem perferre, necesse tandem erit, vt porcum hunc, quem nullo modo ad mundiciei amorem flectere possum, occidam ac perdam.

Obseruandum igitur. 1. Omnes nos nasci immundos ac de immundo semine, omnes à Deo ad mundiciem vocari, mundiciem hanc fieri per sanguinem Christi, offerri verò per Euangeliũ, recipi autem fide. Act. 15. *Fide purificans corda eorum, electos tandem mundari*. Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*. Reprobos verò nunquam posse mundari, neq. mundiciem amare. Quousque non poterunt mũdiciem, quasi dicat, nunquã poterunt mundiciem ferre. 2. Etsi reprobi non possunt vnquam mundiciem ferre: Deũ tamen non statim illos perdere, sed patienter diu exspectare, donec omnibus pateffiat, per illos stare, quò minus mundentur, ac tùm demum illos, vti porcos, occidi & perdi.

VI. *Quia ex Israele etiam hic, artifex fecit eum, & non est Deus ipse: quoniam in frusta erit vitulus Samariæ.*

In hoc versu tria facit Propheta. 1. Malitiã populi exaggerat, quòd scilicet illa religionis corruptela in Israele, nõ fuerit aut à Deo mandata, aut aliunde petita, sed ab ipsomet Israele excogitata & fabricata, vnde ait: *Quia ex Israele etiam hic*. 2. Amentiam populi deridet, quòd scilicet ante idolũ, id est, ante vitulũ, tanquam ante Deum se prostituat, cũ tamen nimis apertè appareat, vitulum illũ non esse Deũ, neq. aliquid in eo esse diuinitatis. Id verò demõstrat duobus firmis argumentis, quorum vnum sumit à caussa illius efficiente: alterum à materiali. 3. Postremò prædicit fore vt tota illa falsa religio destruatur, vnde ait: *Et vitulus Samariæ erit in frusta*.

Quò ad primum, ait, *Quia ex Israele etiam hic* Illud, *Quia* refero ad postremum membrum præcedẽtis versus & probat omninò Israelem in sua malitia esse obstinatum, & non posse mũdiciem, id est, puram religionem ferre, hoc modo: *Quousque non poterunt mundiciem*, id est puram religionem ferre? quasi dicat, nunquam Quare? Quia ex Israele etiã hic vitulus, id est, religionis corruptio est, quasi dicat, ab initio ex Ægypto vocati & puram religionem a Mose educti, mox in deserto ex seipsis vitulum excogitarunt fabricarũt, adorarũt Dei loco totam religionem à me acceptam corruperunt, licèt Ego vitulum illum perfregerim, religionem puram retinuerim: nũquam tamen eam puritatem religionis retinere, ferre aut amare potuerũt, sed semper nouas superstitiones commenti sunt. Vis videre? nam etiam hic præsens vitulus, qui in Israele est & colitur, vnde est? ex me? ex meo mandato? minimè. Ex gentibúsne, seu ex mandato & impulsu gentium idololatrarum, quibus inseruire cogãtur? minimè. Vnde ergò? ex ipsomet Israele, & ex eius capite excogitatus & fabricatus. Cùm ergo etiam hic vitulus ab Israelitis nuper sit excogitatus pro sua cordis impuritate & malitia, manifestum est, illum non posse mundiciem ferre. Habetis, quò sit referendum illud. Quia, & quid probet, Israelem scilicet esse desperatum, quia non possit mundiciem religionis ferre, sed nouas semper superstitiones cõminiscatur: Atq. hic locus facit, vt credam, Prophetam hic loqui non de illis duobus primis vitulis in Dan & Bethel, sed de nouo, qui erat in Samaria. Ideò ait: *Etiam hic est ex Israele*, quasi dicat, non tantùm illi duo priores.

Cùm ait, *Ex Israele* Quidam volunt, esse tacitam antithesin inter Israelem & reliquas gentes hoc modo. Israel non est mutuatus hanc superstitionem colẽdi vituli à gentibus, quasi ab illis seductus aut compulsus, sed ipsemet Israel hãc corruptelam è suo capite commẽtus est, ipsemet Israel huius superstitionis primarius est autor, & architectus. Est igitur maiori pœna dignus, & illius peccatum grauius est. *At dices, imò à gentibus mutuatus est quia in Ægypto adorabatur etiam vitulus, & ab Ægiptiis Israelitæ didicerunt* Respondent, se non inficiari, quin huius superstitionis exemplum viderint in Ægypto, sed illud etiam neque decepisse, neque impulisse Israelitas ad vitulum fabricãdum & adorandum, sed ex se suáque malitia illum fabricasse.

Mihi non displicet, sed tamen neque hoc displicet, si dicamus hic esse antithesin, inter Deum & Israelem, quasi dicat Etiam hic vitulus non est ex me, ex meo mandato, ex mea doctrina sed ex Israele, ex sua malitia, ex sua contra verbum meum audacia. Discrimen enim facere videtur inter illam religionis puritatem, quam à Deo receperant Israelitæ & inter impuritates, fœdã que superstitiones, quas ex seipsis commenti fuerãt quasi dicat, multas superstitiones ex seipsis excogitarunt Israelitæ, & illas meo verbo addiderunt: inter alias etiam hic vitulus non ex me, sed ex ipso est Israele meo cultui additus Exẽpli caussa, si de singulis Papatus superstitionibus loquens, dicat, etiã hæc superstitio, vt Missa ex ipso est Papatu, non ex Deo, neq ex Apostolis. Nisi malimus vtramque ἀντίθεσιν simul complecti, nẽpe, vt doceat Dominus hanc vituli adorandi superstitionẽ, Israelem, neque à Deo, neque à gentibus accepisse, eo sensu, quo suprà est dictum, sed à seipso solo excogitasse.

Ego tamen secundam sequar interpretationem, vt comparatio sit inter Deum & populum ipsum, qui addidit, contra mandatum Dei, è suis figmentis verbo Dei. Hinc Paulus omnes superstitiones ἐθελοθρησκείας vocat, id est, voluntarios cultus, quasi dicat, cultus qui non sunt ex voluntate Dei, sed nostra.

Colligimus hinc. Omnes cultus qui non sunt ex Deo, id est, ex voluntate Dei, & ex eius verbo, legeque desumti, sed ex nobis aliisque hominibus excogitati sine Dei verbo, dãnati. Si quid enim sit in Ecclesia, de quo Dominus dicere possit, sicut ait hic per Prophetã, Hoc non est ex me, sed ex Israele, sed ex hominibus, illud improbatur Deo. Huc illud Iesaiæ. *Frustrà colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum* Huc illud Col. 2. *Si mortui estis cum Christo, ab elementis huius mundi: quid adhuc ritibus oneramini, Ne attrecta-*

ueris, ne gustaueris, ne tetigeris? Quæ ipso vsu omnia pereũt, præcepta ex mandatis & doctrinis hominum, quæ speciem quidem habent sapientiæ in cultu voluntario & *ἐθελοθρησκείᾳ*. Ac proinde colligimus, nõ licere quidpiam in religione, extra seu præter verbum Dei, excogitare & statuere. Quidquid ergò ex nobis est, est peccatum: & sic inquit, Ex Israele est, quasi dicat, Quidquid est ex Israele, malũ est. Etiam hic vitulus est ex Israele. Ergo res mala & impia est.

Quò ad secundum, ait: *Artifex fecit eum*. Deridet populi amẽtiam, quòd ante vitulum quasi in conspectu Dei se prostituat & colat eum, cùm ille neque Deus sit neque aliquid in eo diuinitatis. Duobus autem argumentis demõstrat illum non esse Deum. 1. Sumitur à caussa efficiente, hoc tale est: *Artifex homo fecit eum*. Ergo non est Deus: neque enim homo aut vllus artifex fabricare potest Deum aliquem. 1. Imò etiam alterum argumentum hinc peti potest, id est, ex verbo *Facere*, concludique, non esse Deum sic. Est factus ab aliquo. Ergò non est Deus: neque enim Deus fieri potest, quia nec Deus seipsum, nec alium Deum facere potest. Ideò de persona filij quia est Deus dicimus genitum non factũ. 2. Alterum argumentum ducitur à caussa materiali, sic. Vitulus est ex materia corruptibili. Ergo non est Deus. esse verò ex materia corruptibili probat ab euentu dicens: *In frusta erit vitulus Samariæ*. Vel simpliciter dicamus, ab euentu Prophetam demonstrare in vitulo illo nullam fuisse potentiam, nullum numen, nullam vim saluãdi. Vitulus iste redigẽdus est in frusta. Ergo nulla in eo est diuinitas, nulla potentia, nulla vis: nam si vlla in eo esset vis, quomodo permitteret, se in frusta scindi: si autem nõ potest seipsum seruare, ne scindatur in frusta, quomodo igitur aliis poterit salutem conferre? quæ igitur est amentia, quòd Israelitæ ante illum procumbant & ab eo salutem exspectent?

Est etiam hoc argumentum diligenter obseruandum & vsurpandum contra Papistas, qui substãtiam panis, in substantiam corporis Christi verti dicunt, ideóque Christum ipsum, sub illis speciebus panis & vini contineri. Argumentor sicut Hoseas. Panis hic substãtialiter in frusta scinditur. Corpus autem Christi nunc glorificatum, in frusta scindi non potest. Ergo neq. panis ille, qui videtur & teritur dẽtibus, est propriè ipsum corpus Christi substantialiter, neq. in eo localiter inclusus est Christus. Quæ igitur amentia, quòd Papistæ tamen illum adorent, per plateas, tanquam Deum, circumgestent, ab eo salutem petant & exspectent?

Eadem verò hæc argumenta vsurpanda sunt contra Papistas, cum ante imagines procumbunt, tanquam ante Deũ, & ab illis, tanquam à Deo, salutem aliquam exspectant. Quanta est hæc amentia vestra, procumbere ante id, quod fabricauit homo, & quod in frusta scinditur, à tineis corroditur: ac proinde quod non est Deus, neq. in quo est numen vllum? aut quis furor est iste vester quòd salutem ab eo idolo exspectatis, in quo nulla est vis & potentia, qua se ipsum seruare à corrosione possit: quam igitur salutem vobis adferre potest?

At habent suas excusationes Papistæ, se non adorare idola, sed Deum, qui in cœlo est. Imagines autẽ repræsentare Deum Christum. Resp. Eadem erat excusatio Israelitarum neque enim ita brutæ erant bestiæ, vt dicerent, se propriè vitulos adorare, sed Deum in cœlo, verùm ante vitulos, tã quam symbola, quibus repræsentabant Deum. Propheta autem non admittit hanc excusationem, sed quia procumbere & genua flectere, petereque salutem (cum de religione agitur) est actus, qui soli Deo præstari debet: iccircò qui ante imagines hoc faciũt, reipsa prædicant illas imagines esse Deum. Probat autem Propheta, non esse Deum. Sunt ergo idololatræ amentissimi.

Non dubito tamen, quin iis postremis verbis *In frusta erit vitulus Samariæ*, non solùm probet vitulum illum non esse Deum, à caussa materiali, seu ab euentu, vt dixi, sed etiam prædicat apertè destructum iri totam illam Israelis superstitiosam religionem. *In frusta erit vitulus*, id est, tota illa religio destruetur. Ac proinde obseruandum est ex hoc loco, nullam falsam religionem perpetuò duraturam: *quia omnis plantatio, quam non plantauit pater meus, eradicabitur*. Dictum quidem illud fuit de Pharisæis reprobis, de quibus dixerat, *Sinite illos: cæci sunt*: sed tamen ad omnes etiam religiones, & cultus, qui sunt à Deo non instituti, sed ab hominibus applicari potest.

VI. *Quia ventum seminabunt*, seminant, *etiam turbinem metent: culmus non est* semini erit, id est, non nascetur, *germen*, quasi dicat, quòd si nascatur germen, *non faciet* producet *farinam*, *si fortè fecerit* farinam, *alij deuorabunt eam*.

Hoc versu docet Propheta, Israelitas ex sua tùm ventosa, falsáque religione, tum inani in suis fœderatis regibus confidentia, nihil, nisi ventum, vanitatem, & confusionem & irã Dei reportaturos. Ac proinde, dùm sese in tàm peruerso cultu exercent, & deserto Deo modò ad hunc, modò ad illum regem, auxilij captandi caussa discurrunt, oleũ & operam, vt est in prouerbio, perdere. Hoc autem facit, communi vulgarique vtens prouerbio, quo dici solet: *Vt sementem feceris, ita metes*. Prouerbium hoc tùm in scripturis, tùm etiam apud profanos scriptores vulgarissimum est. Cicero de Oratore vsus est hoc prouerbio his verbis: *Vt sementem feceris ita metes*. Sed profanis scriptoribus relictis, ad scripturas venio. 2. Cor. 9. *Qui parcè seminat, parcè etiam metet*. Gal. 6. *Quæ seminarit homo, hæc & metet. Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem. Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam*. Ita hic Hoseas. *Quia seminant ventum, turbinem metent*, quasi dicat, Quia vanam & hypocriticam religionem, vanáque cõsilia sequuntur: iccircò etiam inde nihil nisi vanitatem consequentur.

Duo igitur hic docet Propheta. 1. Totam illam Israeliticam religionem esse meram vanitatem, inanem pompam, ventosámque ostentationem, quin & omnia illorum cum regibus gentium fœdera, omnia denique illorum studia & consilia, quibus nitãtur se contrà Deum defendere, illiúsq. iudicium fugere, prorsus esse vana: quia quidquid agunt tũ in religione, tùm in politia, etsi aliquam habeat speciem tum pietatis, tum prudentiæ: illud tamen totum nihil est, quàm vanitas, & perinde est, atque si ventum seminent. 2. Nihil igitur ex iis suis vanitatibus reportaturos, nisi vanitatem, irámque diuinam. Inanem igitur & vanam esse totam ipsorum fiduciam, quam tunc in sua peruersa hypocriticáq. religione, tum in suis fœderatis regibus, studiis, & conatibus, collocârunt: omnia enim illis malè cessura.

Quò ad primum, ait, *Quia ventum seminant*. Quis dicitur ventum seminare? ille qui per agri sulcos more seminatoris incedens, manum quidem iactat, & videtur seminare, sed nulla spargit semina. Metaphoricè igitur is ventum dicitur seminare 1. qui aliquam quidem pietatis & religionis speciem obtendit, sed reuera nullam habet pietatem. 2. omnes qui falsas & peruersas religiones sequuntur: quia videntur quidem, Deo suis ceremoniis inseruire, sed nil minus faciunt, cum non sint grati Deo illorum cultus. 3. denique omnes qui sine verbo Dei aliquid agunt salutis consequẽdæ caussa, quoniam solum Dei verbum, est semen quod fructum adfert, aliquid igitur sine verbo Dei agere est sine semine, instar seminatoris, manum per agrum iactare, ideóque ventum seminare.

Cùm igitur ait, *Israelitas ventum seminare*, illud refero tum ad religionem, tum ad politiam, quòd scilicet & hypocritica peruersáque illorum religio mera erat vanitas, & omnia illorum cum regibus fœdera, omnia consilia, studia, & conatus, quibus contra Deum defendere se nitebantur, inanes erant fumi.

Quia ergo solum Dei verbum est semen ad vitam æternam: icircò quidquid pro salute & vita assequenda citra verbum Dei faciunt homines, illud totum esse inanem laborem, merámque vanitatem. Quid igitur faciunt Papistæ, cum pro remissione peccatorum missant, boant, ieiunant, capiunt indulgentias? ventum seminant: quia sine verbo Dei, omnia illa agunt. Deindè, etiamsi aliquid agas, quod mandatum sit in verbo Dei: si tamen non agas iuxta verbum Dei, id est, Ex fide & syncero cordis affectu, ventum seminas. Quid igitur agunt omnes hypocritæ, qui sine fide & sine resipiscentia, frequentant cœnas dominicas, faciunt eleemosynas, ieiunant, orant, si omnia sine fide? ventum seminant: quia videntur quidem hominibus, seminare opera ad æternam vitam consequendam, sed quia sine fide & spiritu Dei illa præstant opera, coram Deo nil nisi ventum seminant. Duo igitur necessaria sunt. 1. Vt nil agamus, quod non habeat testimonium in verbo Dei. 2. Vt etiam illa quæ testimonium habeant à verbo, agamus iuxta verbum Dei, id est, ex syncera fide.

Quò ad alterum, ait: *Turbinem metent*. Turbo est ventus vehemens, ex depressæ nubis specu, obiecta quæque deturbans, duo significat: Vanitatem, & iram Dei. Indicat igitur, Israelitas nõ solum nullũ bonum fructum ex suis vanis superstitionibus & inanibus contra Deum studiis, relaturos, sed etiam loco boni fructus tum vanitatem ac confusionem, tum iram Dei vehementissimam reportaturos. Superstitiones enim colere, & alia peccata contra Deum admittere, est seminare semen iræ Dei. Sicut Rom. 2. *Thesaurizas tibi iram*. Ergo inde metent tales homines turbinem iræ Dei. Quare metere turbinem, plus significat quam

simpliciter

simpliciter inanes ferre labores. Significat enim, impios homines non solùm oleum & operam suis superstitionibus perdere, sed etiam iram Dei aduersus se excitare. Ergò quia seminant ventum, turbinem metent. Ad hoc prouerbium pertinet & illud Græcis poetis familiare, κακῶς κακὰ cui simile illud Christi. Matth. 21. *Malos male perdet.*

Postea explicationis caussa persistens in sua metaphora, addit, *Non es culmus* erit, quod si tamen culmus surgat, *germen non faciet farinam*, id est, nullum proferet fructum, vnde farina colligi possit. Est elegans allusio in Hebræis verbis inter *Tzemach* & *Kemach*. Sed esto, germen producat farinam: tamen Israelitæ non ista fruentur, sed hostes sui: adeò subdit. *Si fortè produxerit, extranei deuorabunt.* Sensus est: Etiamsi Israelitæ aliquid auxilij consecuti fuerint à suis fœderatis: tamen illud parum eis proderit, quia efficiam, vt eâ ope illorum hostes vtantur ad illos perdendos. Summa est. Inanis est fiducia Israelitarum, quam in suis superstitionibus, fœderibus, studiis, consiliis, collocant: quoniam tota illa superstitio, & omnia eius consilia vana sunt, & nihil habent solidum & sunt perinde, ac si quis ventum seminet. Quem igitur fructum colligent? nullum bonū, sed tantùm turbinem & iram Dei. Obseruandus hic locus de fructu, quem impij & superstitiosi homines è suis superstitionibus & aliis peccatis reportant. Quem? vanitatem & confusionē, imò turbinē iræ Dei omnia vastantis.

Obseruent Papistæ hunc locum. Adeunt Missas, inuocant sanctos. Quare? quia putant, se remissionem peccatorum inde consecuturos. At quid metent? turbinem. Illis suis missis non est culmus, nec germen producet farinam, id est, nullum adferunt fructum, & si fortè producunt, id est, aliquod temporale beneficium inde capiunt, extranei deuorant illud, id est, parum illis prodest, quia in suam perniciem illud etiam eis tandem cedit.

VIII *Deuoratus est Israel, nunc fuerunt*, id est, erunt *inter gentes sicut vas, non beneplacitum* nomini *in eo.*

Denunciat hic Israelitis pœnam suæ superstitionis & fiduciæ, quam in regibus fœderatis posuerant. Repetit enim & inculcat pœnas, quas daturi sunt Deo propter suam defectionem, antè quam eas dent, quasi iam sentiant, & ita sensu suorum malorum tacti resipiscant, ait ergò: *Deuoratus est Israel.* Indicat non solùm bona Israelitarum consumenda ab hostibus, vt antè dixit: *Extranei deuorabunt eam farinam*, sed etiā ipsum populum deuorandum. Quomodo? cùm ab hostibus quasi aperto ore, omnes simul captiui inter gentes abducti fuerunt.

Deinde ait: *Nunc erunt inter gentes.* Explicat quomodo populus ipse vorabitur, quia scilicet omnes inter gentes quasi in ventrem traiicientur. *Nunc*, inquit, *erunt*: quia breui erant ducendi in captiuitatem, digna pœna tali peccato. Israelitæ fuerunt per Deum è gentibus selecti in peculiarem populum, in hunc finem, vt sinerent se à Deo eiúsque verbo regi, nihilque cum gentibus haberent commune. Ipsi verò & defecerunt ab Ecclesia seu regno Dauid, quod erat in tribu Iuda, & gentium superstitiones imitati sunt, fœderáque cum gentibus fecerunt. Iccircò iure optimò etiam è suo regno, & à reliquo populo Dei, inter gentes captiui abducti sunt. Est igitur hæc magna defectionis pœna cùm quis ab Ecclesia segregatus, inter gentes profanas dispergitur.

Tertiò ait: *Sicut vas in quo non est oblectatio*, id est, contemtibile, reiectaneum, vile, putidúmque. Honestatem sermonis seruat Propheta, sed est perinde, atque si dixisset, Erunt, sicut vas testaceum, merdâ intus & foris refertum, quis potest tali vase oblectari? Indicat igitur, fore hunc populum omnibus contemtibilem, & ingratum, & ideò ab omnibus reiiciendum. Quare? quia ipse quoque contemsit & reiecit Deum.

Obseruanda pœna hæc. Qui reiicit Deum, à Deo & hominibus reiicietur. Qui contemnit Deum, reddet eum Deus omnibus contemtibilem.

Sumus omnes nostrapte naturâ, talia vasa, in quibus Deo non est *Chephetz*, sed per Christum repurgamur, & sumus vasa in honorem, in quibus Deo est *Chephetz* beneplacitum. Vnde Luc. 2. *Gloria in excelsis Deo, in terra pax, hominibus εὐδοκία Chephetz.* Sed certè nemo est vas in quo sit Deo *Chephetz*, nisi & ipsi homini sit *Chephetz* in lege & verbo Domini, sicut patet in psalmi primi versu secundo. *Beatus ille, enim* Chephetz *est in lege Domini.*

IX. *Quia ipsi ascenderunt ad Assur, sicut Asinus solitarius sibi, Ephraim conduxerunt amores.*

Historia est 4. Reg. 15. quando Menahem ascendit ad Phul regem Assyriorum & talenta multa, vt regni protector fieret, dedit.

X. *Etiamsi conduxerint inter gentes* amatores, fœderatos, *nunc colligam eos, & dolebunt paululum ab onere regis & principum.*

Sunt simul legendi ij duo versus. In primo peccatum populi explicat, defectionem scilicet à Deo ad gentes, quibus cum fœdus fecit populus. In secundo versu, est pœna talis defectionis seu peccati.

Quò ad primum, id est, peccatum, ait: *Quia ipsi ascenderunt ad Assur.*

Primò defectionem populi apertè explicat dicendo, *Ascenderunt ad Assur*, scilicet auxilij captandi caussa, & ita à me defecerunt. Deinde duobus similibus peccatum populi exaggerat. Primum est ab asino, seu ab onagro desumtum: comparat enim populum asino, nec simplicia sino, sed onagro, id est, asino siluestri. Alterum est ab impudicâ & perfidâ vxore petitum: comparat enim populum impudicæ & perfidæ vxori.

Quò ad peccatum populi ait, *Ascenderunt ad Assur*, sc. fœderis cum illo faciendi & auxilij capiendi caussa, quasi dicat, A me ad Assur defecerunt, auxilij capiēdi caussa, quasi Ego non possem illum ab hostibus omnibus defendere: signum hoc est infidelitatis. Deus n. promiserat, se fore illi in perpetuū protectorem, modò & ipse fidem datam seruaret, vt sc. contineret se in verbo & lege Domini, sineretque se a Domino regi. Populus neque fisus est Deo, neque fidē Deo datam seruauit, quia legem transgressus est pertinaciter. Ergò cùm sensit Dei iudicium contra se, non ad Dominum rediit, sed ad Assur, auxilij, quo Deo resisteret, capiendi gratia: hoc est peccatum populi, quod hic Propheta ei exprobrat, sed cum sarcasmo legendus est totus iste versus. Bene populus ascendit ad Assur, sicut asinus. At Ego etiamsi conduxerint amatores, colligam eos.

Videmus, quàm graue peccatum sit, non redire ad Dominum, cum cædimur ab illo, sed ad humana auxilia confugere, quibus Deo resistamus. Est hæc magna & deridenda vesania, quasi possimus Dei iudicium euadere: propterea, vt dixi, cum sarcasmo legendus est hic versus: deridet enim Deus vesaniam populi.

Nunc addit duo similia quibus meliùs populi peccatum exaggerat. Primum est, *Sicut onager*. Non simpliciter ait, sicut Asinus, sed sicut onager: sunt enim duo asinorum genera, teste Varrone de re Rustica lib. 2. ca. 6. Vnum domesticum & mansuetum, ideò ad onera portanda, & alios vsus accommodatum: tales sunt omnes asini in Italia huius generis erat & ille, quem equitauit Dominus cùm ingressus est Hierosolymam.

Alterum ferum & siluestre, ij appellantur propriè à Latinis & Græcis Onagri, quasi ὄνοι ἄγριοι, Hebræis *Pere*. Illud primū appellatur Hebræis *Chamor*, vt apud Ies. 1. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini.* Secūdi generis asini, id est, onagri permulti sunt, teste Varrone, in Phrygia & Lycaonia. Hinc igitur alteri asinorum generi comparat Hoseas Propheta suum populum dicens: *Ascendit ad Assyrium sicut onager*, nō autem simpliciter sicut asinus. Quare? Multæ certè sunt caussæ, sed hæc est vna præcipua, vt indicaret eum populum verè siluestrem, ferúmque & indomitum, qui nullo modo potuit vnquam cicurari, ita vt sineret se à Deo regi, & in stabulo Ecclesiæ retineri, sed vt ferus onager semper fugiebat à Deo, Deique conspectum ferre non poterat. Aufugit à stabulo Ecclesiæ, quando defecit à regno Dauid, & a tribu Iehuda, vbi erat vera Ecclesia. Postea fugit à Deo ad Assur & alios reges, erat vsq; adeò ferus, vt nē posset in ordine retineri, semper vt ferus & siluestris asinus, in solitudinē fugiebat, ideò ait: *Solitarius sibi.* Quæ hæc solitudo? desertio veræ Ecclesiæ & populi Dei. Cùm quis deserit Deū, & Ecclesiā, verè solitarius est sibi, etiamsi cōsortium habeat cum hominibus profanis & huius mundi. Hæc est præcipua caussa, cur onagro comparet populum, & dicat. *Ascenderūt ad Assur, sicut asinus syluestris, solitarius sibi.* Primò igitur hac similitudine perstringit populū brutę feritatis, quòd tot tantísque tùm admonitionibus, tum reprehensionibus, tum flagellis, tum beneficiis Dei, nunquam domari & cicurari potuerit, vt se in domo Dei contineret, sineretque se duci & regi à Deo.

Deinde Ægyptiis, qui non literis sed hieroglyphicis vtebantur, asinus pictus significabat hominem stupidum & rerum imperitum, hominem sine iudicio & sine ingenio. Hinc deinde etiam Latini & Græci hominem indoctum, imperitum, & stupidum, Asinum appellārūt. Hinc illa prouerbia *Asinus ad lyram: asello fabellam canere surdo.* Ideò Cicero in Pisonem: *Quid nunc te asine literas doceam? non opus est verbis, sed fustibus.*

Scipio apud Numantiam, C. Metello, hanc mentis tarditatem exprobrauit hac asini similitudine, quando dixit: *si quintum pareret mater eius, asinum fuisse parituram.*

Vlysses etiam apud Plutarchum in Gryllo, dixit, *omnia bruta animalia ratione aliquâ vti, asinum tantùm ac pecudem ab omni rationis vsu remotos esse.*

Non dubito igitur, populum hunc Israeliticum asino comparatum fuisse, vt illius stupiditatem ingeniique tarditatem & ignorantiam Dei perstringeret, quòd scilicet tamdiu fuisset in Schola Dei & tamen nunquam potuerit erudiri, vt verè Deum agnosceret. Ergò ascenderunt, sicut asinus impetiros, stupidus, stolidus.

Tertiò, Nomine etiam asini notari solet plerúmque homo ignauus & piger, qui etiamsi benè eum verberes: tamen a suo lento gradu amoueri non potest, pellem enim duram & carnes durissimas habet: ideò pro ignauo homine, pigro, tardo, & (vt nos Itali dicimus) poltrone capitur, quòd sicut tardi est ingenij: sic etiam tardi incessus est asinus. Hinc mola inferior in pistrino, ὄνος, id est, asinus in ipso etiam Euangelio appellatur, à tarditate quæ asini propria est, sic dicta, neque enim mola illa mouetur.

Ergò hanc etiam ob caussam Propheta populum hunc asinum appellauit, vt indicaret eius ignauiam, nempe in rebus diuinis, quod scilicet, licet diu vapulârit, grauiter cæsus à Domino: tamen nunquam incitari ad obsequendum Deo potuit, sed contrà, cùm deberet progredi in via Domini, ille retrogressus est, & defecit à Deo ad regem Assur. Ergò ascenderunt ad Assyrium sicut asinus.

Multæ certè sunt asini, præsertim onagri, proprietates, quæ huic populo Israelitico optimè conueniunt, sed nimis prolixus essem, si singulas explicare vellem. Deinde satis est, mentem Prophetæ aperuisse, cur scilicet onagrum appellet hunc populum, nempe propter illas tres præcipuas caussas, propter feritatem, propter stupiditatem, ignorantiam Dei, & propter ignauiam in voluntate Dei facienda.

Caueamus etiam nos, ne simus asini, multò minus simus onagri in rebus diuinis. Nec dubito, quin Propheta alluserit ad vaticinium Iacobi Gen. 49. Quando Issachar appellauit asinum osseum inter duas sarcinas cubantem: erat autem illa tribus vna ex decem, ad quas Hoseas prophetabat.

Alterum simile est ab vxore impudica & perfida deductum. *Ephraim*, inquit, *conduxit amatores.* Vult autem innuere, quod Israelitæ sua pecunia ambiuerint, & quasi emerint societatem, amicitiam & confœderationes cum Assyriis, Ægyptiis & aliis vicinis gentibus, quarum auxiliis plus confidebant, quàm Deo, & sic spiritualiter mœchabantur & à Deo deficiebant.

Etiam quòd conduxerint mercede gentes, non proderit, nunc enim congregabo eos] scilicet gentes contra Israelitas ipsos.

Alij sic accipiunt: Et licèt conduxerint gentes: ego tamen congregabo illas.

Et dolebunt paululum propter onus regis. Vel, *cœperunt conqueri propter onus*, id est, tributum, quòd sint tributarij.

11. *Quia multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum, erunt ei altaria ad peccandum.*

In hoc versu est & peccati reprehensio, & denunciatio pœnæ contra peccatum.

Peccatum quod hic reprehendit, est non simplex idololatria, sed & interna cordis in ipsa idololatria obstinatio, & externa diuersarum superstitionum propè in infinitum multiplicatio. Sed interna cordis obstinatio ab externa superstitionum in immensum multiplicatione, concluditur: neque enim externas superstitiones quotidiè auxissent, nisi intus in corde ad idololatriam & peruersam religionem occalluissent. Cùm ergò ait: *Quia multiplicârunt altaria ad peccandum*: Vnum disertè docet, superstitiones in Israele auctas in immensum fuisse: *multiplicârunt*, inquit, *altaria ad peccandum.* Alterum, necessariò innuit Israelem in suis superstitionibus ita obduruisse, & illorum amore, atque ardore æstuasse, vt nunquam satis auctæ sibi esse viderentur: ideò quotidiè multiplicabant altaria ad peccandum. Nomine *Altarium*, synecdochicè complectitur omnes superstitiones.

Cæterùm non sine caussa nominauit altaria: quia illa videbantur sacrosancta, vtpote supra quæ sacrificia offerrentur Deo, supra quæ starent idola, supra quæ denique totus ferè cultus exerceretur. Totum ergò cultum iure complexus est nomine altarium.

Illud verbum *Multiplicauit*, & in plurali *Altaria*, ostendunt præuaricationem legis. Deus enim volebat, vt vnum tantùm esset altare, supra quod victimæ à sacerdotibus offerrentur, idque in vno tantùm templo Solomonis. At Israelitæ multiplicârunt altaria passim in suis collibus.

Neq. simpliciter ait, *Multiplicarunt altaria*: hoc enim erat perspicuum, & Israelitæ gloriabantur, se multiplicasse altaria, quasi egregium opus fecissent & Deo gratum, sed addit, *Ad peccandum.* Hæc particula est vera interpretatio & explicatio totius cultus Israelitici, qualis scilicet esset totus ille cultus in Israel, & quò reuera spectaret: nempe ad peccandum, ad transgrediendum legem Dei, ideóque totus ille cultus impius erat. Ac proinde hac particulâ omnes bonas Israelitarum intentiones (vt vocant) omnésque excusationes, quibus suum cultum defendebant, damnat & friuolas esse ostendit, docétque, non esse spectandos fines hominum & bonas illorum intentiones, sed verbum Dei. Illi hac intentione, & in hunc finem erexerunt & multiplicarunt altaria, vt ibi sacrificia Deo offerrent, Deóque gratificarentur. Videbantur igitur ad gloriam Dei fuisse illa altaria multiplicata. Sed Propheta spectato Dei verbo aliter pronunciat, & ait, illa altaria, in nullum alium vsum esse, aut seruire, nisi ad peccandum. Putabant item Israelitæ, postquam supra altare sacrificium obtulissent, se debitum cultum Deo præstitisse. At Propheta ait, eos ibi nihil facere, nisi peccata: ideóque quantò magis putent se Deo gratificari, dùm multiplicent altaria & sacrificia, eò magis in Deum peccare: quia altaria illa non sunt, nisi ad peccandum, & quantò magis putent se mereri apud Deum gratiam, multiplicando altaria & sacrificia, tantò magis iram Dei contra se prouocasse. At quare subinde in hanc idololatriam inuehitur omnibus ferè concionibus? Quoniam ita sibi placebant in sua idololatria, quam iudicabant esse optimum Dei cultum, vt non facilè inde auelli possent, & ita hæc quercus idololatriæ obduruerat, vt non ictu vno aut altero deiici facilè posset. Altaria sunt tamen ad peccandum, multiplicârunt autem altaria. Ergo & sua peccata multiplicarunt: ideò, quò plus putant se demereri Deum, eò plus illum lædunt.

Videmus, quanta fuerit Prophetæ παῤῥησία, id quod erat apud Israelitas sanctissimum: nempe altare, ipsum pronunciat, esse impurissimum: quia tantùm ad peccandum valet. Quare? quia certò sciebat, esse præter & contra verbum Dei. Ergò discant concionatores, cùm certò sciunt, aliquid non esse secundum verbum Dei, etiamsi sit speciosissimum, & meram pietatem præ se ferat: tamen ne metuant illud appellare iis nominibus, quibus etiam Prophetæ vsi sunt. *Altaria ad peccandum.*

Quid ergò in Papatu sunt tot altaria supra quæ missant, supra quę sua habent idola, in quibus inclusæ sunt reliquię mortuorum, aliæque innumeræ idolomaniæ? Papistis his nihil est sacrosanctius: at nobis nihil debet esse magis abominandum. Quare? quia contra verbum Domini sunt erecta. Dominus enim Iesus abolitis omnibus altaribus veteris testamenti, illorum loco mensam vnam instituit simplicem, ligneam, sine ossibus mortuorum inclusis, sine idolis, suprà illam iussit fieri cœnam, in sui memoriam, illi voluit assidere Apostolos & reliquos fideles, & illos omnes comedere & bibere corpus & sanguinem suum. Illi reiectâ Domini mensâ erexerunt altaria veteris testamenti, imò gentilium, & in Ecclesiam reuocârunt supra illa offerunt sacrificium abominabile, cùm dicant esse sacrificium pro peccatis, supra illa habent idola, ad illa inuocantur mortui, ibi adorantur reliquiæ mortuorum & imagines, ibi incensum idolis iactatur, ibi blasphematur Christus, ibi sanguis Christi conculcatur, ibi denique horrendissima omnium, quæ vnquam fuerint à condito orbe, idololatria quotidiè admittitur, dùm panis pro Deo ipso adoratur, & Deus hic, in illis altaribus concluditur, quasi captiuus & vinctus, ne inde exire queat. Quid igitur magis abominabile nobis esse debet illis altaribus? Dicamus ergò cum Propheta: *Fecerunt & multiplicarunt sibi altaria ad peccandum: multiplicarunt ipsi*, inquam: quia non Dominus multiplicauit, neque iussit, sed Ephraim ipse contra verbum Domini, sed Papistæ ipsi contra verbum Domini multiplicarunt altaria ad peccandum, id est, ad faciendas idololatrias & abominationes. Quid enim sibi in vno & eodem templo volunt innumera altaria, ad multiplicandas Missas? Missa autem est abominatio coram Deo. Ergò ad multiplicandas abominationes. Quot ergò sunt altaria in Papatu, tot ibi sunt aræ dæmoniorum & domicilia peccatorum & scelerum contra Dominum.

Sequitur nunc pœna peccati, ait: *Erunt ei altaria ad peccandum*, quasi dicat. Quia contra verbum Domini multiplicârunt altaria ad peccandum: iccircò in pœnam hoc peccato dignam erunt eis altaria ad peccandum: est hoc simile illi dicto Ioannis in Apocalypsi cap 22. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Hæc est grauissima pœna, cùm peccatũ peccato punitur, quasi dicat: *Quia volunt perire, pereant: quia volunt peccare, peccent igitur, non Ego impediam.* Quæ grauior ira Dei, quàm cùm propter nostram obstinationem, statuit, nolle nos à nostris peccatis, à nostróque ad inferorum

præcipitiâ

præcipiti cursu impedire ac retineret? Quia igitur inquit, Ephraim multiplicauit altaria ad peccandum, sunto illi altaria ad peccandum. Peccet igitur, & quod vult agat & habeat. Non potest ergò Papistis grauior pœna contingere, suæ in idololatriis obstinationis, quàm quòd Deus permittit, vt perpetuò sint illis altaria ad peccandum, & non vult illis altaria destruere, non vult eos à suis idololatriis impedire, non vult illos à cursu, quo ad orcum properant, retinere. Ergò quia multiplicârunt altaria ad peccandum, sunto illis, non nobis, altaria ad peccandum.

XII. *Scribam illi preciosa legis meæ, sed tanquam alienum reputata sunt.*

Potest bifariam legi primum membrum. 1. futurum pro præterito: hęc est receptior exemplo. 2. vt futurum maneat, sed per interrogationem legatur: *Scribam illi honorabilia legis meæ?* quasi dicat digníne sunt, quibus honorabilem legem meam scriptam tradam? minimè. Quare? quia tanquam res aliena reputata fuit ab illis. Hieronymus ad hanc videtur accedere. *Scribam ei*, inquit Deus, *alias rursus leges? sed quid prodest rursus alias scribere, cùm contemserit eas, quas antè inspexit.* Priorem tamen lectionem sequar quia magis recepta ab Hebræis & aliis doctis interpretibus.

Hic Propheta introducit Deum loquentem & disertè explicantem, quo in re propriè positum fuit populi peccatum: in hoc, quod cum Dominus dederit ei pretiosam suā legem, ad cuius normam volebat populum, totum Dei cultum, & totam suam vitam, conformare, sed quam volebat illi esse perpetuam regulam totius & cultus & vitæ, ipse populus eam, ceu rem alienam & ad se non pertinentem, contemsit, neglexit, & illius loco suas lectoros est imaginationes, multiplicauit altaria, & fecit mirabilia. Hoc fuit peccatum populi.

Consequenter hic tradit regulam, quâ discerni possit verus cultus à falso, bonum opus à peccato. Quæ est hæc regula? Lex Dei. *Dedi eis*, inquit, *pretiosa legis meæ*: vt scilicet ea sola eis esset regula omnis cultus & totius vitæ. Ergo illi cultus & illa opera, quæ sunt ad normam & regulam verbi Dei facti sunt veri cultus Deo grati, & vera bona opera.

Et tanquam res aliena reputata sunt, id est, tanquam rem alienam & ad se non pertinentem, neglexerunt, quasi dicat, non iuxta legem meam, sed iuxta suas imaginationes, tum cultum, tum suam vitam instituerunt. Subest enim tacita antithesis inter legem Dei pretiosam, & putidas hominum imaginationes. Hoc autem fuit populi peccatum, quod neglexit legem Dei, & suas imaginationes est secutus. Ergò omnes illi cultus, & omnia illa opera, quæ non ad formam legis Dei, sed ad formam humanarum excogitationum fiunt, impii cultus sunt & peccata coram Deo. Hæc est regula discernendi verum cultum à falso, & bonum opus à malo seu à peccato, forma scilicet legis Dei, seu obedientia vel inobedientia in legem Dei: quia bonum opus est obedientia legis Dei: peccatum igitur est inobedientia contra legem Dei, peccatum enim est ἀνομία.

Hoc cum ita se habeat: ergo hac regula docet Propheta, cur versu præcedente damnarit altaria Israelis, dicens, illa fuisse multiplicata ad peccandum. Quare? quia non secundùm legem Dei, sed iuxta suas imaginationes, bonásque, vt vocant, intentiones, ea multiplicarunt. Dedi eis legem meam in qua scilicet mandaram vt vnum tantùm esset altare Hierosolymis. Ipsi verò Israelitæ, neglectā meā lege, multiplicârunt altaria, existimantes, hoc fore melius, quam si vnum tantum esset altare: plures enim etiam oblatum iri victimas. Atque non meminerunt illius 1. Reg. Deum velle obedientiam, qua scilicet suæ legi obediatur: non autem ipsa sacrificia & victimas, quas scilicet homines excogitant & multiplicant. Ergo iure pronunciauit Propheta, altaria illa omnia fuisse tantum ad peccandum, & quo plura erunt altaria, tantò plura fieri peccata.

Hæc est summa huius versus, & diligenter retinenda est hæc doctrina & regula quam hic tradit Dominus: in hac enim sita est tota Theologia, vt sciamus discernere verum cultum à falso, veram doctrinam à falsa, bona opera à peccatis, quid Deo placeat, quid displiceat, quid velit, quid nolit, quid mandet, quid prohibeat. Hac autem regula hîc tradita, facilè hæc omnia discernuntur. Ergo firmiter tenenda est hæc regula, & hac audacter iudicandæ sunt omnes religiones & sectæ.

Sed nunc singula verba percurramus. *Scripsi*, non ait, *Reuelaui vel tradidi*, sed *Scripsi*. Ergò quidquid Deus à nobis vult, siue ad religionem pertinens, siue ad mores, illud totum esse scriptum. *Scripsi ei pretiosa legis meæ*, id est, totam meam diuinam legem: ac proinde non est recurrendum ad traditiones, neque ad consuetudines, neque ad nouas reuelationes & enthusiasmos, sed ad scripturam.

Neque ait, *Moses*, sed *Ego scripsi*. Scriptura ergò sacra non est Mosis aut Prophetarum scriptura, sed Dei.

Ei scilicet Israeli Scriptura igitur sacra, ceu thesaurus Dei fuit in Israele depositus. Rom. 3. *Concredita sunt illis eloquia Dei*: ac proinde non excusari poterat Israel, cum haberet legem Dei apud se scriptam & depositam. Eò igitur grauior fuit eius culpa quòd neglectā Dei lege, secutus sit suas imaginationes, & tantum honorem sibi delatum non agnouit. Et si verò Israeli fuit scripta: non tamen propter eum solum, sed etiā propter nos Israelitas secundū spiritū.

Pretiosa legis meæ, seu pretiosam & admirabilem legem meam. Hoc est elogium legis Dei proprium. Est autem lex Dei ipsa Dei voluntas. Quidquid ergò pretiosum & admirabile habuit Dominus, quod nobis posset reuelari, illud totum in sua lege nobis reuelauit, & quidquid boni à nobis volebat Dominus, illud totum in sua lege nobis præscripsit. Est pretiosa lex Domini. Ergo est diligenter conseruanda. Est admirabilis: quia ibi sapientia Dei admirabilis continetur. Ergo non debet contemni, sed debemus eā admirari. Quare, quod vel Israelitæ contemserint eam, vel nos contemnamus, nulla nobis certè esse potest excusatio. Est admirabilis & pretiosa. Ergo nil in ea deest, quod ad salutem & perfectionem pertinet. Nihil ergò vltra hanc admirabilem sapientiam est quærendum.

Tanquam extraneū quid reputata sunt. Magna igitur populi fuit ingratitudo, quod, cū sub illa lege à pueritia fuerit educatus: tamen posteà illam, ceu rem extraneam, & ad se minimè pertinentem contemserit. Hoc vitium etiam inter nos regnat, non tātum inter Israelitas. Reliquas omnes disciplinas admiramur, suspicimus, & tanquam res ad nos verè pertinentes, amplectimur libenter, illis assiduè studemus: at verbum Domini tāquam rem extraneam, & ad nos minimè pertinentem, contemnimus. Sunt quidam nobiles, Theologię lectionem contemnunt. Quare? ad nos, inquiūt, non pertinet, nolumus esse Theologi, volumus tantum iuri & humanioribus literis operam dare, hæc sunt nobis propria: ergò verbum Domini, tanquam quid alienum, etiamnum à nobis contemnitur. Etiam Dominus, vbi venerit dies iudicii, nos tanquam alienos, & qui ad eum non pertinemus, reiiciet dicendo. *Nescio vos, vos estis extranei.*

XIII. *Sacrificia, holocausta mea sacrificant, carnem, & comedunt, Dominus non vult ea, nunc recordabitur iniquitatis eorum, ipsi in Ægyptum reuertentur.*

Bifariam possumus hunc versum legere & interpretari. 1. Sacrificia holocaustorum meorum sacrificāt carnem, & comedunt. Si sic legamus, vt omnes legunt, conuincit hic Dominus Israelitas aperti contemtus legis suæ, sicut versu proximo dixerat, eos suam legem quasi extraneum quiddā reputasse nunc conuincit ita esse. Quomodo? Cùm offerēda erant holocausta, debebant ipsa animalia prorsus comburi (vt etiā notatio nominis indicat:) iuxta legem Domini in Leuitico. At quid Israelitę? non exurebant totum animal, sed illius carnem coctam offerebant.

XIV. *Oblitus est autem Israel factoris sui, & ædificauit delubra*, id est, templa in honorem idolorum.

Et Iuda multiplicauit vrbes munitas: mittam igitur ignem in ciuitates eius, & consumet ædes eius.

ANALYSIS CAPITIS OCTAVI.

1. *Ad palatum tubam.*

1. Iubetur in visione Propheta, tubam ori suo admouere: nō est autem verisimile, Prophetam materiali tubā populo clâxisse. Indicat igitur hac locutione, se tanquam fecialem Domini, aliquid magnum, nempe bellum grauissimū, & ob graues caussas, id est, propter grauissima peccata, populo Israeli denunciaturum fuisse: ac proinde attentos sibi reddit auditores.

2. Maxima breuitate bellum Israelitis denunciat dicēs, *Sicut aquila, Dominus veniet, contra domum Dei* Indicat igitur, præ foribus adesse hostem, ita, vt sibi non vacet multa verba facere: ac proinde bellum populo futurum.

3. Nomine *Domus Dei*, venit cùm vniuersus Dei populus, tum inprimis ac speciatim Israel, id est, decem tribus. Cōtra autem hanc domum bellum futurum denunciat, propter sua scilicet scelera, indicat igitur, iram Dei auerti à nobis non posse solo Ecclesię titulo, & populi Dei nomine, nisi & fides & vera cordis resipiscentia accedat.

4. Nomine *Aquilæ*, venit hic ipse Deus, ipse, inquam, Deus in suę suę ministris, vt in Assur. Est autē aquila primò

cœlestis ac propè diuina auis: deinde velocissima, quæ immensum cœli spatium momento cõficit: Postremo Persis & Romanis insigne fuit victoriç. Indicat igitur Propheta, bellum hoc quod Israelitis denunciat: primùm à Deo tã quã principali autore: deinde derepentè & ex improuiso: postremò cũ hostis, id est, Dei victoria, cõtra illos futurũ.

5. Caussa belli cõtra Israelitas, ideõque illorũ exitij fuit: quoniam transgressi sunt fœdus Dei, & contra legem Dei rebellàrunt. Iustissima igitur fuit illa belli & exitij denunciatio, vtpote contra fœdifragos ac rebelles Dei.

6. Non ait simpliciter: *Quia transgressi sunt fœdus & legem*, sed addit, *Meum & meam*. Indicat igitur, Deum cum irascitur, déque nobis pœnas sumit, ideò irasci & pœnas sumere, non quia transgredimur mandata hominum, sed quia transgredimur legem Dei: ac proinde docet: non esse timendam Dei iram, nisi diuini fœderis, diuinæque legis transgressoribus ac contemtoribus.

II. *Mihi clamabunt, Deus mi, nouimus te Israel.*

1. Cum ait, Israel mihi clamabunt, subintelligendum est *Tantùm*, quasi dicat, tantùm clamabunt, sed nõ resipiscẽt: deinde non ait, *Clamabunt in corde*, sed simpliciter, *Clamabunt*, quasi dicat, voce tantum. Indicat igitur, Israelitas cum viso Deo irato, ad eum clamàrunt, hypocritas fuisse, & pœnitentiam tantum verbis simulasse, non autem ex animo resipuisse.

2. Cùm ait, *Deus mi nouimus te*, μίμησις est, qua cũ σαρκασμῷ hypocritarũ Israelitarum voces, quas in suis precibus iactare solebant, refert. Vnam, *Deus mi*: alteram, *Nouimus te*. Indicat igitur, Israelitas plenis buccis iactare solitos fuisse primùm quidem nomẽ Dei, quòd scilicet Deus esset illorũ Deus, ipsi eius populus, id est, sancta eius Ecclesia. Deinde notitiam Dei & veræ doctrinæ, seu fidem: sed quoniam reipsa, quod iactabant verbis, negabant: icircò innuit, illorum clamores, inanes fuisse voces, & ipsos meros fuisse hypocritas: ac proinde docet, hoc esse proprium omnium hypocritarum ingenium, vt plenis quidem buccis iactent tũ nomen Dei, & Christi, & Ecclesiæ, tum cognitionem Dei & Christi, scientiam scripturarum & traditionum Apostolicarum, denique fidem, sed reipsa & factis negent, sicut Paulus quoque tradit in Epistola ad Titum cap. 1. *Confitentur quidem se nosse Deum: factis autem negant.*

III. *Reiecit procul à se Israel bonum, hostis persequetur eum.*

1. *Zanach* est procul a te aliquid quasi inutile, ingratum, & abominabile, reiicere. Nomine *Boni* venit immediatè, quidquid rectum & iustum est: quoniam autem, quidquid rectum & iustum est, illud totum in verbo Dei traditũ est: ideò nomine *Boni* venit ipsum etiam verbum Dei, adeóque & Christus ipse λόγος & verbum Patris, in quo omne bonũ, totáque Israelitarum salus posita erat. Cum igitur ait: *Reiecit procul à se Israel bonum*, indicat, Israelem inimicum omnis æqui & iusti factum, verbum Dei, ideóque & Christum in verbo fastidiuisse & nauseasse: & icircò illud, ceu rem sibi prorsus inutilem, ingratã, & abominabilem, procul a se reiecisse: ac proinde docet, hoc esse proprium omnium hypocritarum reprobatorum peccatum: nempe, vt, licèt pleno ore iactent nomen & verbum Dei: corde tamen & reipsa illud, tanquam ingratum, inutile, ac contemtibile, procul à se reiiciunt.

2. Primò ait: *Reiecit à se bonum Israel*: Posteà subdit: *Hostis persequetur eum*. Indicat igitur, ideò hostem persecutum fuisse Israelem, & ita persecutum, vt sit assecutus: quoniam Israel reiecit à se bonum: ac proinde, hanc esse debitam & iustam illorum, qui verbum Dei & Christum procul à se reiiciunt, pœnam, vt scilicet destituti bono quod reiecerunt, in manus hostium & omnia mala incidant: nihil igitur detrimentosius, quàm reiicere verbum Dei, & nihil salutarius quàm firmiter retinere verbum Dei, iuxtáque illius regulam, & Dei cultum & totam vitam instituere.

IV. *Ipsi regnare fecerunt, & non ex me.*

1. Cùm ait: *Ipsi regnare fecerunt, & ipsi principes constituerunt*, alludit ad historiam, 3. Reg. 12. cum decem tribus defecerunt à regno Dauid, quod erat in tribu Iuda, nouum sibi regem elegerunt. Cùm verò ait: *Aurum suum & argentum suum fecerunt sibi idola*, alludit ad historiam, quę in eodem libro est & eodem capite, cùm scilicet Iarobeam rex duos fecit vitulos aureos: & eorum alterum in Dan, alterum in Bethel, Israelitis ad cultum proposuit, & populus lubentissimè illos est amplexus. Accusantur igitur Israelitæ, quòd & regnum mutàrunt, & sacerdotium, id est, religionem corruperunt: ac proinde conuincuntur perfidæ ac rebellionis, non simplicis rebellionis, sed rebellionis contra Christum, qui fuit in Iehuda verus & rex & sacerdos.

2. Cùm enim Israelitæ nouo sibi electo rege à regno Iuda defecerunt, non solùm Roboamo Solomonis filio, sed omnibus in vniuersum regibus, qui futuri erant vnquam è tribu & in tribu Iuda, in perpetuum renunciàrunt: futurus autem erat è tribu Iuda & in tribu Iuda rex Messias, seu Christus, id quod non latebat Israelitas. Cum igitur renunciàrunt Israelitæ regibus Iuda dicendo: *Quæ nobis pars in Dauide? aut quæ nobis est hæreditas in filio Isai?* ipsi etiam Christo & filio Dauid consequenter in perpetuum renunciàrunt: ac proinde, cùm hic accusantur & conuincuntur rebellionis, non simplicis rebellionis, sed rebellionis contra Christum filium Dei & filium Dauid accusantur & conuincuntur.

3. Non simpliciter ait: *Ipsi regnare fecerunt*, sed addit, *Et non ex me*, item, *Et Ego non cognoui*, id est, non probaui. Indicat igitur, illos contra mandatum Domini fecisse, cum à tribu Iuda deficientes, nouum sibi regem creàrunt: ac proinde voluntatem Domini fuisse, vt regibus Iuda etiam reliquæ decem tribus in perpetuum essent subiectæ.

4. Historia 3. Reg. 11. disertè tradit, Dominum illum fuisse, qui, vt peccata Solomonis puniret, decem tribus à tribu & regno Iuda auulsit, nouúmque illis regem ipsum Iarobeam dedit. Propheta verò ait, factum hoc non fuisse ex Deo, & Deum non approbasse. Fieri autem non potest, vt verbum Domini secum pugnet. Necessariò igitur vtrumque fatendum est, factum illud & ex Deo & non ex Deo, ideóque & bonum & malum, (sed propter diuersos respectus) & fines fuisse.

5. Non enim simpliciter ait Deus: *Factum illud non fuisse ex se*, sed ait: *Ipsi Israel regem fecerunt*: posteà addit: *Et non ex me*. Indicat igitur factum illud non fuisse ex se, quatenus fuit ex ipsis Israelitis, id est, quatenus ipsi regnare fecerunt Iarobeam, non fuisse, inquam, ex se, sed contra se, ideóque & malum: quatenus verò fuit ex se, vt historia 3. Reg. 11. tradit, non fuisse ex Israelitis, ideóque bonum fuisse. Ergò quatenus ex Deo, bonum opus fuit, & quatenus bonum ex Deo fuit: quatenus verò non ex Deo, sed ex Israele malum fuit, & quatenus malum, non ex Deo, sed ex Israel fuit. Sunt enim hæc correlatiua.

6. Idem enim factum, quod & à Deo & ab Israelitis fuit, diuersos habuit & in Deo & in Israelitis fines. Finis Dei fuit, vt peccata Solomonis puniret. Pœna autem peccati, iustum & bonum est opus. Factum igitur illud, quatenus ex Deo fuit, bonum fuit: & quatenus bonum, id est, pœna peccati ex Deo fuit. Finis Israelitarum fuit, ne ampliùs subiecti essent regibus Iuda: noluisse autem subiici regibus Iuda, contra voluntatem in lege Dei reuelatam fuit: ideóque malum & peccatum fuit. Factum igitur illud, quatenus ex Israelitis fuit, peccatum fuit, & quatenus peccatum, ex Israelitis & non ex Deo fuit.

7. Quare ex verbo Domini apparet, absurdum aut impium non esse, si quis dicat: Peccatum & ex Deo & non ex Deo (sed diuersis respectibus) esse: nullum enim peccatum est, in quo non sit aliquid boni, quando omne malum est in bono, omne autem bonum ex Deo est. Omne igitur peccatum, quatenus est bonum, seu, omne igitur vel factum vel dictum, vel cogitatum contra legem Dei, quatenus est vel dictum, vel cogitatum, vel factum quoddam, (nam quatenus tale, bonum est) ex Deo: quatenus verò contra legem Dei est, seu quatenus peccatum est (nam quatenus tale, malum est) ex Deo non est, sed ex hominibus. Item quatenus peccatum, non est ex Deo: quatenus verò pœna peccati, ex Deo est.

8. Etsi verò, ne Dei prouidentia ab iis, quæ in mundo fiunt, excludatur, necessariò fatendum est, ipsa quoque peccata quodammodo etiam ex Deo esse: tamen ne iustitia Dei peccata punientis tollatur, nullo modo dandum est, Deum autorem esse peccati, idque duabus præcipuè de caussis. 1. Quoniam Deus, etsi tum vires quibus peccatur, tum misericordiam in qua peccatur, sine quibus ambabus rebus peccatũ nullo modo fieri posset) ei qui peccat, subministret: non in hunc tamen finem, vt peccetur, eas subministrat, sed potius in hos duos fines: nimirum vt partim suam erga humanũ genus, dùm beneficia in ipsos etiam impios quotidiè confert, beneficentiam, bonitatémque declaret: partim suam contra peccatum iustitiam, ac seueritatem, dum hac ratione peccata peccatis punit, mũdo patefaciat. 2. Quoniam peccatum, etsi, quoad sui misericordiam, in qua fit, à Deo est: tamen quò ad formam, per quam verè est, & appellatur peccatum, ex Deo non est.

9. Propria enim peccati forma, seu formalis ratio, quę fit, vt peccatum & verè sit peccatum, & propriè appelletur peccatum, est ipsa obliquitas à lege Dei, seu irrectitudo & ἀνομία atque ἀδικία: hæc autẽ à Deo, qui ipsa est rectitudo, & cuius voluntas ipsa est νόμος, esse non potest, sed ab homine, cuius cor est obliquum, & contra legem Dei cõtortum,

mali-

malitiáque plenū. Hæc peccati forma in ipso vel dicto vel cogitato, vel facto imprimitur: & ideò fit peccatum. Autor alicuius autem rei ille tantùm propriè dicitur, qui formā, per quam illa res talis esse dicitur & est, illi rei imprimit: vt autor statuæ statuarius est, quia formam statuæ ligno impressit: non autem rusticus seu colonus, qui lignum ante & in alium finem, quàm vt ex eo fieret statua, suppeditauit. Peccati igitur autor nullo modo potest esse aut dici Deus, sed tātum Satan, cuius opera deprauatum est cor hominis, & ipse homo qui peccat peccati autores verè sunt & dicūtur: ac proinde ait, factum illud Israelitarum, quatenus scilicet peccatum fuit, non ex se, tanquam autore, sed ex ipsis fuisse. Culpa igitur peccati in ipso inhæret homine, in Deum autem transferri nullo modo potest.

10. Cùm ait: *Aurum suum & argentum suum fecerunt sibi idola*, perspicuè indicat, se quidem dedisse illis aurum & argētū pro sua erga illos liberalitate, ipsos verò Israelitas pro sua malitia & impietate ex illo auro & argento idola sibi ad cultum contra Dei mandatum fecisse: ac proinde docet, se illius peccati minimè autorem fuisse, cùm in longè alium finem, quàm, vt idola ad cultum facerent, aurum & argentum illis dederit: non igitur ipsum Deum, qui suis ipsos etiam impios beneficiis ad bonum finem pro sua bonitate quotidie cumulat, sed ipsos homines qui beneficiis Dei pro sua ipsorum malitia ad malum, id est, ad peccandum abutuntur autores esse peccati.

11. Non ait, *Fecerunt sibi aurum & argentum*, *sed ex auro & argento*, quod scilicet ipsi nō fecerunt, fecerunt sibi idola. Indicat igitur, aurum quidem bonum ab alio factum fuisse, nempe à Deo: idola verò mala ex auro bono ab ipsis Israelitis facta fuisse: ac proinde docet, omnes res quidem bonas à Deo fieri, & illarum Deum esse autorem: omnia verò mala, id est, peccata, quæ peccata sunt, fieri ab hominibus & illorum autores esse homines.

12. *Propterea videtur*, totum scilicet hoc regnum Israeliticum. Indicat igitur, ideò destructum fuisse regnum, & populum in captiuitatem abductum: quoniam, cùm & regnum monarchiæ & sacerdotiū, religionē que corruperint: à Christo verò totius regni Iuda rege, & totius puræ religionis sacerdote, perfidè defecerunt: ac proinde, hanc esse legitimam extremi exitij caussam: nempe, perfidam à Christo, Christique doctrina defectionem.

Reiecit procul scilicet te à terra *vitulus tuus, ô Samaria, exandescit furor meus in eos, quousque non poterunt mundiciem?*

1. Nomine *vituli* venit synecdochicè tota illa religionis corruptela, quæ in Israel introducta fuerat à Iaroboamo. *Zanach* significat reiicere procul aliquid tanquam abominabile & derelinquendum, vt suprà dictum est. Cùm igitur ait: Vitulus tuus, ô Samaria, reiecit procul te, scilic. à terra tua: Tria facit. 1. tacitè accusat Israelitas idololatriæ, quòd scilicet fecerint sibi ad cultum vitulos, & sic totam religionē corruperint. 2. prædicit, certò & breui ipsos, tanquam exsecrabiles & abominabiles, procul è terra sua, in longinquas scilicet regiones eiiciendos. 3. caussam huiusce reiectionis fuisse ipsorum vitulum, id est, idololatriam, & à vera religione ad peruersam defectionem, & tacita quadā, inter hunc 5. & 4. superiorem versum antithesi, indicat ideò reiectam fuisse Samariam è sua terra, quia ipsa reiecerat Bonum à se: ac proinde docet, ideò nos à Deo reiici, tanquā rem exsecrabilem, è suo regno, quia nos Deum, eiúsque verbum, tanquam rem ingratam à nobis reiicimus.

2. Non ait: Iratus sum eis, *sed*, Excanduit furor meus in eos scilicet tam vitulos, quàm Israelitas vitulorum cultores. Indicat igitur, maximam esse suam aduersùs tùm idola, tùm idolorum cultores indignationem, seque grauissimam de eis pœnam sumturum.

3. Cùm ait *Quousque non poterunt mundiciem?* (subintelligendum est, Ferre, vel, amare.) quasi dicat, nūquam poterunt. Nomine autem *Mundiciei* intelligit tùm puram religionem quò ad primam tabulam, tùm honestam vitā (quò ad secundam tabulam) cum ipsa cordis puritate coniunctā. Tria igitur præcipua indicat. Vnum quidem. Israelitas & semper fuisse & esse, & verò etiam in posterū futuros esse, non solum immundos & impuros tàm internè in cordibus, quàm externè in religione & in tota vita, sed etiam omnis veræ mundiciei, id est, omnis puræ religionis & honestę vitæ impatientes atque inimicos: semper enim fuisse, esse, & futuros esse porcos, qui in luto perpetuò hærentes nunquā mundiciei delectari possint. Alterum verò, se nimis diu illorum immundiciem, impuram scil. religionem, & turpem vitam patienter tulisse: frustra enim se exspectasse, vt ad studium pietatis & honestæ vitę animum applicarent suū, cùm sint prorsùs desperati. Non posse igitur se ab Israelitis impatientiæ & nimiæ seueritatis accusari, quasi non diu illos exspectârit. Postremum, se tandem aliquando pœnas de eis sumturum, quoniam cum ipsi non possint ferre Dei mundiciem, neque ipse potest illorum ferre immundiciē: hos igitur porcos tandem occidendos. Ac proinde docet, hoc esse omnium reprobatorum ingenium, vt non, sicut vnà cum electis ex eodem Adamo concipiuntur & nascūtur immundi: sic etiam vnà cum eisdem electis mundiciem à Deo per Euangelium in Christo omnibus oblatam per fidem recipere, amare, aut ferre velint aut possint.

VI. Quia ex Israele etiam hic, artifex fecit eum, & non est Deus ipse, quia in frusta erit vitulus Samariæ.

1. Istud *Etiam*, continuatam significat coniunctionem huius præsentis vituli cum vitulo, quem ipsum patres in deserto fabricârunt. Nomine autem *vituli* significatur tota illa superstitiosa religio, quam Israelitæ excogitârunt. Indicat igitur, Israelitas ab eo tempore, quo educti ex Ægypto primum vitulum in deserto fabricârunt, nouas subinde superstitiones excogitasse, ita vt postremo quasi in desertum ad primam idololatriæ originem redierint, & alium etiam vitulum fabricarint: ac proinde docet, hypocritas nō posse diu retineri, quin subinde ad suas redeant superstitiones, nouásque indies excogitent.

2. Illud *Quia*, [illegible] est, quā probat, nullam esse spem vt Israel ferat vnquam ipsam mundiciem: quia ex ipso, tanquam ex putrida, sempérque fecibus scatente cloaca nouæ quotidiè superstitiones indesinenter effluunt. Cum igitur ait: *Quia etiam hic vitulus ex Israele est*, indicat, ideò se de salute Israelis desperasse, cum dixit: *Quousque non poterunt mundiciem:* quia hunc populum semper vidit ita mūdiciei, id est, puræ religionis inimicum, & fœdis superstitionibus addictum, vt ab eo tempore, quo primum vitulum in deserto fabricauit, ad hunc vsque diem nunquam cessarit nouas subinde superstitiones contra verbum Dei ex suo capite comminisci: nam etiam iste præsens vitulus, ex eodē est Israele, ex quo scilicet & prior in deserto fuit, quasi dicat, ex eadē cloaca similes semper feces indesinenter fluūt. Quomodo igitur ferre poterunt mundiciem? ac proinde docet, de illis nullam spem posse concipi, à quibus nihil vnquam boni, nisi meras feces fluere, & nouas subinde superstitiones fabricari videmus.

3. Cùm ait: *Ex Israele*: tacita est antithesis inter Deum & Israelem, & subintelligenda est particula exclusiua *Tātùm*, quasi dicat, non ex me, sed tātum ex Israele est: facit enim discrimē inter illam religionis puritatem, quam à Deo receperant Israelitæ, & inter impuras fœdásque superstitiones, quas ex seipsis commenti sunt. Cum igitur ait: *Quia etiam hic ex Israele* duo indicat. Vnum quidem, huiusce vituli, id est, totius illius impuræ religionis autorem, neque Deum, neque vllum alium, nisi ipsissimum Israelem fuisse. Alterum, ideò damnari illum cultum, quia non à Deo mādatus, sed ab ipso Israele excogitatus fuerat. Ac proinde docet omnes superstitiones & ab ipsis hominibus inuentas fuisse, vnde & [illegible] appellantur, id est, cultus qui non ex voluntate Dei, sed ex nostra propria ortum traxere: & ideò damnari: quia non à Deo, sed ab ipsis hominibus sunt inuentæ, seu, quia sunt [illegible]. Nihil igitur in religione tentandum, quod non sit ex Deo testimoniúmque à Dei verbo, quod Deus illud velit, habeat.

4. Illud, *Non est Deus*, scilicet vitulus, conclusio est, vitulū scilicet illum, quem Israelitæ colebant, non esse Deum.

5. Illud, *Artifex fecit eum* scilicet vitulum, argumentum est à caussa efficiente ductum, quo suam probat conclusionem, vitulum scilicet non esse Deum, quia ab artifice fuit factus.

6. *Quia in frusta erit vitulus Samariæ*, aliud est argumentum à caussa materiali & corruptibili deductum: quo eandem confirmat cōclusionem, vitulum non esse Deum, quia scilicet è materia corruptibili factus, in materiam etiam corruptibilem erat resoluendus, in frusta scilicet varia.

7. Non ait autem, *Ex materia corruptibili constat*, sed, *In frusta erit*. Indicat igitur, primum quidem vitulum illum non solum nō Deum fuisse, aut esse, sed nec habere vim ad saluandos Israelitas: alioqui non sineret se ipsum in frusta scindi: ac proinde vesanos esse, demétésque Israelitas, qui ante illum vitulum procumbant, opémque ab illo, qui neque Deus est, neque vllam ad saluandū, vel se vel alios vim

habet, exspectant. Deinde synecdochicè indicat, totã illã superstitiosam Israelis religionẽ abolitũ & quasi in cineres redactũ iri: non esse igitur bonã & Deo gratam religionẽ.

8. Duobus iis argumentis euicit Propheta, vitulum illũ neq. Deum fuisse, neque vllam ad saluandos Israelitas vim habere: ac proinde vecordes fuisse Israelitas, qui illum colebant & ab illo salutem exspectabant. Docet igitur iisdẽ argumentis, neque statuas aut imagines, neque panem in Missa Papistica, vel Deum esse, vel vllam habere vim ad saluãdum: tum quia ab artificibus fiunt, tum quia in frusta scinduntur: ac proinde non solùm impios, sed etiam insanos esse omnes qui illa adorant, & auxilium aliquod ab eis exspectant. Solum enim Deum, qui in cœlis est, adorandũ, & ab eo solo salutem petendam & exspectandam esse.

VII. *Quia ventum serunt, & turbinem metent, non est ei culmus, non producet farinam, si fortè produxerit, extranei deuorabunt eam.*

1. Ille seminare ventũ dicitur, qui per agri sulcos incedẽs manum quidem seminatorũ more iactitat, ita vt seminare videatur, sed tamẽ quia manum iactitat vacuam, nullàque semina spargit, reuera non seminat. Semen autem ad vitam æternam, est ipsum verbum Dei, & præter hoc nihil. Metaphoricè igitur in religione seminare ventum dicuntur: 1. quidem aperti idololatræ, qui suis variis cultibus & superstitionibus videntur quidem Deo inseruire, & semina ad salutem æternámque vitam seminare, sed tamẽ quia sunt sine vero semine verbo Dei, iccircò nil minus faciũt, quàm seruiant Deo, & omnes illorum cultus, & quæcunque agũt opera, sunt merus vẽtus, ac proinde nihil, nisi merum ventũ seminant. Deinde seminare ventum dicuntur omnes etiam hypocritæ, qui aliquam quidem veræ pietatis & religionis speciem obtendunt, & quo ad externum cultũ, quem purũ retinent, Deo verè inseruire videntur, sed tamẽ, quia reuera nullam habent pietatem, & illorũ corda vacua sunt fide & verbo Dei: iccirco omnes etiam illorum cultus & opera nil aliud sunt coram Deo, quàm inanis quædã & vẽtosa ostentatio: ac proinde nil ad æternam vitam, nisi merum vẽtum seminant. Cùm igitur ait Propheta Israelitas, vẽtũ seminasse, indicat illos aliquã quidẽ pietatis speciẽ suis cultibus obtendisse, sed reuera partim idololatras, partim hypocritas fuisse: ac proinde & totam illorum religionem, nil nisi meram vanitatem, ventosámq. ostentationẽ, & omnia ipsorũ cum gentibus fœdera, consilia, & studia, nil nisi inanes fumos fuisse: idque propterea, quòd vel sine verbo Dei, vel sine sincera fide verbum Dei apprehendente, omnia ab illis fiebant: ac proinde docet quicquid pro salute & æterna vita assequẽda ab hominibus fit, vel citra testimonium verbi Dei, vel citra synceram fidem verbum Dei apprehẽdẽtẽ, totum illud nil aliud corã Deo esse, quàm inanem laborẽ, merámq. vanitatem. Duo igitur ad veram pietatẽ, ideóq. ad salutem & æternam vitam assequendam necessaria esse. Vnum quidem, vt nihil sine verbo Dei in religione agas: alterum, vt etiam illa, quæ testimoniũ habent à verbo Dei iuxta verbum Dei, i. ex sincera fide verbum Dei apprehendente, perficias, alioqui nil nisi ventum à nobis seminari.

2. Hoc prouerbio, *Qui seminat ventum, turbinem metet,* significatur, qualem feceris sementem, talem futurã etiã messem. Venit autem nomine *Turbinis*, non solùm inanis vanitas, sed etiam vehemens ira Dei. Cùm igitur ait: *Quia ventum seminant turbinem metent,* indicat, Israelitas ex sua tùm ventosa falsaque religione, tùm inani in suis fœderatis regibus confidentia, tùm etiam ex suis vanis contra Dominum consiliis & studiis, non solùm nullum fructum bonum relaturos, sed contra loco boni fructus tum vanitatem ac confusionem, tùm iram Dei vehemẽtem omnia vastantem, reportaturos fuisse. Ac proinde docet, omnes impios & hypocritas, suis ventosis superstitionibus & inanibus contra Deum studiis atque operibus, non solùm oleũ (vt est in prouerbio) & operam perdere, sed etiam iram Dei aduersus se prouocare: quando ex talibus ventosis sementibus nihil nisi ventum, id est, tum vanitatem & confusionem, tum vehementem iram Dei, metere queas.

3. Cùm ait: *Non erit ei culmus, germen non producet farinam,* in prædicta seminatoris persistens metaphora, suum explicat prouerbium, Israelitas scilicet verè ventum seminasse, quandoquidem illa sementis nullum emittit culmũ, & germen nullum producit frumentum: ac proinde nihil etiam nisi ventum messuros fuisse. Indicat igitur, verè inanẽ fuisse Israelitarum fiduciã, quam in suis superstitionibus, fœderibus, studiis, & consiliis collocauerant, quando tota illorum religio & omnia illorũ fœdera & consilia ita vana sunt, vt nihil habeãt solidum, ideóque nihil inde nisi vanitas exspectari possit.

4. Per concessionem autem subdens, ait: *Si forte produxerit, extranei deuorabunt eam.* Indicat igitur, etiam si Israelitæ aliquid auxilij à suis fœderatis & impiis regibus cõsecuti fuissent: illud tamen nihil eis profuturum fuisse, Deũ enim effecturũ vt, quidquid auxilij à suis fœderatis accepissẽt, totum illud eis in suam perniciem per exteros cederet.

5. Si verò quis velit, Prophetam propriè, non autem metaphoricè loqui, noua est sentẽtia, quã primò terræ sterilitatem Israelitis minatur, nihil scilicet frumentorum in ipsorum agris nasciturum: deinde per concessionem, etiamsi aliquid nascatur: illo tamen non Israelitas, sed exteros, Israelitarum scilicet hostes fruituros. Prædicit igitur, hostem omnes Israelitarum agros occupaturum, & omnia illorum bona consumturum.

VIII. *Deuoratus est Israel, nunc fuerunt,* id est, erunt *inter gentes, sicut vas reiectaneum.*

1. Cùm res futuras per verba præteriti temporis prædicunt Prophetæ, indicant illas tùm certò, tùm breui futuras. Cùm igitur ait, *Deuoratus est Israel, & nunc fuerunt inter gentes, sicut vas reiectitium*, captiuitatem Israelis prædicit, eamque indicat certò, & breui futuram.

2. Non ait, *Deuoratum est Israelis regnum,* sed, *deuoratus est Israel ipse cum toto* scilicet suo regno. Tunc autem fuit, ceu deuoratus, cùm vniuersus populus ab honesto, quasi ore aperto raptus, in captiuitatem, ceu in vẽtrem, traiectus fuit. Indicat igitur his verbis, vniuersum populum cum omnibus ipsius bonis ab hostibus capiendum, atque in captiuitatem certò & breui abducendum fuisse.

3. Non contentus dixisse, *Deuoratus est Israel,* subdit: *Nunc inter gentes erunt, seu vas reiectitium.* Indicat igitur, Israelẽ non solùm in captiuitatem abducendum inter gentes idololatras & barbaras, sed in ipsa etiam captiuitate fore omnibus tanquam rem putridam, & fœdè olentem contemtui.

4. Quòd futurus erat Israel inter gentes, impias scil. & barbaras, hoc tanquam debita peccatis populi, eaque grauis pœna narratur a Propheta. Duo igitur indicat. Vnum quidem, ipsas decem tribus ideò à reliquo Dei populo segregandas, atque inter gentes expellendas fuisse, quoniam ipsæ priùs ab Ecclesia Dei, quæ erat in tribu Iuda, se ipsas separãrunt, atque ad mores & superstitiones gentiũ defecerunt. Alterum, hanc certè grauissimã esse pœnam, cùm quis ab Ecclesia separatus inter gentes impias & barbaras esse atque habitare cogitur. Hæc autem est excommunicatio.

5. Non simpliciter ait, *Erunt inter gẽtes omnibus contemtui,* sed metaphora vtens ait: *Sicut vas reiectitium.* Nomine autem talium vasorum sæpenumerò veniunt in scripturis ipsi reprobi iuxta illud, etiam Pauli *Rom.* 9. Vbi electos vasa in honorem, Reprobos verò vasa in contumeliam vocat. Indicat igitur, Israelitas non solùm futuros fuisse contemtui omnibus gentibus, sed etiam Deo ipsi prius exosos fuisse vtpote vasa putida, vasa in contumeliam facta, vasa ad interitum aptata, in quibus Deo non fuit *Chephetz* seu *Θέλημα* & beneplacitum.

IX. *Quia ipsi ascenderunt (ad Assur) sicut asinus solitarius sibi, Ephraim conduxit amores.*

1. Cum ait, *Ascenderunt ad Assur,* subintelligendum est: fœderis cum illo faciendi, & auxilij ab eo capiendi causa, sicut historia 4. Reg. 15. de Manahem regẽ Israel docet qui, datis mille talẽtis Regi Assur, rogauit, vt sibi esset auxilio. Hoc autem nõ solum contra verbum Dei fuit factum, sed etiam ex infidelitate in verbum Dei profectum fuit, quòd scilicet non fiderent Deo, qui vel posset vel vellet eos, ab omnib. malis, sicut promiserat, tueri. Indicat igitur, Israelitas cum à Domino ad salutem cæderentur, tãquã perfidos à Deo ad gentes defecisse: ac proinde docet, quam graue peccatum sit, non redire ad Dom. [illegible] cum ab eo cæditur, sed ad humana auxilia, quibus Deo [illegible], confugere.

2. Non simpliciter ait: *Ascenderunt ad Assur,* sed addit *Pere* subintelligas *Ke*, quasi dicat, *Kephere* id est, sicut onager, ad differentiam asini domestici. Duæ autem inter alias sunt qualitates omnibus asinis communes, & vna ipsius onagri propria propter quas tres proprietates, asino, & quidem onagro, Israeliticus populus hîc à Propheta comparatur. 1. Onager vsque adeò ferus indomitus est, vt nunquam cicurari possit: sed semper, cum potest, à Domino & stabulo ad siluam refugit. 2. Omnis asinus stupidus est, ideò pro homine stupido & indocili ac sine ingenio, accipitur. 3. Asinus est ignauum & pigrũ animal, ideò pro pigro, tardo, & ignauo homine capitur. Cum igitur Israelem cõparat asino & quidẽ siluestri, tria indicat. 1. Populum illum verè

verè fuisse semper siluestrem ferúmque & indomitum asinum, qui nunquam cicurari potuit, vt fineret se à Deo regi & in stabulo Ecclesiæ retineri, sed subinde à Deo ad homines, & à populo Dei ad mores superstitionésque gentium deficiebat. 2. Populum illum ita fuisse stupidum in rebus diuinis atque indocilem, vt licet diu in schola Dei fuerit, tamen nunquam potuerit erudiri ad Deum verè cognoscendum, idcóque mirum non esse, si à Deo ad Assur defecerit. 3. Illum fuisse ignauum & pigrum, nempe in voluntate Dei facienda, ita, vt licet diu grauitérque cæsus à Domino fuerit, nunquam tamen incitari ad obsequendum Deo potuerit, sed contra, cùm deberet progredi in via Domini, ille retrogressus est, & defecit a Deo ad regem Assur: ac proinde elegantissimè ac significantissimè docet, omnes reprobos hypocritas cum à Deo ad homines, & a verbo Dei ad humanas doctrinas deficiunt, ideò deficere: quia asini seu onagri sunt, feri scilicet atque siluestres, vt retineri in vera pietate non possint, deinde indociles & stupidi, vt non possint percipere ea quæ sunt Dei: postremo ignaui & pigri, vt ad voluntatem Dei faciendam nequeant incitari.

3. Non simpliciter ait: *Ascenderunt, vt onager*, sed addit: *Solitarius sibi*. Indicat igitur sicut onager, quia [illegible], conspectum atque consortium hominum ferre nō potest: ac proinde ad siluas si potest, redit, vt ibi sibi soli viuat, suique sit iuris, nemini subiectus: ita Israelitas, quia impij, non potuisse Dei conspectum & sanctæ Ecclesiæ consortium ferre, se proinde à Deo & ab Ecclesia Dei ad brutas bestias id est, ad Assur & alias impias gentes defecisse: hæc enim fuit populi solitudo, defectio scilicet Dei & veræ Ecclesiæ, & voluisse esse sui iuris, legíque Dei non subiici: ac proindè docet, illos verè sibi esse solitarios tanquam onagros, qui ab Ecclesia Dei seiuncti nullam habent cum sanctis communionem: item illos qui nolunt legi Dei subiici, sed sui esse iuris, suique liberi arbitrij: item illos eremitas, qui se ab hominum consortio in siluas subducunt, ibique sibi soli viuunt & Ecclesiæ Dei nihil prosunt, merè esse onagros siluestres solitarios sibi.

4. Cùm ait: *Ephraim conduxit amores*, id est, amasios, alio etiam similí ab impudicis mulieribus sumpto defectionem populi exaggerat. Est autem signum intolerabilis lasciuię, & impudentissimi scorti, cùm mulier non ab amasiis donis & muneribus ad fornicandum allicitur, sed contrà ipsa datis pecuniis quærit qui secum fornicentur. Indicat igitur, populum nimis impudenter à Deo ad gentes, & ad gentium superstitiones defecisse, quando non à gentibus ad fœdus faciendum oblatis præmiis & donis allectus fuit, sed contra populus ipse datis pecuniis allexit gentes ad fœdus secum faciendum, illorúmque amicitias ambiit, copias conduxit. & simul etiam superstitiones quasi comparauit, historia est 4. Reg 15. de Manahem. Ad quem locum spectat illud etiam Ezech. 16. versu 33. *Omnibus scortis dant mercedem* (ipsi scilicet scortatores) *Tu verò mercedem dedisti cunctis amatoribus tuis, & muneribus eos conduxisti: vt ingrederentur ad te ex circuitu ad fornicationes tuas.* Ac proinde docet, duo esse idololatrarū genera. Quosdam enim esse, qui etsi non magno quidem superstitionum amore afficiuntur: commodis tamen & lucris quæ ex superstitionibus colligunt, alliciuntur: vt vel ad eas deficiant, vel in eis permaneant: atque hi similes sunt mulieribus quę ab amasiis alliciuntur ad fornicandum, non autem ipsæ eos quærunt. Alios verò esse qui tanto superstitionum ardore, tanquam libidine æstuant, vt immensis etiam sumtibus eas vndique sibi comparent, id est, augeant, & non sine magnis suis dispendiis conseruent, vti sunt illi, qui maximis sumtibus monasteria & sacella extruunt, varia idola quibus cum fornicentur, ex auro & argento fieri curant, immensísque annuis censibus donant monachos & moniales, quæ secum idola colant, & superstitiones cumulent ac conseruent in perpetuum. Hi similes sunt impudicissimis scortis, quæ suis etiam pecuniis & muneribus amasios quibus cum fornicentur, alliciunt & quasi conducunt.

x. *Et quoniam* pro, etiamsi, *conduxit inter gentes* scilicet amasios & fœderatos: *nunc*, tamen, *colligam* scilicet Israelitas, *& paululum dolebunt ab onere regis & principum.*

1. Huic versui præponenda est particula (Ideò) & alia particula (Tamen) subintelligenda, cumque superiore versu sic est construendus. *Quoniam ipsi ascenderunt in Assyriam, vt onager solitarius sibi, & quoniam Ephraim conduxit amores: Ideò, etiamsi inter gentes conduxit, scilicet amasios & fœderatos, qui suis se copiis adiuuent, tamen nunc Ego colligam eos.* Istud (colligam) ad Israelitas refertur. Verbum autem *Kabbatz* hoc in loco in malam partem accipitur, & significat, horribili strage edita cadauera in aceruum colligere. Indicat igitur, magnas quidem copias vndique à gentibus fœderatis sibi collegisse, conduxisséque Israelitas, quibus iræ Dei resisterent, sed eas nihil potuisse impedire, quò minus Dominus alio modo Israelitas collegerit, quàm ipsi copias collegerint. Deum enim strage edita illos in aceruum collegisse & omninò absumsisse. Ac proinde docet, etsi Dei rebelles, magnas vndique copias aduersus Deum & eius Ecclesiam colligant, quibus Deo, regnum Antichristi gladio spiritus expugnanti, resistant: illas tamen copias nihil eis profuturas, quoniam impedire non poterunt, quò minus Deus & regnum Antichristi perdat, & omnes tandem rebelles horribili strage facta in aceruum colligat, atque in æternum ignem conijciat. Deo igitur resisti non posse copiis & armis, sed tantum pœnitentia & fide.

2. Nomine *Oneris regis & principum*, intelligit extraordinarium, & grauissimum tributum, quo Israelitæ à suo rege & à suis principibus premebantur, seu quod rex à suo populo exigere cogebatur, quo conductis copiis & fœderatis regibus soluendo esset. Est autem tacita [illegible] inter dolorem, quem percipiebant Israelitæ ab onere sui regis & suorum principum & inter illum, quem ab oppressione tyrannorum in captiuitate percepturi erant. Cum igitur ait: *Et dolebunt paululum ab onere regis & principum*: duo indicat. 1. Israelitas ab illo graui onere, seu ob illud graue tributum, quod suo regi persoluere cogebantur, vehementer doluisse & solitos fuisse conqueri. 2. Sed hunc ab onere regis & principum dolorem modicum ac ferè nullum fuisse, præ vt futurus erat ille, quem ex vltima clade & strage, quam anteà minatus est, erant accepturi: maximo enim & incredibili mœrore ac dolore afficiendos fuisse, vbi in perpetuam & miserabilem seruitutem, in qua futuri erant, sine rege & sine principe, abducti fuissent, ita vt huius comparatione ille prior futurus esset nullus. Est igitur, ac si cum quodam sarcasmo dicat: Nunc vehementer dolent Israelitæ ab onere regis & suorum principum: at breui efficiam, vt parum ab hoc onere regum doleant: Ego enim eos omnes, vltimâ strage editâ in aceruum colligam, & in perpetuam captiuitatem abducam, ibique nullum ampliùs habebunt regem aut principes è suo populo, quibus tributum pendant, sed à tyrannis & profanis gentibus miserabili perpetuáque seruitute prementur. Tunc parum dolebunt ab hoc onere sui regis & suorum principum, quia scilicet longè grauiorem dolorem sentient ab oppressione tyrannorum in captiuitate: ac proinde docet, iniurià nos conqueri, cum aliquà calamitate ac propter nostra peccata premimur: hanc enim nullam esse præ vt futuræ sunt illæ, quæ nos, nisi resipiscamus, tum in hoc, tum in alio seculo manent. Vbi enim Deus omnes impios, vltima strage edita, in vnum aceruum collegerit, atque in æternum ignem coniecerit, tunc parum dolebunt ab onere sui regis, id est, tunc reipsa sentient calamitates, quas à Deo propter sua peccata in hoc mundo idque ad suam ipsorum salutem acceperunt & perpessi sunt, comparatione illius æterni cruciatus nullas omninò fuisse.

xi. *Quia multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum, erunt ei altaria ad peccandum.*

1. Accusatur Israel, quod multiplicarit altaria: hoc enim fuit contra verbum Domini, qui vnum tantum volebat esse altare, idque Hierosolymis. Nomine autem *Altarium* synecdochicè veniunt omnes, quæ in Israel erant superstitiones. Externarum verò superstitionum multiplicatio ex interno erga superstitiones amore proficiscatur necesse est. Cùm igitur ait: *Ephraim multiplicauit altaria*, duo facit. 1. Apertè Israelitas reprehendit, quod superstitiones ferè in immensum multiplicarint. 2. Necessariò innuit, ipsos scilicet Israelitas ad idololatriam & peruersam religionem occaluisse, tantoque superstitionum ardore in cordibus æstuasse, vt illæ nunquam sibi satis auctæ esse viderentur: inde enim factum, vt propè in immensum illas quotidie auxerint: ac proinde docet, hoc esse proprium omnium idololatrarum ingenium, vt, post quam semel à verbo Dei ad superstitiones defecerunt, tanto amore superstitionum accendantur & inflammentur, vt illis multiplicandis nullum vnquam finem aut modum sciant.

2. Etsi verò nomine *Ephraim* omnes Israelitas intel-

ligit:non dixit tamen, Israel multiplicauit altaria, sed Ephraim. Ephraim autē erat tribus regia, è qua Ieroboamus primus in tribubus rex & totius idololatriæ autor. Indicat igitur, ab Ephraim, tanquam à primo authore altarium & omnium superstitionum initium & augmentum profectum esse: ac proinde docet, superstitionum inuentores & auctores grauiore reprehensione & pœna quam reliqui sint idololatræ, dignos esse.

3. Etsi nomine *Altarium*, reliquas quoque omnes superstitiones complexus est Propheta: reliquis tamen silentio prætermissis, altaria, quæ præ cæteris rebus omnibus Israelitis erant sacrosancta, vt pote super quæ totus Dei cultus exercebatur, speciatim nominauit, & audacter liberéque damnauit: quia certo sciebat, illa contra verbum Dei fuisse erecta. Docet igitur, illa, quæ certo scimus esse contra verbum Domini, vt vt speciosa sint & populis sacrosancta, liberè tamen & audacter esse damnanda.

4. Israelitarum in suorum altarium multiplicatione, propositum seu intentio, vt loquuntur, non fuit, vt peccarent, Deúmque offenderent, sed potius, vt multiplicatis altaribus, sacrificia etiam, reliquúsque Dei cultus multiplicaretur. Ac proinde, si intentionem Israelitarum spectes, non ad peccandum, sed ad Deum glorificandum, Deique gratiam promerendam templa illa multiplicata ab Israelitis fuisse videbantur, & tamen Propheta in nullum alium vsum, nisi ad peccandum illa fuisse multiplicata, pronunciat: quia contra verbum & voluntatem Dei multiplicata fuisse certo sciebat. Indicat igitur, Israelitas, etsi bona intentione, altaria multiplicārunt: grauiter tamen altaria multiplicando peccasse: quia non Dei voluntatem, sed suam intentionem secuti sunt: ac proinde docet, in omnibus operibus ac præsertim in religione, nunquam nostras aut aliorum hominum bonas intentiones, sed solam semper Dei bonam voluntatem in eius verbo reuelatam, spectandam esse: alioqui, quo magis putamus nos Deo gratificari nostris cultibus & operibus, eò magis contra Deum peccamus: & quo magis nobis ipsis videmur Dei gratiam promereri, eò magis iram Dei aduersus nos prouocamus: solam enim Dei voluntatem & intentionem bonam esse, circa verò hanc omnes omnium hominum bonas intentiones, coram Deo abominabiles esse.

5. Altaria in Israel ideò ait fuisse multiplicata ad peccandum: quia contra verbum Domini fuerant erecta & multiplicata. Indicat igitur, quo plura Israelitæ multiplicabant altaria & consequenter sacrificia, eò plura etiam multiplicasse peccata: ac proinde docet, omnia in papatu altaria, tum quia contra Euangelium Christi sunt erecta, tum quia ad multiplicandas Missas sunt multiplicata: Missa autem Papistica horrendissima est idololatria: verè igitur erecta esse tantum ad peccandum, & multiplicata esse tantum ad multiplicanda peccata, ideóque quot sunt altaria, tot esse aras dæmoniorum, & domicilia abominationum ac scelerum contra Dominum.

6. Cum ait: *Erunt ei altaria ad peccandum*, subintelligendum est vt & domi, suas ipsorum scilicet iniquitates omnes perficiant. His autem verbis pœnam narrato iam peccato dignissimam, illis denunciat. Pœna verò hæc fuit: quia Israelitæ pertinaciter multiplicabant altaria ad peccandum, quò possent etiam, atque etiam multiplicare peccata, futura illis altaria ad peccandum, Deo scilicet eos in suis idololatriis & peccatis, cum suis altaribus ad peccandum multiplicatis, in perpetuum deserente: vt, quia volunt, in sordibus esse, sordescant, & peccare, peccent, & habere altaria ad peccandum, habeant, & perire, pereant. Indicat igitur Deum decreuisse Israelitas propter suam ipsorum peruicaciam in suis peccatis deserere, occasionésque peccandi illis permittere, donec omnes suas perficerent iniquitates, idque in hunc finem, vt postea expletis iniquitatibus grauius de eis supplicium sumeret: ac proinde docet, hanc esse omnium grauissimam Dei iram, cum scilicet peccata peccatis punit, cum nos sua gratia deserit, cum statuit nolle nos à nostris peccatis atque à nostro ad infernum præcipiti cursu impedire ac retinere, sed omnes peccandi occasiones nobis permittere: grauiorem igitur in hac vita Dei iram non posse Papistis & aliis idololatris contingere, quàm, quòd Deus permittit, vt perpetuò sint illis altaria ad peccandum, nec vult eos à suis idololatriis impedire, aut à cursu, quo ad orcum properant, retardare: quia volunt altaria ad peccandum, erunt illis altaria ad peccandum.

XII *Scripsi ei pretiosa legis mea, tanquam extraneum quid reputata sunt.*

1. Cum ait, *Scripsi ei pretiosa legis mea*, id est, pretiosam legem meam, subintelligendus est finis: omnium vt ad huiusce pretiosæ legis formam populus Dei, & vniuersum cultum institueret, & totam vitam suam componeret: subest autem tacita antithesis inter pretiosam legem Dei, & inter putidas populi aliorumque hominum contra legem Dei abominationes & imaginationes. Cùm igitur postea subdit, tanquam alienum scilicet quiddam & ad se non pertinens, reputarunt scilicet legem meam Israelitæ, apertè indicat hoc fuisse præcipuum populi peccatum, imò omnium peccatorum fontem, quod neque cultum neque vitam ad normam legis diuinæ composuit, sed ea, tanquam re aliena, & ad sa nihil pertinente, neglecta, suas tantum secutus est imaginationes: ac proinde docet, omnes illos cultus, & omnia illa opera, quæ ad normam legis diuinæ fiunt, veros esse cultus & bona opera: quæ verò non ad normam legis Dei, sed ad formam humanarum excogitationum fiunt, omnes falsos esse cultus, omnia grauissima esse peccata. Legem igitur seu verbum Dei scriptum certam ac perpetuam esse regulam, qua veri cultus à falsis & bona opera à peccatis, facilè discerni possint & debeant.

2. Versus iste commodùm sequitur præcedentem: ibi enim apertè pronunciauit Propheta, altaria in Israel tantum ad peccandum fuisse multiplicata, seu totum illum cultum fuisse impium. Hic vero dum tradit regulam, qua discerni verus cultus à falso, & bonum opus à peccato possit, rationem innuit, cur totum cultum Israeliticum damnārit. Indicat igitur, ideò se dixisse, altaria in Israel ad peccandum multiplicata fuisse: quia non ad præscriptum legis Dei, sed iuxta humana figmenta, fuerunt multiplicata.

3. Non ait, *Reuelaui*, sed, *Scripsi legem meam*. Lex autem Dei, est ipsa perfecta Dei volūtas. Indicat igitur quidquid Deus vult à suo populo, siue ad religionem, siue ad mores pertinens, illud totum esse scriptum: ac proinde docet, cùm populus Dei cupit scire, siue quid credendum, siue quid agendum sit, tàm in religione, quàm in moribus ad salutem necessarium, non esse nouas reuelationes, seu enthusiasmos exspectandos: neque esse vel ad nescio quas traditiones non scriptas, vel ad antiquas consuetudines, vel ad decreta pontificum, vel denique ad humanas doctrinas, sed ad solam Dei legem scriptam, seu ad diuinam scripturam, semper recurrendum.

4 Quadrifariam autem legem suam scripsit Israeli Dominus. 1. Cùm legem in duabus tabulis lapideis scripsit, eámque Mosi ad vniuersum populum dedit. 2. Cùm in saxis ingentibus atque in terra benè firmatis eam scribi iussit, quo ab omnibus legeretur Deuter. 27. 3. Cùm summam Propheticarum concionem, præsertim cum aliquid ea mai continebant, curabat in quibusdam tabellis scribi, & valuis templi, aliisque publicis locis ad legendum affigi, quæ de re Ies. 8. & Abacuc. 2. 4. Cùm vniuersam suam doctrinam in certos quosdam libros per Mosen & Prophetas redigi describique ad perpetuitatem curauit. 5. In electis tantum tàm ex gentibus quàm ex Israelitis, scribit, scilicet in cordibus. Cum igitur de tota sua scriptura dicat: *Scripsi Ego*, non autem dicat: *Scripsit Moses*, indicat, sacram scripturam non esse Mosis & Prophetarum, sed Dei, tanquam vnici autoris scripturarum. Mosen verò & Prophetas, tanquam Dei cultum esse.

5. Neque simpliciter ait, *Scripsi*, sed speciatim ait, *Scripsi ei*. Indicat igitur, se suam legem scriptam, ceu pretiosum thesaurum, apud Israelem conseruandam deposuisse, hócque singulari honore ipsum Israelem præ cæteris gentibus omnibus affecisse, vt is, tanquam depositarius, retineret apud se pretiosum Dei verbum, sicut & Rom. 3. ait Apostolus. Grauiorem igitur Israelis culpam & ingratitudinem fuisse, quod cum haberet apud se legem Dei scriptam, tantum tamen honorem sibi delatum non agnouit, sed contemptā prorsus Dei lege, suas secutus est putidas imaginationes.

6. Etsi verò ait: *Scripsi ei*, id est, Israeli: non tamen ait: *scripsi propter illum tantùm* scilicet Israelem scripsisse. Indicat igitur, etsi hoc priuilegio solum donauit Israelem, vt scilicet ei soli concrederet eloquia sua Deus: sese tamen non exclusisse gentes: quia, si non eis, saltem propter eas etiam legem suam scripsterit, Israelique propter salutem custodiendam dederit: sicut Paulus ad Rom. cap. 15. testatur dicens. *Omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Et cap. 4. *Non est autem scriptum tantùm propter ipsum scilicet Abrahamum, quòd reputatum est ei ad iustitiam, sed etiam propter nos quibus imputabitur, credentibus in eum qui suscitauit Iesum.*

7. Legem

7. Legem suam scriptam hoc insigni elogio ornat Dominus, vt eam vocet *Rubbe torathi*. *Rubbe* autem significat magnifica & pretiosa à verbo *Rabab* magnificare. Indicat igitur, legem suam esse perfectam, nihilque in ea desiderari posse: ac proinde docet, nos debere hac vnica perfectâque Dei sapientia esse contentos.

8. Reputare aliquid tanquam extraneum, est aliquid tanquam extraneum & ad te nihil pertinens, negligere atque reiicere solent enim fere extranei negligi, contemni ac reiici. Cum igitur ait, tanquam extraneum quiddam reputata suor pretiosa legis meæ, scilicet ab Israele, duo indicat.

1. Ipsam Dei legem fuisse Israeli & non gentibus scripto traditam, vt eum, ceu proprium paternum, hæreditariúmque thesaurum conseruarent. 2. At populũ eũ thesaurum tanquam rem extraneam, vilem, & ad se nil pertinentem contemsisse, quasi è suis ædibus eiecisse: ac proinde docet, hanc vere esse intolerabilem ingratitudinem, cùm scilicet verbum Dei & Euangelium Christi, quod pater cœlestis per Apostolos scriptũ, sanguine filii sui obsignatum, ceu pretiosum, paternum, hæreditariúmque thesaurũ nobis reliquit, ac quasi testamento legauit, illud nos, ceu rem nihil ad nos pertinentem negligimus, contemnimúsq.

13. *Sacrificia, holocausta mea sacrificant, carnem, & comedunt, Iehoua non vult ea: nunc recordabitur iniquitatu eorum, & visitabit peccata eorum, ipsi in Ægyptum reuertentur.*

1. Verba ista *Sacrificia & holocausta mea sacrificant*, scilicet Israelitæ, cum sarcasmo quodam & per concessionem prolata fuisse a Propheta, intelligenda sunt. Innuit autem, Israelitas, cum arguerentur, quòd pretiosam Dei legem tanquam rem extraneam, contempserint, solitos fuisse excipere, se sacrificia & holocausta à Deo in lege mandata quotidie offerre: non igitur se legem Dei, veextraneum quid contemnere. Cum verò subdit: *Carnem & comedunt*, scilicet respondet exceptioni. Tacitam autem facit antithesin inter carnem animalium, quæ scilicet sacrificabatur, & inter spiritum seu cor ipsorum Israelitarum, qui sacrificabant, & duæ particulæ, vna aduersatiua. Sed, & altera exclusiua. Tantùm, subintelligendæ sunt: hoc modo. Sed carnem tantum brutorum animalium, non autem suos ipsorũ spiritus & corda sacrificāt. Indicat igitur iis verbis, se quidem non inficiari, eos sacrificia & holocausta in lege mãdata offerre, sed eum carnem tantum animalium sacrificent non autem suos ipsorum spiritus & corda, id quod in primis requirebat Dominus in sacrificiis: iccirco non consequi, pretiosa legis suæ, tanquam rem extraneam, ab ipsis non fuisse contemta, imò hac vna re maxime illos declarasse pretiosa legis, tanquam ad se non pertinentia, se contemsisse neque enim carnem animalium, sed hominũ corda contrita & fide purificata in sacrificiis requirit Dominus. Ac proinde docet nullum externum sacrificium sine sacrificio spiritus contribulati & cordis contriti, fidéque purificati, Deo probari posse.

2. Cum verò subdit, *Sacrificant carnem, & comedunt*, deridet vanam eorum gloriationem, cum scilicet iactant, se multa offerre Deo sacrificia. Quasi verò hinc quid vtilitatis Deo accedat, quia, quam carnem sacrificant, eandem & ipsi comedunt. Quare cum etiam carnem tantum offerant animalium sine fide & pœnitentia, & deinde eandem etiam carnem ipsimet comedant, id est, se ipsos pascant, vnde verò nihil vel vtilitatis vel gratiæ Deo accedat, ridiculos igitur esse Israelitas, cum sua iactant sacrificia.

3. Cum ait, *Deus non vult ea*, liptote est. Concludit enim, eos frustrà sua iactare sacrificia: quoniam Deus, tantum abest, vt ea probet & amet, vt maxime improbet & detestetur eum sint pura caro, ac proinde docet, ibi non esse *Ratzon* Domini, vbi tantum est caro sine spiritu.

4. Recordari dicitur Deus iniquitatis alicuius, cũ, postquam diu dissimulauit & conniuit, tandem exserta manu illam punit. Cum igitur ait: *Nunc recordabitur iniquitatu eorum*, duo indicat. 1. Deũ diu ad iniquitates Israelitarũ cõniuisse: quia illos ad pœnitentiam exspectabat. 2. Nunc verò quia patientia Dei abusi sunt ad multiplicanda peccata & thesaurizandam iram Dei: iccircò velle de eis pœnas sumere, & re ipsa declarare, se omnium iniquitatum eorũ optime recordari. Ac proinde docet, non esse cur hypocritæ putent, se fore ab ira Dei immunes: quia, etsi ad tempus conniuet tandem eorum non obliuiscetur: iccircò tandem aliquando illos visitet, id est, puniat, nisi resipiscant, necesse est.

5. Illud, *Ipsi redibunt in Ægyptum*, bifariam exponi potest. Primò, vt, cum in genere dixerit: *Visitabit Dominus peccata eorum*: nunc ad spiritum visitationis, seu pœnæ, quam de eis sumturus erat, descendit. Reuocat autem illis in memoriam Ægyptum, in qua ipsorum patres supra [illegible] annos captiui durissima seruitute pressi fuerunt. Cum igitur ait: *Ipsi redibunt in Ægyptum*, indicat, illos in captiuitatem Ægypticæ similem, id est, durissimam & æternam, vbi sine rege ac sacerdote sine lege, & sine Propheta, vt & in Ægypto fuerunt abducendos fuisse. Deinde, vt cum sarcasmo quodam prædicat, quid illi facturi sint quò manum Domini euadant: nempe, quòd sint fugituri in Ægyptum, ad suum fœderatum regem, quasi ibi futuri sint tuti à manu Dei. Illorũ igitur fugam ad suos fœderatos reges deridet, nihilque eam illis profuturam ostendit: ac proinde docet, omnia effugia quę capiant impii ad euitandam iram Dei, fore illis semper infructuosa.

14. *Et oblitus est Israel factoris sui.*

1. Nomine *Factoris* venit Deus, non quatenus Israelem è nihilo, vt & reliquas gentes creauit, sed quatenus è gentibus selectum peculiarem sibi populum fecit maximis priuilegiis ornauit, & infinitis beneficiis cumulauit. Dicitur autem populus oblitus Dei factoris sui: quia pretiosam sui Dei legem ita neglexit, & diuersum à lege Dei cultum instituit, vt totam plane legem Deique voluntatem oblitus esse videretur. Cum igitur ait, *Oblitus est factoris sui*, indicat Israelem ita in superstitionibus consenuisse, vt qualisnam esset ille cultus, quem ei præscripserat Dominus, & quænam illa esset doctrina, quam ei tradiderat Dominus, non amplius recordari videretur.

2. Cum ait, *Et adificauit altaria*, explicat, quomodo oblitus fuerit populus sui factoris: quoniam contra verbum Dei altaria ædificauit, seu diuersum à lege cultum introduxit. Per tacitam igitur occupationem ostendit, tantum abesse, vt Israelitæ possint hac ratione probare, se non esse oblitos sui factoris, quia scilicet altaria in honorem Dei & ad eius memoriam in populo excitandam ædificarant, vt potius hinc conuincantur vere oblitos esse Dei: quia contra legem Dei altaria ædificarunt. Illud igitur quod prætendebant esse memoriam Dei, merum esse Dei obliuionem: ac proinde docet, tunc tantùm nos recordari Dei, cum omnia ad suæ legis præscriptum facimus: Tunc verò Dei nos obliuisci, cum aliquid contra eius legem admittimus, ideóque quęcunque contra legem Dei facimus, etiamsi ad memoriam Dei & Christi excitandam, renouandámque fieri à nobis, ostendamus: illa tamen reuera non aliò, quàm ad eiusdem Dei & Christi memoriam ex hominum animis obliterandam, spectant.

3. Quæ cum ita sint, docet igitur exemplo Israelitarum, altaria in Papatu, Missas, imagines Christi, aquas lustrales, cruces, & alia id genus infinita: non ad memoriã Christi & eius beneficiorum (vt ipsi Papistæ mentiuntur) renouandam facere, sed tantùm ad Christum & eius redemtionem è cordibus fidelium penitus exstirpandam instituta fuisse, quando hæc omnia, quæ dixi contra Euangelium Christi fuerunt a Papistis excogitata, sicut & altaria in Israel fuerunt contra legem Dei erecta & multiplicata. Verè igitur Papistas oblitos esse Christi factoris sui.

4. Non potest quis simpliciter damnari, quòd suas muniat vrbes, sed tantum si vel eas sine sui emendatione & pœnitentia muniat, vel in eis munitis suam collocet fiduciam. Cum igitur accusatur Iehuda, quod suas munierit ciuitates, indicat Propheta, ideo accusari, quia tum sine resipiscentia illas muniuit, tum quia in eis munitis suam collocauit fiduciam: ac proinde docet, cùm imminet ira Dei nostris ceruicibus, prius esse quærendam cum Deo reconciliationem, totámque in eo fiduciam collocandam ac firmandam: deinde ciuitatum etiam munitiones non esse negligendas.

5. Etsi verò non simpliciter damnatur Iuda, quòd munierit ciuitates, sed (vt dictum est) quòd sine sui emendatione fiduciam in earum munitionibus collocauit: non dixit tamen, Iuda fiduciam in suis munitis ciuitatibus collocauit, sed dixit: Iuda multiplicauit vrbes munitiones. Indicat igitur, vix fieri posse, vt quis suas habeat bene munitas vrbes, & cistas argento, & auro bene plenas, quin aliquam in eis fiduciam reponat, sicut & Apostolus innuit, cum iubet admoneri diuites huius seculi, ne superbiant, neve sperent in incerto diuitiarum suarum.

6. Cum ait, *Emittam ignem in vrbem eius, qui comedet palatia eius*: Nomine *Ignis*, i. Venit ira Dei omnia consumens, quæ eum è cœlo, tanquam ignis reuelletur, nullis munitionibus impediri potest. Indicat igitur, etsi vrbes Iuda sint munitissimæ, ita, vt inexpugnabiles esse videantur: se tamen

eas sua de cœlo ira expugnaturum, idcóque fiduciam quam Iuda in suis munitionibus reposuerat, frustraturum. Impleri autem cœpit hoc vaticinium, cùm Sennacherib, rex Assyriæ (sicut narratur 4. Reg. 18.) venit ad omnes ciuitates Iuda munitas, & cepit eas: ac proinde docet, non esse in res caducas recumbendum: quia aduersus iram Dei nihil humana præsidia possunt, sed tantùm fides & resipiscentia. 2. Ipsum etiam materialem ignem minatur, quo palatia Hierosolymæ incendantur & perdantur. Hoc autem impletum fuit, cùm Nebusar Adam incendit templum & palatia Hierosolymæ, vt est 4. Reg. 25.

CAPVT IX.

ARGVMENTVM.

Famis belli, captiuitatis, orbitatis & ærumnarum, quæ induratos Israelitas, falsos Prophetas & delectores manebant, amplificatione grauitatem impœnitentiæ eorum exaggerans, vtilem metum viget pœnitentiam.

1. *Ne læteris Israel, ad exultationem, quòd scortaris à Deo tuo: diligis mercedem meretriciam in omnibus areis frumentariis.*

Ne læteris, Israel ad exultationem, sicuti reliqui populi, quoniam fornicatus es à Deo tuo: dilexisti mercedem meretriciam supra omnes areas tritici.

Gil exultatio à *Gul* exultare.

Ethnan merces meretricia.

Goren area, vbi frumentum ex spicis excutitur.

Quia fornicatus es. pœna contra adulteras Num. 5. non sic contra simplices meretrices: ideò ne læteris sicut populi, qui scilicet non habent Deum suum virum.

Supra areas, id est, in areis quasi dicat, cùm Deus implebat areas tuas tritico: tunc ibi illud accipiebas tanquam mercedem scortationis, acceptum ferens diis tuis.

Ne læteris Israel in tripudio, sicut reliqui populi quando quidem fornicatus es cum idolis, *deserto Deo tuo, dilexisti mercedem meretriciam in omnibus areis tritici.*

Quasi dicat, etiam cùm maximæ lætitiæ tempus & materia offertur, ne tunc quidem læteris, ô Israel, sicut reliquæ gentes, quæ etiamsi seruiunt idolis, tamen non premuntur angore conscientiæ propter desertum verum Deum, quem nunquam agnouerunt, neque tam atrocibus pœnis punientur, quàm tui, cui clarissimè voluntas & bonitas Dei perspecta est, quippe propter tuam defectionem grauissimè puniendus es.

Diligere mercedem meretriciam, est fornicari: est igitur repetitio Israelitæ bonis affluentes, magis insaniebant, idola enim colebant in areis, eisque (vt in 2. cap. dictum est) triticum acceptum ferebant.

2. *Area vt lacus torcularis non pascet istos, & mustum mentietur isti.*

Area & torcular non pascet eos, & mustum mentietur in ea.

Iekebh torcular. Iesaiæ 5.

Rahah pascere.

Area & torcular non pascet eos, & mustum fallet eos.

Id est, non respondebunt ipsorum exspectationi.

3. *Non habitabunt in terra Iehoua, sed reuertetur Ephraim in Ægyptum, & in Assyria pollutum comedent.*

Non habitabunt in terra Domini, & reuertetur Ephraim in Ægyptum, & in Assur immundum comedent.

Ieschebhu est futurum à *Iaschabh* habitare. Iod radicale absorbetur in tzeri.

Tame immundum, pollutum, à *Tama* immundum esse.

Non habitabit diu in terra Domini, sed reuertentur Ephraita in Ægyptum, & in Assyria immundum comedent.

In terra, è qua scilicet Dominus eiecit gentes, vt ibi Israel coleret Deum. Alij vastatione patriæ pulsi, confugient in Ægyptum, alij captiui abducentur in Assyrium, vbi propter penuriam & seruitutem non poterunt seruare discrimen mundorum & immundorum in lege præceptum.

4. *Non libabunt Iehoua vinum, neque suauia erunt ipsi libamina: sacrificia eorum vt cibus lugentium futura sunt eis, quicunque comederent ipsum pollueretur: nam cibus eorum pro mortuo ipsorum non veniet in domum Iehoua.*

Non libabunt Iehoua vinum & non dulcescent. grata erunt *ei sacrificia eorum sicut panis lugentium erunt eis, omnes comedentes eum panem polluentur, quoniam panis eorum, anima ipsorum*, id est, quem offerent pro anima sua, vel, qui vitæ eorum sustentandæ destinatus est *non veniet in domum Dei*, cum scilicet illum offerent, seu, non poterit ab illis offerri, & ita in domum Dei venire: quia erunt captiui inter gentes.

Nasach fundere, libare.

Harabh dulcescere, pro, gratum esse & placere est etiam fideiubere.

Onim lugentium, à radice *Auan*: vnde *Auen* iniquitas, luctus, & panis animæ, id est, qui animæ seu vitæ sustentandæ destinatus est. Luch, panis quo aluntur.

Non libabunt Domino vinum, neque dulcescent illi sacrificia eorum, sed, *tanquam cibus lugentium erunt illis, quem qui comedent, omnes pollui solent: Itaque sacrificium eorum pro expiandis animabus eorum non veniet in domum Domini.*

Non libabunt, erunt enim sacrificia prohibita extra terram sanctam.

Non dulcescent, id est, non erunt grata.

Quem qui comedent, lugentes, cadauerum immundicie polluti, contactu suo cibum immundum reddebant.

Panis pro animabus eorum, panem vocat carnem victimarum, quæ pro expiatione animarum offerebantur. Sensus est: Sacrificia expiatoria non venient in domum Domini, id est, Deo grata non erunt.

5. *Quid facturi estis, die solennitatis, & die festo Iehoua?*

Quid facietis in die Mohedh, statuto, solenni *& in die festiuitatis Iehoua.*

Chagh à *Chaghagh* festum diem agere, tripudiare: loquitur de die, quo Dominus pœnas de Israele sumet.

Quid facietis in die solennitatis, & die festiuitatis Domini?

Innuit diem euersionis regni, quo tanquam die festo, conuocandi erant hostes ad effundendum sanguinem filiorum Israel & placandam iram Dei ipsorum peccatis excitatam.

6. *Nam ecce interituri sunt à vastatione, Ægyptus congregabit eos, Moph sepeliet eos, desiderabilissima tentoria ad argentum ipsorum chamaleon hæreditaria possidebit, spina in tentoriis ipsorum erit.*

Quoniam ecce abierunt à vastatione, id est, propter vastationem. *Ægyptus colliget eos, Moph* Memphis *sepeliet eos, desiderabile ad argentum eorum*, reponendum scilicet & conseruandum destinatas domos, *vrtica hæreditabit eas, spina, lappa, in tabernacula eorum.*

Machmadh desiderabile, vel, desiderium, intelligit domos magnificas & sumptuosas, in quibus suam habebant pecuniam, vel, quæ erant auro & argento ornatæ. *Chamadh*, propriè significat desiderium.

Kimosch vrtica.

Iarasch hæreditare.

Choach spina, à rad. *Chach*, id est, fibula. à perforando sic dicta spina.

Ohel tentorium, tabernaculum.

Etenim statim migrabunt præ vastitate totius regni, Ægyptus colliget eos, Memphis sepeliet eos, domos expetibiles argenti eorum vrtica, quasi *iure hæreditario, possidebit, & paliurus* crescet *in habitaculis eorum.*

Desiderij argenti eorum) subintellige, ædes, sumtuosa ædificia, in quibus opes suas recondere solebant, post captiuitatem erunt deserta perpetuò.

Adue-

7. *Aduenisse dies animaduersionis, aduenisse dies retributionis agnoscent Israelitæ, stultos Prophetas istos, dementes, viros ventosos esse propter amplitudinem iniquitatis tuæ & amplum intestinum odium.*

Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis, cognoscent Israel, stultus Propheta, furiosus insanus *vir spiritus, super,* id est, propter *multitudinem iniquitatis tuæ.*

Hasschillum retributio, à *Schalam* pacificare & retribuere.

Euil stultus ab *Auel.*

Meschuggah stupefactus, seu stultus factus, Furiosus: à *schaghah* insanire. Vir spiritus, id est, venti, ventosus.

Hal super & propter.

Robb multitudo, à *Rabhabh* multiplicare.

Rabbah multa, fœmin quia etiam odium Hebræis fœminini est generis, multum autem accipitur etiam pro magno.

Mastemah odium, sed est fœminini generis.

Iamiam venturum est tempus animaduersionis, iamiam venturum est tempus retributionis, cum agnoscent Israelitæ quod ille Propheta stultus sit insanus, homo leuis, propter multam iniquitatem tuam, multum quoque erit odium Dei.

8. *Speculatur Ephraimum coniunctum Deo meo, vt laqueus aucupis in omnibus viis, Propheta ipsius est intestinum odium in domo Dei ipsius.*

Speculator est ipsi Ephraim cum Deo meo, vel, speculatorem, delegit sibi scilicet, Ephraim cum Deo meo, *Prophetam laqueus aucupis super omnia eius,* id est, in omnibus viis, sicut & primo versu *hal* pro in capitur, *odium in domo Dei eius,* sui.

Tsaphah speculari, inde *tsophch* speculator, episcopus, superintendens.

Iakosch à *Iakasch* illaqueare, irretire: est nomen Toar, & significat illum qui illaqueat: ideò interpretes vertunt vere aucups, sed propriè est, atque si dicas, illaqueantem seu laqueos tendentem Hieron. Speculator Ephraim cum Deo meo, Propheta laqueus tortuosus super omnes vias eius, insania in domo Dei eius. Vide eius comment. in hunc versum. Vide Tusitensem bene hunc versum explicantē. Calu. Speculator Ephraim cum Deo meo, Propheta laqueus aucupis super omnes vias eius, odium in domo Dei sui. Munst. Speculatorem posuit Ephraim cum Deo (nempe) Prophetam velut laqueum aucupis in omnibus viis suis, inimicitias in domo Dei sui.

Sanct. Pagn. Speculatorem (posuit sibi) Ephraim cum Deo meo. Prophetam (qui est illi tanquam) laqueus aucupis, super omnibus viis eius, odium in domo Dei eius.

Capito, Speculatorem (delegit sibi) Ephraim cum Deo meo, Prophetam laqueum offendiculi super omnes vias suas, odium in domo Dei sui. Vide eius explicationem in hunc locum. Casta. Speculator Ephraimitarum apud Deum meum vates, laqueus est aucupatorius, per omnes eorum vias, simultas in æde eorum Dei.

Speculator est ipsi Ephraim contra Deum meum, est inquam ipsi Ephraim *Propheta,* qui est instar *laquei aucupis in omnibus viis suis, éstque odium Dei in domo Dei sui,* id est, alieni.

Him pro contra. Leuit. 26. Potest etiam verti Cum, hoc sensu: Doctrinam de Deo simul cum falsa doctrina de cultu idolorum amplecti volt Ephraim, vel, qui aduersatur vero Deo & veritati.

Pseudopropheta aucupi, eius doctrina laqueo, populus aviculis, comparatur.

9. *In profundissimam corruptionem coniiciunt, similem temporibus Gibbha: recordabitur iniquitatis eorum, animaduertet peccata eorum, dicens:*

Profundauerunt, seu, in imum defixerunt, id est, profunde altéque defixi sunt, *corruperunt* scilicet se, suáve opera *sicut diebus Gabaah, recordabitur iniquitatis eorum, visitabit peccata eorum.*

Hehmiku à *Hamak,* idem verbum supra, cap. 5. ver. 2. in hunc eundem sensum quo hic. Quidam subintelligunt consilium. Vide hic Annotationes in S. Pagn.

Schicheta in Piel, corruperunt, scilicet opera sua, sicut Beniamita in Gabaa, Iud. 19. Munster.

Grauissimè defecerunt, corruperunt mores suos *sicut tempore nefandæ libidinis Gabaa, recordabitur Deus iniquitatis illorum, animaduertet in scelera illorum.*

Profundarunt & corruperũt, quasi dicat venerunt in profundam impudentiam, corruptissime viuentes, vel, subtili arte deceperunt populum, vt est cap. 5.

Historia Iudicum docet, collapsam fuisse omnem honestatem, impunitatem autem obtinuisse, populo sine lege, & sine legitimo Magistratu omnia pro libidine agente.

10. *Tanquam vuas in deserto inueneram Israelem, vt primum fructum in ficu principio ipsius, videram maiores vestros: ipsi venerunt ad Baalpeghorem & separauit se pudendo, & fuerunt detestationes prout amauerunt.*

Sicut tanquam *vuas in deserto, inueni Israelem, & sicut primogenitum,* id est, primitias ficulneæ, primum fructum, *in ficulnea, in principio eius,* id est, initio suo, *vidi patres vestros: ipsi tamen ingressi sunt ad BaalPehor & segregati sunt (à me) pudori,* id est, idolo pudendo, id est, ad coleocum pudendum idolum, *& fuerunt abominationes sicut,* vel secundum, *amorem eorum.*

Becher primogenitus, ab hoc *Bechurah* primogenita, id est, Significat hic primitium, seu primogenitum ficus.

Teenah ficus, arbor ficulnea & fructus.

Nazar segregare, separare, est Parasch, ait K.

Boscheth pudor à *Boschó* pudore suffundi. Quidam aiunt, idolum intelligi, quòd debeat nos illius pudere, & quidem fuisse idolum Priapi illud, de quo hic loquitur, & ideò illud vocari *Boscheth.* Cap. Ad ignominiam.

Schikkusz & *Schekets* abominatio: à *Schakats.*

Secundùm amores eorum, id est, tot idola habuerunt, quot habuerunt mulieres diuersarum nationum. Ego sic: Abominationes fuerunt eis tanquam amores, id est, amasij carissimi. Amasij enim Israelitarum fuerunt idola & superstitiones, vt ante sæpe dixit. De idolo BeelPehor vide Münst. in Num. 25.

Quàm gratæ sunt *vua in deserto,* tàm gratam *inueneram Israelem, & quàm* lubenter vidit quis, primitias quas plantauit, *primum fructum in ficu, cum incipit ferre fructum,* tàm lubenter *videram patres vestros, at ipsi à me diuerterunt ad Baal-Pehor, & à me separarunt sese pudendo idolo, atque fuerunt abominationes eorum plurimæ iuxta eorum.*

Tot habuerunt idola, quot habuerunt scorta diuersarum nationum. Num. 25. vel pro ardenti amore erga idola, illa sibi multiplicarunt, vel, quantum ipsi amabantur à Deo, tantùm fuerunt ei propter idololatriam exsecrabiles facti.

11. *Ipsorum Ephraimitarum tanquam volucris euolabit gloria inde à partu & ab vtero, & à conceptu.*

Ephraim, sicut auis, auolabit gloria eorum à partu & ab vtero & à conceptione. Copula est pro disiunctiua Vel.

Ithhophoph auolabit, est futurum in Hithpael, pro auolat, vel auolabit propter actum continuum in futuro est.

Cabhodh gloria Ephraim sunt filij, sensus: morituri sunt filij eius, vel cum primùm in lucem prodierint, vel statim post ipsam conceptionem.

Ledhah partus à *Ialadh.*

Beten vterus, venter.

Heralon conceptus, ab *Harah.*

Gloria Ephraim auolabit, sicut auis, à partu ab vtero & à conceptu.

Morientur cum primùm prodierint in lucem, aut abortione exstinguentur, aut non concipientur.

12. *Quòd si educauerint filios suos, ita orbabo eos, vt non supersit vllus: quin etiam væ eis, cùm discessero ab ipsis.*

Quoniam, S. P. *Quòd, si educarunt filios, orbabo eos ab homine*, vt non fint inter homines, id est, interficiam, *quoniam etiam væ illis in recedendo me ab eis*, id est, cùm recessero.

Gadhal est etiam educare, & ad grandiorem ætatem perducere.

Schachal orbare, est in piel, *Schiccel*.

Quòd si educauerint aliquos filios sibi, eos illis orbabo antè quàm in viros euadant, insuper etiam maledictio ineuitet eis, cùm discessero ab eis.

13. *Ephraim, quemadmodum video Tyrum, plantata est in habitaculo: sed Ephraim producturus est ad interfectorem filios suos.*

Ephraim, sicut vidi similis est *Tyro, plantata in tugurio*, seu habitaculo scilicet à reliquis separato, munito, ita vt tuta ab hoste videatur, sicut Tyrus erat: *Et tamen Ephraim ad exire faciendum ad interficientem filios suos*, parata scilicet est, succincta, vel destinata.

Tzor Tyrus.

Schathal plantare.

Nauah habitare, inde *Naueh* habitaculum, tugurium.

Haragh occidere, *Horegh* occidens.

Ephraim, vt vidi (similis est) Tyro plantatæ, (id est, bene munitæ,) in Tugurio: quia in medio mari, quasi tugurium eminens erat & vndique fortissima: sic Israelitæ auxilio Dei muniti. Vide interpretationem Hieron. Vel sic, Ephraim, sicut vidi ad Tyrum, (id est, circa Tyrum) plantatam (scilicet arborem (ita ipsa est) in tugurio, scilicet suo, nempe floridissima & frondibus referta. Quid si *tzor* pro obsidione capias? *tzur* enim obsidere significat. Ephraim, sicut video spiritu prophetico, ad obsidionem est plantata in suo habitaculo, & ipse educet suos filios ad interfectorem, dùm volet scilicet resistere.

Ephraim est sicut vidi Tyrum plantatam in pulcherrimo habitaculo: tamen educet ad interfectorem filios, ciues, *suos.*

Quasi dicat, etiamsi decem tribus sint florentissimæ & inexpugnabiles, vt Tyrus: tamen breui gladio hostili interficientur. Alii, regnum Israel, quod fuit in summa pace, corruet, vt Tyrus.

14. *Da eis Iehoua, quod daturus es: da eis vuluam abortientem, & vbera flaccida.*

Da eis Iehoua: quid dabis? Munst. Quod daturus est, sed *Mah* interrogatiuum est, *da eis vuluam abortientem & vbera arida*, scilicet vt præ defectu lactis pereant infantes: ante quàm ad ætatem virilem perueniant.

Rechem vulua à *Racham* amare.

R.D.K Da vuluam orbantem, id est, consumentem liberos, vt moriantur in vtero, vel dùm sunt paruuli, vt scilicet non consumantur per manum hostis. Et dixit orbantem, quasi vulua eos orbaret: quia scilicet in vulua orbantur. R. Selomo. Orat Propheta, vt moriantur paruuli: quia non est tantus luctus paruulorum, quantus adultorum.

Schadh mamma, vber, frequentissimum est in duali *Schadaim* vbera: quia duo mulieribus vbera sunt.

Tzamak arescere, arere, siccare.

Da eis Domine. Quid verò dabis? da eis vuluam orbitatem adferentem & vbera arentia.

Quasi dicat, si decreuisti populum perdere, abortione potius & sterilitate aut fame, quàm bello perde: hoc enim adfert nimis multas miserias.

15. *Totum malum istorum in Gilgale est, nam ibi odi istos: propter malitiam actionum istorum, è domo mea expellam istos, non pergam amare eos, omnes principes eorum sunt refractarij.*

Omne malum eorum in Gilgal: quoniam ibi odi eos super malitia, id est, propter malitiam *operum ipsorum*: ideò *è domo mea eiiciam eos: non adiiciam* non pergam *amare eos, omnes principes eorum peruersi.*

Sane odisse.

Hal hic significat Propter. versu primo significat In.

Geraseh eiicere, expellere.

Sorer declinans, seu desertor, contumax, peruersus, à *Sorar* declinare, recedere & putrescere.

Sar princeps à *Sur* dominari, principatum habere.

Omnis illorum malitia perpetratur in Gilgal, nam ibi inprimis odi illos: propter malitiam operum illorum, domo mea expellam eos, non diligam illos amplius, omnes principes illorum sunt peruersi.

Omnis terra Israelitarum scatebat idolis, sed inprimis Gilgal erat infamis. Cùm enim ibi fœdus circumcisionis firmatum fuisset, Iof. 5. & alia insignia Dei beneficia in illo loco in populū collata, postea ibi idololatria magis quàm alibi exercebatur: ideò dicit, *Omnis malitia in Gilgal.*

Domus Dei, terra Israel.

16. *Percutietur Ephraim, radix ipsorum exarescet, fructum non sunt facturi, etiamsi genuerint, morte afficiam tamen liberos desideratissimos vteri ipsorum.*

Succisus est Ephraim: radix eorum aruit fructum non faciant, vel, ne faciant, etiamsi genuerint, perire faciam desideria vteri sui, ipsorum.

Huccah percussus seu succisus est, à *Nachah* est præterit. in hophal.

Iabhasch & *Iabhesch*, aruit.

Schoresch radix.

Bal & *Beli* nonne.

Vehemathi perire faciam, est præteritum: sed *vau* vertit futurum, est in hiphil à *Moth*, id est, mortuus est.

Machmadh desiderium à *Chamadh* hic desiderium pro desiderabili capitur, seu pro re carissima & optatissima.

Iamiam percutientur Ephraitæ, & radix eorum exarescet, id est, carebit posteritate, *vt fructum non faciant.*

EXPLICATIO.

HÆc concio constat tùm reprehensione peccatorum, tùm denunciatione iræ Dei contra peccata. Inprimis verò amplificat atque exaggerat mala, quæ populo propter sua peccata imminebant: ideóque docet, non esse cur populus debeat obdormiscere in suis peccatis, & putare, se esse extra omne periculum: quia etsi Deus ad tempus conniueat: malus tamen exitus illos manet.

Totius concionis propositio hæc est: Non est, ô Israelita, cur, quia videtis Deum & in peccatis vestris conniuere, & variis vos beneficiis cumulare, omniáque vobis ex sententia succedere, non est, inquam, cur ob hæc debeatis more gentium, securo animo lætari & triumphos agere: quia, cùm maxima admiseritis contra Deum scelera, & nullo modo resipiscatis, maxima etiam vobis imminent à Deo flagella. Atque hæc propositio continetur primo versu. Quæ autem sint ea peccata, quæ populus admisit, & quæ mala, quæ populo immineant, per totam concionem explicat.

Est autem diligentissimè nobis hæc concio audienda, quoniam tota in nos hoc tempore quadrat, qui solemus rebus secundis ita gaudere, & hoc prætextu, quòd Deus statim nos non puniat, ita nobis placere, vt obliti Dei, non desinamus peccare, & nunquam cogitemus fore, vt nostra tandem peccata puniantur. Expergefacit igitur nos Propheta & admonet, non esse, cur lætemur & triumphos agamus, cur conuiuia celebremus, quasi res nostra iam sint in tuto: quia Deus non statim pœnas de nobis sumat, sed contrà potius benedictionibus variis, vini & frumenti copia nos cumulet, cùm tamen interim negligamus legem Dei, retineamus idola, & nunquam resipiscamus.

Nunc audiamus Prophetam.

1. *Ne læteris Israel super exsultatione*, id est, super materia exsultationis, id est, in rebus secundis *sicut populi, quia fornicatus es à Deo tuo, dilexisti mercedem meretriciam super omnes areas frumenti*, id est, in omnibus areis.

Duo facit in hoc versu, 1. Dùm dehortatur populum à lætitia, qua in rebus secundis efferebatur, tacite indicat, Deū Israelitis esse iratum, ita, vt breui, sine rebus secundis imposito, nihil ampliùs à Deo exspectandū sit, quàm extremum exitium, maximū scilicet non lætitiæ sed summæ tristitiæ argumen-

argumentorum 1. Explicat caussam, cur non sit lætandum, sed potius gemendum: quia scilicet grauissimè in Deum suum peccauit, vnde ait: *Quia fornicatus es à Deo.* Constat igitur hic versus & denuntiatione iræ Dei, & reprehensione peccati.

Quo ad primum, ait, *Ne læteris.* Hęc est tacita iræ Dei denuntiatio. Est enim ac si dicat, Non est, non est, ô Israel, cur læteris, cur agas triumphos, cur celebres conuiuia, sed potius cur lugeas tui miseriam: est enim Deus tibi iratus, tibi extremum imminet exitium ac ..., idq. propter tua scelera: ideo non est, cur læteris. Cùm enim ait: *Ne læteris,* indicat, illum populum publica aliqua lætitia affectum fuisse, quæ fuit vel triũphus aliquis vel ouatio, vel aliquod aliud publicæ lætitiæ genus, quam lætitiam populus tum vocibus & cantibus, tùm conuiuiis & aliis lætitiæ signis palam declarauit, neque enim dubium est, quin Propheta hic de publica lætitia loquatur.

Cum verò subdit *Ad exsultationem,* materiam indicat lętitiæ fuisse res secundas, quæ secum adferunt exsultationem. Nomine enim *exultationis* venit materia exsultationis: nempe res secundæ. Perinde igitur est, atque si dicat: Ne læteris ob res secundas, & quod hactenus res tibi feliciter & ex sententia successerunt: nunc enim infelicem & miserum exitum res tuæ omnes habebunt: Ergo ne ob res secundas tanta afficiaris lætitia.

At quæ fuerunt istæ res secundæ, de quibus loquitur Propheta? & ob quas tanta lætitia exsultabant? Resp. Si hæc concio habita fuit sub Iarobeamo, vt fieri potest: (neque enim cõciones Prophetarum omnes eo ordine positæ sunt, quo etiam habitæ fuerunt, vt multi sentiũt) si, inquam, sub Iarobeamo habita fuit hæc concio, facile esset diuinare, fuisse victoriã aliquam de hostibus reportatam: quia omnia sub Iarobeamo feliciter succedebãt, & in dies magis ac magis florebat regnum Israel. Si verò sub Manahem, quod mihi fit verisimilius, ne ordo concionum quem habemus, cõfundatur: Si, inquam, sub Manahem habita fuit hæc concio, lętitia hęc in Israel videtur fuisse propter fœdus cum rege Assur renouatum & confirmatum, de quo 4. Reg. 15. Videmus enim cùm pax vel fœdus aliquod fit inter hostes, tũc solere ... & conuiuia, & alia id genus, in lętitię signum. Sed vt vt sit, illud certum est ob res secũdas lętatum fuisse Israel, eamque lætitiam externis etiam & publicis signis declarasse, existimasséque se esse felicissimum, & sibi cum Deo bene esse quia se non puniebat, sed potius in dies magis ac magis variis beneficiis cumulabat: ac proinde Prophetam talem lętitiam perstrinxisse.

At nunquid non licitum est ob res secundas lætari? Resp. Maximè: imò debemus lætari & gratias Deo agere. *Lætamini in Domino* ait Dauid, *& exsultate iusti.* Sed primò, Prophetę propositum non fuit, lętitiam populi hoc loco per se & simpliciter damnare, sed tantùm indicare populo, nõ esse, cur nunc lętetur ob res secundas, quando exitium illi imminet. Deinde, si damnat lętitiam talem, qualis erat illi populo. Qualis fuit illa lętitia? Impia, qualis est impiorum gentium, ... declarat Propheta ipse cùm subdit, *Sicut populi,* seu more populorum scilicet impiorum. Hęc est prima caussa cur subdat hęc verba, vt scilicet declaret, qualis fuit lętitia Israelis, qualis scilicet & populorum impiorum. Quo modo enim lętantur impii populi? Rebus tantum huius seculi secundis, sed nunquam resipiscunt, manent impij sicut antea: deo talis lętitia impia est: sic populus Israel lętabatur. 2. Illas res secundas non ferunt acceptas summo Deo, sed suis idolis, vel etiã suis viribus: ideò impia est lętitia sic fecit Israel. 3. Cùm vident se non puniri à Deo, sed potius variis beneficiis in dies cumulari, putant sibi certam pacem esse cum Deo: ideo securi indormiunt suis peccatis, & toti lętis conuiuiis, triumphis, saltationibus, cantibus, & aliis lętitiis incumbunt: de resipiscentia verò nihil cogitant: sic fecit Israel. Cum igitur ait populo: *Ne læteris super exsultatione sicut populi,* indicat Propheta, talem esse lętitiam Israelis, qualis & gentium: sicut eam descripsi, impiam scilicet & falsam.

Altera caussa cur dixerit, *Sicut populi,* est, vt indicaret his verbis, certum esse populi exitium. est enim ac si dicat: Etiãsi reliquis impiis populis Deus parcat, tibi tamen non vult parcere, sed certò certius est, te graues daturum pœnas. Ergo ne læteris sicut populi, quasi tu cum reliquis populis sis manum Dei euasurus: non enim euades.

Obseruandum est ex hoc loco, Hanc omnibus impiis cõmunem esse pestem, cùm videat Deum ad sua peccata cõniuere, nullas de se pœnas sumere, imò variis etiam beneficiis se quotidie afficere, etiamsi impii sint & onerati peccatis: putant tamen sibi bene esse cum Deo, Deum nullo modo sibi esse iratũ, imò summam & firmã cum Deo sibi esse pacem, ita vt nullo modo ampliùs ab ira Dei sibi metuendum sit: ideóque securi pergunt in peccatis, & de nulla re cogitant, quam vt lætentur & conuiuentur cum sodalibus: neque enim putant, Deum esse iratum, nisi cùm exsertam eius manũ sentiunt. Sed falluntur isti homines. Iratum enim esse Deum duabus viis concludi potest: nempe à posteriori, id est, ab effectis iræ: & à priori, id est à caussis iræ Dei: à posteriori, cùm sentimus nos cædi à Deo, cum videmus manum eius contra nos exsertam: hæc via nimis nota est tam impiis quàm piis: à priori verò, cùm descendimus in nos ipsos, & videmus in nobis hærere causas iræ Dei, nempe peccata: tunc certè concludendum est, Deum nobis esse iratum, etiamsi iram suam non patefaciat, etiãsi conniueat pro sua patientia, imo etiamsi variis beneficiis pro sua bonitate non desinat nos prosequi. hæc via certior est priori, sed hac non vtuntur impij homines: est enim solius fidei, à peccatis concludere iram Dei, & non solùm ex præsentibus pœnis, sed etiam ex vitiis ac sceleribus nostris inferre, Deum esse iratum, & iram Dei nondum declaratã, sed procul adhuc distantem metuere: hoc est quod hic facit Propheta. Populus ex eo, quod Deus conniuebat ad peccata, & ex rebus secundis, quibus affluebat, inferebat, Deum non esse sibi iratum: ideo lætabatur. Propheta verò duo facit. 1. Docet, non esse ex patientia Dei & felici rerũ statu inferendum, Deum non esse iratum, quare lætandum nõ esse, *Ne læteris,* inquit. 2. Docet irã Dei esse à suis peccatis inferendam & metuendam, vnde ait, *Quia fornicatus es à Deo tuo.*

Nunc igitur sequitur ..., cur Israeli non sit lætandum ob res secundas, quoniam adulteratus est à Deo suo. Ratio talis est. Quicũque adulteratur, id est, deficit à Deo suo, non habet materiam lætandi, sed potius lugendi suam miseriam, & exitium sibi imminens. Peccatum enim & præsertim defectio à Deo, caussa est iræ Dei, & exitium accersit ei qui peccat, & à Deo deficit.

Atqui tu ô Israel fornicatus es à Deo. Ergo non est cur læteris ob res secundas, quasi cum Deo perpetua tibi sit pax. His verbis expergefacit Israelem, vt in seipsum descẽdat, & videat caussam iræ Dei in seipso hærere nempe defectionem à Deo. Ex caussa igitur concludat effectum, ac proinde ne propter res externas secundas existimet, sibi bene esse cum Deo, sed suspecta sit omnis externa prosperitas, imò, quò maior est externa prosperitas, eò magis sibi à Deo metuat: quia præter defectionem, accedit etiam beneficiorum Dei abusus. Ergo tantùm abest, vt propter externam prosperitatem debeat lætari, vt potius ob eam debeat multò magis tristari: quia cùm sit rebellis contra Deum, ipsa etiam prosperitate abutitur, & ideo ea ad maiorem facit damnationem.

Colligimus hinc, nunquam esse fidendum externæ prosperitati, sed semper descendendum esse in nos ipsos, & videndum, an in nobis hæreat caussa iræ Dei, tunc certò sciamus, Deum nobis esse iratum, ac proinde quærendam esse cum eo reconciliationem.

Est autem obseruanda locutio, *Adulteratus es à Deo tuo,* non ait simpliciter, *fornicatus es,* nẽpe sicut faciunt publica scorta, quæ nullum habent virum, sed ait *A Deo tuo,* tanquã à tuo viro. Indicat igitur, longè grauiorem pœnam manere Israelem, quam reliquos populos, ideóque non esse Israeli lętandum, sicut reliquis populis. Ratio talis est. Multò grauior pœna debetur illis mulieribus, quæ cum nuptę sint, à suo tamen viro deficiunt ad adulteros, & cum eis fornicãtur, quàm simplicioribus scortis. Hoc patet ex lege Mosis, Num. 5. describitur diligentissimum examen quod fieri debet in ea, quę suspecta est adulterij, & grauissimas, horribilésque maledictiones ei imprecatur sacerdos. Item in Euangelio aiunt Pharisęi de adultera: *Moses mandauit, vt adultera lapidibus obruantur.* De simplicibus autem scortis hæc nõ leguntur in lege. Neque etiam apud gentes, talea vnquam in simplex scortum statutæ sunt pœnæ, quales in adulteras. Atqui vos fornicati estis à Deo vestro, tanquam à viro: populi verò non sunt fornicati à Deo tanquam à viro: quia non eos sibi Deus in vxores, sicut vos, duxit.

Ergo nolite lætari, sicut populi quia multò grauiora vos manent supplicia, quam gentes, cum vos sitis ceu adulterę, gentes verò simplicia scorta. Est igitur, atq. si dicat, Nolite lætari sicut populi, quia cum fornicati sitis à Deo vestro, etiamsi reliquis omnibus populis veniam dederit Dominus: vobis tamen daturus non est, est enim multo grauior vestra à Deo apostasis, quàm reliquorum populorum idololatria. Colligimus hinc, multo semper grauiora supplicia manere populum Dei, si peccet, & colat idola, quàm gentes, si eadem admittant peccata, & eadem colant idola.

Dilexisti mercedem meretriciam super omnes areas.

Diligere mercedem meretriciam, est diligere, ideóque exercere fornicationem seu impietatem propter quæstũ. Illud verò *In areis tritici* explicat, quam mercedem amarint Israelitæ: nempe, vt ipsorum areæ frumento implerentur. Indicat enim Israelitas desiderasse & petiisse ab idolis diisque suis, vt suas ipsorum areas frumento implerent ínque mercedis loco pro suo erga ipsa idola obsequio & cultu. A duabus igitur circumstantiis exaggeratur Israelitarũ peccatum. 1. A dilectione fornicationis, quod scil. non sint fornicati à Deo vi, aut aliorũ impulsu, aut ignorantia, aut infirmitate, sed malitia, quia scilicet amarunt fornicationem hanc propter quæstum. 2. Ab ingratitudine, quia scil. beneficia, quę à Deo suo exspectare, petere & sperare debebãt, ab idolis exspectarunt, sperarunt & petierunt, imò quę a Deo accipiebãt bona, ea accepta ferebant suis idolis. Illa igitur particula *In areis*, est particula explicatiua prioris, quæ scil. esset merces illa meretricia, quam amabant Israelitę nempe, copia frumenti & rerum omnium, qua suas areas impleri cupiebant, & quamá suis idolis postulabant. Non dixit autẽ *Super horrea*, sed *super areas*: quia alludebant ad messem, quam optabant & sperabant: largam scil. atque vberem. Est igitur sensus. Tu es reuera, ceu quædam impudica & ingrata meretricula, quæ non contenta liberali sui mariti tractatione, amasiis etiam ad omnem fœditatem se prostituit propter turpem quæstum, sperans scilicet se ab illis liberaliùs, quàm à suo marito tractatum iri.

At quamobrem mercedem meretriciam appellauit illam frumenti copiam, qua Israelitæ cupiebant suas impleri areas in messe? & cur istud desiderium in illis reprehendit? Annon licet desiderare vberem frumenti & vini copiam?

Responsio facilis est. Maximè licet desiderare & petere: Et hoc nõ simpliciter improbat in Israele, sed ideò improbat, quia cùm illum prouentũ & reliqua bona omnia à Deo vero precibus & petere & exspectare deberent, ea ab idolis petebant & exspectabant, & idcircò mercedem meretriciã vocat illum prouentum, non quòd esset ab idolis, erat enim à Deo, sed quia à suis idolis, tãquam à suis fornicatoribus, sese accipere illum putabant, tanquam mercedem sui impij cultus atque superstitionis. Explicabo meliùs & rem ob oculos ponã. Deus erat Israelitis maritus, is promiserat illis copiam annonæ & omnia bona, si, ceu bona vxor, honestè se cum suo marito gererent. Populus tanquam meretrix, oculos conuertit ad idola, existimauit enim, se multò maiorẽ rerum copiam accepturum ab idolis, quàm à Deo: nimirùm si idololatricum cultum sequeretur, quàm si illũ retineat, quẽ Deus præscripserat in lege. Maluit igitur scortationibus, id est, idololatriis, alimenta sibi ab idolis acquirere, tãquam mercedem suę scortationis, quàm ea à vero Deo tãquã à suo marito accipere. Hoc igitur est, quod in Israelitis reprehendit Propheta quod sc. largiorem vini & frumenti prouentũ sperauit ab idolis quàm à Deo. Locus qui est Ier. 44. hoc quod dico perspicuum reddit. Ibi quoque Iehudæis exprobrat Ieremias, quòd, cùm omnia bona à Deo acciperent, putarent tamen, se ab idolis lautiùs tractari, quàm à Deo: dicebant enim, *Cùm seruiebamus reginæ cœli, abundauimus frumento & vino*. Nunc tenemus mentem Prophetæ & sensum horum verborum: *Dilexisti mercedem super areas frumenti.*

Colligimus hinc duo. 1. Omnes illos esse, ceu impudicas meretrices, qui deserto Deo, ad diuos aut diuas, statuas & imagines, se conuertunt: eas colunt & inuocant: hoc est enim adulterari à Deo & quę Deus pollicitus est se daturũ, ea à suis idolis petunt: hoc est enim amare & petere mercedem meretriciam. Cùm igitur Papistæ habeant tot sanctos, & sãctas statuas & imagines, quas colunt, &, neglecto Deo, qui solus est inuocandus, ab eis petunt vel pluuiam, vel vini & frumenti copiam, vel corporum sanitatem, annon manifestum est, esse impudentissima scorta, quæ suæ fornicationis mercedem à suis amasiis petant?

2. Quia prius ait: *Adulteratus es*, posteà statim subiunxit: *Dilexisti mercedem meretriciam*, cùm hæc duo coniungat simul, scortationem & meretricium quæstum, docet Propheta superstitiosam religionem cum turpi quæstu esse coniunctam.

Sed dubitatio oritur in contextu. Dixerat superiori cap. versu 9. *Ephraim conduxit amores*, vbi Israelitas comparauit scorto, quod non mercede ab amasiis ad scortandum alliciatur, sed quod muneribus alliciat amasios ad secum fornicandum. Hic verò ait: *Similem esse scorto, quod amat mercedem meretriciam.*

Facilè conciliantur ij duo loci. Superiùs ideò dixerat: *Ephraim conduxit amores*: quia magna pecunia fœdus cum rege Assur sibi comparauit, vt patet 4. Reg. 15. Hic verò ait: *Dilexisti mercedem*: quia reuera Israel colebat falsos Deos, spe lucri. Vt, idololatra aliquis magno sibi emet idola, & magnos sumtus faciet in templũ aliquod ędificãdũ, idolaque ex auro & argento fabricanda: hoc est conducere amasios. Interim dum colet idola cur colet? Spe lucri vt sc. ab eis obtineat copiam rerum, bonam valetudinem. Non pugnant igitur inter se, quòd aliquis & mercede conducat amasios, & tamẽ cum eis fornicetur spe lucri & mercedis.

Habemus peccatum populi, sequitur apertа pœnæ denunciatio.

2. Area & torcular non pascet eos, & mustum mentietur in ea.

Sensus est. Israelitæ ideò ad idola confugiunt, & ea colunt quia ab eis exspectant largam & vberem annonã sperant enim plus lucri ex superstitionibus, quam ex meo cultu. At Ego frustrabor eos hac inani spe, & ita iustas de eis pœnas sumam Efficiam, vt nec area, quam frumento implendam à suis idolis sperant, frumentum vllum habeat, quo pascantur, nec torcular vinum præbeat, quo nutriantur, id est, auferam illis & frumentum & vinum.

Et mustum mentietur in ea spe mercedis id est, non respondebũt vindemię illorum expectationi: dùm enim vites refertæ sunt suis floribus sicut nunc, vel etiam onustæ sunt vuis immaturis, nobis quasi promittunt magnã multi copiam: dùm verò postea res nõ succedit, quia aut nimio frigore, aut pruina aut alio incommodo vites perierunt, tunc dicuntur quasi mentiri nobis. Ergò mustum mentietur, idem est, atque vindemiæ expectationi respondebunt.

Non dicit autem, *Agri erunt steriles*, neque dicit, *mittam procellam aut grandinem*: sed ait, *Area & torcular non pascet, & mustum mentietur*, quasi dicat, Cùm putabant, se iam habere frumentum in areis collectum, & mustum e torculari expressum, & quasi iam ebibitum, tunc efficiam, vt nihil habeant, vnde alantur & pascantur. Area ergò & torcular nõ pascet, quasi dicat, etiamsi collegerint frumentũ in area, & mustum expresserint è torculari tamen efficiam vt illis nõ fruantur. Tacitè indicat, se effecturum vt, postquam messẽ fecerint, mox obsideãtur & capiantur ab hostibus, qui omnem illorum messem deuorabunt. Vel indicat, se effecturũ, vt, cùm segetes maturuerint, & vindemia institerit, quando Israelitæ cogitabunt iam messem facere & sperabunt, se vinum & triticum domum portaturos, mox veniant Assyrij, qui occupatis agris omnibus, omnia ipsi deuorent: Ita etiã factum per Tiglatpelassar, qui totam terram Nephthalim fortissimam vastauit: deinde per Salmanassar. Non igitur ipsos Israelitas, sed alios pascẽt illorum areæ & torcularia.

Hęc est debita & iusta pœna talis peccati: sępe cũ Deus idololatras suis inanibus spebus fallit, vt scil. ipsi idololatræ, si sint ex reprobis & nolint tamen resipiscere, saltẽ inexcusabiles reddantur, dùm vident, sua idola non posse ea præstare, quæ petuntur, & se ab eis frustrari, & tamen ab illorũ cultu desistere nolũt: si verò sunt ex electis, hac ratione oculos aperiant, redeant ad sanam mentem, & ad verũ Deum conuertantur. Agit enim Deus nobiscũ vt bonus pater cũ filio non satis ingenuo, qui nihil curat, nisi ventrẽ, si is filius neq. precibus, neq. admonitionibus, neq cupiditate gloriæ, aut amore virtutis, aut etiã verberibus flecti possit ad studium literarum. Quid agendum est bono patri? quia videt filium ventri tantum addictum, adimat illi panem & vinum, tum primum animaduertere & sentire incipiet, quanta sit ira patris, tunc incipiet primum redire ad sanam mentem, & venire ad scholam. Sic Dominus egit cum illo populo, omnes enim tractat pro cuiusq; ingenio. Ergò hæc priuatio panis & vini, fuit iusta & debita pœna populo Israeli ob sua peccata.

3. Non habitabunt in terra Domini.

Hæc est alia etiam pœna, sed longè grauior superiori. Minatur enim hic non simplicem panis & vini priuationẽ, sed omnimodam exhæredationem. Sunt autem tria membra in hoc versu, quæ singula suam habent vim ad hanc pœnam exaggerandam.

1. Primum ait: *Non habitabunt* scilicet amplius in terra Domini. Indicat igitur, se illos expulsurum è suis ædibus, tanquam improbos spurios iam maledictos & exhæredatos, hoc certè fuit testimonium, quòd Deus illos non habiturus erat amplius pro filiis & domesticis sed pro alienis.

Non ait autem, *in terra sua*, sed, *in terra Domini*. Quare? 1. Vt indicaret, illos non fuisse Dominos illius terræ, sed tantum colonos, sicut alibi ait Dominus *Leuit. 25.* Terra quoque non vestra est in perpetuum: quia mea est, vos autem aduenæ & coloni mei estis.

2. Vt indicaret, Israelitas terram illam non sibi suis viribus acquisiuisse, aut propter sua merita in eam introductos esse, sed à Domino accepisse idque per gratiam *Deut.* 19. Ne dicas in corde tuo, cùm deleuerit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo, propter iustitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc possiderem, cum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes: neque enim propter iustitias tuas & æquitatem cordis tui ingredieris, vt possideas terras eorum, sed quia illi egerunt impietatem, introeunte te deletæ sunt, & vt compleret verbum suum Dominus, quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis, Abrahamo, Isaaco & Iacobo. Scito igitur, quod non propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc opimam in possessionem, cùm durissimæ ceruicis sis populus.

3. Voluit indicare, quandiu filij fuerunt, terram illam, tanquam hæreditariam, eorum tanquam filiorum & hæredum fuisse, sed iam cum non amplius illos sit habiturus pro filiis, non futuram amplius terram illorum, sed tantùm Dei. Indicat igitur hac particula, illos exhæredandos esse.

4. Terra Domini appellatur: quia ibi peculiariter Dominus habitare & quiescere dicebatur, cùm ibi esset sua Ecclesia. *Psal.* Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo: quia elegi eam.

Cùm igitur ait, Non habitabunt amplius in terra Domini, indicat, illos ex Ecclesia expellendos & excommunicandos.

Redibunt in Ægyptum.

Est allusio elegans inter verbum *ieschbbu & veschabb* non habitabunt in terra Domini, sed redibunt in Ægyptum. Duo minatur. 1. Multos propter famem ituros in Ægyptum, cum scilicet obsidebitur Samaria. 2. Reliquos in Assyriam inter gentes captiuos esse abducendos. 4. Reg. 25. In Iehudæis, qui remanserant in Iehuda, hoc etiam impletum fuisse scribitur *Consurgensque populus, à paruo vsque ad magnum, & principes militum venerunt in Ægyptum timentes Chaldæos.* Ier. etiam in idem habetur: Ipsum scilicet Prophetam cũ populo iuisse in Ægyptum. Pœna igitur hæc ac Iehudæos etiam pertinet. De Israelitis verò, de quibus propriè hic loquitur Propheta, nullam habemus historiam quæ testetur, illos iuisse in Ægyptum captiuos vel fame pressos, sed tamen dubitandum non est cum hoc prædicat Propheta, quin in Ægyptum iuerint per multi ex illis vel fame pressi, vel captiui 1. cùm de Iehudæis id constet 4. Reg. 25. & Ierem. 20. Multæ verò reliquiæ Israelitis permixtæ essent Iehudæis, patet etiam in Israelitis impletum fuisse vaticinium. 2. quòd nullæ exstent historiæ hac de re, non est mirandum: multæ enim historiç & libri sancti interciderunt, quarum tamen historiarum vestigia quædam sunt apud Prophetas.

Fuit autem hæc pœna debita tali peccato. Israelitæ contra Dominum iuerunt in Ægyptum auxilij capiendi caussa. Ergò inde pertracti inuiti in Ægyptum, vt ibi malis atterentur, & notanda est ... cum minatur reditum in Ægyptum, vbi scilicet, ceu ferreæ fornaci, inclusi, genti inimicæ serui erant.

Et in Assyria comedent immundum.

Grauissima est hæc circumstantia. Non dixit: In captiuitatẽ abducentur, sed, comedent pollutum, quasi dicat, Miscebo populum hunc cum profanis gentibus, vt cũ iis comedant immunda, & nullum inter eos sit discrimen, id est, non erunt ampliùs populus meus, sed profana gens. Videtur primo aspectu leuis & contemnenda comminatio, quòd ait, *Comedent pollutum.* Sed, si quis rem ipsam penitiùs perpẽdat, quæ sub ista ciborum pollutione latet, videbit, pœnam hãc esse grauissimam. Continetur sub hac, omnimoda fœderis inter Deum & populum rescissio seu fractio. Adoptauerat sibi Deus hunc populum in suum peculium, seu in suam Ecclesiam & suos filios. In quem finem? Vt segregatus à gẽtibus esset sanctus, sicut & Deus, & ita tandem æterna felicitate vnà cum suo Deo frueretur. Promiserat Deus, se fore illi in Deum & patrem, nullâque in re illi defuturum: stipulatus fuerat à populo fidem & obedientiam, hoc fuit fœdus. Addidit symbola, circumcisionem, & inter alia hoc etiam, vt abstineret ab immundis cibis, quos expressissime nominarat Deus. His symbolis, tria faciebat Dominus. 1. Illis ceu notis, distinguebat populum suum à gentibus, & ita volebat, vt populus iis notis testaretur, se esse populum Dei. 2. Iis, ceu frenis & vinculis, retinebat populum in suo fœdere, ne deficeret ad gentes.

3. Admonebat populum, vt, sicut per hæc symbola externa profitebatur, se à gentibus differre, & esse populũ Dei, sic etiam curaret, vt differret à gentibus in iis, quæ per hęc symbola significabantur. Verbi gratia, sicut per circumcisionẽ carnalem differebant à gẽtibus præputiatis, sic etiam curarent, vt differrent ab eisdem in circumcisione spirituali: nempe cordis. Inter alia symbola erat etiam hoc: Abstinentia nimirum à cibis quibusdam, secundum legem, immundis: hoc etiam symbolo Israelem primò à gentibus discriminarat: deinde & in fœdere, ne ad gentes deficeret, retinebat: tertiò, vt à vitiis: & omnibus immundiciis abstineret, admonebat. Sic etiam hæc eadem tria facit Deus nostris sacramentis & symbolis. 1. Vult, iis testemur, nos differre à gentibus profanis, esséque Ecclesiam Dei. 2. Iis nos retinet in fœdere & Ecclesia. 3. Admonet, demus operam, vt ea præstemus, quæ symbolis istis significantur, vt per panem ex multis granis confectum, significatur vnio Ecclesię per caritatem. Studeamus igitur seruare hanc Ecclesiæ vnionem in caritate.

Summa. Symbola illa, sicut etiam nostra, erãt, ceu circuli, quibus dolium, vbi vinũ est, cingitur: ablatis & fractis circulis, vinum effluit: ita fractis & ablatis symbolis illis, omninò indicabatur esse fractum & abolitũ fœdus, quo Ecclesia Deo erat alligata, ideóque dissipatam esse totam Ecclesiam.

Cùm igitur ait: *In Assur comedent immundũ*, indicat, abolitis his symbolis, tanquam circulis dolij, quibus cõtinebatur populus in fœdere Dei, & in ea sanctitate, quæ à fœdere pendebat, abolitum iri omninò fœdus Dei cum populo. Atque est hæc grauissima Dei maledictio & grauissimæ pœnæ denunciatio, abolitis signis fœderis, abolito etiã fœdere Dei exclusum esse. Sicut igitur, si quis, qui solus potest circulos dolij integros seruare, dicat, Auferam circulos dolij, non paruam rem minatur, sed magnam: nempe totam vini è dolio effusionem: sic etiam cum ait Dominus, *In Assur immundum comedent*, grauem pœnam minatur: nempe se omninò, fractis signis & vinculis fœderis, fœdus etiam ipsum omninò aboliturum: sunt enim symbola fœderis vincula. Nunc tenemus mentem Prophetæ. Est igitur ac si dicat, Hactenus continui populum hunc symbolis fœderis tanquam vinculis; in ipso fœdere declaraui illum meum esse populum, & à gentibus differre, & sub mea esse cura & protectione, idque vt ipsi quoque inciterentur ad continẽdum se sub mea lege, & in meo fœdere. Nunc, quoniam non sustinent ampliùs sub lege mea esse, sed volunt fœdera facere cum gentibus, & illarum superstitiones & mores sequi, frnantur hac sua licentia permisceant se omnibus gentium sordibus & immundiciis, comedant immundum cum gentibus reliquis, exclusi sunto à meo fœdere, nec amplius sunto sub mea cura. Est igitur hæc absoluta excommunicatio à fœdere Dei, & docet, populum hunc, sicut immundum comedet cum gentibus: ita etiam omnibus gentium inquinamentis communicaturum.

Obseruabimus hoc. Quando minatur Dominus tanquam grauissimam pœnam se effecturum, vt populus externis etiam symbolis non differat à profanis gentibus, sed potius, vt externis etiam ritibus gentium profanis communicet: quia scilicet immundum comedent in Assur cum gentibus. colligere promptum est, quanta sit ira Dei, cum ita nos deserit inter idololatras & profanas gentes, vt neque externis symbolis & externo viuendi more differ mus ab illis, sed illorum immundicias & ritus profanos imitari cogamur. Nihil certe grauius potest cõtingere filiis Dei. Quid enim grauius, quàm non posse amplius sacramentis secundum Christi institutionem communicare? quàm degere inter Papistas, illotúmque abominationibus, profanationibus, & immundiciis participare? Contingit autem illis hoc, qui in Deum ingrati sunt, id est, qui vel agnitæ veritati omninò renunciant, vel saltem, qui à syncera fidei confessione deflectũt, incipiũtque delectari Papistarum consortio. Deus vlciscitur grauiter hanc ingratitudinem hac pœna, quam hic minatur Israelitis, facit, vt penitus abdicati à suo fœdere, comedamus immunda cum Papistis, id est communicemus immundis illorum sacris. Quid immundius comedi potest, quàm papis missalis? Caueamus igitur, ne fornicemur à Deo nostro, néve mercedẽ meretriciam diligamus: alioqui incurremus in hanc præsentem Dei maledictionem & pœnam: meminerimus verò, grauissimam esse pœnam, cum populus, qui alioqui Christo nomen dedit & eius Euãgelium professus est, ita propter suas simulationes & scortationes, deseritur à Deo, & ab Ecclesia inter profanos excluditur, vt cogatur se polluere immũdis idololatrarũ sacris.

IV. Non libabunt Domino.

Versus hic bifariam exponitur. Quidam exponunt de pœna peccati, quòd scilicet populus in captiuitate, nullam amplius habebit notam Ecclesiæ Dei, nec poterit amplius Deo sacrificia offerre, ideóque nullo modo vlla erit spes reconciliationis cum Deo. Hoc modo sic exponitur hic versus: *Non libabunt Iehoua vinum, non dulcescent sacrificia eorum.* Propositio est. Non poterunt amplius sacrificia Deo

offerre, deinde, etiamsi obtulerint, non poterunt Deo esse grata.

Quod ad primum membrum ait: *Non libabunt*. Mentionem tantum fecit sacrificiorum, quæ Libamina appellabantur in iis vinum Domino fundebatur, vt patet Exodi 29. Leuit. 6. Num. 18 sed synecdochice, nomine huius sacrificij, omnia, sacrificia intelligit Propheta.

Quod ad alterum membrum, ait: *Non dulcescent ei*, id est non erunt grata Domino illorum scilicet libamina, vel ipsi non erunt grati Deo.

Sacrificia eorum, sicut panis lugentium, (scilicet mortuos) *eis erunt*, nempe immunda. *Omnes comedentes eum, immundi erunt*. Res ita se habebat Per legem Mosis Num. 19. cùm aliquis moriebatur, quicquid erat in eius ædibus, & panis, & omnes cibi erant immundi, & quicunque de cibis illis immūdis comedebat, ipso quoque pro immundo habebatur. De hoc pane immūdo vide Deut. 26. Ait igitur, sacrificia Israelitarum non fore grata Deo, quia immunda, sicut panis eorum, qui lugent mortuos, & ita immunda erunt, vt, qui etiā illis communicarit, & comederit, futurus sit immundus. Est amplificatio, quasi dicat. Etsi qui purus accedat: sola tamen societate immundus fiet. Hac amplificatione expergefacit hypocritas, ne sibi placeant in suis sacrificiis, quasi illis placuerint Deum. Minime, inquit, imò vsque adeò displicent Deo & immunda sunt, vt etiam alios contaminent, qui per se mundi illis communicant.

Quonia[m] panis animæ ipsorum non introibit in domum Domini.

Bifariam exponunt hunc locum interpretes. 1. *Panis*, qui scilicet vitæ ipsorum sustentandæ & ventri saturādo destinatus est *non introibit in domum Domini*, contēim hoc modo Dominus loquitur de sacrificio Mincha, id est, cibario, in quo offerebatur panis: & docet, quia sine fide & pœnitentia offerent eum panem hypocritæ, ideò non introiturū in domum Domini, id est, non fore gratum Deo illud sacrificium, cùm sit panis animæ ipsorum, id est, tantum vitæ sustentandæ destinatus, id est, cùm sit putus panis, qui ventrem tantùm alere potest, non autem Deo in sacrificiis placere potest Est hic locus contra eos, qui sine fide ad eucharistiam accedunt, per ipsos non stat quin panis in cœna, sit panis cōmunis, animæ, id est, vitæ tantùm sustentandæ destinatus: ideò in iudicium manducant, quia tantum panē capiunt animæ, id est, vitæ alendæ destinatum. 2. *Quia panis* quem offerent *Lenaphscham*, id est, pro anima sua, *non ingredietur*. Procul dubio mentionem hic facit sacrificij, quod Mincha Hebræis appellatur, in quo offerebatur vel far tostum in spicis, vel farina nondum cocta, vel panis è farina factus & coctus. De hoc sacrificio Leuit. 25. Num. 5.

Summa, iuxta hanc primam expositionem duo concludit hoc versu. 1. Fore, vt non possint amplius offerre sacrificia Deo in captiuitate. 2. Sed etiamsi obtulerint, illa non fore grata: quia immundi erant ipsi & ipsorum sacrificia, sicut ante dixit: Immundum comedent in Assyria, ideo nullam fore spem reconciliationis cum Deo.

Quidam tamen malunt totum hunc versum interpretari, non de pœna peccati, sed de peccato ipso, vt si tacita quędam occupatio, qua Propheta occurrat Israelitis hypocritis, qui sua iactabant sacrificia, & dicat, illos perdere oleum & operam cum sacrificāt: quia illa sacrificia non sacrificātur Deo, nec Deo grata sunt, cum sint & ipsa & ipsi immundi omnes. Cum igitur ait: *Non libabunt* pro, libant propter actum continuum *libona*, est ac si dicat, Non offerunt sacrificia sua Deo, sed idolis, ideò non dulcescunt, id est, non sunt grata Deo.

5. *Quid facietis in die constituto* siue solenni? *& in die festiuitatis Domini?*

Quidam nomine Diei solemnis & festiuitatis Domini intelligunt stata festa, quæ erant Pascha, Pētecoste, festū Tabernaculorū & Sabbatha. Volunt autem, hunc esse sensum. Vos eritis in captiuitate sine vllo prorsus meæ præsentię & Ecclesię Dei signo: quia nō solum diebus profestis non poteritis libare: sed neque diebus festis poteritis simul conuenire aut sacrificiū offerre. Quid ergò tunc futuri estis quasi dicat: Si igitur non venerit vobis in mentem quotidie, vos esse omnibus meç præsentię signis destitutos, saltē dies festi faciēt vos sentire quā horribile sit vos esse extra Ecclesiam, apud vos nihil restare quod fidē ac spem faciat diuini mei fauoris. Quid igitur facietis saltē in diebus festis Domini?

Sed Ego libentius sequor Hieronymi interpretationē, vt nomine diei solennis & festiuitatis Domini, intelligamus diem, quo pœnas de Israelitis sumendo, suam maiestatem, suāmque iustitiam, toti mūdo illustrem reddidit. Ille enim dicitur dies festus & solennis Domini: quo impios puniendo, & quasi victimas mactando, suam sibi gloriam vindicat. Et videtur esse tacita quædam antithesis inter diem festum quo Israelitę lętabātur & conuiuabātur, atq. inter diē festū Domini, quo Dominus de eis pœnas sumendo, suam patefacturus erat iustitiam: ideò non dixit simpliciter, *Quid facietis in die solenni & festiuitatis*, sed ait, *In die festiuitatis Domini*, quasi dicat, Tunc certo mutabis lętitiam in fletum. Ergo nō diu durabit ista vestra lætitia, qua nunc afficimini.

Atque hic locus facit, vt credam, certo & solenni quodam die publicam fuisse lætitiam in Israele, vel propter renouatum fœdus cum rege Assur, vel propter memoriam coronationis regis: quam lætitiam superius perstrinxit Propheta, dum ait: *Ne læteris ad exsultationem*, id est, ad hunc diem festum & diem exsultationis, nam exitium tibi imminet certum, & tunc quid facies? Tunc enim erit dies festus Domini, contra te. Quid ergo tunc facies? Est igitur hic irrisio lætitiæ Israel s. quasi dicat, Nunc lætaris, nunc diem festum agis, at cum Dominus de te pœnas sumet, quid ages? Tenemus mentem Prophetæ.

Colligimus ex hoc loco, esse omnium rerum vicissitudinem, nec semper esse tempus gaudij, aliquando etiam fore tempus lugendi. Luc. 6. *Væ vobis qui ridetis, quia flebitis*. Ideo autem mihi magis placet Hieronymi interpretatio de die solenni, id est, de die vindictæ Domini: quia paulo post sequitur: *Venit dies visitationis, venit dies retributionis.*

6. *Quoniam ecce abierunt à vastatione*, id est, propter vastationem, in Ægyptum scilicet, *Ægyptus colliget eos. Memphis sepeliet eos: desiderabile* repositorium *auro suo* ædificatum, *vrtica hæreditabit ea.*

Etiam hic versus pertinet ad amplificationem pœnę quam denunciauit. Et quidem cum dixisset, *Quid in die solenni Domini facietis*: sibi ipsi illis tacentibus respondet & ait: *Quoniam ecce abierunt*, quasi dicat, male tunc erit vobis. Duo autem in summa docet. 1. Quod multi ex Israele propter vastitatem quæ futura erat in Israel, primum à Tiglatpelassar, deinde à Salmanassar, pressi fame & metu hostis consternati, profecturi erant in Ægyptum, sed nunquam inde domum redituri: quia Ægyptus futura erat illis sepulcrum, in quo mortui sepelirentur. 2. Quod tum his in Ægyptum profectis & ibi sepultis, tum reliquis in captiuitatem abductis tota illorum regio deserta erat relinquenda vrticis & spinis, ideòque diuturnum futurum erat illorum exsilium.

Quod ad primum attinet ait: *Quoniam ecce abierunt* Illud *Quoniam*, est particula explicatiua, quod scilicet in die solenni & festo Domini, male tractabūtur Israelitæ Quomodo: *Quoniam ecce abierunt*. Illud *Ecce*, & illud præteritum, *Abierunt*, faciunt ad certitudinem rei futuræ, seu quod breui & certo futurum erat id quod hic prędicit. Incisio etiam & cursus orationis facit ad vehementiam, quasi dicat. Male vobiscum erit in die solennitatis Domini. Nam ecce plęrique vestrum propter vastitatē in Israele à regibus Assur factam, pressi fame, & metu hostis perculsi, confugietis in Ægyptum, vt mortem vitetis, sed inde non estis redituri domum. Ægyptus enim colliget vos, nempe instar sepulcri, & Memphis metropolis scilicet Ægypti, sepeliet vos, id est, tanquam sepulcrum vos recipiet mortuos.

De Memphi ciuitate legitor Ptolomæum in tabula Africæ tertia: tabula vero in genere 15. & Quint. Curt. de rebus gestis Alexandri lib. 4 Erat, vt etiam Hieronymus testatur in commentariis, Memphis tunc temporis Metropolis Ægypti, ante quam scilicet Alexandria (quæ ante Alexādrum Magnum *No* appellabatur & magnitudinem vrbis & nomē Alexandri accepisset. Mentionem facit Propheta huius ciuitatis, quia magna pars illorum, qui in Ægyptum profecti sunt, sepulti fuerunt Memphi.

Quod ad secundum attinet, ait: *Desiderabile*, id est, desiderabiles, magnificas & sumptuosas domos, quę ideo desiderabiles dicūtur, quod tales ab hominibus soleāt exoptari. Domus vero argenti dicuntur, quia magno constant, cum sint magnificæ & multo auro ornatæ: *argenti eorū*, id est, in quas emendas, ædificandas, & ornandas, multū argenti expēsum est, domos scilicet inauratas, *hæreditabit*, id est, quasi iure hęreditario possidebit: *vrtica, & lappa in tabernaculis eorum*.

His verbis indicat, exsilium Israelitarum fore diuturnum, ita vt eorum terra mansura sit inhabitata & inculta: non enim vrticæ & lappæ crescere possūt in loco culto. Sic Hieronymus & post illum reliqui omnes interpretantur. Possemus

mus etiam sic vertere: *Desiderium ad argentum suum erit*, vt sit integra sententia sicut & reliquæ. Sunt enim varia incisa, quę singula habent suā sententiam in textu Hebræo meliùs apparet id quod dico. Est autem sensus. Ipsis Israelitis cum fuerint in captiuitate, desiderium erit ad suum argentum, quod reliquerunt in suo regno, cùm capti sunt a Salmanassar & abducti captiui, id est, erunt pauperes & miseri, non amplius affluent tanto auro & argento, quanto anteà, & iuxta hunc sensum cōtinuandus est reliquus cōtextus hoc modo. Vrtica hæreditabit eos, id est, illorum regnum & palatia deserta & inhabitata ac sine hæredibus relinquētur. Vrtica ipsa iure quasi hæreditario succedet in eorum locum, hoc est, ad longum tempus regnum Israel inhabitabile erit, ibi enim erunt tantùm vrticæ & spinæ.

Choach est propriè lappa, seu herba, quæ è ruderibus putridis prima enascitur. Indicat igitur, illorū splēdida palatia ruderibus implenda, & tantū vrticis & herbis ex putredine natis obducenda. Sed prior sensus magis mihi placet.

Summa, Erunt miseri. 1. Quia & domi magnam patiētur penuriam: nam nec area nec torcular pascet eos. 2. Partim pressi penuria ibunt in Ægyptum, partim captiui abducētur in Assyriam. 3. Comedent polluta id est, non erunt ampliùs Ecclesia vel populus Dei, non different à gentibus, sed omnibus gentium immunditiis cōtaminabuntur. 4. Morietur in magna miseria & sepelientur extra patriam: qua locutione indicat, illos fore damnatos, nec ad æternam vitam resurrecturos: erat enim symbolum spei de certa resurrectione, cùm in sua patria sepeliebantur, sicut illa solicitudo patribus erat, vt curarent se sepeliendos cum patribus suis in terra Chenaan: quia ibi gratia Dei habitabat. 5. Nullum etiam relinquent hæredem nisi vrticas & putridas herbas, & tota ipsorum terra manebit inhabitata. Ecce exitum illorum qui a Deo fornicantur.

VII. Venerunt dies visitationis.

Pergit Propheta in suis comminationibus & postquam prædixit pœnas, quas daturi erant, nūc dicit iam adesse tēpus, quo illas dent. Cur autem tot verbis exaggerat pœnas, quas Deus de Israelitis sumturus erat, annon satis erat dixisse Deus puniet vos? Necessariæ sunt huiusmodi pœnarum exaggerationes, vt torpor hypocritis excutiatur.

Quatuor autē dicit Propheta in hoc versu. Primùm. *Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis*: subest hic tacita antithesis inter tempus illud quo Deus conniuit ad peccata populi, ideóq. quo populus lætabatur & agebat triumphos abutens patientia Dei, & inter istud tempus quo Deus erat de populo pœnas sūturus: ideóque quo populus erat dolore & tristitia afficiendus ira & iustitia Dei cōtra illū manifestata. Sensus est. Hactenus Deus maxima patiētia vsus erga te, ô Israel, conniuit ad tua scelera, imò etiam beneficiis innumeris quotidie te cumulauit, peccatorū vltionē quandiu potuit, distulit. Quare? Vt te ad pœnitentiā inuitaret, & quidem benignitas Dei ad pœnitentiā inuitauit. At quia tu secundùm duritiem tuam & impœnitēs cor tuum thesaurizas tibi iram in diē iræ & reuelationis iusti iudicii Dei, ideò nunc Dominus statuit de te pœnas sumere. Venit ergò dies visitationis, quo scil. Dominus te visitet & puniat tua scelera. Venit dies retributionis, quo scilicet tibi rependat, secundùm opera tua seu quo tibi reddat tuum thesaurum iræ diuinæ, quem tamen tibi ipse apud Deum thesaurizasti, secundùm duritiem tuam & impœnitens cor tuum.

Docet igitur Propheta, esse certos quosdam dies, quos sibi Deus constituit ad conniuendum & ad dissimulanda nostra peccata, vt sit nobis spatium pœnitentiæ. Deinde esse alios dies quibus decreuit pœnas de impœnitentibus sumere. Vbi illi priores transierint, statim succedunt alij, qui ad pœnas sumendas sunt destinati. Gen. 6. ante diluuium sunt concessi ad resipiscētiam anni 120. Genes. 15. Amorrhęis anni 400. Ion. III. Niniuitis 40. dies. Mat. 13. mundo anni plus minus post euulgatum Euangelium 2000. Quoniā igitur instabant illi priores. dies scil. visitationis & retributionis, ideò præmonuit populum dicens: *Venerunt dies visitationis*. quasi dicat iam iam instant, sunt pę foribus, accelera vt resipiscas: quia iam veniunt dies visitationis, non igitur est amplius tempus lætitiæ, sed tristitiæ.

Docet hic locus, non esse procrastinandam pœnitētiam, cum enim nos lateant dies præfixi ad pœnitentiam, vltra quos non est locus pœnitentiæ, quia sequuntur dies visitationis, ideò maturè est resipiscendum: quia quando nihil minus exspectabimus, superuenient dies visitationis. Huc faciunt infiniti loci scripturarū. In Euangelio ait Dominus, *Vigilate quia nescitis, qua hora Dominus venturus sit.*

Primum igitur, quod hic docet Propheta, est, instare diem vltionis & vindictæ: quia sua patientia Dominus, nihil apud obstinatos & præfractos proficiat.

Deinde subdit: *Agnosce Israel* Quidam continuant etiam sequētia cū hoc verbo, sic, Agnoscet Israel Prophetas suos, qui aures demulcebant, dicebāntque non esse metuendum, Deúmque non perditurum suum populū: agnoscet, inquā, ipsos Prophetas fuisse stultos & insanos. Sed melius illi qui distinguunt. Sensus igitur est. Vbi venerint dies retributionis, & Israel cœperit sentire manum Dei contra se exertā, tum agnoscet, id est, re ipsa sentiet, me & alios Prophetas vera dixisse & è spiritu Domini locutos fuisse, ac proinde sibi cum Deo, nō cum hominibus esse negotium. Tacitè indicat, Israelitas ante verbis Prophetarū nō credidisse, admonitiones cōtempsisse comminationes tanquam ludicras risisse. Sentiet igitur afflictus & reipsa id, quod prædictum noluit credere. Dominus enim primum verbis, deinde reipsa nobiscum agit: primum verbis, deinde facto nos docet. Tūc igitur Israel cognoscet, sed serò: *serò enim sapiūt Phryges*, & (vt Fabius apud T. Liuium scitissimè dixit) *Euentus stultorū est magister*: & eleganter Homerus, ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω, *factum nouit & excors*: & Hesiodus hūc imitatus dixit: παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω *at passus sum denique stultus sapit* Sic etiā de Israelitis ait Propheta, tunc demum serò cognoscet & sentiet Israel, sibi cum Deo fuisse negotium Summa igitur est Quia surdi estis ad omnem doctrinam & verbo nō creditis, tandem cognoscetis Deum non frustrà per me locutum fuisse: facto enim non verbis docebit vos.

Tertiò subdit *Stultus Propheta, insanus vir Spiritus est*. Est hęc tacita occupatio, potuissent dicere Israelitę: At alij nostri Prophetę qui & ipsi è spiritu Dei loquuntur, aliter nos docuerunt, nempe non esse timendum, quoniam Deus non velit suum perdere populum, item hunc quem sequimur cultum, bonum esse & Deo gratum Respondet ergò Propheta & ait: *Stultus Propheta*, id est, stulti ij Prophetæ, insani ij homines spiritus

Istud nomen *Spiritus*, quidam accipiunt pro vento Igitur hominem spiritus, appellant hominem ventosum, & certè Micheas doctorem vanum & mendacem, vocat hominem spiritū, id est, vento incedentem. Alij accipiunt illud nomē spiritū pro spiritu malo, pro spiritu Satanæ & erroris. Volunt igitur hic falsos Prophetas & mendaces, appellari homines spiritus: nempe maligni, & erroris, quòd scilicet loquerentur spiritu Satanæ mendacium. Hieronymus & post eum Lutherus & alij (& meo iudicio melius) spiritum pro bono & Spiritu sancto. Igitur hic appellari hominem spiritus, Prophetam falsum, qui tamē gloriatur se habere Spiritum sanctum, se loqui ex spiritu Dei, ac si dicas homo spiritualis, sicut homo peccati, i. peccator. Sed per cōcessionē loquitur Propheta quasi dicat, isti vestri homines & patres spirituales, sunt insani, cum vos docent, non esse metuendū Deum, non vos punturum: lætandū igitur esse & securè viuēdū, hūc vestrum cultum esse gratū Deo, igitur in eo persistendū & cōfidēdū Quid enim insanius & stultius ista doctrina, nō esse metuēdā iram Dei, Deū nō irasci peccatoribus, Deum non punire eos qui sibi nomen dederunt, qui sūt in Ecclesia Dei, viuendū igitur læto animo & securo? quid hac doctrina stultius, insanius, perniciosius? Si enim reprobi sunt qui peccant, cur nō eos puniat? Si electi, cur nō castiget ad salutē? Etiā de filiis dixit: *Quod si filij mei dereliquerint legē meā, visitabo eos in virga* Quid stultius, quā dicere Deo gratam esse eam religionem & cultum & opera, quæ sunt contra verbum Dei? cōtrà se res habet, metuenda est ira Dei: ac proinde resipiscendum, & in solo eius verbo per fidei obedientiam permanēdum. Quare discāt cōcionatores non blandiri populis, non facere illis fucos, nō illos palpare, reddereque securos, alioqui erunt appellādi his nominibus quibus & Propheta noster falsos Prophetas appellat, stultos, insanos. Discant item, non probare quidpiā in Ecclesia, & in religione, quod non habeat testimoniū à verbo Dei. Quid stultius, quā imagines in templis probare? quid stultius, quā dicere, Missam esse sacrificium pro peccatis, cum vnum tantum pro peccatis sit sacrificiū? Verè igitur Papa & illi spirituales patres, sunt insani & stulti.

Postremò subdit: *Propter multitudinem iniquitatis tuæ, & magnum odium*, scilicet Dei, seu, quod tuis peccatis apud Deum tibi cōciliasti. Est etiam hoc dictum per occupationem, potuisset populus cōqueri. Cur igitur Deus dedit nobis hos malos & insanos Prophetas? sumus igitur excusati. Respondet Propheta, Minimè estis excusati: nam propter multitudinē vestræ iniquitatis, & odium quo te persequitur Deus propter tua scelera, & contumaciā Deus tibi dedit tales Prophetas insanos, qui te seducāt. Huic loco similis est ille 2. *Thess.* 2. Pro eo quod dilectionem veritatis non

receperunt, vt salui fierent, ideò mittit illis Deus efficaciā erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

Docet igitur hic locus, falsos doctores & adulatores concionatores qui seducunt populos, esse pœnas peccatorum & præsertim contumaciæ populorum, qui respuunt veritatem Euangelij, & hos doctores & patres spirituales insanos in ciuitatibus esse signa iræ Dei cōtra illas ciuitates vbi ipsi docent, sicut contrà Apostoli & veri doctores & pij concionatores in vrbibus, testimonia sunt beneuolentiæ & misericordiæ Dei erga illas vrbes. Non esse igitur excusabiles populos, quòd habeant falsos & insanos concionatores, quoniam suis peccatis illos sibi demeriti sunt. Quale igitur signum, quod in Papatu non sunt nisi stulti Propheta, patres spirituales insani, qui populos seducunt? maximæ & extremæ iræ Dei.

VIII. Speculator Ephraim cum Deo meo, Propheta laqueus aucupis in omnibus viis eius, odium in domo Dei sui.

Variè hunc locum exponunt interpretes. Hieronymus in summa sic. Speculatores vocantur ipsi principes: quia debent super populum vigilare & quasi è specula vnum quemque admonere, ne in præcipitium eat: ideò *Ezech. 3.* Speculatorem te dedi domui Israel. Ergò Iarobeam, qui erat de tribu Ephraim, fuit datus populo tanquam speculator vna cum Deo, & tanquam Propheta, at ipse factus est, sicut etiam suprà dixit, laqueus aucupis & rete expansum super Thabor, & insaniam, id est, idolum insanum in domo Dei posuit, scilicet in Bethel: sic enim legit Hieronymus: Speculator Ephraim cum Deo meo, Propheta. Laqueus aucupis in omnibus viis eius, insania in domo Dei sui.

Tuitiensis in Hoseam, summa cum admiratur præsumptionem Ephraim, quod non contentus verbo Dei, qui populum regebat, qui regnum in domo Dauid esse voluit, qui vnum tantum altare Hierosolymis voluit erigi, non foris, nec plura: ipse tamen Ephraim, vt Iarobeam, voluit etiam ipse esse cum Deo speculator, seu voluit cum Deo, hoc est, contra Deum speculationis subtilitate contendere, & sese Deo obiicere, dicendo: Melius est, vt sint duo regna, plura altaria. Speculari enim cum Deo, nihil aliud est, inquit, quàm speculari contra Deum, sicut pugnare cum hoste, est pugnare contra hostem: & ita elegit Prophetas & sacerdotes ex fece populi qui fuerunt laquei populo. Quicunque igitur aliquo machinamento (inquit) diuinis molitur obuiare consiliis speculator non Dei (quia hoc bonum est) sed cum Deo q od maiū est, dicitur. Hoc egit Ephraim hoc Iarobeam tecum dixit cum *3. Reg. 12.* Nūc reuertetur regnum ad domum Dauid, si ascenderit populus iste, vt sacrificet in domo Domini Hierosolymis & excogitato consilio, fecit duos vitulos & dixit, nolite vltrà ascendere Hierosolymam. Ecce dij tui ò Israel. Hæc fuit speculatio Ephraim, quam præter speculationem Dei, qui dixerat, *Si igitur audieris omnia, quæ præcipio tibi, & ambulaueris in viis meis, & feceris quod rectum est coram me, custodiens mandata mea & præcepta mea, sicut fecit Dauid seruus meus, ero tecum & ædificabo tibi domum fidelem, sicut ædificaui Dauid:* Hæc fuit speculatio & mandatum Dei optimum, sed Ephraim aliud contra Deum speculatus est.

Et illud *Cum Domino meo*, admirantis est & dolentis: quòd ausus fuerit Israel cum Deo ipsius Prophetæ speculari tale consilium.

Prophetas etiam & sacerdotes sibi delegit Ephraim, sed quales? laqueos populi, quales erant illi 450. quos vno die Elias interfecit, & quales postea Iehu, simulato sacrificio Baalis omnes occidit.

Lutherus vult, hunc esse sensū: Ephraim olim speculatorem cum Deo, hoc est, Prophetas & ministros Dei habuit, qui benè regebant populum, reprehendebant idololatrias: hoc est enim speculatorem esse cum Deo, id est, esse bonū Ecclesiæ superintendentem, conformem Deo, & ex Dei verbo populum regentem. At nunc Propheta est laqueus, Episcopi qui nunc sunt in Israel, occasiones sunt errorum & superstitionum: ponunt enim laqueos populo sicut aucupes, ad illum variis superstitionibus illaqueandum.

Sed addam quartam huius loci interpretationem. 1. Prophetæ speculatores sunt & dicuntur in sacris literis: est enim mandatum Prophetis, vt sint quasi in specula, & vigilent super populum, sint superintendentes & veri Episcopi, & ab insidiis defendant populum, *Ezech. 3.* Ecce speculatorem posui te in Israel.

2. Prophetæ & speculatores isti deberent esse cum Deo coniuncti, id est, nihil habere separatum à Deo, nihil docere nisi ex Deo, id est, ex Dei verbo: neque enim potest quis esse bonus speculator & superintendens, nisi coniunctus sit cum Deo, & nisi possit demonstrare, se nihil docere diuersum à verbo Dei.

3. Cùm verò isti superintendentes & Prophetæ aliter faciunt, & docent humanas doctrinas, superstitiones introducunt in Ecclesias, & quærunt quæ sua sunt, honores, quæstum ex populo, fiunt aucupes, qui laqueos ad aues capiendas vbique ponunt.

4. Hoc autem est res odiosa & detestanda in domo, id est, Ecclesia Dei, quòd in Ecclesia Dei reperiātur tales superintendentes, qui cùm deberent ab insidiis populum tutum seruare, & in veram salutis viam dirigere, facti sūt populo laquei aucupis, & populo vbique insidias tendunt, vt cadat in rete & laqueos. Hoc contigit in Israel. Hoc est quod ait Propheta. Sic ergò construenda sunt verba. *Propheta Ephraim*, id est, qui est Ephraim *speculator cum Deo meo*, id est, qui deberet esse speculator cum Deo meo eo cum Deo coniunctus, & nihil nisi ex Deo acceptum docere, *laqueus aucupis* factus est *in omnibus viis eius* scilicet Ephraim, ita, vt nullum pedem mouere possit Ephraim, quin occurrat laqueus aliquis, id est, aliquis ex eius Pseudoprophetis, qui sunt laquei. Sicut in Papatu non potes vnum pedem mouere, quin tibi occurrat aliquis monachus, sacrificus, idolum: hæc omnia sunt laqueus aucupis. Quis iste auceps? Satan est primus, deinde in Israel erat rex, nunc est Antichristus.

Cùm igitur ait, *Propheta Ephraim speculator cum Deo meo*, docet quales esse debebant ij Prophetæ in Israel. Est enim hoc elogium quod conuenit omnibus Prophetis & doctoribus veris, quod sint speculatores cum Deo qui super populum vnà cum Deo euigilent.

Cùm verò ait, *Laqueus aucupis*, id est, iste Propheta qui debebat esse speculator cum Deo, docet, quales essent Prophetæ in Israel.

Illud, *Odium in domo Dei sui*, exclamatio est, quasi dicat, rem odiosam & detestandam in domo Dei, quod scilicet tales Prophetæ & Episcopi sint in Ecclesia. Dicitur autem Israel domus Dei, id est Ecclesia Dei, non quod esset syncera, veráque Dei Ecclesia, sed quia titulum adhuc retinebat & ita vocabatur.

5. Accipite modò aliam interpretationem, *Ephraim speculatorem* delegit sibi ipse *cum Deo meo*, *Prophetam* nimirum, *qui laqueus est aucupis in omnibus viis eius* Ephraim, *odium*, appositiuè, qui Propheta odium est, id est, materia & caussa odij diuini contra populum *in domo Dei sui*.

Coniungitur ergò hic versus cum superiori hoc modo. Quia potuisset Israel excipere & dicere Hoseæ, Tu nos accusas perfidiæ, fornicationis à Deo, cultus impij, ideóq. minaris, quod iam diem sentiemus iram Dei. At nostri Prophetæ aliter docent & sunt homines spirituales, qui loquūtur ex spiritu Dei. Respondit Propheta: Prophetæ vestri sunt stulti, sunt insani. At quia poterit etiā excipere: At si Prophetæ nos falunt, quid igitur culpæ in nobis est? si tales nobis Dominus Prophetas dedit. Respōdit Propheta: Non es excusatus, nam in pœnam tuæ impietatis dati sunt tibi isti falsi stultique Prophetæ, propter multitudinem iniquitatū tuarum, & magnum odium Dei contra te. Nunc hoc versu quasi se corrigit, & docet, quod nō Deus dedit tales stultos Prophetas, sed quod Israel sibi ipse eos delegit, sibi ipse laqueos posuit, miscuitq. impiā religionem suam, cum bona sui Dei, nō contentus Ephraim Deo speculatore & Episcopo, alios etiam cum Deo speculatores sibi delegit. Quos? Prophetas impios, stultos, insanos, qui sunt caussa totius odij & iræ Dei contra populum & Ecclesiam Dei. Historiæ id confirmant, nam reuera Israel tales sibi delegerat.

Colligimus hinc, Deum efficere, vt ipsi impij sibi malum accersant, sibi ipsi deligant impios pastores: non ergò conquerantur de Deo, quod habeant malos doctores, quia ipsi sic volunt.

Duo ergò sunt genera malorum Prophetarum. Quidam electi sunt ab hominibus præter voluntatem Dei, tales erant isti falsi & stulti Prophetæ in Israel. Alij nec a Deo, nec ab hominibus electi, sua sponte ingerunt se, & functionem verbi sibi vltro arripiunt. Tales erant aliquot in Iehuda, vnde *Ierem.* Currebant, & Ego non mittebam eos: prophetabant, & Ego non loquebar ad eos.

Contra in vera Dei Ecclesia sunt duo genera verorum Prophetarum & doctorum. Quidam vocati & missi tantùm à Deo, non autem electi ab hominibus, tales erant Prophetæ sancti, Apostoli, Paulus. Alij electi à Deo & ab Ecclesia secundùm Dei voluntatem, talis Timotheus, Titus, septem diaconi.

Odium

Odium in domo Dei. Alludit Propheta ad idolũ in Bethel quę domus Dei appellabatur. Sed & tam Propheta de quo loquitur, erat odium, id est, caussa odij in domo Dei. Ergo odium in Ecclesia, id est, caussa odij & iræ Dei, est 1. ipse Antichristus cum satellitibus suis: 2. ipsa idololatria panis inclusus in altari, Missa. 3. reliquorum peccatorum aceruus, scortationes, furta.

Non est silentio prætereundum quod hic annotat Hieronymus veteres secretaeos historias.

Non ait: *Odium in domo Dei mei*, sed *Sui*. 1. Igitur facit differentiam inter Deum suum verum, & Deum Israelis. Quis Israelis Deus? vitulus aureus. 2. Indicat, in templo sui Dei, non esse odium. Quod est templum Dei sui? templum Hierosolymitanum, vbi integra religio. Quæ domus Dei Israelitarum? Bethel. Ibi igitur odium, id est, materia odij, quia ibi idololatria.

9. *Profundauerunt*, venerunt vsque ad profundum iniquitatis: & altas radices in iniquitate egerunt, quasi dicat, sunt obstinatissimi in peccatis, & immersi sunt in profundo scelerum iniquitatum, vt non possint inde extrahi: *corruperunt* omnia, omnem ordinem a me positum in Israel peruerterunt religionem scilicet & politiam: *Sicut in diebus Gabaa.*

Hieronymus, & post illum etiam reliqui nostri temporis homines referunt ad historiam quæ est Iud. 19. Fuit illud factum tale, vt nunquam tam graue facinus auditum fuerit, sicut ibi textus habet: *Dixerunt Israelitæ omnes Nunquam res talis facta est in Israel, ex eo die quo ascenderunt patres nostri ex Ægypto, vsque ad præsens tempus.*

Est ergò ac si dicat, Sicut tunc verè omnem naturalem ordinem & legem corruperunt Gabaonitæ: ita nunc omnia corruperunt Israelitæ, & vsque ad profundum omnis malitiæ & scelerum peruenerunt.

Comparat igitur Sodomitico illi peccato, tàm horrendo quod admiserunt Gabaonitæ (quia & secundùm naturam & contra naturam illa muliere abusi fuerunt) idololatriam in Israel. Qui igitur defendunt idololatriam quid faciunt? defendunt factum Gabaonitarum.

Tutiensis refert ad historiam quæ est 1. Reg. 8. quando Saul qui erat de Gabaa (erat enim de tribu Beniamin, vt est 1. Reg. 9. Beniamin autem habitauit in Gabaa vnde dicitur Beniamin Gabaa) reiecto Samuele, tanquam Deo, à populo factus fuit rex Israel. Tutiensis ibi ait: *Dominum dixisse ad Samuelem Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi: non enim te abiecerunt sed me, ne regnem super eos*, quasi dicat Dominus. Sicut tunc corruperunt ordinem à me positum in Israel, nempe, vt Samuel gubernaret, & voluerunt regem: sic etiam tunc defecerunt a rege quem Ego constitui in Iehuda, & elegerunt sibi Ierobeam alium regem. Item, sicut tunc me reiecerunt, non Samuelem, sic etiam tunc me, non Roboam reiecerunt.

Ostendi autem vobis, Israelitas, quando reiecerunt Roboam regem Iehuda, reiecisse consequenter Christum, id quod postea apertis verbis fecerunt, quando dixerunt, *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Ideò Dominus hanc Christi reiectionem spectans, vsus est hac locutione, *Profundauerunt, corruperunt sicut diebus Gabaa*, id est, Saulis Gabaonitæ. Etenim Hebræi in commentariis partim ad historiam Iudicum 19. partim ad illam Saulis referunt.

XI. *Ephraim sicut auis auolabit gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptione.*

Abruptę orationes in Prophetis sunt frequentissimę, præsertim cum ita perciti minantur. Sic fecit Hoseas etiam hoc loco.

XII *Quòd si extulerint* educauerint & ad ætatem grandiorē perduxerint, *exterminabo*, orbabo *eos ab homine*, ne sint in numero hominum: *nam etiam væ illis in recedendo me*, id est, cum recessero ego ab eis.

His duobus versibus pœnæ tantum denunciatio continetur. Ea autem est, totum regnum Israel cum omni sua gloria repentè & quàm citissimè periturum. Comparat autem hunc regni Israelitici interitum volatui auis, quatuor de caussis. 1. Vt indicet, non diu duraturam illam Israelis gloriam, sed citò in fumum abituram. Auis enim non diu consistit in vno loco, sed citò auolat in alium locum. 2. Vt indicet, repentè & de improuiso hoc futurum. Auis enim auolat, quando nihil minus quàm eius auolatus cogitatur, unò fallit egregiè: quia dum putas, te illam capturum, illa statim auolat & te fallit. Sic etiam interitus Israelitarum, omnium fefellit opinionem: quia non sperabant Israelitæ illam regni destructionem. 3. Vt indicet, quàm citissime & velocissime & quasi in momento hoc quod dicit, euenturum. Volatus enim auis velox est. 4. Vt indicet, irreuocabilem fore illam Israelitarum gloriam, vbi auolauerit. Auis enim vbi auolauit è manibus, non facilè capi iterum potest.

Nomine autem *Gloriæ*, immediatè quidem veniunt filij, id est, multitudo filiorum patet hoc ex contextu: dicit enim *A partu, ab vtero*, isti propriè erant gloria Israelis. 1. Quoniam in illa multitudine maxime sita erat gloria Israelitarum, qua gloriabantur, se præcellere Iehudæis qui pauciores erant numero. 2. Scriptura tradit gloriam parentum maximè esse liberos. *Prouerb.* . Corona senum, filij liberorum. Et certe numerosa soboles præcipuum est diuinæ erga nos benedictionis argumentum & symbolum. Sed synecdoche est: sub filiis enim reliqua quoque omnia, quæ ad gloriam Israelis pertinebant, seu in quibus gloriabatur Israel, comprehenduntur, vt potentia, diuitiæ, splendor, Docet igitur, totam illam regum Israel gloriam in fumum citò & irreuocabiliter abituram.

A partu, ab vtero, à conceptione.

Hæ particulæ docent apertè, nomine *Gloriæ* intellexisse Prophetam immediatè ipsos liberos illam particulã *vau* copulatiuam, pro disiunctiua vel, & aut, accipiunt, hoc modo auolabit gloria vel à partu, id est postquam pepererint liberos statim morientur: vel ab vtero, id est postquam in vtero illos aliquot mensibus gestarint, in vtero ipso peribunt: aut à conceptu, id est postquam fuerit conceptio facta, conceptum ac retentum semen, vnà cum mensibus matrum effluet. Sed possumus retinere in sua propria significatione, non quòd vnus fœtus omnibus istis modis sit perdendus: est enim *vau*, sed quia alij statim à partu interibunt, & alij statim ab vtero & in vtero morientur, & alij statim à conceptione euanescent.

Quòd si educauerint.

Addit hic quartum tempus, quo gloria Israel auolabit, Illud est, cùm adultos etiam adolescentes è medio tollent. Sunt enim quatuor progressus ipsius esse & vitę liberorum, quos hic innuit Propheta, ideóque & quatuor tempora, quibus liberi è medio tolluntur. 1. Est conceptio, cum concipiuntur in matrice, tunc primùm incipiunt esse, sed nondum bene formati sunt, neque organis humanis animáve rationalis præditi. 2. Est gestatio vteri, cum scilicet in vtero informantur & adolescunt. 3. Est natiuitas, cum in lucem veniunt. 4. Est educatio donec scilicet ad grandiorum ætatem perueniant, & ex ephebis excedunt, tunc viri fiant. Hi quatuor progressus, ideóque & quatuor tempora, in textu tanguntur a Propheta. & ait, filios Israelitarum posthac interituros aut in conceptione, hoc est primum tempus, aut in vtero post abortum, hoc est secundum, aut in partu, hoc est tertium, aut postquam fuerint educati & ad ætatem grandiorem progressi, hoc est quartum. Et ista diuersa mortis tempora, habent etiam diuersos doloris gradus: quia non tantus dolor est parentibus, cum conceptio iam facta dissoluitur, quàm cum fœtus iam formatus & maturus in vtero per abortum moritur, grauior etiam est, cum moritur statim natus: grauissimus verò est, cum adulti iam & educati intereunt. Augetur ergò dolor hac particula: *Quòd si educauerit eos.*

Summa. Docet, Israelitarum filios in expugnatione Samariæ perituros. Hoc fuit illis inflictum pro pœna peccati: quoniam se iactabant esse plures, quàm Iehudæi, ideóque contemtis Iehudæis alium sibi regem creatunt, & in multitudine populi gloriabantur.

Colligimus hinc, non esse gloriandum in carne: quia talis gloria statim auolat, sicut auis. Deinde si vxores non pariunt liberos, si abortiunt, si in partu moriuntur, si postquàm multis vigiliis, laboribus, sumtibus sunt educati, hinc ad aliam vitam migrant, totum hoc esse pœnam nostrorum peccatorum.

At cur Deus propter peccata Israelitarum adulterum, tot etiam liberos vix conceptos, vix formatos in vtero, vix natos, vixque educatos è medio tollit: quid culpæ in eis est? nunquid filius portabit iniquitatem patris?

Resp. Non est iniustus Deus, cùm hoc facit. 1. Cum aliquid facit, facit quia vult. Voluntas autem ipsius est omnis honesti regula. 2. In ipsis etiam liberis, vtpote conceptis in peccato, tanta inest culpa, vt si è medio tollantur, nulla eis fiat iniuria. 3. Ideò talia iudicia etiam in liberos infantes propter peccata parentum fiunt, vt om-

nes tum præsentes, tum posteri intelligant, quàm irascatur Deus impiis & quàm ei displiceant peccata. 4. Idem facit ad salutem liberorum: quia dum eripiuntur ex hac vita, è peccatis etiam eripiuntur, nempe ne peccent: nam alioqui patres suis exemplis tanquam rapidissimis fluminibus liberos suos in barathrum vitiorum & peccatorum & mortis secum traxissent. Hoc illud *Sapient*. 4. Ideò Deus abstulit animam eius, ne malitia immutaret cor eius. 5. Hoc ideò fit, vt maior dolor inferatur parentibus, dum suos vident mori filios, atque ita grauiùs sua peccata puniantur, non fit autem iniuria liberis, quia sunt caro patris: & sicut illis aufert Deus bona temporalia, fundos, pecunias & alia, ita etiam in liberos qui sunt caro patris, iure animaduertitur.

Nam væ illis, cùm recessero ab eis.

Illud Ci non semper est αἰτιολογικόν sed aliquando expletiua & confirmatiua particula Enimuero. Ita hic, *Nam væ illis*, quasi dicat, omninò etiam filios adultos orbabo ab homine.

At quomodo recessit Deus à suo populo? Resp. Cum illum suo auxilio deseruit, ne amplius esset suus populus.

Colligimus, tum igitur nos esse prorsus perditos, cum deserimur à Deo, id est, cum Deus sua gratia a nobis recedit: *quia væ illis, cùm recessero ab eis.*

XII. *Ephraim sicut vidi similis est Tyro plantata*, fortiter firmata *in* suo *domicilio* habitaculo. *Et tamen Ephraim ad exire faciendum* ad educendum *ad interfectorem* in manus interfectoris *filios suos* adiget.

Hic versus propter suam obscuritatem, variè vertitur & exponitur ab interpretibus.

Hieronymus illud *benaueh* vertit, *In pulchritudine*. Hunc secuti sunt reliqui patres, deinde Lyranus Hebrææ linguæ peritus, & ex nostri seculi hominibus Munsterus, qui vertit, *In amænitate*. Et Oecolampadius vertit, *In decore*. Et Fabr. Capito vertit, *Speciosè plantatus est Ephraim*. Lutherus etiam *Ephraim, vt video, pulcrè plantatus est, vt Tyrus, at educet Ephraim quoque filios suos percussori*. Biblia etiam Roberti Stephani priora, edita in 4. forma anno 1545. habent, *In amænitate*. Castalio etiam vertit, *Ephraimita, vt video, Tyro similis amæniter sita*.

Cæterum *naueh* propriè significat domicilium, habitaculum à *nauah* habitare. Ideò S. P. vertit, *In habitaculo*. Hûc secutus est Caluinus: qui vertit *In habitaculo, vel in tugurio*.

Ego propter autoritatem tot tantorúmque virorum, qui vertunt *naueh* in pulchritudinem, vel amœnitatem, nō audeò illorum versionem impugnare. Quia tamen vox illa (si Lexicis & Hebræis interpretibus credendum est) propriè significat habitaculum & domicilium, iccircò cogor sequi versionem Pagnini.

Cæterùm vt hæ duæ versiones, quæ diuersæ esse videntur, simul concilientur, possumus vtramque simul coniungere, & hanc vnam vocem *naueh* duabus vocibus exprimere, nempe, In amœno seu pulchro habitaculo. Etsi enim *naueh* significat simpliciter habitaculum: Propheta tamen, spectata re, de qua loquitur, videtur accepisse *naueh* pro habitaculo non quouis, sed amœno & pulcro, quale erat habitaculum Tyri, seu locus & situs Tyri, & qualis erat Palæstina, vbi erat regnum Israel firmatum.

Illud *Letzor* quidam vertunt, Tyro: quia ל seruit datiuo, & subintelligendum est similis est.

Quidam vertunt *Propè Tyrum plantatus est. Et Ephraim in loco amœno*, vt illa particula ostendit loci vicinitatem, Tyrum non procul abfuisse à finibus terræ Israel. Sed Tyrus erat insula in mari, Ephraim verò in continenti.

Quidam *In Tyro*, seu *ad Tyrum*, scilicet vidi plantatam subintellige, arborem.

Hæc quod ad versionem. Nunc adferam interpretationes. 1. Ille qui legit, *Ephraim, sicut vidi in Tyro plantatam arborem, in habitaculo: Ephraim* tamen *ad educendum* parata est, id est, educit, *ad excidium* mactationem *filios suos*: iste, inquam, vir doctissimus, vult hic duo fieri à Propheta. 1. Delicias, felicitatem, & munitionem regni Israelis describi, idque simili, à plantis quæ sunt in locis amœnis & munitis Tyri, deducto: Quòd sicut illæ arbores erant in Tyro, tanquam in habitaculo fortissimo & amœnissimo: ita regnum Israel erat regnum amœnissimum, deliciosissimum & simul munitissimum: Et sicut illæ arbores maximo studio & diligentia colebantur, sic enim solent arbores & horti, qui sunt in paruis insulis: ita regnum Israel fuerat à Deo magna cura & diligentia cultum & conseruatum. At quanquam Ephraim sit regnum ita florens, potens & delitiosum, tamen hoc non obstabit, quin totum perdatur ac destruatur ab hostibus: ipsi enim Israelitæ seipsos in manus hostium occidendos conncient, dùm egressi è suis vrbibus, tanquam è suis domiciliis, volent hosti resistere & cum eo pugnare.

Primum exprimit his verbis, *Ephraim sicut vidi in Tyro plantatam arborem*, id est, arbores, in habitaculo, tuguriis, sic etiam video talem esse Ephraim, id est, regnum Ephraim: quasi dicat, Sicut vidi arbores quæ sunt Tyri, esse in suis habitaculis amœnis & delicatis magna cura plantatas cultas, & à nimio vel frigore, vel æstu defensas & conseruatas ita video tale esse regnum Israel, in loco scilicet amœno & munito positum & excultum florere.

Alterum explicat his verbis: *Ephraim tamen ad educendam ad interfectorem liberos suos*, quasi dicat: At iste Ephraim cum suis liberis, id est, cum sua gloria, & quasi cum suis plantulis è domicilio aduersus hostem eductis, interficietur, perdetur, destruetur.

Conclusionem igitur esse frustrà sibi blandiri populum Israelis, quòd hactenus non fuerit obnoxius vllis malis, sed Deus illum ceu arborem delicatam in suo amœno tugurio, ab omni noxa in nunc continuerit ac conseruarit. Quoniam etsi hactenus ita fuerint tāquam arbores delicatæ in suis tuguriis conseruati: nunc tamen cogentur prodire in lucem, & suos filios ad interfectionem trahere: non esse igitur cur ampliùs sibi blandiantur. Hæc est prima expositio, conclusiodem amplector, sed quoniam nihil est quod cogat nos dicere, hic regnum Israelis comparari arbori in Tyro plantatæ, & cum scriptura comparat aliquem vel hominem vel regnum alicui arbori florenti, soleat comparare illis quæ sunt in Lybano, non in Tyro: ideò libentiùs sequar aliam lectionem, quæ regnum Israel Tyro ipsi comparat. Sed hæc etiam lectio diuersas habet interpretationes.

Altera igitur interpretatio, est eadem cum priori, nisi quòd in simili, seu in comparatione differt ab illa, quoniam illa comparat Israelem arbori plantatæ in Tyro hæc verò comparat ipsi Tyro. Res igitur ita se habet. Quia dixerat Propheta, regnum Israelis destruendum, totámque illius gloriam auolaturam, Israelitæ qui se videbant potentes, & qui in summis erant deliciis, contemnebant Prophetæ comminationes, iactabant sui regni tum delicias, tum potentiam. Propheta igitur primùm per concessionem, fatetur, se videre regnum Israelis esse munitum & benè firmatum in loco amœno & forti. *Nam*, inquit, *Tyro similis est Ephraim*. Qualis autem est Tyrus? Tyrus, id est, regnum Tyriorum, plantatum est, id est, benè firmatum, in habitaculo, id est in insula, amœno & benè munito. *Ita etiam, sicut video, est Ephraim*, id est, regnum Israelitarum, regnum florentissimum, non solùm deliciosum, sed etiam munitum & forte, & quasi inexpugnabile, sicut & Tyrus. Sed tamen hoc non obstabit, quo minùs totum penitus destruatur & euertatur. Ephraim enim cogetur è suo forti domicilio suos educere filios foras ad interfectorem quasi in manum carnificis: quia scilicet dum obsessi à rege Assur, Israelitæ volent gladio potius quàm fame perire, egressi foras ab hoste interficientur. Ergo non est cur Israelitæ ampliùs superbiant, & suis, suique regni viribus confidant. Hieronymus hanc innuit. Lutherus eam sequitur & alij multi.

De Tyro, qualis esset insula, quàm potens, quàm fortis, quam munita, quàm denique rebus omnibus florens, legitote præter alios, ea quæ tradit de Tyro Q. Curt. de Alexandri gestis lib. 4. Alexander qui intra breue tempus totam ferè Asiam expugnarat, hanc tamen vnam insulam Tyrum, non nisi intra menses septem continuos, cum maxima sui exercitus strage, imò & cum maximo suæ vitæ discrimine, expugnare potuit, idque tanta difficultate, vt sæpenumerò de eius expugnatione desperarit, id quod nunquam in aliis vrbibus expugnandis contigit. Videmus igitur, Tyrum fuisse inexpugnabilem: ac proinde videmus, cur Propheta comparet regnum Israel ipsi Tyro: quia scilicet videbatur inexpugnabile, sicut & Tyrus. Sed tamen posteà subiecit, hoc non impediturum, quin Deus illud perdat. Comparauit etiam eò libentius Tyro regnum Israel, quàm alicui alij regno vel ciuitati, quia Tyrus vicina erat Israeli.

Hæc interpretatio mihi placet, & facilis est, ac fluit contextus, præterea non libenter recedo à patribus, & à receptis interpretationibus, nisi cogar.

Est autem notandum, comparationem Israelis cum Tyro, non valere, nisi in vna parte: nempe in ipsa felicitate

& po

& potentia regni, vti est in primo membro versus: in altera vero, id est, in ipsa regni destructione, seu expugnatione, non valere. Nam quod quidam volunt Prophetam comparasse Israelem Tyro, quia sicut Tyrus, licèt esset fortissima & potentissima tamen fuit ab Alexandro expugnata: sic etiam Israel licet potentissimum regnum, expugnabitur, absurdissimum est: nam tempore Hoseæ nondum fuerat expugnata Tyrus, à solo Alexandro Magno fuit primùm expugnata, inter Hoseam autem & Alexandrum Magnum intercesserunt anni 500. plùs minus. Ergo tantùm quod ad felicitatem attinet, & potentiam regni, comparat hic Propheta regnum Ephraym ipsi Tyro.

Quidam tamen volunt, hic comparari Ephraim Tyro nõ tantùm in potentia & regni felicitate, sed etiam in primis in idololatria, quod sicut Tyrus solebat filios occidere, & ipsis idolis sacrificare, sic etiam Ephraim cœperat facere, sicut apertè 4. Reg. 17. legere est, & idem est legere in Ezechiele, Ieremia & alibi. Sic igitur volunt, in primo membro huius versus comparari Israelem Tyro in potentia & felicitate regni: in altero vero in ipsa filiorum immolatione, ac sic cõstruunt. *Sicut video, Ephraim similis est Tyro plantata firmata in amœno & forti habitaculo*, id est, sicut Tyrus est amœna & fortis, sic etiam est Ephraim. *Etiam Ephraim*, subaudi, sicut Tyrus facit, *parata ad educendum suos filios*, nempe extra ciuitatem & loca in quibus sacrificabatur, *ad interfectionem*, id est, ad immolationem, quasi dicat, in hoc etiã Ephraim similis est Tyro, quod scilicet sicut Tyrus suos immolat filios, sic etiam Ephraim eos ad immolationem educit ex ędibus & vrbibus ad illos colles, vbi habebant sacella. Si sic interpretemur, sequens versus erit interpretatio huius versus. Propheta enim vbi Ephraimo exprobrauit hanc idololatriam, et indignitate & horrore commotus, ad Deũ conuertitur, ait: *Da eis Domine* i. punito hunc populũ Quid dabis? quod auferas ab eis filios suos sacrificiis, ita ut ... da, vt nõ possit amplius filios generare, ne habeat, quod idolis sacrificet.

Hoc modo hic versus commodè subsequeretur præcedentem, & benè cum illo coniungeretur.

Sed si sequamur sensum & prioris & secundæ interpretationis: nempe quod Propheta extremum denunciet exitium Israelitis versu præcedente, in hoc versu sequenti 14. Propheta non agit imprecatorem, sed potiùs deprecatorem.

XIV. *Da eis Domine.*

In hoc igitur versu Propheta, cùm denunciasset tantam calamitatem, quæ euentura erat Israelitis, quod scilicet essent expugnandi, & abducendi, & quod illorũ filij partim in vteris parum vberib. matrum vna cũ matrib. erãt trucidandi, sicut fit in expugnatione alicuius ciuitatis, misertus sui populi intercessit apud Deum pro illo, & dixit: *Da illis Domine*, quasi dicat. Ego pro hoc populo libenter intercedo, & peto vt des illis & quid? In hac tanta dissipatione & calamitate, quæ illi futura est, quid ego possim illi melius optare, quàm vt des illorum mulieribus *Vuluam abortientem & ubera arida* id est, quàm vt facias, ne quisquam ex illis ampliùs nascatur. Est enim res nimis misera, videre, fœminas grauidas interfici cum fœtibus, vel videre filios ex vberibus matrum rapi & interfici, vel videre numerosum populũ vnà cum paruulis capi, trucidari: id quod in hac vltima clade, quæ ventura est Israeli, continget. Igitur ne augeatur illis miseria & dolor, Domine fac, vt nulla ampliùs soboles illis nascatur. Eò libentius autem hanc interpretationem amplector, quòd etiam Dominus Iesus simili locutione vsus est, cùm misereretur Hierosolymæ. Lucæ 23. Cũ enim immineret vltima clades Hierosolymis: dixit *Beatæ sunt steriles & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt: quia scilicet non videbunt sibi eripi filios & occidi.* Est maledictio per se, esse sterilem, sed in vltimis cladibus, vbi occiduntur filij cum matribus, esse sterilem reputatur pro benedictione. Indicant igitur hæ precatione, fore horribilem Dei vindictam illam, in qua satius est esse sterilem, quàm videre infantes vnà cum matribus interfici.

XV. *Omne*, id est, præcipuum & summum *malum eorum in Gilgal est, quoniam ibi odi eos.*

Duo etiam in hoc versu continentur: reprehensio peccati, & denunciatio iræ Dei contra peccatum.

Quo ad primum ait *Omne malum eorũ in Gilgal.* Et est hic occupatio quædam, qua Dominus, sicut etiam superius sæpenumero fecit, occurrit solitis hypocritarum obiectionibus, quibus sese contra Prophetarum comminationes defendebant, & sua peccata extenuabant. Quæ illæ erant? Cùm reprehendebantur à Prophetis, & denunciabatur sibi ira Dei, illi obiiciebant sua tẽpla, sua altaria, sua sacrificia, & dicebant: At cur velit nos Deus perdere? fatemur quidẽ, nos aliquãdo peccare, sed tamen habemus etiam multa bona pietatis exercitia, quibus placamus iram Dei, Deúmq. nobis reconciliamus, & eum nobis amicũ retinemus. Quæ sunt ista pietatis exercitia? sacrificia in loco sancto, in Gilgal, & aliis sacris locis, orationes, ablutiones, suffitus, & alia infinita bona opera, quæ facimus in honorem Dei. Erat igitur ceu tale argumentum hypocritarum. *Deus non perdit aut extirpat ... suum populum, qui etsi peccet, tamen in loco Deo grato sua ... offert sacrificia, quibus peccata expiantur, & ira Dei placatur. Sic enim illi ... Atqui nos sumus talis populus, & in Gilgal sacrificia offerimus atque habemus varia exercitia pietatis. Falsum igitur est, quod ais, nos in totum exterminatum iri.* Hoc erat illorum argumentum.

Nunc igitur introducit Deum, qui hoc argumentum diluat in summa, non tantùm negat minorem, scilicet ille sacrificia esse exercitia pietatis, sed etiam ait, esse maxima scelera: retorquet enim illis hoc argumentum, & docet, ibi eos maximè peccare, vbi se putant maximè benefacere, & ibi maximè à Deo odio haberi, vbi ipsi putant suis operibus se sibi amicitiam & fauorem Dei conciliare, denique ea maxima esse peccata & scelera, quæ ipsi putant optimã esse opera & Deo gratissima. Tantùm igitur abest, vt his nugis suis possint se defendere, vt iis maximè se condemnent. Facit hic idem quod fecit supra cap. 8 vers. 11. *Quia multiplicauit altaria ad peccandum, erunt ei altaria ad peccandum* Ait ergò, *Omne malum*, id est, summum malum: non enim negat illos alibi non peccare, quàm in Gilgal, seu nõ alios peccatis esse infectos, nisi idololatria: sed per comparationem loquitur, quasi dicat, quanquam multa mala admittantur ab hoc populo extra templum, vt adulteria, furta, rapinæ, violentiæ & alia, domi in foro, & alibi: tamen præcipuum & summum illorum malum, est in templo, est in Gilgal.

Omne malum.

Omnibus iis paucis verbis subest tacita antithesis, inter argumentum populi, & responsionem Dei ad argumentum. Ostendit enim primò tacitè populum solitum fuisse sua peccata excusare, nempe, quòd licèt peccaret aliquando, tamen offerret Deo sacrificia, & haberet locum sacrum, Deóque carum, nempe Gilgal, in quo colebat Deum. Deus vero postea apertè pronunciat, illud esse summum malum, quod scilicet ipsi obtrudebant Deo tanquam summum bonum, & ibi maximè peccari, & iram odiúmque Dei excitari, vbi ipsi putabant Deum placari. Tantùm igitur abest, vt quæ obtrudebant Deo, valeant ad sua excusanda peccata, vt illa potiùs eos condemnent.

In Gilgal.

Quid erat Gilgal? Locus memorabilis, vt aliàs dixi, qui aliqui Deo sacer & gratus fuit. In hoc quid erat? sacrificia offerebantur à populo, hæc putabat populus Deo maximè placere, præsertim quia in loco sacro offerret. At Deus ait: *Omne malum eorum in Gilgal*, quasi dicat, ipsa sacrificia in Gilgal sunt summa scelera coram me. Quare? quia scilicet contra verbum Dei offerebantur in eo loco. Ergò id quod fit contra verbum Dei, etiamsi hominibus videatur esse summa pietas & summa religio: tamen coram Deo est summum scelus.

Quia ibi odi eos.

Illud *Quia*, non est rationalis particula Enim, sed expletiua, Enimuero. Et subest etiam hic antithesis, putabat populus, in Gilgal maximè iram Dei placari, & si quid peccati extra Gilgal admisissent, illud postea totum in templo deleri, & Deum sibi reconciliari. At Deus contrà ait: *Ibi odi eos*, sicut etiam suprà dixit: *Odium in domo Dei*. Non ait autem, *Ibi irascor* sed *Ibi odi eos.* plus enim est odisse quàm irasci. Quibus irascimur, eximus, flagellamus, sed quos odimus, occidimus, si possumus. Ergò indicat, idololatriam eam in primis rem esse, quæ faciat, vt Deus aliquem populum & regnum funditus perdat, in templis item, vbi idololatria exercetur, maximè odium Dei aduersus mundum excitari.

Propter malitiam studiorũ suorũ, quæ scilicet ibi, id est, in Gilgal, admittebant. Hic etiã sicut in aliis duob. membris, subest antithesis, Populus putabat, illa sua sacrificia & cultum, summam esse sanctitatem. At Deus pronunciat esse summam malitiam & impietatem. Quare? quia contra verbum Dei fiebant. Affigit autem hic caussam odij in suum populum. Quæ est illa? Malitia operum, id est, sacrificia & cultus ille, quem in Gilgal exercebant contra verbum Dei. Est autem quædam tacita comparatio inter opera quæ admittebant in templo, id est, in Gilgal, & inter alia peccata. Indicat igitur Deus populum magis sibi exosum

esse propter illas superstitiones, quam alia omnia scelera, & quòd facilius illis ignosceret, si essent tantùm vel fures, vel ebriosi vel rapaces, sed cum sint idololatræ & quidem contumaces ac obstinati, se non posse illis ignoscere sed cogi illos odio habere, &, vt hostes perdere.

Sequitur igitur pœna quæ duplex est. Prima est excommunicatio, seu omnimoda abdicatio, de hac ait: *De domo mea eiiciam eos*, id est, exterminabo & penitùs abdicabo. Quæ domus hæc? Ecclesia Dei. Ecclesia primo in inuisibilem & in visibilem diuiditur. Inuisibilis, est cœtus electorũ piorum, ideò inuisibilis dicitur: quia nobis non sunt ita noti electi vt possimus omnes hos discernere à reprobis. Visibilis est cœtus, qui complectitur electos & hypocritas. Deinde visibilis diuiditur in veram Ecclesiam & falsam. Vera est, quæ habet veras notas, verbum & sacramenta, hæc erat Hierosolymis. Falsa, quæ cum verbo Dei coniunctas habet humanas doctrinas, & cum cultu Dei ἐθελοθρησκείας, hęc erat in Israel. Habemus tres Ecclesias, de qua igitur loquitur, cum ait: *Eiiciam è domo mea*: Resp. Non est prima: quia iam electi per peccata, pręsertim idololatriam. non est secunda: quia seipsos segregarũt. Ergò est tertia: quia scilicet totam illam Ecclesiam, etiam iis, quæ videbantur habere, spoliauit, vt ne nomen quidem Ecclesiæ retinuerit, & nullã faciẽ.

Vel melius, Domus hæc Dei est Palæstina. Eiiciam igitur illos è domo mea, tanquam scilicet spurios & sceleratos nothos, vt non solùm nõ sint hæredes cum liberis, sed neq; etiam in domo mea vllum habeant locum. Denunciat igitur illis vltimam excommunicationem, se scilicet illos expuncturum è catologo suorum, & ex Palæstina. Altera pœna est subductio omnium suorum beneficiorum, seu aperta declaratio, quòd non ampliùs illos amet, sed odio habeat in perpetuum nam potuissent quidem excommunicari & expungi ex libro populi Dei, sed tamen benedictionibus diuinis affluere, sicut & gentes Nunc igitur omnium suarũ etiam benedictionum subductionem denunciat, dicens:

Non addam non pergam *amare eos.*

Duplex Dei amor, Æternus erga electos, & hic est voluntas Dei, qua illis benè vult ad vitam æternam. Deus nunqnam deponit hunc amorem, sed perpetuus est, vnde illud: *In caritate perpetua dilexi te.* Rom. 9. *Antè quam nati essent, Iacob dilexi.*

Alter erga omnes creaturas, etiam impios, de quo in Ecclesiastico, *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* Hic amor est voluntas, qua omnibus benè vult facere, & suas communicare benedictiones temporales.

Vterq amor ex benedictionibus Dei, tanquam è symbolis & fructibus amoris cognoscitur. Ex benedictionibus spiritualibus, vt ex fide, regeneratione, iustificatione, agnoscitur & sentitur amor Dei æternus, quo nos amat ad æternam vitam. Rom. 5. *Spes autem non confundit, quia diffusa est caritas Dei* (qua nos amat) *in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ex benedictionibus temporalibus, cognoscitur alter amor Dei, quo omnes amat creaturas illis benefaciens. Matth 5. *Diligite inimicos vestros, sicut & pater vester cælestis diligit inimicos suos, id est, reprobos, pluens super iustos & iniustos.*

Cæterum quia hæ benedictiones temporales communes sunt & iustis & reprobis, ideò ex iis concludi firmiter non potest amor ille Dei, quo amat ad vitam ęternam. Huc illud: *Nemo scit, vtrum amore vel odio dignus sit.*

At quoniam hypocritæ & homines huius seculi, etsi sunt reprobi & impij: tamen cùm vident, se affluere benedictionibus diuinis externis, vt cùm fruuntur bona valetudine, cùm suppetit rerum copia, cùm degũt in pace, cùm fruuntur hoc mundo, putant, se in gratia esse cum Deo quia igitur ex præsenti terrenarum benedictionum intuitu, æstimabat populus amorem Dei & fauorem ac gratiam erga se, iccirco Dominus hic ait, se suas benedictiones in perpetuum eis subtracturum, & ita re ipsa omnibus declaraturum, quòd odio habeat illum populum.

Non adiiciam amare illos, id est, reipsa declarabo, me esse huic populo inimicum, tantum abest vt amem. Quomodo declarabis? benedictiones subtrahendo, quæ sunt symbola amoris. Non ait autem simpliciter, *Non amabo eos* sed *Non adiiciam amare eos.* Duo igitur indicat. 1. Quòd anteà sæpè suas benedictiones subtrahendo, declarauit, se non amare populum, sed posteà iterum adiecit illas benedictiones, quibus iterum declarabat, se illum amare. 2. At nunc ait, se non adiecturum, vt amet, id est, non adiecturum benedictiones. quibus declararet, se illum amare, est igitur ac si dicat, in perpetuum illum reiiciam & omnibus meis benedictionibus spoliabo.

Principes eorum sunt peruersi.

Hic notat totius mali originem ac fontem, vnde scilicet totũ malum in populo ortum sit: nempe à principibus: Ierobeam enim introduxit idololatriam in Israel: Accusat igitur hic principes, & tamen exitium minatur toti populo. Indicat igitur, neque populum à culpa eximi, cum non eximatur à pœna, sed tantum mali originem indicare Dominus voluit. Verum non negat quin & populus fuerit perfidus, is enim voluit imitari perfidiam principum, & eorum impia sequi decreta. Friuola igitur est illorum excusatio, qui dicunt, ideò se Missam audire, vt obediãt principibus & Episcopis suis.

Cur autem appellat principes perfidos? quia non curarunt, vt religio pura conseruaretur, sed idololatriam introduxerunt, ipsi verò promiserant, se curaturos, vt lex Dei seruaretur. Quia ergo non seruarunt fidem, perfidos vocauit.

Docet igitur hic locus, officium principum esse, curare, vt non solùm secunda, sed inprimis prima tabula seruetur, & tam primæ, quàm secundæ tabulæ transgressores plectãtur. habent enim gladium Dei ad vindictam omnium malorum, Si negligant, perfidi sunt. Quid verò sunt, si ipsi etiam autores populo sunt, vt tàm prima, quàm secunda tabula violetur? sunt autem autores vt prima tabula violetur, cùm iubent sequi falsum cultum. Sunt verò autores, vt violetur secunda, cùm suis vitiis & sceleribus exemplo sunt populus, vt ipsi quoque mores suorum principum imitentur. Tales fuerunt reges in Israel. Ergò perfidi principes eorum & rebelles, quasi dicat: Principes debuissent ij si duces esse populo ad veram pietatem sequendam, ad legem Dei implendam. Ipsi verò duces fuerunt, ad impietatem, & ad omnia scelera admittenda. Cum autem res ita se habet in republica & regno. omnia pessumeant, necesse est. Ecce igitur caussam totius mali in populo: *Quia principes eorum rebelles.* Sic totus Papatus est rebellis. Quare? quia principes eorum rebelles.

XVI. Succisus est Ephraim.

Repetit & inculcat easdem pœnas, quas antè minatus est, nempe vltimum exitium, sed aliis verbis. Hæc inculcatio necessaria est contra hypocritas: quia sibi semper blandiuntur. Sed metaphora vtitur sumta ab arboribus. Populus est arbor mala, quæ malos facit fructus, de hæc ait. 1. Quod velit eam succidere, succisus est: quia scilicet semper malos facit fructus. Quid igitur occupat terram? Ac quia, si tantum succidatur, poterit tamen iterũ pullulare & surgere, cùm viua sit radix. ideò 2. ait, se effecturum, vt & radix arefiat, ne scilicet ampliùs possit pullulare & germinare. Conclusio. Itaque nullum faciet fructum. Summa est. Populus ita delebitur, vt nunquam ampliùs reuiuiscat quia & patres & totum semen delebitur. Posteà partim explicat disertè, quod dixerat figuratè dicens, *Quòd si genuerint, faciam etiam perire desiderabilia*, id est, exoptata *vteri eorum* id est, filios.

At quomodo hoc impletum? annon primò remanserunt reliquiæ electæ? deinde nonne etiam reliquiæ impiorum in finem vsque seculi? imo ait infra: Vagantes erunt inter gẽtes. Resp. Non de singulis personis sed de toto corpore, quatenus populus & regnum quoddam erat, loquitur: nunquam enim ampliùs rediit eò, vt esset populus cum suo principe. Ideò notanter non ait, *Israelita succisi sunt*, sed *Ephraim.* Ephraim enim erat tribus regia in decem tribubus. Ergò habebat suum regnum & populum subiectum. Indicat igitur, Israelem quatenus populus quidam, qui habet suum regem, suas leges, suúmque regnum, penitù succisum fuisse, ita vt non amplius eò redierit, vt esset populus Dei.

XVII. Abiiciet eos Deus meus.

Hoc versu tanquam breui epilogo complectitur totam concionem. Scitis in tota concione, modò peccata populi accusata fuisse à Propheta, modò iram Dei denunciatam. Nunc igitur breui epilogo vtrumque complectitur, ac primùm de pœna ait:

Abiiciet eos. Abiicere, hic est reprobare, & omninò à se reiicere, vt non sibi ampliùs cum eo sit negotium. Hoc est primum: pœna scilicet & vltio Dei in Israelem.

De peccato, id est, caussa pœnæ, ait: *Quia non obedierunt ei*, id est, quia contumaciter sese Deo opposuerunt nec voluerunt ei obedire. Contumacia igitur & pertinax inobedientia, caussa est iræ Dei & reprobationis.

Non ait: *Quia non obtulerunt sacrificia, quia non paruerũt principibus*, sed, *Quia non obedierũt ei* scilicet Domino Deo. Ergò nihil hominem damnat, nisi inobediẽtia in legem

Dei

legem Dei. 1 Reg. 15. *Deus vult obedientiam non sacrificium.* Sui d̄ t verò signum perpetuum, quo agnoscentur Israelitæ verè fuisse à Deo propter suam inobedientiam, abiecti. *Erunt, inquit, vagantes inter gentes.* Erunt igitur successione fini populus, sed non simpliciter, vt nemo supersit: nam erunt vagantes, nullam igitur sedem firmam reperient. Ergo non erunt populus.

ANALYSIS CAPITIS NONI.

1. *Ne læteris Israel.*

1. In publica concione, & vniuerso Israeli dixit Propheta: *Ne læteris Israel.* In publicam igitur aliquam totius Israelis lætitiam inuectus fuisse videtur.

2. Nomine *gil*, id est, exultationis, venit ipsa lætitiæ materia. Materia autem lætitię, in genere quidem sunt, omnes res secundæ speciatim verò in Israel vide ur fuisse, non solùm vber prouentus, copiosáq; annona, quam læræ segetes, florentésque vineæ promittere videbantur, sed in primis ipsa fœderis cum rege Assur facta per Manahem (vt est 4. Reg. 15.) renouatio & confirmatio. Cùm igitur ait: *Ne læteris Israel ad exultationem*, tria indicat. 1. Populum illum cùm propter vberem prouentum, quem ab agris & vineis exspectabat, tùm præsertim propter fœdus cum Assur, cuius bellum metuebat, confirmatum, ideóque propter pacem, securitatem, ac felicitatem, quam sibi diuturnam promittebat, communi & publica lætitia affectum, publica etiam suę lætitiæ signa, vt sunt cantus, conuiuia & id genus alia, dedisse. 2. At verò neque illam spem magnorum prouentuum, neque illam fœderis cum Assur renouationem, iustam illis fuisse tantæ lætitiæ caussam, quando cùm aliis iniquitatibus, tùm illa noua cum Assur fœderatione fœdus Dei violarint, à Deo fornicati fuerint, ideóque Deum aduersùs se irritarint. 3. Non esse igitur Israeli, cur tanta afficiatur lætitia, sed contrà potiùs, cur lugeat & tristetur, cùm vltimum ei exitium immineat, & ipsius annona non ipse, sed hostes eius sint fruituri.

3. Non simpliciter ait: *Ne læteris ad exultationem*, sed addit *Sicut & populi* scilicet profani & idololatræ. Si illud *Sicut*, simplicem habet similitudinem, duo indicat Propheta 1. Ipsos quoque Assyrios propter fœdus cum Israele renouatum, & maximam auri atque argenti copiam ab eo acceptam, lætatos fuisse, suæque lætitiæ signa (vt ab vtroque hoste fieri solet, cùm inter se reconciliantur & pax fit) edidisse 2. At verò non debere sic Israelem, sicut illi populi, propter renouatum fœdus, lætari, quoniam (vt post à sequitur) Israel ipse hac fœderis renouatione, adulteratus est à Deo suo, non autem ipse Assur. Grauius igitur pœnas daturum Israelem propter illam renouationem fœderis, non autem Assur: ideóque non esse, cur Israel lætetur, vt populi.

4. Si verò illud *Sicut* similitudinem etiam lætitiæ Israelis cum lætitia populorum exprimit, indicat Propheta, se non simpliciter damnasse in Israele, quòd ob res secundas lætaretur, sed quod tali lætitia, qua & profani populi afficerentur. Impij enim populi primò externas tantùm res spectant lætas & secundas, nunquam autem finem propter quē dantur, nempe vt spectata Dei erga nos bonitate, resipiscamus, considerant, ideóque tantùm propter illas res secundas carnaliter lętantur, nunquam autem resipiscunt. Deinde neque causam earum efficientem: nempe Deum, agnoscunt. Neque enim Deo, sed suis idolis & superstitionibus illas acceptas ferunt. Postremò rebus illis secundis ad maiorem pertinaciam abutuntur: dùm enim vident, se non puniri, sed maioribus indies beneficiis affici, putant, sibi perpetuam esse pacem cum Deo, ideóque suis peccatis indormientes, conuiuiis tantùm, voluptatibus, & carnalibus lætitiis securi incumbunt. Cùm igitur ait: *Ne læteris sicut populi*, indicat, populum Israel ea lætitia affectum fuisse in rebus secundis, qua etiam profani populi affici solent: nempe impia & iniqua: ac proinde docet, non damnari simpliciter lętitiam in rebus secundis: sed talem tantùm qualis esse solet impiorum, quæ scilicet neque resipiscentiam secum habet adiunctam, neque Deum vel bonorum omnium autorem recognoscit, neque in spiritu sed tantùm in carne est.

5. Caussam cur Israel non debeat, sicut profani populi, lætari, sed potiùs lugere, hanc edit. ait: *Quia*, inquit, *adulteratus es à Deo tuo*, id est, quia coniugalem fidem violasti, tùm idolis seruiendo, & alia scelera admittendo, tùm fœdus cum Assur renouando. Duo igitur indicat. 1. Caussam quidem non lætitiæ, sed maximæ tristitię in ipso Israele inhęsisse: nempe impietatem, & à Deo suo marito, ad idola & ad gentes defectionem, sed Israelem eam non examinasse:

2. Ideò tanta lætitia Israelem fuisse affectum, totúmque conuiuiis & voluptatibus securum indulsisse: quia cum vna ex parte sua non perpenderet peccata & ab altera parte videret, Deum se non punire, sed contrà potiùs variis indies se beneficiis cumulare non credidit, Deum sibi esse iratum, sed contra potiùs, sicut firmarat fœdus cum Assur, ita firmatam sibi esse pacem cum Deo in perpetuum, falsò existimabat. Ac proinde duo docet. 1. Hác quidem omnibus impiis communem esse excitatem & illusionem, vt cùm caussa iræ Dei: nempe iniquitatis, in ipsis inhæreat, nunquam tamen à priori: nempe à caussa iræ Dei, quæ sunt peccata, sed tantum à posteriori, id est, ab externis iræ Dei effectis, Deum sibi esse iratum, agnoscant: Contrà verò cùm vident, Deum & ad ad ipsorum peccata conniuere, & variis se quotidie beneficiis cumulare putant, sibi firmatam esse pacem cum Deo, ideóque inani lætitia affecti, securè pergunt in peccatis. 2. A contrario igitur. Neque ab externa & præsenti tantùm prosperitate, quæ semper debet esse suspecta, sed in primis ab interna pietate, regeneratione, & spiritu Dei in nobis inhabitante concludendum esse æternum Dei erga nos fauorem; Neque ex præsentibus tantùm pœnis sed in primis ex impietatibus in nobis inhærentibus, & in mundo grassantibus inferendam esse Dei aduersùs nos & mundum indignationem: eamque procul adhuc distantem, esse metuendam, & vera resipiscentia anteuertendam.

6. Non simpliciter ait: *Fornicatus es*, sed addit, *à Deo tuo*, tanquam à marito, quasi dicat, a fuit ratus es. Est autem maior pœna in adulteras, quam in simplicia scorta, à lege constituta. Indicat igitur, multò grauiorem pœnam manere Israelem & populum Dei, propter suam à Deo defectionem & idololatriam, quàm reliquos populos, quando maior etiam est huius, quàm reliquorum populorum apostasia, ideóque non esse, cur Israel seu populus Dei, qui adulteratus est à Deo suo, rebus secundis sicut reliqui populi lætetur.

7. *Ethnan* est merces, quæ scorto propter suam scortationem penditur: diligere autem mercedem hanc meretriciam est diligere, ideóque exercere scortationem, & allegoricè, idololatriam propter quæstum. Illud verò, *In areis tritici*, explicat, quam mercedem amatini & exspectiuerint Israelitæ à suis idolis: nempe, vt ipsorum areæ frumento implerentur, idque mercedis loco pro suo erga ipsa idola obsequio & cultu. Vel dicamus, hic Dominum comparare populum meretriculis, quæ plurib facinnt mercedulam illam, quam à suis scortatoribus accipiunt, quàm maximam frumenti & omnis annonæ copiam, quam in ædibus suorum maritorum habent. Cùm igitur ait, *Quia dilexisti mercedem*, scortationem Israelis à 2. circumstantiis exaggerat. A dilectione scortationis, quòd scilicet non est fornicatus à Deo, vi, aut ignorantia, aut aliorum impulsu, sed malitia, quia scilicet amaret hanc scortationem propter quæstum. Deinde ab ingratitudine, quod scilicet beneficia quę à Deo suo exspectare & petere debebat, ab idolis exspectauit & petiit, imò quæ à Deo reuera accipiebat bona ea accepta ferebat suis idolis tanquam sui cultus & superstitionis mercedem. Ac proinde docet, hoc esse proprium omnium idololatrarum, vt ex cæteris, quæ reuera à Deo accipiunt beneficia, ea putent se à suis idolis, tanquam mercedem sui cultus accepisse, & propter hunc quæstum, quem amant ipsam idololatriam tanquam amasios, more meretriculatum ament & depereant: ideóque omnes qui deserto Deo, ad diuos aut diuas, statuas, & imagines colendas inuocandásque se conuertunt, ingratas & impudicas esse meretriculas, quæ malunt cum amasiis scortando, turpem & tenuem sibi victum parare, quàm copiosum & honestum à suis maritis accipere.

Coniunxit autem hæc duo simul *Fornicatus es à Deo tuo & dilexisti mercedem.* Indicat igitur, hæc duo, superstitiosam religionem, & turpem quæstum, semper esse coniuncta.

11. *Area & torcular.*

1. In pœnam peccati, quo Israelitæ annonæ copiam à suis idolis sperabant & petebant, Deus per Prophetam ait, *Area & torcular non alet eos.* Indicat igitur, populum è suo regno breui expellendum fuisse, antequam scilicet messem meteret, & vindemias faceret, vel saltem mox post messem & vindemiam factam, ne suis scilicet vel frumentis vel vineis, quæ ab idolis se accepturum sperabat, ali possit. Ac proinde docet, Deum, etsi ad tempus sinit idololatras rerum omnium copia affluere, idque hac opinione deceptos, quòd eas à suis idolis, & propter suas superstitiones recipiant: tandem tamen aliquando de sua spe decidere.

2. Non dixit, *Agri*, vbi scilicet sunt segetes, & vineæ,

vbi vuæ, sed, *Area*, vbi scilicet frumenta è spicis teruntur & enantilantur *& torcular* vbi scilicet vinum ex vuis exprimitur, *non pascet eos*, item *mustum mentietur*. Voluit igitur indicare, Israelitas messuros quidem messem, sed illa non fruituros, vindemiaturos, vinum etiam ex vuis expressuros, sed illud non bibituros: vbi sperabunt, se in maxima securitate annona sua iam collecta fruituros, mox hostis superueniet, qui populo capto & abducto omnia eius bona occupabit: ac proinde docet, hanc esse sortem impiorum & huius seculi hominum, qui neglecto Deo & eius lege ex superstitionibus & aliis artibus illicitis, iniustas sibi congregant opes: hanc inquam esse iustam eorum sortem, vt postquam omnia horrea frumento, & cellas vino, & cistas argento impleuerint, mox ipsi vel captiui abducantur, vel occidentur, & alius illorum opibus fruatur, sicut etiam in Euangelio legitur de illo diuite, qui vbi impleuit horrea frumento & cellas vino, dixit sibi ipsi: *Modo fruere anima mea*, & noctu audiuit: *Hac nocte morieris, & ea quæ congregasti cuius erunt?*

III. *Non habitabis in terra Domini.*

1. Etsi omnis terra, terra Domini est: peculiariter tamen Palæstina terra Domini appellabatur, quoniam eam sibi peculiariter delegerat, vt ibi cum suo populo habitaret: sicut in Ps. dicitur. *Hæc requies mea in seculum seculi. Hic habitabo, quoniam elegi eam.* Cùm igitur ait Propheta, *Non habitabunt in terra Domini*, indicat Israelitas tanquam improbos spurios & exhæredatos, non solum non fruituros vino & frumento, id est, bonis paternis, sed etiam è Palæstina tanquam è terra & ædibus Domini, expellendos, ideóque ab Ecclesia excommunicandos esse.

2. Etsi verò Dominus Israelitas in terram illam, tanquam in paternum & proprium domicilium introduxerat, non tamen dixit: *In terra sua*, sed *in terra Domini*. Duo igitur illis indicare, atque in memoriam reuocare voluit, 1. Ipsos non sibi terram illis suis viribus acquisiuisse, neque hæreditario iure à suis maioribus accepisse, neque propter sua merita, sed tantùm per gratiam, in illam à Domino introductos fuisse, sicut Deut. 19. indicat Moses. 2. Etsi anteà aliquomodo ipsorum erat terra, quatenus eam iis donarat Dominus in domicilium: nunc tamen propter suam à Deo defectionem, non amplius illorum est, ideóque è terra illa tanquam non sua, sed Domini illius contra quem rebellarunt, prorsùs esse expellendos. Ac proinde docet, quidquid boni siue spiritualis, siue temporalis habemus: totum illud non nostrum, nisi ad vsum, sed ipsius Dei tanquam domini esse: vbi vero ab eo deficimus, ipsum etiam vsum iure à nobis auferri, ne amplius beneficiis Dei fruamur.

3. Cùm ait: *Et in Aegyptum redibit Ephraim*, opponit Palæstinæ, in qua per gratiam Dei, felici libertate fruebantur, ipsam Aegyptum, vbi secundum ipsorum merita duram seruierant seruitutem, & illos ait in vna quidem non amplius habitaturos, in alteram verò redituros. Non potest autem hoc alterum, sicut illud primum, de omnibus intelligi, cùm maxima illorum pars in Assyriam captiua fuerit ducta. Indicat igitur, hanc fuisse iustam debitamque peccato Israelitarum pœnam, vt quoniam ipsi neglecto Domino ad Aegyptios capiendi auxilij caussa confugerant, è terra Domini, nempe Palæstina expulsi, ad terram tyrannorum: nimirùm in Aegyptum redirent.

4. Etsi autem in scripturis disertè non legitur de 10. tribubus, sed tantùm de multis ex Iehuda 4. Reg. 25 & Hier. 10. quòd in Aegyptum redierint: tamen cum etiam de Israelitis hoc prædixerit Propheta, dubitandum non est, quin ipsorum permulti partim fame pressi, & à patria per hostem pulsi (regibus nimirum Assyriorum regnum Israelitarum vastantibus, Samariam obsidentibus & omnia diripientibus) partim deinde cum Iehudæis, ad quos nonnulli ex Israel defecerant, in Aegyptum sponte redierint.

5. Abstinere à cibis secundùm legem immundis, proprium erat symbolum populi Dei, quo scilicet primo tanquam propria nota distinguebatur à gentibus, & quo, deinde, palam profitebatur, se non ad immunditiem, sicut gentes, sed ad sanctitatem esse vocatum, & quo, tertiò, tanquam vinculo in fœdere Dei, & ne ad immundas gentium superstitiones deficeret, retinebatur, sicut vinum in dolio circulis & vinculis retinetur. Contra, comedere immunda, proprium erat profanarum gentium symbolum, quo agnoscebantur, neque ad populum Dei pertinere, neque ad sanctitatem esse vocatæ, neque in fœdere Dei esse comprehensæ seu inclusæ. Cùm igitur tanquam extremum iræ Dei flagellum denuncians, ait: *Et in Assyria comedent pollutum*, non indicat solùm, populum in Assyriam captiuum abducendum, sed duo alia multò grauiora indicat: vnum quidem synecdochicè, Deum scilicet ablaturum ab Israelitis omnia sui fœderis signa, & ita cum symbolis, quibus discernebatur à populis profanis, spoliatum, inter gentes expulsurum, & cum illis ita mixturum, vt nullum ampliùs inter Israelitas & gentes discrimen appareat. Alterum, consequenter fractis fœderis signis, tanquam dolij circulis & vinculis, ipsorum quoque fœdus abolliturum, & populum ipsum à fœdere exclusurum, & iccircò æterno exsilio, sicut & reliquas gentes à fœdere exclusas, damnaturum.

6. Cum multa essent fœderis symbola, quibus populus Dei à gentibus discernebatur: hoc tamen maluit præ alijs commemorare: nempe fore, vt populus non ampliùs abstineat ab immundis, sed vnà cum gentibus comedat immūda. Voluit igitur indicare, populū Israeliticum reuerà perinde immundum esse & profanū, atque ipsas gentes, iccircò iure miscendum esse cum gentibus, vt cum eis etiam immunda comedat, & non solùm internis sed etiā externis omnibus illarum inquinamentis cōmunicet. Ac proinde docet, hoc esse maximum iræ Dei testimonium, cùm suum populum ita inter idololatras deserit, & veris Ecclesiæ Dei symbolis exuit, vt non solùm nullo externo symbolo declarare possit se ab idololatris differre, sed etiā immūdis idololatrarū ritibus & sacramētis ita communicare cogatur, vt nullū ampliùs inter hunc & apertos idololatras discrimen prorsùs appareat.

IV. *Non libabunt.*

1. Libamen sacrificium erat, in quo vinum fundebatur, de quo Exodi 29. Leuit. 6. Num. 28. Nomine autem huius sacrificij, synecdochicè veniunt omnia alia Mosaica sacrificia. Cùm igitur ait: *Non libabunt Domino vinum*, indicat, Israelitas in Assyria futuros sine sacrificiis seu sine veris Ecclesiæ Dei symbolis, ideóque non futuros ampliùs Ecclesiam & populum Dei.

2. Non simpliciter ait: *Non libabunt vinum*, sed ait *Iehoua*, & deinde, *Non dulcescent ei*, id est, non erunt ei, nempe Deo grata, scilicet illorum libamina, sed, per tacitam antithesin erunt ei amara. Per concessionem igitur indicat, etsi aliquod obtulerint sacrificium: illud tamen neque oblatum iri Deo, neque fore gratum Deo postquam scilicet desierint esse Ecclesia & populus Dei, intérque gentes connumerari cœperint: ac proinde docet, extra Ecclesiam nullum sacrificium Deo offerri, aut gratum esse posse, sed omnia illi esse extra Ecclesiam amarissima.

3. Panis lugentium scilicet mortuos, secundùm legem immundus erat, de hoc pane Deuter. 26. Cùm igitur ait, *Sacrificia eorum sicut panis lugentium* scilicet mortuos, *eis* scilicet erunt, indicat, sacrificia Israelitarum, si qua obtulerint, omnia fore immunda, ideóque Deo abominabilia: quia scilicet ipsi tanquam mortui, immundi sunt & erunt: ac proinde docet, extra Ecclesiam, id est, infidelibus inquinatisque omnia esse immunda, contra verò fidelibus & mundis omnia esse munda, vt Paulus docet.

4. Panis lugentium mortuos, non solùm ipse immundus erat, sed etiam eos qui se comedebant immundos reddebat. Cùm igitur ait: *Omnes comedentes ex eo polluentur, seu immundi fient*, pollutionem sacrificiorum Israelis amplificans indicat, illorum sacrificia fore ita immunda, vt etiam si quis mundus ad ea accesserit, eísque communicarit, futurus sit immundus: ac proinde docet, quicunque profanis impurisque idololatrarum superstitionibus communicat, ipsum quoque pollui: *Quia qui tetigerit*, ait Dominus, *immundum, immundus erit*.

5. Anima in scripturis phrasi Hebraica sæpè pro vita accipitur. Panis igitur animæ dicitur panis seu cibus, qui vitæ corporis tantùm sustentandæ destinatus est, seu qui tantùm ad vitam sustentandam valet. Mentionem autem hic facit sacrificij Mincha, in quo panis offerebatur, de quo Leuit. 2 5. Num. 5. Panis verò ille in sacrificiis ad alium vsum, quàm ad vitam corporis sustentandam, destinatus à Domino fuerat: nempe ad spiritum alendum, modò accederet fides & resipiscentia offerentis. Si verò non accedebat resipiscentia & fides, ad nihil proderat ille panis, nisi ad corpus alendum. Ex Domini igitur instituto panis iste in sacrificiis, panis animæ nō erat, sed panis spiritualis, & ad vsum spiritualē destinatus. Vitio verò & culpa offerētis, è pane sacro & spirituali, panis tantùm animæ, id est, corporalis vitæ fiebat. Intrare porrò in domum Domini, est fieri Deo gratum & acceptum. Cùm igitur ait, *Quoniam panis eorum, anima eorum non intrabit*. Indicat Propheta, ideò sacrificium Israelitarum, quod Mincha appellatur, in quo offertur panis, non esse gratum Deo: quia cùm illum panem offerant immundi sine fide & sine resipiscentia, efficiunt, vt, quod se attinet,

net.panis ille alioquin ex Domini instituto spiritualis ipsorum culpa fiat tantùm panis animæ,id est,communis,& vitę tantum sustentandæ idoneus. Ac proinde docet, in genere quidem omnia sacrificia & sacramenta,etsi ex Domini instituto sint res spirituales: vitio tamen sumentium fieri sumentibus res tantùm corporales: Speciatim verò panē etiam in cœna Dominica,etsi ex Domini instituto panis sit spiritualis,& ad spiritualem vsum destinatus,vitio tamen sumentiū, ipsis sumentibus nihil aliud esse,quàm panem animę,id est, communem & ad corpus tantum alendum idoneum,ideóq; ab ipsis nihil nisi panem assumi:ac proinde tantum abesse, vt panem hunc animæ terrenum sumendo, panem veræ vitæ cœlestem, qui est Christus, assumant, vt potiùs etiam terrenum ad iudicium & mortem sibi manducent, idq. propter contumeliam,qua panem illum,& Deum illius institutorem afficiunt, dùm è pane spirituali, panem tantùm communem,sua impœnitentia & infidelitate sibi ipsis efficiunt.

V. *Quid facietis in die solenni?*

1. Nomine *Die solennis, & Die festiuitatis Domini*, venit illud tempus,quo Deus palàm puniendo impios & eos quasi victimas mactando,suam maiestatem suáque iustitiam, toti mundo illustrem reddit. Est autem tacita quædam antithesis inter diem festum Israelitarum,quo scilicet Israelitæ propter renouatum fœdus cum rege Assur. conuiuabantur & lætabantur,& inter diem festum Domini,quo scilicet Dominus pœnas de Israelitis sumendo suam patefacturus erat iustitiam toti mundo. Cùm igitur ait, *Quid facietis in die solenni*,irridet præsentem Israelitarum lætitiam,innuēs, illam breui in luctum esse conuertendam, quasi dicat, hoc die lætamini propter fœdus cum Assur renouatum, at breui veniet alius dies, quo lugebitis & pœnas vestra à Deo defectionis dabitis. Ac proinde docet, etsi Deus ad tempus permittit impios carnali affici lætitia: tandem tamē eorum lætitiam in luctum esse conuertendam,cùm scilicet venerit tempus, quo Deus decreuit de illis pœnas sumendo, suam toti mundo illustrem reddere iustitiam.

VI. *Quoniam ecce abierunt.*

1. Illud *Quoniā*,seu,*Nam*,particula est explicatiua, quòd scilicet in die solenni Domini,malè tractabuntur Israelitæ: *nam ecce abierunt*.Illud *Ecce*,ostendit rem quasi præsentem: illud *mischschod* refertur ad vastationem,quę futura erat in Israel partim à Tiglatpelassar,partim à Salmanassar regibus Assyriorum. Memphis Aegypti metropolis,pro ipsa Aegypto ponitur,sicut Samaria metropolis regni Israelitici,sæpe pro toto Israelis regno ponitur à Propheta,prę̃terita pro futuris accipiuntur,sed rem breui & certò futuram indicant. Cùm igitur ait:*Nam ecce abierūt à vastitate,Aegyptus colliget eos:* Memphis sepeliet eos,explicans illud suprà v.3 *Ephraim redibit in Aegyptum*, indicat, multos ex Israel propter vastitatem,quæ futura erat in regno Israelis,tùm à Tiglatpelessar, tùm à Salmanassar,partim fame pressos,partim metu hostis perculsos, partim à patria per hostem pulsos in Aegyptum profecturos, sed inde nunquam redituros fuisse. Aegyptum enim ad quam, tanquam ad quoddam temporarium domicilium diuersuri erant Israelitæ, futuram illis instar perpetui sepulcri,in quo mortui colligerentur & sepelirentur.

2. Illud *Lechaspam machmad* est desiderium erit ipsis Israelitis ad suum argentum, quod scilicet in patria relinquerunt,cum in captiuitatem abducerentur,id est, erunt in ea captiuitate pauperes & miseri. *Choach* est lappa, quæ è ruderibus putridis enascitur. Illud, *Vrtica hæreditabit eos*,est,vrticę & lappæ eorum regnum, oppida & palatia, ab omnibus deserta occupabunt, & quasi iure hæreditatio in eorum loca succedent. Cùm igitur ait, desiderium & argentum eorum, indicat: primùm, Israelitas partim in Aegyptum profectos, partim in captiuitatem abductos, suum ipsorum argentum & opes hostibus domi relicta desideraturos, id est, futuros pauperes & miseros: deinde, ipsorum oppida & palatia ab vrticis & lappis ceu ab hæredibus esse occupanda, id est, illorum regnum fore instar deserti & siluæ,vacuum & nudum ab incolis. Falli igitur Israelitas,qui promittunt sibi in patriam reditum,tàm qui in Aegyptū,quasi ibi ad tempus tantùm habitaturi sponte proficiscentur, quàm qui in Assyriā captiui abducentur: quoniam illi in Aegypto morientur & sepelientur,omnium verò palatia non ab ipsis,sed vrticis inhabitabūtur. Ac proinde docet,vanas esse impiorum omniū spes,& consilia omnia: quoniam dùm sperant,se Dei vindictam,ad humana auxilia confugiendo,declinaturos,in ipsissimam Dei horribilem manum se se coniiciunt, & dùm putant, se in Aegypto aut alibi, quò à facie Domini fugiunt, temporale domicilium inuenturos; æternum inueniunt sibi sepulcrum:nihil igitur homini consultius,quàm Deo irato se supplicem dedere,& eius iram deprecari.

VII. *Veniet Dies visitationis.*

1. Tacita antithesis est inter dies dissimulationis ac patientię Dei,& inter dies visitationis ac retributionis diuinę. Cùm igitur ait:*Venerunt dies visitationis*,indicat, primùm, Deum ad certum tempus dissimulasse & patienter tulisse Israelitarum peccata:deinde,at verò cùm tempore dissimulationis elapso,tempus visitationis & retributionis adueneerit,tunc illum iustas de populo pœnas sumturum:ac proinde docet, vnicuique certum esse tempus à Deo ad resipiscendum præfixum & concessum Hoc verò sine resipiscentia elapso, aliud esse certum tempus ad pœnas de impœnitentibus sumendas,definitum. Maturè igitur resipiscēdum, quandiu scilicet tempus est resipiscentiæ, & omnem resipiscentiæ procrastinationem esse periculosam.

2. Non simpliciter ait: *Venerunt dies visitationis,sed cum die visitationis consurgit simul etiam diem retributionis.* Indicat igitur,cùm Deus aliquē visitat,id est punit,nihil aliud fieri,nisi quòd ei merces suorum malefactorum rependitur.

3. Antè quàm veniant dies retributionis & vltionis, Propheta præmonet populum, illos iam aduentare. Indicauit igitur, adhuc aliquid temporis superesse ad resipiscentiam; ne igitur differant amplius resipiscentiam.

4. Cùm ait: *Cognoscet Israel*, duo indicat. 1. Antè quàm venissent dies visitationis,verba Prophetarum iram Dei denunciantium,ideóque ad resipiscentiam populum adhortantium,fuisse à populo,tanquam nugatoria, derisa atque contemta,nec pro veris agnita.2.At verò vbi Deus cœpit manū suam contra Israelem exserere,illi úsque in quirates punire, tunc Israelem reipsa cognouisse,& experientia sensisse,verè Deum per Prophetas,quorum verbis non credebāt & quorum comminationes tanquam ludicras ridebant, locutum fuisse, sed hanc cognitionem, quia nimis sera,non fuisse salutarem. Ac proinde docet, primùm, Deum solere duobus modis homines docere:verbo & facto. Verbo,cùm per Prophetas obiurgat, minatur, admonet. Facto, cum gladium stringit & ferit. Alterum,duplicem esse hominum cognitionem: vnam, quæ ex verbo prædicato & fide recepto ac credito,nascitur: alteram, quæ ex ipso euentu, seu ex malorum & iræ Dei sensu exoritur: & illam quidem priorem, semper esse salutarem: hanc vero posteriorem,non semper: qui sæpenumerò nimis sera est,serò autem sapiunt phryges. Credendum igitur verbo,non exspectanda ira Dei & rerum euentus.

5. Homo spiritus,est vir spiritualis. Hoc autem nomine veniunt hic per concessionem falsi Prophetæ, qui spiritum Dei iactabant & se ex spiritu Dei loqui gloriabantur, cùm tamen essent insani.Cùm igitur ait: *Stultus est Propheta,insanus est vir spiritualis*, duo indicat. 1. Israelitas damnantibus,& iram Dei denunciantibus, alios quosdam adulatores Prophetas,qui & cultum illum Deo gratum esse contendebant, & ideò propter illum cultum, Dei iram non esse metuendam dicebant. 2. At verò hisce Prophetas non fuisse audiendos, neque fidem illis adhibendam: quoniam stulti erant & insani.ij Prophetæ & viri spirituales,quando & illum laudabant cultum, qui erat apertè contra verbum Dei, & illi Israeli, qui manifestus erat diuinæ legis contemtor, iram Dei non esse metuendam dicebant,quo nihil insanius. Ac proinde docet, omnes illos, qui cultum & opera, quæ apertè sunt contra verbum Dei tanquam Deo grata comprobant, qui manifestis idololatris non esse iram Dei metuendam contendunt,qui denique aliud, quàm quod verbo Dei continetur populos docent, vtut spiritum Dei iactent, & se è spiritu Dei loqui glorientur, vtut Prophetæ, reuerendi doctores, & patres spirituales appellentur: omnes tamen esse stultos & insanos, nihil enim stultius, quam contra Dei sapientiam aliquid tanquam verum & bonum docere.

6. Cùm ait, *Propter multitudinem iniquitatis tuæ & magnum odium*(scilicet Dei, tuis peccatis aduersùs te excitatū) subintelligendum est,tibi dati sunt ij stulti Prophetæ qui te seducant. Indicat igitur, Israelitas non potuisse de Deo conqueri, quòd tales stultos sibi Prophetas dederit, qui se seducerent,quoniam multa Israelis iniquitas & odium Dei, quod contra se excitauit, in causa fuerunt,vt tales in Israel immissi sint Prophetæ & viri spirituales, stulti scilicet & insani:quia cùm dilectionem veritatis noluissent accipere, vt salui fierent, æquum fuit, vt Deus illis mitteret efficaciam erroris, vt crederent mendacio: ac proinde docet, hanc

esse debitam & iustam pœnam eorum, qui respuunt veritatem Euangelij, vt scilicet ad illos mittantur stulti Prophetę & insani doctores, qui eos palpent, seducant, & perdant. & hosce insanos & falsos doctores ac concionatores in mundo esse tum pœnas peccatorum, tùm signa iræ Dei aduersus mundum.

VIII. *Speculatorem Ephraim* delegit sibi, *cum Deo meo.*

1. Nomine *Speculatoris* venit Ecclesiæ opus & Propheta, quòd quasi in specula positus vigilare debeat super populum vt & Ezech. 3. & 33. Cùm igitur ait: *Ephraim delegit sibi speculatorem cum Deo meo*, Prophetam (*Ascher* qui) est laqueus aucupis in omnibus viis eius, duo indicat. 1. Quòd non solus Deus dedit Ephraim stultos Prophetas, sed ipse etiam Ephraim non contentus Deo speculatore & Episcopo, id est, non contentus doctrina Dei, & Prophetis à Deo sibi datis, alios etiã cum Deo sibi ipsi speculatores delegit. Quosnam? Prophetas qui sunt laqueus, atque hoc respondet historiæ, quòd præter Prophetas Dei, alios sibi sacerdotes ex plebis fece delegit Ephraim. 2. Huiuscemodi speculatores & Prophetas, quos sibi delegit Ephraim, cum debuissent esse veri speculatores, & quasi è specula populum admonendo, illum à laqueis & insidiis tutum seruare, atque in viam salutis dirigere, ipsi facti sunt ceu laqueus aucupis, ad populum scilicet variis erroribus ac superstitionibus illaqueandum, idque in omnibus viis, ita vt vix pedem mouere possit, quin in laqueum aliquem incidat. Ac proinde docet, duo esse genera speculatorum & Prophetarum. Vnum quidem eorum, qui à Deo vel immediatè, vel mediatè ad Ecclesias regendas mittuntur. Alterum verò eorum, qui ab hominibus non secundùm, imò contra Dei voluntatem eliguntur, vt cùm eliguntur homines indocti & improbi. Et illos quidem, veros esse speculatores, quia quos Dominus delegit, eos etiam suo donat spiritu & gratiis. Istos verò, cùm deberent esse speculatores, fieri laqueos ad populos falsis doctrinis & superstitionibus illaqueandos, ne ad verum Deum qui in cœlis est, vero cultu colendum, euolare queant.

Illud, *Odium in domo Dei sui*, exclamatio est. Et nomine quidem *Domus Dei*, venit inprimis, iuxta notationem, Bethel: deinde reliqua templa. Nomine autem *Ody*, venit materia & caussa odij diuini contra populum. Materia verò & caussa odij diuini, sunt, tùm reliqua scelera, tùm in primis idololatria & idololatrię defensores & propugnatores. Cùm igitur ait: *Odium in domo Dei sui*, indicat, præcipuam totius diuini contra populum odij materiam fuisse tùm ipsam idololatriã, quę exercebatur in Bethel & reliquis templis, tùm ipsos speculatores & impios Prophetas, qui idololatriam in Bethel docebant, defendebant, propugnabant. Ac proinde docet, nullibi maiorem diuini odij contra mundum materiam inueniri posse, quàm in domo Dei, id est in templis, vbi & idololatria exercetur, & idololatriæ defensores resident. Missam igitur in primis cum aliis superstitionibusquę exercentur in templis & Antichristum qui sedet in templo Dei, omnis idololatriæ autorem & defensorem, præcipuam esse caussam totius diuini contra mundum odij.

Non simpliciter dixit: *In domo Dei*, neque dixit, *In domo Dei mei*, sicut anteà dixerat, sed dixit, *In domo Dei sui*, id est, Israelis. Allusit autem ad idolem quod habebant in Bethel, de quo vna cum illo, quod habebant in Dan, dixerat Iarobeam: Ij *sunt Dei tui*. Porrò antithesin facit inter templum Dei sui, id est, ipsius Prophetæ, & inter templum Dei Israelitarum. Illud enim erat Hierosolymis, hoc verò inter alia erat Bethel in Israel. Indicauit igitur Propheta, suum & verum Deum, non fuisse Deum Israelitarum, sed suum Deum ab illorum Deo diuersum, & illorum etiam Dei templum, diuersum fuisse à templo sui Dei: quia scilicet in Bethel non verus Prophetæ Deus, sed Deus Israelitarum, id est, vitulus aureus habitabat & colebatur: ac proinde docet, Deos idololatrarum longè diuersos esse à Deo piorum hominũ: quoniam illorum dij sunt res creatæ: piorum autem Deus est omnium rerum creator. Et diuersa etiam esse templa, vbi pij verum colunt Deum ab illis templis, vbi impij colunt suos falsos Deos. Odium igitur, id est, odij materiam contra mundum, esse non in domo Dei Prophetæ, & Dei nostri, id est, in templis, vbi noster verus verè colitur Deus, sed in domo Dei sui, id est, vbi profanatorum gentium Israelitis similium, dij coluntur.

IX. *Profundauerunt.*

1. Profundare est altas & profundas in aliqua re agere radices. Hîc autem de malitia loquitur Propheta. Cùm igitur ait: *Profundauerunt*, indicat, Israelitas tàm altas & profundas in malitia sua radices egisse, id est, inueteratos & obstinatos esse in suis superstitionibus & in omnibus malis, vt inde auelli ampliùs non possint, seu, vt sint desperati: ac proinde docet, cùm omnis mali, tum præsertim idololatriæ & superstitionum plantulas initiò semper & maturè esse ex Ecclesiis conuellendas, quoniam si permittuntur profundas & duras agere radices, tunc conuelli ampliùs non possunt, sed opus est securi & igne.

2. Nomine *Dierum Gabaa*, venit tempus illud, quo ciuitas Gabaa ita corrupta erat & prodigiosis libidinibus, omniqueẻ scelerum genere referta, vt nihil differret à Sodoma, quam corruptionem deinde secuta est memorabilis clades, qua ferè tota tribus Benjamin, quę habitabat in Gabaa, fuerit exstincta, vt in cap. 19. Iudicum & aliquot aliis capitibus videre est. Cùm igitur ait: *Corruperunt* (scilicet cultum Dei, omnem honestatem, se ipsos & omnia) *sicut diebus Gabaa*, duo indicat. Vnum, In Israel ita fuisse tunc omnia corrupta & deprauata, tàm quò ad religionem, quàm quò ad vitam & mores, sicut etiam fuerunt in Gabaa Benjamitarum ciuitate, tempore Iudicum. Alterum, Ideóque sicut tota tribus Benjamin propter portenta suarum libidinum & alias corruptelas fuit exstincta, ita etiã regnum Israelis propter portenta suarum superstitionum, & alias innumeras corruptelas exstinctum iri. Ac proinde docet, similes ferè clades similia consequi delicta, & qui imitantur scelera Gabaanitarum, similem quoque cladem, qua Gabaanitæ exstincti fuerunt, illis esse exspectandam.

Cùm ait: *Recordabitur iniquitatum eorum, & visitabit peccata eorum*, indicat, Deum, licèt hactenus cõniuerit ad peccata Israelitarum: non illa tamen ignorasse aut oblitũ fuisse, breui enim declaraturum, se adhuc memoria illorum peccata retinere, quoniam non verbo ampliùs acturus est cum populo, sed gladio ipsorum iniquitates vlturus est: ac proinde docet, Deum quidem ad tempus dissimulare nostra peccata, perinde ac si illa vel non videat, vel non recordetur, id quod facit, vt nos ad resipiscentiam inuitet, sed nisi resipiscamus, illum tandem non verbis, sed gladiis in nos strictis palàm declaraturum, se optimè nosse & meminisse, quot & quantas iniquitates admiserimus. Esse igitur resipiscendum, dùm Deus dissimulat, nec exspectandum, dùm, quanta memoria præditus sit, ipsa declaret.

X. *Tanquam vuas.*

Bammidbar In deserto, non cum Israel sed cũ vuis coniungendum est. Nihil autẽ gratius viatori per desertum aliquod vastum & sterile, transeunti contingere potest, quã si in eo deserto recẽtes vuas bonas & maturas reperiat. fieri enim non poterit, quin eas & admiretur & amet, & comedat, & voluptatem ex eis mirabilem capiat. Illud etiam *Berešithba* non cum *rasibs*, sed cum ficulnea coniungendum est: ficulnea enim bis quotannis sua poma producit, sunt autem admodum oblectabiles primæ primitiæ ficus. Cùm igitur ait: *Tanquam vuas*, indicat, quẽadmodũ vuæ viatori in deserto gratissimæ & carissimæ sunt, ex eisque magnam capit voluptatem: & quẽadmodum primę ficus, quas initio producit ficulnea, oblectabiles sunt, & nemo est qui eas nõ amet: ita Israelem initiò fuisse Deo gratissimum carissimúque, & Deum illo oblectatum fuisse, suóque illum amore complexum, in summis delicijs habuisse. Debuisse igitur & Israelitas, cùm viderent se tantoperè à Deo amari & in delicijs haberi, Deum vicissim honorare & colere.

Illud verbum *mazarbs* inueni, hîc pro reputare accipitur. Etsi igitur populum Israeliticum cùm initiò illum sibi Deus in populum elegit, comparat vuis bonis, & bonis ficubus, & dicit, se illum amasse, sicut viator vuas in deserto, & sicut quisq. primitiuas ficus: non tamen ita intelligendum est, quasi in populo aliquid boni & sapidi inuẽtum fuerit, propter quod illum Deus tãto sit amore complexus. Hoc igitur tantùm indicat se reputasse Israelem quasi vuas in deserto, & quasi ficus primitiuas, sequita amasse Israelem, sicut viator amat in deserto vuas, & quisque primitiuas ficus.

Illud *Hemmah* refertur ad patres eorũ. *Bahal Pehor* idolũ fuit apud Madianitas, de quo Num. 25. Nomine *Boscheth*, pudoris, venit illud idolum *Bahal Pehor*, quod & pudendũ erat idolum (erat enim Priapi idolum) & pudendo colebatur cultu (in eius enim veneratione, m, si credendum est Hebræis, distendebant eius cultores, ante illud foramen pudicis, antéque illud cacabant.) Alludit autem ad historiam, quæ est Num. 25 Verbum illud *Bau*, ingressi sunt, scil. in templum idoli quasi in lupanar. Verbum verò *Vaiinnazru*, vnde Nazaræi, quia verbum est cultus: *Segregati sunt*, seu, *segregarunt se*, nempe à Deo suo marito, & consecrarunt se idolo, quasi congressi cum scorto. Illud, *Et fuerunt* scili-

scilicet illis abominationes sicut amores fuerunt illis abominationes ipsæ, tanquam sui amores, id est, dilectæ & carissimæ. Cùm igitur ait: *Ipsi venerunt*, patrum Israelitarum ingratitudinem exprobrans tria docens dicit. 1. Quòd cum Dominus illos, tanquam vuas à viatore in deserto repertas, & tanquam primitiuas ficus reputarit, summóque amore complexus fuerit: ipsi tamen ita ingrati fuerunt: vt mox ingressi fuerint cum Moabitarum filiabus ad Beelpeor tanquam in lupanar. 2. Quòd non tantùm eò ingressi sunt, sed etiam segregarunt se post à Deo marito suo, ipsi pudori, id est pudendo idolo se consecrantes, id est, pudentissimo illi idolo Priapo pudentissimo cultu colendo. 3. Quòd non solùm adhæserunt tàm pudendo idolo, abominationesq; secuti sunt gentium, sed etiam tales abominationes fuerunt illis tanquam sui amores, id est, eas vehementer amarunt, illásque habuerunt in deliciis. In hac autem impietate & ingratitudine similes erant parentibus liberi. Commemoratione igitur ingratitudinis & impietatis primi Israelis, indicare voluit populum hunc sui semper esse similem & eius morbum esse inueteratum, ideóque prorsùs incurabilem. Ac proinde docet duo. 1. Immensum esse Dei erga humanum genus amorem. quoniam etsi in nobis nihil est boni & sapidi: ad nos tamen vltrò accedit, sua gratia præuenit, nósque ita amat, & nobis oblectatur, perinde ac si quis vuas in deserto reperiat, & primitiuas ficus comedat. 2. At verò intolerabilem esse mundi erga Deum ingratitudinem: quoniam cùm deberemus Deum pro tanto suo erga nos amore colere & redamare, primò, deserto Deo ingredimur in lupanaria ad Beelphegor: deinde non solùm ingredimur, sed etiam cum pudendis scortis & idolis scortamur, eisque nos consecramus: tertiò neque hoc solùm, sed quasvis abominationes ita amamus, vt nihil illis sit nobis carius, sintque illæ nostri amores.

XI. *Ephraim, sicut auis auolabit, gloria eorum à partu, ab vtero, à conceptione.*

1. Cùm ait, Ephraim, abrupta est oratio, & ἀνανταπόδοτον est, ideóque ibi retinendus est spiritus. Sunt autem hæ orationes frequentes in Prophetis, præsertim cum sancta aduersùs impios ira inflammati, vltionem Dei denunciant. Hac igitur abrupta oratione indicat, se ex maximo spiritus contra Israelitarum iniquitates ardore, hæc quę sequuntur denunciasse: ac proinde docet, hasce abruptas orationes & hosce ardores maximè decere verbi Dei ministros, cùm Dei iram minantur. Nomine *Gloria Ephraim* venit quidem immediatè magna filiorum multitudo, seu numerosa Israelitarum soboles, quoniam in ea maximè gloriabatur Ephraim, sed synecdochicè veniunt omnia, quæ ad gloriam Israelis pertinebant, opes, potentia, splendor. Cùm igitur ait: *Auolabit gloria eorum*, indicat totum illum numerosissimum populum cum tota totius sui regni gloria & splendore in fumum redactum iri.

2. Non simpliciter ait: *Gloriam Ephraim interituram*, sed ait: *illam instar auiculæ auolaturam*: auicula autem primò non diu consistit in eodem loco, sed mox in alium auolat, deinde auolat sæpè, cùm nihil minùs quàm de eius volatu cogitatur, postremò cùm volat, velocissimè & quasi momento magnum conficit spatium. Indicat igitur, gloriam Ephraim & totius sui regni splendorem non diu duraturum, sed de improuiso & quidem velocissimè dissipatum, & quasi in nihilum redactum iri.

3. Neque simpliciter ait: *Gloria, sicut auis, auolabit*, sed addit *à partu, ab vtero à conceptione*. Indicat igitur, se nomine gloriæ in primis intellexisse numerosam populi multitudinem, quanquam synecdochicè reliquam quoque Israelis gloriam, potentiam & splendorem intellexit.

4. Tres autem ponit progressus auolatus gloriæ Ephraim: vnum, à conceptione, alterum, ab vtero, tertium à partu. Indicat igitur, Deum effecturum, vt filij Israelitarum pereant, alij, mox vbi nati fuerint, alij in ipso vtero, alij simulac fuerint concepti. Fuit autem inflicta hæc pœna Israelitis, cùm propter alia peccata, tùm quòd nimiùm numerosa suorum liberorum multitudine gloriabantur. Docet igitur, non esse nimis in liberis gloriandum, aut nimiam in eis spem collocandam: Deum enim facilè illos nobis erepturum, vt nostra spes confundatur.

5. In ordine prophetico amplificatio est κατ' ἐπανάβασιν. Cùm igitur ait: *A partu, ab vtero, a conceptione*, sensus est. Peribunt, mox vbi nati fuerint, imò quidam in ipso etiam vtero, quidam etiam mox vbi fuerint concepti. Tollit autem è medio liberos Deus propter peccata parentum. Indicat igitur, Deum ideo liberos è medio tollere, vt grauiore pœna afficiat parentes, dùm eos non tantùm in se ipsis, sed etiam in liberis punit: liberorum igitur punitionem, ad pœnam & vltionem parentum pertinere.

6. Etsi verò Deus liberos propter peccata parentum, & ad grauiorem parentum castigationem è medio tollit: ipsis tamen liberis non fit vel vlla iniuria, vel vllum damnum: non iniuria, tùm quoniam Deus sic vult, voluntas autem Dei omnis iustitiæ regula est: tùm quoniam nec ipsi prorsùs sunt sine peccato, cùm in ipso saltem originali sint concepti: non damnum, quoniam si sunt ex electis, ad meliorem vitam transferuntur, si verò ex reprobis, occasio peccata augendi & ita grauiores sibi pœnas in inferno thesaurizandi, illis adimitur.

XII. *Quòd si educauerint filios suos.*

1. *Cim* accipitur pro Quòd si, *Sadhal* educare, & ad grandiorem ætatem perducere, *Schechol meadam* orbare ab homine, est aliquem ex humana vita tollere. Est autem hîc concessio. Cùm igitur ait, *Quod si educauerint filios suos, orbabo illos ab homine*, Indicat, etiamsi non omnes Israelitarum filij moriantur, vel in conceptione, vel in vtero, vel in partu, sed aliqui ad grandiorem ætatem peruenerint: se tamen illos etiam è medio sublaturum, ne amplius sint in rebus humanis: ac proinde docet, omnium hominum tam adultorum quàm paruulorum vitam & mortem in manu Dei positam esse.

2. *Ci* Hebræis & γάρ Græcis, non semper est, αἰτιολογικὴ, id est, caussalis particula, Enim, sed sæpenumerò explicatiua, Enimuerò. Cùm igitur ait: *Enimuerò, vel Nam va illis*, confirmat id quod anteà dixerat: nimirum se ipsos etiam adultos Israelitarum liberos perditurum, ne sint in rebus humanis, & ita effecturum, vt tota Israelis gloria citò auolet, sicut auis.

3. Non simpliciter ait, *Erit eis va*, sed addit, *cùm recessero ab eis*. Recedere autem dicitur Deus ab aliquo, quum aliquem (quippe qui à Deo per peccata recessit) sua gratia, suáque protectione deserit. Cùm igitur ait: *Va illis cùm recessero ab eis*, indicat, tamdiu cum Israelitis benè habuisse, quamdiu cum illis fuit Dominus, seu quamdiu illos protexit Deus: at verò cùm illos prorsùs suo fauore destituit, tum reuera miseros & infelices eos fuisse: ac proinde docet, tùm verè nos esse felices, cùm nobiscum est Deus: tunc autem verè esse miseros, cùm Deus sua nos deserit gratia fontem igitur omnis felicitatis esse Dei pręsentiam, infelicitatis verò, Dei absentiam. Deus autem non deserit sua gratia, nisi illos qui se deserunt sua inobedientia, inobedientiam igitur nostram caussam esse, vt nobis sit væ.

XIII. *Ephraim, sicut vidi, Tyro (similis est) plantata* fortiter firmatæ, *in amœno domicilio: & tamen Ephraim ad educendum ad interfectorem filios suos adigetur.*

1. Nomine *Naueh* hoc in loco venit amœnum & pulchrum habitaculum, quale erat habitaculum Tyri, seu locus vbi erat Tyrus, & quale erat habitaculum Ephraim, seu Palęstina, vbi erat regnum Israel. Vrbem verò aliquam aut regnũ aliquod plantatum esse *bhonaueh*, est vrbem vel regnũ illud in amœno & forti loco esse bene firmatum & munitum. Illud *Schethulah* & ad Tyrum & ad Ephraim referri potest. Malo tamen cum Tyro coniungere. Erat tũc Tyrus in mari, septingentorum passuum interuallo à continenti posita. Quàm fortis, quàm potens, quàm amœna, quàm rebus omnibus affluens, & inexpugnabilis esset: præter alios scriptores Q. Curtius de rebus gestis Alexandri Magni li. 4 describit eleganter. Loquitur autem in primo membro per concessionem. Cùm igitur ait: *Ephraim, sicut vidi, similis est Tyro plantata in amœno habitaculo*, indicat Propheta, se quidẽ vidisse & etiamnum videre regnum Israelis esse plantatum *bhenaueh*, i. esse benè munitum & firmatum, in amœno & delicioso loco, & in hoc similem esse Tyro, quæ & ipsa in amœnissimo & delicioso loco firmata erat: florentissimum igitur, potentissimum, ac munitissimum esse in præsentia regnum Israel.

Cùm verò subdit, *Ephraim ad educendum liberos ad interfectionem* scilicet adigetur, indicat, etsi in præsentia regnum Israelis florentissimum ac potentissimum est, inq; amœno loco sicut & Tyrus, positum ac firmatum: hoc tamen non impediturum, quin illud totũ Deus perdat & funditùs euertat. Ephraim enim (quæ scil. nunc in suo forti domicilio, & numerosa populi multitudine confidit,) propediem à rege Assur obsessam, adactum iri ad filios suos in manum interfectoris educendum: quia scilic. Israelitæ dum volent hosti metropolim obsidenti resistere, egressi foras ab hoste interficientur. Non esse igitur, cur Israelitæ suis, suiq. regni viribus confidant, superbiántque. Ac proinde docet, non esse vel in munitissimis domiciliis & vrbibus, vel in numerosa populi maximáque militum & ciuium multitudine confi-

cedum. Quæ enim in præsens similes sunt Tyro, in locis amœnis plantatæ & firmatæ vrbes, cum Dominus voluerit, funditùs euertentur, & numerosus populus in manum interfectoris adducetur.

XIV. *Da eis Domine: Quid dabis? da eis vuluam abortientem orbare facientem, & vbera arida.*

1. Deprecatorem agit Propheta apud Deum pro suo populo, cui populo extremum exitium immittere dicebat. Indicat igitur, se naturali quodam erga suum populum amore affectum, tantam populi stragem, quam præuiderat, quamque nunciabat, vehementer doluisse: ac proinde docet, *naturales affectus* in sanctis improbari non posse.

2. Dùm agit deprecatorem, non absolutè petit, vt populo omnino ignoscat, sed anxius & dubius, quid à Deo pro suo populo petat, consultat cum Deo, quid petendum sit. Quid dabis? Duo igitur indicat. Vnum quidem, se certò vidisse, hoc fuisse firmum Dei decretum: nempe, vt populus Israel denunciatas antè pœnas, omnino daret: ac proinde se noluisse contra certum Dei decretum petere, vt populo vel prorsùs parceret, vel aliquid ex denunciatis pœnis remitteret. Alterum, non ignorasse tamen, aliquid adhuc misericordiæ apud Deum superfuisse, quod populo præstari posse: ideò non desperat, sed consultat cum Deo, quid gratiæ, quidve sit, concedi populo in tanta, quæ ei imminebat, calamitate possit. Ac proinde docet nihil quidem contra certum Dei decretum optandum vel postulandum esse, sed tamen quia apud Deum immensum est misericordiæ pelagus, nunquam esse desperandum, sed in deterrimis & pœnis aliquid semper misericordiæ petendum esse, verùm quid & quantum, non nobis, sed cum Deo esse consultandum, illique permittendum.

3. Petit, vt det mulieribus Israelitarum vuluas abortientes, ne scilicet vel concipiant, vel conceptos pariant, & vbera arida, ne scilicet liberos in lucem editos alere possint, & ita statim nati moriantur. Petit autem hoc tanquam singulare Dei beneficium, quod in populum conferri possit. Indicat igitur, tam horribilem grauémque fuisse populi calamitatem & stragem, quæ futura erat per regem Assur, vt in ea nihil melius optari populo potuerit, quàm vt Deus redderet illorum vxores steriles, ne scilicet cogerentur in tanta calamitate videre, suos quoque liberos ex vlnis rapi, & vnà cum patribus & matribus trucidari. Ac proinde docet, etsi sterilem esse, Dei sit maledictio, per accidens tamen inter Dei benedictiones aliquando connumerari posse, cùm scilicet tàm horribilis est Dei ira aduersùs nos, vt satiùs sit nostras vxores esse steriles, quàm cernere nostros quoque liberos miserè mori, & vnà cum matribus ab hostibus trucidari: sicut & Dominus Iesus docuit Hierosolymitanas mulieres, dicens, in vltima Hierosolymæ deuastatione beatas fore steriles. Non ergò semper, habere liberos, ad felicitatem facere.

XV. *Omne malum eorum in Gilgal.*

1. *Col* pro summo & præcipuo accipitur. Gilgal verò synecdochicè pro omnibus locis, vbi sacrificia offerebantur ab Israelitis, accipitur. Est autem hic *occupatio* seu præoccupatio. Cùm igitur ait, *Præcipuum eorum malum est in Gilgal*, duo facit. Primum, præoccupans indicat, Pseudoprophetas Israelitarum contra Prophetarum comminationes hoc argumento vti solitos fuisse. Tametsi sumus peccatores, habemus tamen in Gilgal exercitia pietatis, sacrificia, preces, & alia, quibus peccata expiantur & ira Dei placatur. Non igitur iure potest Deus in totum suum perdere populum. Proinde falsum est, quod ait Hosea, nos in totum exterminatum iri. Deinde Deum introducit, qui hoc Israelitarum argumentum diluens, non solùm antecedens negat, sed etiam totum illorum argumentum in ipsos retorquet: Ostendit enim illorum sacrificia in Gilgal, præcipua esse ipsorũ peccata, tantùm abest, vt sint pietatis exercitia, & ibi eos maximè peccare, vbi se putãt maximè benefacere, & ibi maximè à Deo odio haberi, vbi ipsi putant, se maximè à Deo amari. Tantùm igitur abesse, vt iis suis nugis possint se defendere, vt iis maximè se condemnent.

2. Ratio autem, cur Israelitarum sacrificia in Gilgal non solùm negarit fuisse pietatis exercitia, sed etiam asseueret maxima fuisse ipsorum peccata, fuit, quoniam contra verbum Dei offerebantur in Gilgal. Docet igitur, id quod fit contra verbum Dei, etsi hominibus videatur esse summa pietas & summa religio: tamen tantùm abesse, vt sit bonum opus, vt etiam coram Deo sit summum scelus.

3. Illud *Ci* particula est expletiua, *Enimuerò*. Illud *Sebam* emphasin habet: subest autem hic tacita antithesis inter falsam populi opinionem & veram Dei sententiam. Cùm igitur ait: *Enimuerò ibi odi eos*, duo indicat. 1. Populum quidem putasse, se maximè in Gilgal, & aliis locis, vbi sacrificia offerebat, à Deo amari. 2. At verò Deus ipse contrarium docet: nimirùm ibi maximè exosos fuisse Deo Israelitas, nempe in Gilgal, vbi maximè putabant se amari à Deo, & Deo gratos esse: ac proinde docet, non ipsa sacra loca, Deo nos gratos & amabiles reddere, sed ipsam pietatem & mandatorum Dei obseruantiam, imò in ipsis templis, vbi exercetur idololatria, maximo nos à Deo odio haberi, vbi maximè putamus nos ab eo amari.

4. Cùm ait, *Propter malitiam studiorum*, seu, *operum suorum*, subintelligendum est, quæ scilicet faciunt in Gilgal. Duo igitur indicat. 1. Nomine operum suorum, se intellexisse sacrificia & alia religionis & cultus opera, quæ exercebant in Gilgal. 2. Se Deum idcircò odisse Israelitas ibi, id est, in Gilgal, quia ibi cumprimis sua mala exercebãt opera, id est, idololatriam & superstitiones.

5. Sacrificia & cultus Israelitarum in Gilgal, mala appellat opera, non solùm quia ex malis & impuris cordibus proficiscebantur, sed inprimis quia per se mala erant, vtpote contra verbũ Dei in eo loco præstita. Subest autẽ etiam hic tacita antithesis inter erroneam populi opinionem, & inter veram Dei sententiam de illis sacrificiis & operibus, quæ à populo præstabantur in Gilgal. Cùm igitur ait Dominus, se Israelitas odisse ibi, id est, in Gilgal propter malitiam operũ, quæ scilicet faciebant in Gilgal: duo facit. 1. Tacitè indicat, Israelitas iudicasse, illa sua sacrificia & religionis opera, fuisse quàm optima, Deóque gratissima, & propter illa se à Deo quàm maximè amari. 2. Deinde suam proferens sententiam, disertè pronunciat, ea opera esse mala, & propter malitiam talium operum se summo odio populum prosequi. Ac proinde docet, non iuxta nostram carnis prudentiã, sed iuxta Dei verbum, cùm de operibus omnibus, tùm præsertim de religione & cultibus esse iudicandum. Ea enim plærunque maxima esse scelera quæ nos iudicamus sanctissima esse opera.

6. Neque simpliciter ait, *Propter mala opera*, sed ait, *Propter malitiam operum*. Indicat igitur, discrimen esse inter opus malum & inter malitiam operis: in opere enim malo esse aliquid boni, propter quod non odit nos Deus, sed in malitia operis nihil inesse boni, idcircò propter hanc solam Deum impios odisse.

7. Subest autem tacita quædam comparatio inter mala opera, quę populus in Gilgal seu in templis præstabat, & inter ea quæ extra templum admittebat, item tacita antithesis inter iram & odium Dei. Pronunciat autem, se nõ irasci, sed odisse populum propter malitiam eorum operum, quæ admittebantur in Gilgal, id est, propter superstitiones. Indicat igitur, si fuissent tantùm vel lasciui, vel rapaces, vel ebriosi, synceram verò retinuissent cultum, se quidem potuisse illis, tanquam patrem filiis, irasci, sed posteà etiam parcere. Verum cùm essent idololatræ & superstitiosi, & quidem contumaces ac obstinati, se non potuisse illos, nisi vt hostes odisse. Ac proinde docet, se quidem irasci omnibus peccatoribus, sed idololatras summo prosequi odio.

8. Nomine *Domus sua* intelligit Palæstinam. Hanc sibi tanquam domum delegerat Deus, vt ibi cum sua familia, id est, cum suo populo habitaret. Cùm igitur ait: *Eiiciam eos de domo mea*, duo indicat. 1. Se illos è Palæstina & è consortio populi Dei expulsurum inter gentes. 2. Israelitas igitur non fuisse veros & legitimos, sed spurios & adulterinos filios, alioqui, si legitimi fuissent filij, tanquam hæredes in domo patris mansissent perpetuùm. Ac proinde docet, in domo Dei, id est, in Ecclesia esse quidem & legitimos & adulterinos filios, pios & impios, electos & reprobos, sed in ea non mansuros in perpetuum, nisi legitimos: quia ipsi tantùm hæredes sunt patris, spurios verò tandem aliquando è domo Dei esse eiiciendos.

9. Dicitur Deus aliquem amare, cùm illi benè vult, seu cùm illum suis prosequitur benedictionibus. Hæ autem duplices sunt: quædam spirituales, quæ ad æternam vitam pertinent, quædam temporales, quæ ad hanc tantùm præsentem vitam spectant: Duplex igitur Dei amor. Vnus spiritualis & æternus, quo scilicet aliquos ad æternam vitam amat, & spiritualibus benedictionibus cumulat, fide, iustitia, de quo: *Iacob dilexi*. Alter secularis & temporalis, quo scilicet omnibus huius seculi creaturis benè vult, & omnes temporalibus benedictionibus prosequitur, alios pluribus, alios paucioribus, de quo Sap. 11. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil eorum quæ fecisti, odisti.* Cùm igitur ait, *Non adiiciam*, id est, non pergam amare, indicat Deus, se quidem anteà populum hunc amasse, id est, suis variis benedictionibus cumulasse, at verò posthac se non ampliùs cum amaturum, sed suas ei benedictiones, quibus anteà illum cumulatissimè affecerat, subtracturum, quò palàm declaret, populum hunc

non

non ampliùs à se amari.

10. Quos Deus ad æternam vitam amat, perpetuò amat, talemque amorem nunquam ponit: perpetuus enim est, iuxta illud, *Caritate perpetuâ dilexi te*. Cùm igitur ait: *Non adijciam amare eos*, apertè indicat, se non de primo, sed de altero amore loqui, qui est temporalis, & temporales tantùm habet benedictiones.

11. Finis, cur Deus nollet ampliùs populum illum suis temporalibus benedictionibus, sicut anteà fecerat, largiter & liberaliter donare, fuit, vt horum beneficiorū subtractione, palàm tùm ipsis Israelitis, tùm reliquis omnibus re ipsa declararet, hunc populum non amari à Deo, neque esse in gratia Dei. Tacitè igitur innuit, Israelitas etsi apertè impij erant, ex temporalibus tantùm Dei erga se benedictionibus falsò argumentatos fuisse, se esse in gratia Dei, seque à Deo ad æternam vitam amari. Se igitur hasce benedictiones subtraxisse, vt tali errore Israelitas liberaret. Ac proinde docet, æternum Dei erga nos amorem & gratiam non ex temporalibus tantùm benedictionibus, sed imprimis ex beneficiis spiritualibus, vt ex redemptione per Christum, ex vocatione efficaci ad Christum, ex fide, ex vera iustitia, & aliis spiritualibus Dei donis, quæ ad æternam faciunt vitam, esse colligendam.

12. Perfidi appellantur, qui fidem datam non seruant. Nomine *Principum*, intelligit inprimis Iarob.am primum, & deinceps reliquos reges Israel. Loquitur autē hic imprimis de ea perfidia, qua abusi sunt reges Israel in religione & cultu diuino mutando. Cùm igitur ait, *Omnes principes eorum perfidi*, duo indicat. Vnum quidē, Ipsos principes cùm crearentur reges (iuxta legem Dei,) promisisse, se curaturos, vt lex Dei seruaretur, tàm quò ad primam, quàm quò ad secundam tabulam, hoc enim erat illorum officium. Alterum, At verò illorum neminem suis stetisse promissis, quando quidem violata vera Dei religione, varias in Israel superstitiones introduxerunt, omnes igitur fuisse perfidos. Ac proinde docet, officium omnium principum esse, curare, vt non solùm secunda, sed etiam inprimis prima tabula legis Dei in cultu diuino seruetur, & tam primæ, quàm secundæ tabulæ transgressiones puniantur. Et quotquot officium hoc negligunt, perfidos esse principes. Multò verò magis, si ipsi autores sint, vt vel prima, vel secunda tabula violentur. Perfidos igitur esse principes non solùm in Israel sed etiam in Christiana Republ. qui contra datam fidem, ignibus & armis curant, vt purus Dei cultus à Christo institutus abnegetur & reiiciatur, impiæ verò superstitiones ab hominibus inuentæ, inuiolabiliter custodiantur.

13. Pœna quam anteà denunciauit Propheta, & quam posteà etiam repetit, communis fuit tàm populo quàm principibus. Etsi principes tantum nominauit, & perfidos appellauit, populum tamen à perfidia & à culpa non exclusit, sed tantum originem totius mali in populo, à principum perfidia fuisse ostendit. Ac proinde apertè docet, quanti momenti sit, bonos vel malos, fidos an perfidos habere principes & magistratus, & quod ideò totus populus in Papatu rebellis & perfidus est, quia reges & principes perfidi sunt, cùm non seruant quod promiserunt: nempe vt religio Christiana pura & integra conseruetur, ideò multos in Ecclesiis & Rebusp. esse nebulones, furiosos, hæreticos, & petulantes, quia principes & magistratus perfidi sunt, cùm non curent, vt lex Dei seruetur cùm non faciunt iudicium & iustitiam, cum non puniunt sceleratos, nec bonos tuentur.

XVI. *Succisus est Ephraim.*

1. Nomine *Ephraim*, è qua tribu fuit primus, & reliqui Israelitarum reges, venit vniuersus populus Israel, non simpliciter, sed quatenus populus erat, id est, quatenus suos habebat reges & regnum. Comparat autem vniuersum hunc populum arbori, quæ succisa ab agricola fuit, nec solùm succisa, sed cuius etiam radix exaruit, ne amplius germinare, vllósve surculos producere, & ita denuò reuiuiscere queat. Nemo verò prudens & peritus agricola, arborem è viridario succidet, & vt eius radix arescat, curabit, nisi arbor illa mala sit & prorsus inutilis. Cùm igitur ait: *Succisus est Ephraim, & radix eius exaruit*, duo indicat. 1. Vniuersum populum Israeliticum malum & desperatum fuisse, ita vt ceu arbor mala, nullum vnquam bonum fructum licet diligentissimè exculta, proferre potuerit. 2. Totum igitur nunc populum ita breui delendum, & ceu malam arborem ex horto Palæstinæ ita esse succidendum, & totam eius radicem arefaciendam, id est, totum eius semen exstinguendum, vt non ampliùs reuiuiscere, inque priorem populi & regni formam resurgere possit.

2. Fructum non facere, hoc in loco est non germinare, non pullulare, nullúmve semen, in quo seruari possit arbor, producere. Cum igitur ait: fructum non faciet, in metaphora arboris persistens, indicat: quia tota ista arbor succidetur, & tota eius radix arefiet, iccircò nullum eam fructum in quo seruari, nullúmve surculum, in quo reuiuiscere possit, germinaturam, id est, & patres & semen populi, totum esse delendum, quia scilicet in censum gentium erant transituri, & nomen populi Dei & Israelitarum amissuri.

3. Cùm verò subdit, *Quòd si genuerit, perire faciam desideria vteri eorum*, id est, carissimos & exoptatos liberos, à metaphora digressus, per concessionem docet, quòd si etiam forte fortuna, liberos genuerint Israelitæ, se curaturum vt pereant, sicut etiam antè dixerat, ne scilicet populus augeatur, inque pristinam regni formam resurgat.

4. Etsi verò populus hic 10. tribuum nunquam fuit penitùs consumptus, quin permultæ illius reliquiæ tam piæ quàm impiæ manserint, mansuræque sint in finem vsque seculi, vnde & sequentia versu ait, quòd erunt vagantes inter gentes: vaticinium tamen hoc reuera fuit impletum, quoniam populus hic quatenus Ephraim, id est, quatenus reges habebat & regnum, ita inter gentes dispersus & disseminatus fuit, vt nunquam deinceps vllā populi aut reipubl. aut regni formam recuperare potuerit, imò & populi & Israelitarum nomen amiserit.

XVII. *Abiiciet eos Deus meus.*

1. Verbum *mæas* hic est non simpliciter abiicere, sed aliquid abiiciendo reprobare, ita vt nullum ampliùs cum eo velis habere negotium. Cùm igitur ait: *Abiiciet eos Deus meus*, indicat Deum breui ita Israelitas è sua (vt antè dixit) domo inter gentes abiecturum & reprobaturum, vt nullum deinceps cum eo populo velit sibi esse negotium. Ac proinde docet, hanc esse extremam Dei maledictionem, cùm scilicet aliquem ita à se reiicit, vt cum eo nihil ampliùs velit habere commercij, id quod illis contingit, qui penitùs ab Ecclesia reiiciuntur.

2. Non ait simpliciter, *Abiiciet eos Deus*, sed addit, *Meus*. Hæc autem particula opponit se toti Israelitarum populo. Cùm igitur ait *Deum suum esse Deus*, tacitè innuit, Deum non ampliùs esse Israelitarum Deum.

3. Ideò Propheta Deum dixit suum esse Deum, quia eius verbo firmiter adhærebat. Innuit verò, Deum non esse Israelitarum Deum, quia Dei verbum reiecerāt. Indicat igitur, Deum cum suo verbo ita esse coniunctum & colligatū, vt ab eo nunquam separari possit. ac proinde illos, qui verbum Dei firmiter retinent, Deum etiam in verbo suo firmiter retinere, & ideò verè dicere posse, Deum suum esse Deū. Illos verò qui verbum Dei non retinent, neque Deum habere, neque, Deum suum esse Deum, verè dicere posse. Mentiri igitur Papistas, qui, cùm reiiciant verbum Dei, iactāt tamen nomen Dei, ideóque dicunt, suum esse Deum.

4. Caussam assignans Propheta, cur Deus populum Israeliticum penitùs à se reiecerit & reprobarit, non ait, *Quia non obtulerunt sacrificia, neque, Quia regibus non paruerunt*, sed tantùm, *Quia non obedierunt ei*, scilicet Deo. Indicat igitur causam reprobationis populi fuisse, ipsam populi aduersus Deum inobedientiam, seu, quia verbo Dei non paruerunt. Ac proinde docet, neminem à Deo reiici ac damnari, nisi propter inobedientiam in legem Dei.

5. Cùm ait, *Et erunt vagantes inter gentes*, subintelligendum est, *Perpetuò*. Duo igitur indicat. 1. Si erunt vagantes perpetuò inter gentes: ergò non ita erunt succisi, vt nemo ex Israelitis supersit. Nam erunt vagantes, sed ita erunt succisi, vt nullus amplius futurus sit populus, vel Respubl. aliqua: nullam enim certam & firmam habebunt sedē, quia erunt vagantes, idque ostendit experientia ad hodiernum vsque diem. 2. Erunt perpetuò vagantes inter gentes. Ergò hoc est, eritque perpetuum reprobationis & reiectionis Israelitarum signum, quòd sunt, erúntque perpetuò vagantes inter gentes. Ac proinde docet hoc etiam esse cuiusdam à Deo reiectionis symbolum, cùm quis nullam certam & firmam sedem habere potest in Ecclesia Christi, sed perpetuò inter impios & idololatras vagatur, contrà verò electionis signum esse, cùm quis perpetuò manet in Ecclesia, verbóque Dei & sacramentis, cum reliquo populo Dei perpetuò delectatur, & fruitur.

CAPVT X.

INuehitur in peccata Israelitarum, & minatur eis pœnas.

1. *Vitis vacua est Israel, fructū reponit sibi, secundùm multitudinem fructus sui multiplicat altaria, secundùm bonum terræ sua benefaciunt statuis.*

Vitis vacua Israel, fructus aequabitur ei, secundùm multiplicare fructus suos, hoc est, secundùm multiplicationem fructuum suorum, seu annonae, *multiplicarunt* ipsi Israelitae *altaribus hostias, secundùm bonitatem*, fertilitatem, *terrae suae, benefecerunt statuis.*

Iesibaueh à *Schiaueh* quod significat aequalem fieri, seu aequari. Sensus igitur est, fructus similis est vineae: vacuus nimirùm, vt illa, hoc est, nullus est fructus in ea. Significat etiam valorem: esset igitur sensus, alicuius est valor apud Israelem, sed apud Deum nullus.

Cerobh Sensus est, quò magis illi creuerunt fructus, & bona terrae me benedictione eò magis illis multiplicarunt altaribus hostias, & ornamenta, & quantò plus boni à me acceperunt, eò amplius ipsi benefecerunt statuis.

Vitis vacua humore Israel est: fructúmne proferet? nequaquam, eò, quò iuxta abundantiam fructus eius abundè quoque extruxit & ornauit altaria, quoq; praestantior fuit regio eius, eò praestantiores concinnauit statuas.

Quasi dicat: Israel gratia Dei, fide in eum, & donis Spiritus sancti vacuus aliisque bonis ab hostibus spoliatus, nihil rectè feliciterve agere vnquam poterit.

II. *Impertitus animus eorum, iam rei sunt, ille decutiet altaria istorum, vastabit statuas istorum.*

Separauit se cor eorum à Deo, breui destruetur, ipse confringet altaria eorum, vastabit eorum statuas.

Aschbam pro *haschbam* desolari, iuxta Auen Ezra. Significat etiam peccare: ideò R. Salomon sic. Nunc peccabunt, hoc est, puniendur, pro peccatis.

Hu ipse. Quidam ad Deum referunt: Quidam ad cor eorum, nempe, ita diuisum à me: Quidam ad factum, quòd ita turpiter separant se à me, exterminabo eos.

Separauit se à me cor eorum, nunc exterminabuntur, ipse confringet altaria eorum, & deuastabit statuas eorum.

III. *Nunc enim dicunt, nullus rex est nobis, nam non timemus Iehouam, & rex ipse quid facturus esset nobis?*

Quoniam nunc dicent, hoc est, agnoscent, & dicent, *non rex nobis*, est, *quoniam non timemus Iehouam, etiam rex quid faciet nobis?*

Breui vtique dicturi sunt, rex nullus est nobis, propterea, quòd non timemus Dominum: rex igitur, quid iuuaret nos?

Quasi dicat, agnoscent, neque regem, neque vllum auxilium humanum valere contra manum Dei punientis peccata.

IV. *Loquuntur verba execrando falsò, pangendo foedus, vt floret simile cicuta iudicium per porcas agrorum meorum.*

Locuti sunt verba de foederibus & induciis faciendis iurando vanè, feriendo foedus: germinabit crescet iudicium Dei contra illos sicut cicuta in sulcis agri.

Sadhai pro *Sadheh.*

Collocuti sunt inter sese, deierarunt frustrà percutiendo foedus de deserendo Domino: *propterea germinabit iudicium eorum, tanquam venenata herba in sulcis agrorum.*

Quasi dicat, instar coniuratorum conspirarunt simul in falsam religionem vitulorum contra Dominum Deum verum.

Iudicium vltionis comparatur venenatae herbae, quae in agri sulcis celeriter crescit.

In sulcis agrorum, id est, in agris sulcatis, cultis.

V. *Propter vitulas Beth-auenis formidabunt quisque habitator Schomronis, cùm lugebit de eo populus ipsius, etiam aeditui eius, qui de eo exultant, propterea quòd gloria eius migrauerit ab eo.*

Vitulos Bethauen timebunt habitatores Samariae, quoniam luxit, lugebit super eum, vtrumque scilicet vitulum *populus eius & sacerdotes eius*, qui sacerdotes & populus *exsultauerant super propter gloriam eius*, vituli vtriusque, *quoniam migrauit ab eo*, hoc est, ideò lugebunt: quòd gloria vituli vtriusque, ob quam antè laetari solebant, migrauerit ab eis.

Schechan incola, pro *schechanim* incolae. Secundùm quosdam significat vicinam, quasi dicat, Samaria, & tota vicinia Samariae, id est, vrbs & pagi omnes.

Propter vitulam Bethauen, pauebunt habitatores Samariae, quando lugebit populus eius propter eam, & sacerdotes eius, qui soliti sunt laetari propter eam, lugebunt propter gloriam eius, quòd migrauerit ab illis.

Ad verbum: propter vitulas: ibi tamen erat vnus tantùm, sed quia praecipua ideò in plurali. In foeminino genere ait vitulas: quia simulacra carent sexu.

Lugebunt igitur, vbi intelligent Bethauen captam, & vitulum, qui ibi erat, contritum esse ab hostibus: prius enim reliqua regio, postremum verò ipsa Samaria post triennalem obsidionem fuit expugnata.

In Hebraeo relatiuum est masculinum singularis numeri: refertq; antecedens *Vitulas* plurale foemininum. Sacerdotes, qui anteà exsultabant propter lucrum, quod faciebant ex victimis & oblationibus vitulorum luxerunt, cùm ipsa idola in frusta concisa sunt, & omni veneratione & gloriâ destituta, deprehensa sunt esse ementita numina.

VI. *Etiam ipse in Assyriam deportabitur, munus regi propugnanti, pudorem Ephraym percipiet, & erubescet Israel à consilio sue.*

Etiam ipsum vitulus ipse, hoc est, vituli *Assyrio adferentur munus* in munus *regi Iareb, pudorem*, id est, confusionem, *Ephraim accipiet, & pudefiet Israel à consilio suo.*

Gam-otho accipiunt quidam pro *him-no*, hoc est, cum ipso vitulo munus fertur ad ipsum Assur.

Otho ipsum est in neutro genere: suprà versu quinto in foeminino nominauit, & quidem in plurali numero dicens *Ihegloth*, deinde in masculino genere & numero singulari dicens *halau* super eum: hîc verò in neutro, totum hoc ad contemtum facit.

Iarebh Hebraei putant, fuisse metropolin Assyriae, vel locum, vbi rex habitare solebat: alij numen regis alicuius Assyriorum fortè fuit cognomen.

Boschnah à *Bosch*. *Nun* redundat, pro *Boschah.*

Ielebosch à *Iabasch*, ait Kimhi.

Primum refertur ad Iarobeam & tribum regiam Ephraim: alterum ad vniuersum populum.

Ipsa quoque vitula *in Assyriam exportabitur in munus regi Iareb, pudor corripiet Ephraim, pudebit Israelem consilij sui.*

VII. *Exscindetur ipsius Schomronis rex, similis spuma in superficie aquarum.*

Succisus est, succidetur *Samaria*, succidetur rex eius: *tanquam spuma*, quae est *super faciem aquarum.*

Sic Kimhi repetit verbum *Nidhmeh Schomeron Nidhmeh Malcah*: alij sic, Succisus est Samariae rex eius.

Quidam *Nidhmeh*, id est, taceat. Auen Ezra, quasi dicat, tunc habebit, cur sileat Samaria & rex eius.

Exscindetur rex Samariae in ea, & sicut spuma supernatans aquis, celeriter ibit in exsilium.

VIII. *Et succidentur excelsa Auenis, peccatum Israelis: spina & tribulus assurget super altaria eorum: & dicent ipsis montibus, tegite nos, & collibus, cadite super nos.*

Et dissipabuntur excelsa Auen, peccatum Israelis spina & tribulus ascendent, id est, crescent, *super altaria eorum, & dicent montibus operite nos, & collibus, cadite super nos.*

Auen Ezra recitat duas sententias: prima, vt per montes altaria spoliata suis idolis dicant ita montibus & collibus: altera, vt Israelitae ita doceant.

In, super

Insuper disperdentur ex celsa Auen, peccatum Israel: spina & tribulus crescent super altaria eorum, dicentque montibus, operite nos & collibus, cadite super nos.

Per contemptum reticuit nomen Beth, vt appareat magis iniquitas, quasi dicat, non tantùm est domus iniquitatis, sed ipsa iniquitas.

Peccatum Israelis, per appositionem quasi dicat, Excelsa, in quibus peccatum est Israelis.

IX. *Inde à diebus Gibbha peccasti Israel, ibi steterunt: non assequuta est eos Gibbha bellum contra iniquos gestum.*

A diebus Gabaa peccasti Israel, ibi steterunt, non apprehendit eos in Gabaa prælium, quod fuit *super filios iniquitatis.*

Auen Ezra, comparatiuè accipit, id est, grauius peccasti Israel, quàm olim à Gabaa peccatum fuit.

R. Solomon accipit continuatiuè, quasi dicat à tempore Gabaa cœpisti pertinaciter peccare, & huc vsque continuasti.

Lo tassigem quidam accipiunt sic. Non eueniet nunc Israeli, quemadmodum tempore Gabaa, nempe, vt bellum diu duret, sed citò illos perdam funditùs.

Grauius peccasti, ô Israel, quàm peccatum sit *in diebus Gabaa quibus rebelles erant viri iniquissimi, qui sibi se apprehendere non posse bellum* susceptum *contra se in Gibea.*

Quidam sic. A diebus Gibea peccasti, ô Israel, ibi steterunt maiores vestri, dicentes, quòd non apprehenderet eos bellum in Gibea contra filios iniquitatis, vt sit sensus, ô Israel, à tempore, quo commissum illud nefandum scelus vltus est Deus in Gibea, vt habetur Iud. 19. 20. Fuistis peccatores similes illis, qui tunc in bello contra Gabaonitas ceciderunt, præter tamen spem suam: persuasi enim erant, se non casuros in eo bello, à Deo iustè suscepto contra scelestos Ben-Iamitas, & tamen plurimi ceciderunt iusto iudicio Dei propter peccata sua in Deum & in homines. Aut enim comparat ætatem suam Gabaonitis (sicut supra 9. cap. & hic in textu) in peccatis & pœnis, aut ipsismet Israelitis maioribus suis, quorum quamplurimos Deus vltus est bis in eo bello.

Alij sic, à diebus Gibea peccasti, Israel ibi egisti tanquam in schola, & putas, quod non potest apprehendere te bellum, sicut in Gibea apprehendit filios iniquitatis, vt sit mutatio personæ secundæ in tertiam, & numeri singularis in pluralem.

X. *Pro voluntate mea itaque vinciam eos, congregabuntur enim contra eos populi, vinciendo eos deducendos in duobus habitationibus ipsorum.*

In voluntate mea est & castigabo eos, & congregabuntur aduersus eos populi, cùm ligauerint sese in duobus sulcis suis.

In voto meis est, vt castigem eos: idcircò congregabuntur contra eos populi, cùm ligauerint sese in duobus sulcis suis.

Allegoria est in qua Israel, bobus, conspiratio & decretum regis de adorandis vitulis, iugo, ipsi vituli, duobus sulcis comparantur, & horum cultus arationi. Est igitur sensus: Immittam hostes aduersùs decem tribus, eò quòd coniunxerint se, vt vnanimi consensu colant vitulos.

XI. *Nam Ephraim vitula est edocta, amans triturare, quamuis ego transiuissem super præstantiam colli eius: vsurus ad equitandum fuissem Ephraimo, araturus Iehuda occaturus Iahhakob.*

Et Ephraim vitula est edocta, amans trituram. & Ego transiui super bonum obesum *collum eius, equitare feci Ephraim, arabit Iehuda & confringet sibi glebas Iacob.*

Ehabbti, illud Iod redundat, vt annotat R. Solomon, & construendum est hoc participium cum altero, hoc modo: edocta est, diligens trituram, hoc est, edocta est amare trituram.

Ladhusch ad triturandum, pro triturare.

Veruntamen Ephraim fuit ceu vitula assueta & amans tritura, & Ego obiter tantùm exornaui obesum collum eius, imposui leuißimum iugum ipsi Ephraim: (feci quoque) vt araret Iuda seorsim, atque glebas frangeret seorsim Iacob.

Persistit in allegoria agriculturæ. Exprobrat Israeli clementiam atque beneficentiam, qua vsus est erga ipsum, sed ex qua insolentior factus, religionis veræ iugum excussit, & idola coluit.

Vaccis ad trituram vtebantur, & tunc meliùs habebant vaccæ. Iis verbis exprimitur benignitas Dei erga Israelem.

Transiui super bonitatem colli eius, quasi dicat, nec graui, nec assiduo iugo attriui collum eius, sed leui & clementi iugo eam exercui ita, vt collum eius semper pingue & obesum fuerit.

Per Iacob intelligit vtrumque regnum, quod originem duxit à Iacob, obscurè commemorat, se diuisisse duodecim tribus in duo regna diuersa, & Ephraim proprium regnum constituisse, quo vtrumque in cultu suo ardens & constãs permaneret, insuper eos eò prouocasse ministerio Prophetarum suorum, vt posteà declarat.

XII. *Seminate vobis, dicebam, ad iustitiam, metite ad benignitatem, nouellate vobis nouale: nam tempus est quærendi Iehouam donec veniat & doceat vos iustitiam.*

Dixique, seminate vobis in iustitia, metite iuxta misericordiam, arate vobis arationem: nam tempus requirendi Iehouam, donec veniat, & doceat vos iustitiam.

Seminate in iustitia vel ad iustitiam, hoc est, incumbite bonis operibus & iustitiæ. *Metite in misericordia vel ad benignitatem*, id est, exercete dilectionem. Aliqui tamen, pro futuro accipiunt sic: Si seminetis in iustitia, metetis in misericordia, id est, reportabitis mercedem amplissimam, quam Deus ex misericordia vobis dabit.

XIII. *Arastis impr bitatem, iniquitatem messuistis, comedistis fructum mendacij: quia confidis via tua, multitudini potentium tuorum.*

Sed arastis impietatem, ideò iniquitatem metitis: comeditis fructum mendacij, quia fisus es via tua, & multitudini fortium tuorum.

Arastis improbitatem, hoc est, cogitastis & perfecistis iniqua. Ideò mercedem iustam meretis, & accipietis, sicut meriti estis.

Quia fisus es, Apostrophe ad Israelem. Ideò mutat personam.

XIV. *Quapropter exurgit tumultus in populis tuis, & vnaquæque munitionem tuarum vastabitur, vt vastauit Schalman Arbelitida die belli: mater cum filiis collidetur.*

Proptereà consurget tumultus in populis tuis, & omnes munitiones tuæ vastabuntur, sicut vastauit Salman Beth-Arbel in die belli, mater cum filiis allidetur.

Salman, est Salmanastar rex Assyriæ, qui primo annò Hoseæ regis Israelitarum regnum hostiliter inuasit. *Beth*, id est domus.

Arbel. Aliqui locum hunc existimant fuisse trans Iordanem, quem vastarit crudeliter Salmanassar, quasi Propheta citet recens & domesticum exemplum. Fit eius mentio 1. Mac. 9. v. 2. Et abierunt viam quæ ducit in Galgala, & castra posuerunt in Masaloth quæ est in Arbelis. Alij verò intelligunt Arbela, vrbem Assyriæ, ad quam Darius vltimus, qui ab Alexandro Magno victus & profligatus est: vnde & tractus ille Arbelitis dicitur.

XV. *Ita effecit vobis Beth-el propter summam malitiam vestram in ipsa aurora planè exscinditur rex Israelis.*

Sic faciet vobis Beth el propter malitiam malitiæ vestræ: in aurora succidendo succidetur rex Israel.

Sic faciet vobis Beth-El, id est, vestra idololatria, quam exercetis in Bethel ad vitulum aureum, caussa est omnium istarum calamitatum. In aurora, hoc est, cito & ex improuiso, vel in principio regni Hoseæ.

EXPLICATIO.

Concio hæc constat tantùm reprehensione peccatorum, & denunciatione iræ Dei contra peccata, sicut & reliqua aliquot præcedentes. Hanc igitur non diuidam in partes, quia est vnum atque idem argumentum in toto capite. Cùm pleraque sint facilia, percurremus tantùm præcipua.

1. *Vitis euacuans se*, id est, vacua & inanis est *Israel*, *fructus aequalis similis est ei*, *secundum multitudinem fructus eius multiplicauit altaria*. R. Sal. Altaribus scilicet vitulos, *secundum bonitatem terrae suae benefecit statuas*.

Primò referam varias lectiones & interpretationes huius versus: deinde iuxta lectionem, quae mihi magis probatur, eam explicabo.

Bokek Hieronymus vertit frondosa, spectauit sensum, nō autem vim verbi Munster inanem. S. P. vacuam Calu. Spoliatam & quasi vindemiatam Ad verbum est, Euacuans se: est enim intransitiuum, ait Kimhi. *Bakak* autem, propriè est spoliare, euacuare, de . . . . art. est h e B . . oni.

Quomodo est *Bokek*? A. E. ait *ki en bo ce ah Lephrath*, quoniam non est ei vis ad fructificandum *veen peri*. Et non est ei fructus. Duplici ergò de caussa dicitur *Bokek*. Primùm, quoniam non est ei fructus: deinde quia non est ei vis ad fructificandum scilicet bonos fructus. Benè igitur Hieronymus spectans sensum, vertit frondosa, quasi dicat, tantùm frondes habet non autem vel fructum, vel vim fructificandi.

Ieschaueh schauah multa significat, & iuxta varia significata, varias etiam interpretes adferunt interpretationes.

Primò significat prodesse, esse commodum & vtile. Sic R. Sal. *Ieschaueh* pro *Ierabb* cedet in bonum, iuxta hanc significationem duas adfert lectiones, quae illud *Peri* coniungunt cum *Gephen Bokek*.

Prima haec est, *Peri* fructus, id est, mala opera Israelis, reddiderunt Israelem *cagephen Bokek* tanquam vitem vacuam & inanem, Deo scilicet & Dei gratia, Dei protectione, quae erat & debèret ei esse, tanquam succus, & humor vitalis, ad facienda opera bona. Qui sunt ij fructus, qui reddiderunt Israelem sicut vineam vacuam? quia secundùm multitudinem fructuum, multiplicauit altaribus vitulos, id est, quantò plus beneficij in eos contulit Deus, tantò plura ipsi fecerunt idolis altaria. Illud *Lammizbechoth*. sic interpretatur, secundùm multitudinem fructuum ipsi multiplicârunt ad faciendum vitulos altaribus. Illud verò *Ieschaueh lo*, quia illud verbum *Schaua* significat etiam prodesse, sic interpretatur. Prodest ei hoc, scilicet quòd sit, ceu vitis spoliata, sed ironicè accipit, quasi dicat. Sed ipsi tamen iudicant, quòd hoc illis prosit, & commodum sit, Videtur enim alludere Propheta iuxta hunc doctorem, ad defectionem 10. tribuum à regno Iuda, & ad corruptam religionem. Tunc spoliati fuerunt Israelitae eo fructu gratiae Dei & protectionis diuinae, quam antea habebant, sed ipsi Israelitae putant hoc sibi fore vtile & commodum, quòd scilicet non sint ampliùs sub rege Iuda, sed proprium habeant regem, & quòd non tantùm vnum altare, sed multa habeant: accusat ergò hic Israelitas, quod defecerint à Deo & eius cultu, & ita se spoliârint Dei gratia.

Altera haec est, Israel est vitis spoliata *Peri* fructu scilicet suo, quem antè solita erat habere. Quis est iste fructus? Deus, Dei protectio, & reliquae Dei benedictiones. Minatur igitur, Israelem fore breui, tanquam vitem spoliatam, & omni Dei protectione destitutam: nempe, quòd in captiuitatem esset ducendus Vel iuxta hanc lectionem, meo iudicio alludit ad foedus, quod Israel confirmarat cum Assur, & ait, Israel cùm se contineret in foedere Dei, habuit suum fructum, Dei scilicet protectionem, & alias benedictiones: nunc facto foedere cum Assur illum recidisse à foedere Dei, ideóque spoliatum esse suo solito fructu. Postea addit *ich Ieschaueh lo*, quasi dicat, & cùm deberem lugere propter hanc foederis cum Assur confirmationem, quia ea spoliauit Israelem suo fructu, ipsi tamen putant eam fore sibi vtilem & commodam. Ideò illud *Ieschaueh lo* interpretatur pro *Ih iethobh li* cedet illi in bonum, id est, iudicat istum à me discessum fore sibi vtilem.

Deinde significat, iuxta R. Sal. *Caam* chaldaicè hoc est, efficere. Ergò sensus est Israel est vitis spoliata illi et omni Dei benedictione & protectione & auxilio: praedicit autem eius calamitatem, quae futura erat breui. *Peri Ieschaueh lo*, sic R. Schelom. *Peri maha sain garam li* id est fructus operum suorum, id est, peccata effecerunt ei hoc: *garam* Chaldaicum verbum pro efficere & causare. Item alter exponit illud verbum *Peri Ieschaueh lo* pro *Iohil lo* id est, vtilis ei fuit fructus suorum operum. Ad quid vtilis ait *Lehelach bokek* id est, ad hoc, vt sit *bokek* egregiam vt literam explicat dicendo: *Non secundum multitudinem fructuum multiplicarunt altaria* & prosfuerunt. La . . . *Ieroboam*, id est, ad malefaciendum Ecclesiae & haec etiam est Thargum.

Quidam, vt refert Kimhi, illud verbum *Schauah*, pro mētiri acceperunt. Sic igitur interpretati sunt, Israel est, ceu vitis vacua, humore scilicet radicali seu succo in radice, quasi dicat, est tantùm frondibus plena: igitur fructus mentietur ei, id est, etsi, quia est frondosa, id est, ceremoniis plena, videtur etiam habere fructus bonos: fructus tamen nullus ex ea nascetur, nam secundùm multitudinem fructus, id est, copiam annonae multiplicârunt altaria.

Quidam, quia illud verbum significat etiam ponere, sic vertunt Israel est vitis spoliata, fructus ponet ei. Sed hoc bifariam. Quidam enim legunt interrogatiuè fructus ponet sibi, quasi dicat, cùm sit vacua & inanis, sineque succo verbi & gratiae Dei in corde, numquid igitur poterit fructus producere? quasi dicat, nequaquam Sic S. P. interpretatus est. Quidam tamen non vulgaris vir affirmatiuè, fructus ponet sibi: vult autem hunc esse sensum, Israelem, ceu vitem, fuisse saepenumerò spoliatum à Deo suis benedictionibus & quasi vindemiatum, sed sicut vitis vindemiata non tamen confestim est extincta, sed suo tempore iterùm alios profert fructus: sic etiam Israel, licet saepè spoliatus fuit, Dei benedictionibus: tamen postea etiam alios protulit fructus, id est, rursùs Deus dignatus est illum aliis benedictionibus. Sed quid contigit? Fuerunt ipsi ingrati, nam quò plura in illos Deus iterùm contulit beneficia, ipsi eò plura admiserunt contra Dominum scelera, nam secundùm multitudinem fructus, ipsi multiplicarunt altaria. Vult igitur, in primo membro praedicari bonitatem Dei in populum, quòd scilicet licèt saepè propter sua peccata fuerit ab hostibus spoliatus: tamen Deus pro sua bonitate effecit vt iterum multos produceret fructus, id est, vt afflueret Dei benedictionibus. In altero verò membro vult exprobrari ingratitudinem populi, qui abusus sit ad mala Dei beneficiis, est acuta interpretatio, sed hoc modo illud futurum *Iascha schaio* pro praeterito accipiendum est, ita, vt Propheta narret, quid ante contigerit Israeli, & illud participium *bokek* accipitur pro vindemiare, spoliare, sicut cùm fit vindemia, spoliantur vites suis fructibus.

Caeterùm R. A. Ezra inter Hebraeos doctissimus, & qui annis ab hinc circiter 300. in Italia Lucae interpretatus est permittendum, sicut illud *bokek* refert ad radicem vineae, quòd sit scilicet spoliata & vacua succo, & humore radicali, seu vi ad fructificandum, ita illud *Schaua* accipit pro se aequalem & similem ei, nempe, fructum vineae. Sic etiam hoc verbum interpretatus est Hieronymus, ideò hoc amplector. A. Ezra igitur sic ait, Israel est, ceu vitis *bokek*, id est *en bo lephroth veen peri* id est, non est ei vis ad fructificandum, & non est ei fructus. Est ergò vacua & inanis, quia non solùm non est ei fructus scilicet bonus, sed neque vis ad fructificandum. Illud verò *peri Ieschaueh lo* sic exponit. Quòd si aliquem fortè producat fructum similis est & aequalis ei scilicet vineae, id est, est vacuus, sine succo bono, sicut & vitis ipsa. *Iohieh schieth cagephen* erit similis sicut & vitis, nimirum vacuus *bokek*. Hanc amplectar & sequar, praesertim quia conformis est loco Ieaiae 5. de vinea sua.

Quidam tamen iuxta hanc quintam significationem verbi, ita exponunt, Israel est vitis vacua, sine Deo scilicet & sine pietate, fructus, id est, beneficia mea & benedictiones, aequantur ei, id est, non sunt benedictiones, sed maledictiones, quia & ipsa est maledicta vitis: nam beneficia terrena benedictiones quidem appellantur, sed non sunt benedictiones, nisi illis qui manent in foedere Dei, & eius legem seruant. Sic enim ait Dominus *Deuter.* 28. Si feceris iuxta legem meam, benedictus eris in vrbe Si verò quis non seruat legem, sed deficit à Deo, bona haec terrena fiūt ei maledictiones, quia ad malum eis abutitur. Ideò ait. *Si non feceris, maledictus eris in agro*. Cùm igitur Israel propter defectionem à Deo, factus esset inanis & maledictus, fructus etiam, id est, beneficia Dei facta sunt illi aequalia, id est benedictiones maledictiones, & inutiles, imò perniciosae. Quomodo? explicat. *Nam secundùm multiplicationem fructuum multiplicarunt altaria*.

Sed redeo ad interpretationem A. Ezrae & Hieronymi. Scimus, Prophetas posteriores imitatos fuisse priores, in metaphoris & locutionibus. Scimus etiam, Ieslaiam fuisse posteriorem Hosea, & Hoseam fuisse primum inter eos, quorum prophetias habemus. Non dubito igitur, quin Ieslaias in parabola de vinea, quam habet cap. 5. secutus sit Hoseam, sed quod Hoseas concisè vix innuit ille fusè explicauit. Quare Iesaiam volo interpretem esse Hoseae. Ibi in vinea Iesaiae sunt haec capita praecipua, quae huc

hæc pertinent. 1. Est vinea Domini Zebaoth, ipsa domus Israël. 2. Ea erat in cornu filio olei, in terra scilicet pingui, & vbi nô deerat alimentum vineæ. 3. Ideò debuerit vinea proferre bonos fructus, non tamen protulit bonos. 4. imò fecit labruscas malas. Vitium igitur fuit in vite, quia scilicet fuit vacua bona virtute ad proferendos bonos fructus. 5. Imò plantasset vitiosâ vi ad malas fructus, producendos. Ita in hac vinea Hoseæ. 1. Vitis est Israël. 2. Non est vacua alimento & succo terræ, seu beneficiis Dei, annonâ: nam secundùm multiplicationem fructuum & secundùm bonitatem terræ, benefecerunt statuis: non deerat ergò ei alimentum rerum terrenarum. Ideò cùm ait Vacua, ne intelligas alimento terræ sed vi bonâ ad bonos fructus producendos. 3. Cum deberet facere bonos fructus. 1. non protulit, ita fuit vacua, scilicet bonis fructibus, & virtute bona ad bonos edendos fructus. 2. imò contra protulit malos fructus sui similes, ideò ait: *Fructus æquatus est ei*, id est, etsi protulit aut proferat fructus, ij sunt similes viti nempe vacui bono succo, insipidi, imò acerbi. Qui sunt ij fructus ei similes? ait: *Secundùm multiplicationem fructuum multiplicauit altaria.* Cùm ait: *multiplicationem fructuum*, indicat non defuisse viti alimentum à terra. cùm verò ait: *Multiplicauit altaria* explicat, quomodo fructus, quos protulit, sunt similes & æquales viti.

11. *Diuisit Israel cor suum.*

Quidam sic: *In duas partes diuisit*, quia scilicet partim retinebat cultum Dei Israël, in vnam partem cordis sui reliquit Deo, partim sequebatur superstitiones gentium, ita alteram partem dedit Baalim, sicut etiam 3. Reg. 8. Elias illis exprobrat: *Quousque claudicatis in duas partes? Si Iehoua est Deus, sequimini eum. Si Baal, sequimini illum.*

R. Sal. interpretatur, diuisit pro amouit, separauit, subduxit cor suum *Mimmenni* à me. Sic R. A. Ezra *Chalak: kiam lab im chalak lecheab*, quoniam non est portio vna scilicet cum Deo est, quasi dicat, Penitùs enim ipsorum cor à Deo separatum, probatur non enim ait, quòd diuiserant religionem, cultum, seipsos, sed cor. Reuerà autem totum cor à Deo separarant nam si Deus nô possideat totum cor, nullam partem possidet, vult totum, aut nihil.

Hæc particula explicat illud *bokek*: & tangit caussam, cur esset vitis vacua, & quare esset vacua, Deo scilicet: Is enim est virtus & humor radicalis, quo fit, vt bonos proferamus fructus, ipsi amouerunt cor à Deo: igitur vacui fuerunt humore & virtute ad fructificandum, nempe Deo, Dei gratia. Videtur tamen alludere ad metaphoram coniugij, cum scilicet vxor cor suum auertit à marito, ad alium virum, tunc actum est de illa. Ex præcedente igitur versu & hac particula colligimus doctrinam. 1. Vitis, sumus nos, quisque est vitis aliqua. 2. Radix vitis, est cor nostrum. 3. Vis bona & succus, quo fit vt vitis bonas proferat vuas, est Deus in suo verbo fide apprehensus, atque in corde, tanquam in radice vitis detentus. quæ res, si sit in corde, postea per totam arborem diffunditur. 4. Boni fructus, sunt bona opera, opera spiritus Dei. Iam si separes cor, radicem vitis à Deo, quomodo poterit vitis producere bonas vuas? erit igitur *bokek* vacua, tum fructibus bonis tum in primis vi, quâ gignuntur boni fructus. Hæc ergò particula explicat priorem. Colligimus igitur eos, qui non retinent in corde Deum, in suo verbo (à quo nunquam separatur) fide viuâ apprehensum, etsi externè repleti sunt foliis & ceremoniis: tamen vites sunt vacuæ & (vt Hieronymus benè spectans sensum, interpretatur) frondosæ. 5. Fructus similes viti, quia arbor mala, non potest bonos fructus facere, neque contrà. Ergò fructus semper sunt similes arboris *ischaueh lo*: ac proinde à fructibus possumus iudicare de arboris qualitate & de virtute radicis. Qui vacuus est operibus bonis, certè vacua est radix eius gratia Dei, spiritu Dei. Qui fructus profert malos, declarat, talem etiam esse arborem & radicem. 6. Multiplicatio altarium & superstitionum & sacrificiorum in Israël testimonium fuit, Israëlem esse vitem vacuam Dei, Deique gratiâ. Ergò Papistæ cùm quotidiè magis ac magis multiplicent ceremonias & altaria, declarant, se esse vitem *bokek*. Ita, cùm nos, non contenti simplicitate Euangelij, secundùm multiplicationem beneficiorum Dei erga nos, multiplicamus quotidiè ceremonias in Ecclesiis, certè declaramus, nos esse vites inanes, & vites tantùm frondosas.

Nunc breui, *exterminabuntur*, desolabuntur.

Ascham est primò peccare. Quidam igitur sic: Nunc, id est, breui peccabunt, id est, conuincentur peccati, quasi dicat, non agnoscunt tamen se peccare, efficiam igitur, vt conuincantur peccati. Quomodo? destructis altaribus, vbi viderint altaria fuisse destructa & se deceptos, intelligunt se malè fecisse altaria augendo, & deficiendo à cultu Dei.

ANALYSIS CAPITIS DECIMI.

I. *Vitis inanis Israel.*

1. Vitis, *bokek* vitis est, cui neque est fructus, neque vis in radice ad fructificandum. Vitis, est quisque homo. Radix vitis, est cor. Vis fructificandi, est gratia Spiritus sancti, seu pietas & viua fides in cordibus nostris inhærens. Fructus vitis, opera sunt pietatis. Cùm igitur ait, Israelē fuisse vitem inanem, indicat, Ecclesiam Israëliticam, fuisse, & à fructibus pietatis, & ab ipsa interna pietate vacuam, licèt variis frondibus ac ceremoniis, esset ornatissima: ac proinde docet, quicunque est sine gratia Spiritus sancti, & viua in Christum fide, ideóque sine operibus bonis, sed tamen Christi nomen profitetur, eum esse inanem vitem.

2. *Schauah* significat præter alia æquari, seu, similem esse & æqualem. Est autem hîc concessio. Cùm igitur ait: *Fructus æquabitur*, id est, æquabitur ei, per concessionem indicat, etiamsi aliquis in ea vite fructus speretur: eum tamen similem esse viti: nempe in ipsa inanitate, quòd tam is fructus destitutus sit bono succo & sapore, quàm vitis vi fructificandi: ac proinde docet, tales semper esse fructus, qualis & arbor, iuxta illud Christi: *Non potest arbor mala bonos fructus facere.*

3. Cùm ait, *Secundùm multitudinem* (id est copiam) *fructuum suorum* (id est, annonę) *multiplicârunt altaribus*, nempe sacrificia, & oblationes) *Secundùm bonitatem* (id est, fertilitatem) *terræ suæ, benefecerant statuis*, duo indicat. Vnum quidem in genere Israelitas, quò plura à Deo acceperant beneficia, eo plura in Deum admisisse facinora. Alterum verò speciatim, eosdē hac falsâ opinione deceptos, quod suorum idolorum gratia, & impiæ religionis merito, tot tantísque indies beneficiis cumularentur, superstitiones mirum in modum auxisse. Ac proinde docet, hoc esse impiorum & superstitiosorum hominum ingenium, vt, quò pluribus maioribúsque à Deo beneficiis cumulentur, eò magis ad Deum offendendum, superstitionésque contra Deum augendas, rapiantur.

II. *Diuisit Israel cor suum.*

1. Cùm Deus ait: *Diuisit Israel cor suum*, subintelligendum est *Mimmenni* à me. Verbum autem *Chalak* non hîc significat in duas partes diuidere, sed in totum separare & subducere. Indicat igitur Israelem, etsi mixtam habebat religionem, quia partim Deum, partim idola colere videbatur: cor tamen prorsùs à Deo auersum habuisse, idque propterea, quòd non in totum Deo Deique verbo subiectus esse volebat: ac proinde docet, illorum corda prorsus & in totum à Deo esse auersa, & diuisa, qui vel nullo prorsus modo, vel non omni ex parte verbo Dei se subiiciunt, eósque qui aliquam verbi Dei partem respuunt, totum verbum, totúmque Deum respuere.

2. Ait Israelis cor à Deo fuisse diuisum. Cor autem Israelis erat, ceu radix illius vitis. Explicat igitur, quomodo vitis illa fuit verè *bokek*: nimirum, quia Deus, qui in verbo fide apprehensus, atque in corde detentus, succus est & virtus fructificandi, in eorum cordibus à se auersis minimè inhabitabat.

3. Verbum *Ascham* hoc loco de sententia Kimhi & Aben Ezra, est exterminare, & quasi *Schamam*. Cùm igitur ait: *Nunc exterminabuntur*, indicat, ideò breui exterminatum iri Israelem: quia, cùm cor penitùs à Deo, Deique verbo auersum habeat, reuera sit vitis inanis, & frondibus tantùm referta, ideóque prorsus inutilis: ac proinde docet, succisum & exterminatum iri omnes, qui corda habent à Deo, Deique verbo auersa, & sunt, ceu vites & arbores, in quarum radicibus nulla est vis fructificandi, iuxta illud quoque Euangelij: *vt quid etiam occupat terram?*

4. Illud *Hu* ad *libbam* refertur, *haraph* exceruicare pro destruere accipitur. Alludit autem ad morem sacrificantium, cùm igitur ait: *Ipsum* (scilicet cor Israelitarum à Deo diuisum) *exterminabit altaria* & *vastabit statuas*, indicat, cor Israelitarum à Deo diuisum, in caussa fuisse, vt, sicut ipsi anteà oues & boues super altaria idolorum deceruicabant & sacrificabant, ita posteà vicissim ipsorum altaria destructa & quasi deceruicata fuerint. Ac proinde docet, per ἀνθρωποπάθειαν omnia tandem destructum & vastatum iri. Huiusce verò caussam esse, quia hæ superstitiones corda hominum à Deo auersa atque diuisa retinent.

III. *Nam nunc dicent.*

1. Verbum *Amar* hoc loco significat non tantùm loqui & dicere, sed etiam cogitare, cognoscere atque sentire rem ita se habere. Alludit autē in hoc versu ad hist. 4. Reg. 17. cum à rege Assur totum Israeliticum regnum fuit occupatum & Samaria obsessa, ita, vt rex Israel non potuerit hosti resistere, tuúmque populum defendere, sed ipse cum populo coactus fuit, se intra vrbem continere, donec tandem omnes caperentur & captiui abducerentur. Cùm igitur ait *Etenim dicent non rex nobis*, duo indicat. 1. Ad tantas angustias adactum iri Israelitas ab hostibus, vt nullo modo ipsorum rex possit illis adesse, ideóque reipsa sensuros, suum regem ita sibi fore inutilem, ac si nullus esset. 2. Israelitas spem quidem & fiduciam suam omnem in suo rege, quòd se posset ab hostibus omnibus defendere, collocasse atque ita collocasse, vt Dei tum admonitiones, tum comminationes contempserint, sed cùm ventum fuerit in rem præsentem, tunc tandem aliquando sensuros, suam illam spem fuisse inanem. Ac proinde docet quamdiu impijs res sunt secundæ, & spes in terris aliqua affulget, ipsos solitos esse Deum contemnere, vbi verò Deus tollit ea, in quibus erat nobis spes, tunc tandem nos sentire, nostras illas humanas spes, fuisse inanes, & vt quidem hoc sentiamus, Deum solitum esse in eas angustias nos aliquando redigere, in quibus appareat, nullum nobis esse regem, nullum nobis adesse posse in terris adiutorem, qui ex illis angustijs nos queat eripere.

2. Non simpliciter ait: *Dicent*, sed, *Nunc dicent* (scilicet cùm destruxero altaria & ad extremas angustias vnà cum rege suo redegero) *Non rex nobis*, quia non timemus Dominum, & rex quid poterit facere nobis? Duo igitur indicat. 1. Israelitas, cum Dominus verbis tantùm per Prophetas egit, nunquam voluisse agnoscere, se peccasse, quòd sibi & alium regem delegerint, & aliam religionem instituerint. At verò, vbi Dominus cœpit cum illis reipsa per hoste agere, & primò quidem occupato regno altaria destruere, totúmque cultum tollere, deinde obsessâ etiam Samariâ eò regem redigere, vt cum suo populo intra vrbem se continere cogeretur, donec tota expugnaretur, tunc tandem suum peccatum suúmque errorem agnouisse (quòd scilicet & nouum sibi eligendo regem, & nouam sibi instituendo religionem peccârit, declarâsítque, se Deum non timuisse. Ac proinde docet, duplicem esse Deo scholam, vnam quidem verborum, in qua verbis nobiscum agit: alteram verò factorum, vbi, quando non profuerunt verba, venit ad verbera. Atque in prima quidem schola impios nunquam proficere, in alteram igitur eos subinde trahi, ibique velint nolint, cogi cognoscere sua peccata, sentiréque, se Deum non timuisse, & quia Deum non timuerunt, nullum humanum auxilium posse prodesse: verùm neque in hac altera schola vnquam resipiscunt reprobi.

3. Cùm ait, Israelitas dicturos: *Non nobis rex. & rex quid faciet nobis?* indicat, cùm fuerint Israelitæ oppressi ab hostibus, suum regem, in quo totam suam fiduciam collocârāt, nihil illis profuturum. Cùm verò ait: *Quia non timemus Deum*, indicat caussam, cur suus ipsorum rex illis prodesse non potuerit, fuisse, quia Deum non timuêre, id est, quia nullo Dei timore aut reuerentia tacti illius verbum contempserunt, ac proinde Deum omnibus regibus mundi potentiorem, aduersùs se irritauerunt. Docet igitur, Dei diuinique verbi contemtoribus, ideoque Dei furorem aduersùs se prouocantibus, cùm sint auxilio diuino destituti, nihil etiam humani auxilij prodesse posse. Contrà verò Dei timentibus, cùm habeant Dei auxilium, auxilia etiam humana, modò in illis nullam ponant fiduciam, haud esse inutilia.

IV. *Locuti sunt verba.*

1. Loqui verba hoc in loco sicut & Ies. 8. vers. 10. est longo sermone, longáque consultatione, aliquid certò statuere, facere, ita tamen, vt finem, cuius caussâ habita est consultatio, assequi non possis, atque ita appareat, respectu finis, te nihil, nisi verba multa fecisse. Alludit autem hoc priori membro non ad vnam aut alteram, sed ad omnes regum & procerum regni Israel consultationes, quibus tum religionem mutando (sicut fecerunt initio regni 3. Reg. 12.) tum fœdera cum gentibus faciendo & renouando (sicut fecerunt sub Manahem 4. Reg. 15.) decreuerunt suum in perpetuum firmare regnum. Cùm igitur ait: *Locuti sunt verba, vanè iurando*, indicat, reges & principes regni Israel tales quidem longas & accuratas habuisse consultationes de stabiliendo & firmando in perpetuum regno, idque tum religionis mutatione, mutatæque consecratione, tum fœderum cum gentibus, interpositis etiam iuramentis, renouatione, sed finem suarum consolationum: nempe, regni firmitatem & perpetuitatem (iam enim instabat totius destructio) assequi non potuisse: ac proinde, huiusce finis respectu, eos nihil in suis consultationibus, nisi multa verba fecisse. Ergò locuti sunt verba.

2. *Schau* & vanitatem & mendacium significat. Iurare igitur *leschau* est iurare & ad vanitatem & ad mendacium, id est, vanè & mendaciter. Vanè iuratur primò, cùm sine necessitate, & pro re inani, frustráque iuratur: deinde, cùm per vanos Deos iuratur. 3. cùm quis, etsi per verum Deum, id tamen iurat se facturum, quod est vanum & contra legem Dei. 4. cùm quis absolutè iurat, se id omninò præstiturum, quod in sua potestate positum non est præstare. Mendaciter verò iuratur, cùm mentiendo & animo fallendi iuratur, quod peierare dicimus. Etsi verò verbum hoc omnes has habeat significationes: hoc tamen loco iurare *leschau* propriè pro vanè iurare, idque in tertiam & quartam significationem accipitur. Illud *berith Carath* ad fœdera cum gentibus facta & renouata refertur. Cùm igitur ait: *iurando vanè, feriendo fœdus* tria facit. 1. Indicat, illas Israelis de mutanda religione, de populo, ne Hierosolymam rediret, impediendo, de fœderibus cum regibus gentium feriendis & renouandis, ideóque de regno firmando & in perpetuum stabiliendo, consultationes & constitutiones, non simplicibus verbis, sed cum iuramento & conspiratione fuisse factas. Deinde easdem consultationes, tanquam vanas & impias, damnat, quippe quæ de rebus fuerunt, quæ verè erant vanæ, id est, contra verbum Dei. Postremò easdem tanquam vanas, id est, inanes deridet, quòd, cùm Israelitæ non potuerint assequi finem, quem in suis consultationibus sibi proposuerant atque promiserant, verba tantùm fecisse, & vanè, id est, inaniter iurasse, deprehensi sunt. Ac proinde docet, omnes conspirationes, consilia, decreta, iuramenta, fœdera quæ ab hominibus fiunt de rebus vanis & contra verbum Domini, omnia mera esse verba, verè esse vana, ideóque prorsus deridenda, quia suum finem nunquam assequentur: principes igitur mundi qui consultant, qui iurant, qui fœdera faciunt contra verbum Domini & contra Dominum ipsum, nihil aliud agere, nisi quod verba faciunt, iurant vanè, vanéque fœdera feriunt.

3. *Rosch* cicuta est. Huius autem nomine, venit morbus quiuis contagiosus, qui instar cicutæ in agris, nisi maturè exstirpetur, totam Ecclesiam peruadit atque corrumpit: sicut & Deut. 29. & Amos 7. videre est. *Mischpat* pro gubernatione, qua primores regni populum gubernabant, accipitur *Schadbai* pro *Sciadai*, ed positum est. Huius autem nomine, venit vniuersus populus, qui ager erat Domini. Nomine *talme* sulcorum veniunt singulæ illæ decem tribus. Sunt autem verba sic legenda. Sicut cicuta germinat in sulcis agri, ideóque, quidquid ibi seminatum est boni seminis, corrumpit: sic iudicium, id est, impia gubernatio regum & principum, germinabat in 10 tribubus tanquam in decem sulcis agri. Indicat igitur his verbis, reges & regni gubernatores, cùm debuissent sulcos agri Dominici, id est, 10. Israelis tribus à Domino excultas, suo iudicio, id est, sua iustâ gubernatione ad bonam frugem proferendam, id est, ad obsequium Dei & ad bonos fructus producendos, vitijs & erroribus, tanquam prauis herbis inde euulsis, formare: contrà, suo iudicio, tanquam cicuta, eas omnes corrupisse, à Deo auertisse, & ne pietas germinaret, bonósque suos fructus proferret, quasi suffocasse, &, vt impietas ac superstitio, ceu cicuta omnes decem tribus, tanquam decem sulcos, occuparet, effecisse. Non tantum igitur ad perdendum populum, in suis consultationibus conspirasse, sed etiam reipsa illum totum perdidisse. Ac proinde docet, sicut nihil in Ecclesia & Repub. pijs & iustis gubernatoribus salutarius est, sic etiam nihil eisdem impijs atque iniustis, perniciosius esse.

V. *Vitulis Bethauen metuent incolæ Samariæ.*

1. Nomine *hegloth* veniunt illi duo vituli aurei, quorum alter erat in Dan, alter in Bethel. In fœminino autem genere dixit *lebegloth* propter contemtum. Nominat verò tantùm Beth Auen, quanquam etiam vnus erat in Dan, *κατ' ἐξοχὴν*, quoniam Bethel locus erat celebrior. Porrò alludit ad historiam 4. Reg. 17. cùm scilicet rex Assur inuasit totum regnum Israelis, excepta Samariâ, quam paulò pòst obsedit. Tunc enim Israelitæ qui erant Samariæ, anxij fuerunt magis de vitulis aureis, ne scilicet per hostem abriperentur, quàm de vniuerso regno. Cùm igitur ait: *Vitulis Bethauen timebunt habitatores Samariæ*, tria facit. 1. Rem futuram prædicit: nimirum fore, vt toto regno,

ideóque & Bethel & Dan ab Assur occupatis, qui in munitissima vrbe Samaria adhuc inexpugnati remanserint, anxij & soliciti sint de suis idolis, quæ foris erant in Dan & Bethel, ne scilicet ab hoste rapiantur & confringantur. 2. Tacitè etiam impietatem populi perstringit, quòd scilicet tales vitulos aureos, tanquam suos deos, vsque adeò amet, vt etiam de illis multò magis, quàm de vlla re alia longè carissima anxius & solicitus sit. 3. Postremò amentiam populi deridet, quòd scilicet timeat mala illis suis diis, à quibus omnium malorum depulsionem sperabat. Ac proinde docet, quanta sit hominum superstitiosorum, sicut sunt Papistæ, cæcitas atque amentia, qui de suis idolis, præsertim verò de suo deo panaceo ita sunt soliciti, vt semper illi metuant, ne in terram decidat, ne à muribus arrodatur, néve vllo modo perdatur, cùm tamen omnem in eo spem suæ salutis reponant, & verum esse Deum prædicent.

2. Illud *Ci* particula est expletiua Enimuerò. Verbum *Abbal* luxit pro lugebit, & ad populum, & ad sacerdotes refertur, quòd scilicet tam sacerdotes quàm populus reliquus lugebunt. Illud *balaiu* super eam, sic resoluitur, super illum scilicet vtrumque vitulum, de quibus anteà, sed, mutato genere, dixerat, timebunt vitulis seu iuuencis. Populus eius scilicet vituli, dicitur populus vituli vtriusque cultor: nempe Israeliticus, atque imprimis qui habitabat in Bethel & Dan, vbi ipsi erant vituli. Post dictionem *vchem aráiu*, & sacerdotes eius, subintelligẽdum est *Ascher*, qui scilicet an ea lætabantur super eum scilicet vtrumque vitulum. Cùm igitur ait: *Enimuerò plorauit super eum*, scilicet vtrumque vitulum, *populus eius & sacerdotes eius*, scilicet plorabunt super eum, qui scilicet sacerdotes & populus super eum, vtrumque vitulum, exsultabant, id est, exsultare solebant & solent. Dicit enim actum continuum, idcóque in futuro posuit, duo indicat. 1. Israelitas, ac præsertim eos, qui habitabant in Dan & Bethel, antequàm regnum occuparetur ab Assur, immensâ lætitiâ solitos fuisse affici, quòd haberent duos illos vitulos, tanquam duo totius regni propugnacula in quibus totius salutis suæ spem collocauerant, quódque viderent illos ab omnibus coli. 2. At verò, vbi venit hostis, totúmque occupauit regnum, non solum, qui erant Samariæ, vitulos metuisse, ne raperentur, & in frusta scinderentur, sed etiam reliquum vniuersum populum, qui ab Assyrio captus fuerat affectum dolore propter vitulos, quòd scilicet è suis altaribus deturbati atque abrepti ab Assyriis fuissent, vehementer luxisse. Ac proinde docet idololatras maximâ quidem ad tempus affici lætitiâ ex suis idolis & superstitionibus, quamdiu Deus scilicet ad illorum idololatrias conniuet, illísque suas ἐθελοθρησκείας saluas & incolumes permittit, at verò tandem lætitiam hanc immensam in summum luctum esse conuertendam.

3. Gloria vitulorum fuit, cùm illorum ornatus & cultus, tum illorum cultor populus. Cùm igitur ait, *In gloriam eius* (nempe vtriusque vituli, subintellige, plorabunt sacerdotes & populus) *quia migrauit ab eo*. Clariùs explicans, propter quam præcipuè caussam plorabunt Israelitæ super vitulos, indicat. 1. Ideò ploraturos, quia vitulos illos videbunt & suo ornatu, & cultu, & suo illorum cultore populo spoliatos. 2. Consequenter indicat, Israelitas, qui erant gloria vitulorum, transmigraturos è suo regno, atque à suis vitulis in Assyriam.

4. Neque verò ait, vel initio versus, *Timebunt fratribus suis*, sed tantùm, *Timebunt vitulis*. Neque deinde ait, *Lugebunt vel super se, vel super fratres*, sed, *Super vitulos*. Neque ait, *Lugebunt super gloriam Dei, sed super gloria vituli*. Indicat igitur, Israelitas magis de gloria vitulorum, quam vel de gloria Dei, vel de salute proximi, imò & quàm de sua propria salute, fuisse anxios atque solicitos. Ac proinde docet, verè cæcos & amentissimos esse idololatras, quòd tanto erga sua muta idola amore, & gloriæ illorum desiderio æstuent, vt & Dei veri & proximi, & verò etiam sui, illorum caussâ, obliuiscantur.

VI. *Et ipsum Assyrio feretur, donum regi Iareb.*

1. *Otho* neutri quidem est generis, sed ad vtrumque vitulum refertur. Vitulos autem hos primùm in fœminino, deinde in masculino, postremò in neutro genere nominauit. Nihil verò potest esse & masculini, & fœminini, & neutri generis simul. Non solùm igitur per contemtum ita genus variauit, sed etiam vt indicaret, vitulos illos, ideóque idola omnia, verè nihil esse, sicut Paulus docet: *Scimus, idolum nihil esse*, id est, meram esse vanitatem.

2. Iareb de sententia Hebræi cuiusdam doctissimi, vel metropolis erat Assyriæ, vel locus saltem regius, vbi frequenter habitare solebãt Assyriæ reges. Cùm igitur ait, *Et ipsum Assyrio feretur, munus regi Iareb*, indicat, non solùm populum in captiuitatem abductum iri, sed etiam ipsum populi Deum, vitulum scilicet vtrumque, vnà cum suo populo, ab exercitu Assyrio captum, & suo regi Iarebo singulare munus donatum iri. Quemadmodum, cùm dux seu imperator alicuius exercitus capitur, tanquam exiguum munus ab illo, qui cepit, suo regi donari solet. Ac proinde docet, quanto in contemtu habenda sint idola, quando ea ipsa sinunt se capi atque in captiuitatem abduci, id quod, si veri dij essent, nullo modo permitterent.

5. *Baschnah* est pro *Bascheh* confundi à consilio vel suo vel alterius, est frustrari spe & fructu, quem sibi ab suo vel alterius consilio promittebat. Nomine autẽ consilij Israelis veniunt etiam vniuersa mala consilia, synecdochicè quibus Israel, spe conseruandi regni, vt aliquid contra verbum Dei fieret consuluit, tum imprimis illud, quando consuluit, vt, mutaretur religio, & erigerentur duo vituli, alter in Dan, alter in Bethel. Fore enim, vt hac ratione populus, ne ad regẽ Iehuda deficiat, retineatur, atque ita regnum Israelis in perpetuum firmetur ac stabiliatur. Cùm igitur ait: *Pudorem Ephraim accipiet & pudefiet Israel à consilio suo*, indicat Israelem frustratum iri spe sui consilii, id est, captum & destructum iri regnum, tum propter vitulos, tum propter fœdera cum gentibus, cuius tamen regni sibi perpetuitatem promiserat, si religio mutaretur, vituli erigerentur, & denique si fœdera cum regibus ferirentur ac renouarentur. Ac proinde docet, omnes huius seculi sapientes, qui semper ex prudentia carnis consulunt, consiliáque dant contra consiliũ, id est, verbum Dei, à suis tandem consiliis, vt sapientissimi videantur, nihil, nisi pudorem & confusionem, relaturos & habituros quoniam Deus (vt ait Dauid) dissipat consilia gentium & reprobat, id est, irritas facit cogitationes populorum, consilium autem Domini manet in æternum. Soli igitur Dei consilio parendum esse, quoniam illud nullam potest adferre confusionem.

VII. *Succisa est Samaria, succisus est rex eius.*

1. Verbum *nidhmeh* ingeminandum est, hoc modo, *Succisa est Samaria succisus est rex eius*. Nomine autem Samariæ synecdochicè venit vniuersum regnum Israel. Nomine verò regis, rex cum vniuerso suo populo. Non sine caussa autem vtrumque nominat. Samariam quidem quia cùm esset metropolis, prorsus inexpugnabilis præ aliis vrbibus esse videbatur. Regem verò, quia illum post suos vitulos, putabant Israelitæ, sibi fore, ceu inexpugnabilem arcem. Cum igitur ait: *Succisa est Samaria, succisus est rex eius*, prædicens omnimodam totius regni, totiúsque populi destructionem, & quasi à fundamẽtis, conuulsionem, indicat, neque munitissimam vrbem Samariæ, neque potẽtissimum regem, fore à clade & excidio immunem: multò minùs igitur reliquas vrbes & reliquum populum.

2. Non simpliciter ait: *Succidetur Samaria, succidetur rex eius*: sed addit, *Sicut spuma super facie aquarum*. Comparat regnum & regem Israel, spumæ, quæ aquis supernatat: huiuscemodi autem spumæ, primò tumores aquei sunt, extrinsecus quidem ampli & splendidi, sed intus nihil habentes solidi: deinde eminent quidem aquis, quibus supernatant, sed tamen nihil aliud sunt, quàm aquarum excrementa: postremò citò quidem nascuntur, & ad tantam magnitudinem perueniunt, sed citò etiam euanescunt, & in nihilum rediguntur. Tria igitur indicat hoc simili. Primùm, regnum Israel quòd ad externam quidem faciem attinet, amplum & splendidum fuisse, sed intus, quia sine Deo, & sine Christo rege erat, nihil habuisse solidum, meram tantùm fuisse bullam. Deinde, quòd ad externam potentiam, splendorem & populi multitudinem, superiùs quidem fuisse regno Iuda, & quasi super illius caput, sicut bulla super aquis, equitasse, excrementum tamen reuera & fæces regni Iuda fuisse. Postremò, citò quidem natum & ad maximam potẽtiam splendorémque euectum, sed citò etiam & quasi vno momento euanescere debuisse. Ac proinde docet, regna mundi & eorum reges ac principes, præsertim, qui sunt sine Christo, vtut potentissimi & splendidissimi sint, nihil tamen reuera esse, quàm spumas & bullas super faciem aquarum, in quibus nihil est solidum, & licèt potentia & splendore excellant Ecclesiam Christi reuera tamen excrementa & fæces esse extra Ecclesiam Christi electas, tandem igitur, vno quasi momento, succisum iri.

VIII. *Et dissipabuntur excelsa Auen,*
peccatum populi.

1. Nomine *Bamoth* excelsorum, veniunt altaria & sacella, quæ erant in excelsis montibus Bethel & Dan. Etsi enim mentionem tantùm faciat Bethel: synecdochicè tamen etiam excelsa Dan intelliguntur. Non ait autem excelsa *Bethel*, neque etiam *Bethauen*, sed tantùm *Auen*, deinde, eundem locum vocat *Chattah* peccatum Israel. Indicat igitur,

locū illum Bethel, etsi diuinitùs eo sacrosancto nomine appellatus fuit, quia ibi Deus apparuit S. Patriarchæ Iacob. quia tamen eo loco abusus est populus, ibi colens idola, ex Bethel factum fuisse non solùm *Bethauen* domum iniquitatis, sed etiam ipsam iniquitatem, & ipsum peccatū. Non potuisse igitur Israelitas suum impium cultum sanctitate loci fucare, quòd scilicet eo in loco exerceretur, quem Deus vocari iussit domū Dei, quando propter iniquitatem, quæ ibi admittebatur, ipse quoque locus, non tàm domus iniquitatis, sed etiam iniquitas & peccatum ipsum factum fuerit. Ac proinde docet, hypocritas frustra obtegere sua sacrilegia sacris nominibus vbi à pura Dei institutione ad suas imaginationes deficiunt, neque sacra locorum ac ceremoniarum nomina impios cultus reddere sactos sed contrà, sacrilegos cultus, sacrilega quoque reddere loca & locorum ac ceremoniarum nomina.

2. Bethel appellat *Bethauen* & *Auen*, propter iniquū cultum, quo ibi se colere Deum profitebatur Israelitæ. Cultum verò illum, etsi sacrosanctus populo videbatur, quia tamen conformis nō erat verbo Dei, iniquitatem & peccatum esse pronunciat. Docet igitur, quicquid à verbo Dei degenerat, eique conforme non est, etsi hominibus sanctissimum videatur: re vera tamen impietatem esse atque peccatum atque ita peccatum & impietatem, vt etiam loca, vbi tale quid admittitur, impura atque impia & sacrilega reddat.

3. *Spina*, inquit, *& carduus ascendent super altaria eorum.* Explicans igitur, quomodo excelsa Auen dispendentur, indicat, loca illa alioqui, tunc frequentissima & celeberrima, propter idololatriam, quæ ibi exercebatur fuisse in syluas & nemora vertenda: populo nimirum in captiuitatem abducto, & vitulis inde in Assyriam translatis.

4. Quòd quis dicat *montibus, operite me, & collibus, cadite super me*, extremæ desperationis signum est, eique argumento, illum malle horrifica morte perire, quàm præsentem calamitatem spectare. Deique aduersus se manum sentire, sicut & Luc. 23. & Apoc. 6. apparet. Cum igitur ait: *Israelitas dicturos montibus, operite nos, & collibus, cadite super nos*, indicat, tantam eorum fore calamitatem, vt futura sit illis vita hæc, & solis cōspectus horrori, ac malint simul potiùs, idque horrificè mori quàm præsentem Dei vindictam contra se sentire. Ac proinde docet, multò intolerabilius esse, cernere & sentire Deum nobis iratum propter nostra scelera, quàm centies mori atque à montibus obrui.

IX *A diebus Gabaa.*

1. Primum *Mem* in *Mime* comparatiuè, de sententia etiam Auen Ezra, accipitur. Israelem scilicet peccasse à diebus Gabaa, id est, grauiùs, quàm peccatum fuerit tempore Gabaa ab ipsis Gabaonitis. Confert autem peccata Israelitarum, cum peccatis Gabaonitarum, quòd in Gabaa grauissima, & sine vllo pudore, atque impunè admissa fuerint scelera, sed in Israel longè grauiora, & multò impudentiùs admitterentur. Porrò peccata Gabaonitarum permulta diuersáque fuerunt, sed prodigiosæ & Sodomiticæ libidines, quę impunè & sine vllo pudore grassabantur in Gabaa, hîc à Propheta notantur. Ad historiam enim Iudic. 19 alludit, scelera etiam Israelitarum permulta variáque fuerunt, sed fœdissimæ imprimis, atque hæ quidem spirituales libidines, id est, idololatriæ, hîc à Propheta perstringuntur. Cùm igitur ait. *Israelitas nunc grauiùs peccare, quam olim Gabaonita*, indicat, longè nunc impudentiùs & multò magis impunè grassati cum reliqua scelera tum præsertim idololatriam in Israel, quàm olim grassatæ fuerint obscœnæ libidines in Gabaa. Ac proinde docet, idololatriam scelerum omnium, atque ipsius etiam Sodomiticæ obscœnitatis, multò grauissimam esse iniquitatem.

2. Cùm à secunda persona ad tertiā transiens, ait *ibi steterunt*, nempe Israelitæ, subintelligendum est, in suis iniquitatibus & peccatis. Stare autem in peccatis, est in peccatis perseuerare, atque in eis obstinatum esse. Indicat igitur, Israelitas non solùm grauiùs peccasse Gabaonitis, quòd & grauiora scelera admitterent, nempe idololatriam, & impudentiùs hanc exercebant, quàm illi suas carnales libidines, sed etiam in iis suis sceleribus pertinaciores & obstinatiores illis fuisse. Ac proinde docet, longè difficiliùs auelli posse idololatras à suis superstitionibus, quàm reliquos sceleratos à suis sceleribus, propterea, quòd reliqui scelerati faciliùs sua agnoscunt scelera (peccati autem cognitio primus ad resipiscentiam gradus est) quàm superstitiosi suas idololatrias velint agnoscere, & fateri esse idololatrias.

3. *H Alualah* per metathesin pro *haulah* à *haual*, *haulah* verò iniquitas est. Nomine autem *filiorum iniquitatis*, veniunt hîc ipsi Gabaonitæ, aduersus quos susceptum fuit bellum. *Bagibhhah* pro *cebagibhhah* sicut in Gabaah. Cùm igitur ait: *Non apprehendet eos sicut in Gabaa bellum* (quod scilicet fuit) *contra filios iniquitatis*, id est, iniquos. Si illud verbum in futuro, sicut est, accipiamus minatur Deus Israelitis & ait, se nolle tale bellū illis inferre, quale olim in Gabaa mouit contra impios Gabaonitas: nempe, neque non longum, neq; tàm tenue & molle, vt possint hosti resistere, sicuti Gabaonitæ Israelitis ita bis restiterunt, vt bis etiam fuerint illis superiores. Indicat igitur, se velle tàm acri & forti bello illos aggredi, vt vno momento omnes simul disperdat. Si verò futurum pro præterito capias, stuporem Israelitarum perstringit, caussam simul etiam assignans, cur præfracti in suis peccatis perseuerent: nimirum, quoniam bellum, i. est, memoriam belli, quod in Gabaa aduersùs filios iniquitatis gestum est, illos non apprehendit, seu quoniam non sentiunt, se Gabaonitarum exemplo admoneri, vt resipiscere discant, & quòd, cùm sint similia, imò & grauiori bello, funditùs perdentur, quàm Gabaonitæ olim fuerint perditi. Ac proinde docet, stuporem hunc, quo scilicet iram Dei aduersùs nostra peccata, in aliorum exemplis non consideramus non postremam esse caussam, cur stemus, id est, obstinati perseueremus in nostris peccatis.

X. *In voto meo est, & castigabo eos.*

1. Esse aliquid nobis in voto, est nos aliquid non simpliciter velle, sed summo eum desiderio & voluptate velle: subintelligitur autem *Israelem castigare*. Mabor illius verbi *vecsforem*. Cùm igitur Dominus ait, *In voto meo est* scilicet castigare eos, *& castigabo eos*, tria indicat. 1. Se vehementer cupere castigare Israelitas. 2. Nec solum cupere, sed etiam decreuisse id facere, suóque desiderio satisfacere. 3. Certò igitur se illos castigaturum, suúmque decretum reuocari non posse: ac proinde docet, se affici delectatione, cùm punit impios.

2. Etsi verò alibi, vt cap. insequenti, apud hunc Prophetam docet, cùm aliquem punit, se quasi coactum & inuitum id facere: illud tamen cum hoc præsenti loco non pugnat, quoniam illud, & alia similia loca, de castigationibus, quibus suos filios electos castigat, intelliguntur: præsens verò locus de castigationibus, quibus reprobos & præfractos Israelitas puniturus erat intelligendus est.

3. Cum ait, *Et congregabo super eos populos*, indicat modum, quo castigaturus sit Israelitas: nempe, non per Iudæos aut alios Israelitas, sicut Benjamitas in Gabaa alias puniuit per Israelitas, sed non sine maxima Israelitarum clade, verum per gentes exteras, nempe per Assyrios crudelissimos & potentissimos, quibus resistere minimè possent: se igitur congregaturum populos, ad disperdendos Israelitas.

4. *Honothbam* per Iod quidem scribitur, sed pronunciatur per *van*: quia *Iod* positum est loco *van* potest autem esse & à *hon* quod iniquitatem significat, & à *hanah*, vnde *honah* quod significat sulcum, vtro autem modo legas, caussam assignat cur velit eos per Assyrium perdere. Si cum LXX. interpretibus, Hieronymo & aliis patribus *honotham per Iod pro honothbam per van* legas indicat, ideò se illos castigaturum, quia alligati, (id est, obstinati sunt) duabus, (id est, in duabus iniquitatibus suis: nempe in eo, quod & verum Deum, verú mque Dei cultum deseruerunt, & alienos Deos, vitulos nimirum, alienósque cultus, nempe superstitiosos, a gentibus acceptos, sibi delegerunt, sicut alibi per alium Prophetam ait Dominus. *Duo mala fecit populus meus. 1. Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ. 2. Et foderunt sibi cisternas non tenentes aquas.*

5. Si verò cum Kimhi, Auen Ezra & aliis *honothbam* pro sulcis accipias, alludit ad indomitas iuuencas, quę cum non sint assuetæ arationi si ligantur ad agros arandos, nunquam rectè arant, vnum rectum faciendo sulcum, sed iugi impatientes modò in dextram, modò in sinistram declinant, duos simul obliquos facientes sulcos. Indomita iuuenca, (vt in versu sequenti mox dicet) est Ephraim. Iugum, est lex Dei. Ager Domini, est Ecclesia. Arare agrum Domino est in Ecclesia Deo seruire, seu Deum colere. Ille rectè arare dicitur, ideóque vnum tantùm facere sulcum, qui continens se sub iugo, puro & recto cultu Deum colit, non declinans ab eo neque ad dexteram, neque ad sinistram. Ille verò obliquè arare, ideóque duos sulcos simul facere dicitur, qui impatiens iugi legis diuinæ, partim Deo, partim Baali seruit, declinans modò ad dexteram, modò ad sinistram. Sic fecit illa indomita iuuenca Ephraim: quemadmodum alio simili exprobrauit ei Elias Propheta dicens. 3. Reg. 18. *Quid claudicatis in duas partes? si Iehoua est Deus, sequimini eum: Si Baal est Deus, ergò eum sequimini.* Cùm igitur ait, se castigare Israelitas, collectis contra eos populis, nempe Assyriis, cum colligati

colligati sint duob. sulcis suis, indicat, sed ideò illos castigaturum, quoniã non arant rectè, nec se continent in vno sulco, in puro sc. Dei cultu. sed ligârunt & obfirmârunt se in illis duobus suis sulcis, i. in illa sua duplici religione & cultu, partim Deum, partim Baalim colentes: ac proinde docet, nihil sibi ingratius fieri posse, quàm cũ quis, impatiens iugi diuini humanas superstitiones cũ diuino cultu permiscet, partim Deo, partim Baalim seruiens, atque ita duos simul obliquos faciens sulcos. Iustam hanc certè caussam esse, cur Deus huiuseemodi indomitas iuuencas castigare, talésq; Ecclesias in suis duobus sulcis obstinatas, collectis contra eas populis multis, funditùs perdere debeat.

XI. *Et Ephraim iuuenca adsueta amare trituram.*

1. Iod in principio *ohabhebi* redundat: subest autem hic tacita antithesis inter triturationem & arationem. Iuuẽca adsueta trituræ, non libenter arat. Est enim trituratio iuuencis, facilior, iucundior, vtilior, ipsâ aratione. 1. Etsi in vtraque obsequium à iuuencis præbetur suis dominis. obsequiũ tamen illud in aratione longè laboriosius est, quã in trituratione. 2 In aratione coguntur iuuencę esse sub iugo, quo collum premitur, in trituratione nullum ferunt iugum, sed liberè per aream vagantur. 3. In aratione plerumque obturantur ora bobus, reticulo ex viminibus, vel ex funibus contexto, ne sit illis liberũ comedere, cùm volunt at in trituratione iuxta legem Domini, os boui trituranti non obligatur. Itaq; ex trituratis frumẽtis comedit, cùm vult. Cùm igitur ait: *Ephraim iuuẽca amare trituram adsueta*, caussam assignat, cur Israelitæ nõ rectè arauerint, sed impatientes iugi, duos fecerint sulcos, inque illis fuerint obstinati, quoniam cùm essent adsueti tãtùm triturationi, non potuerunt ferre arationem, i. quoniam, etsi nunquam recusârunt aliquod obsequium præstare Deo: facilioribus tamen duntaxat obsequiis, qualia sunt externa ceremonialia, adsueti fuerunt. Neque. n. ea, quę grauia sibi videbantur, præstare voluerunt: deinde illud etiam qualecunque obsequium, quod præstabant Deo, voluerunt pręstare liberè non sub iugo, i. voluerũt Deo seruire pro suo arbitrio & licentiâ, non pro arbitrio & voluntate Dei: postremò adsueti annonæ, & omnium rerũ copiæ, quæstui, denique deliciis omne genus pro sua libidine fruendis, facti sunt nimis pingues atque obesi, ita, vt nimis pinguefacti in sua trituratione, iugum deinde ad arãdum ferre nequiuerint, ac proinde iugi impatientes, huc atq; illuc diuertentes, duos sulcos simul fecerunt, inque illis animos suos obfirmârunt. Ac proinde docet, nimiã libertatem, vel potiùs licentiam, nimiam omnium rerum copiam, nimias delicias & voluptates, quibus sumus iampridem assuefacti, plerunque, non dicam occasionem, sed caussam esse, cur vocati ad rectè arandum, in agro Domini, impatientes iugi à recto tramite huc atq; illuc deflectimus, partim Deo, partim diabolis, partim Christo, partim Antichristo seruientes, & superstitiones cum vero cultu miscentes. Iuuencæ sumus fratres, triturandis tantùm frumentis, & fruendis aliorum laboribus adsueti: ideò cùm diligenter est arandum, & pro Christo laborandum ac sudandum, cùm est vita pro Christo exponenda potiùs, quàm vt vel latum vnguem à puro eius cultu deflectamus, non possumus ferre iugum, ideò modò ad dextram, modò ad sinistram confestim deflectimus.

2. *Habkar* significat transire & transgredi. Si pro transgredi cũ R. Salom. accipiamus, Dominus iis verbis: & Ego transgressus sum supra obesum eius, iuuencæ, collum, ὥσπερ αἰδήμων ἢ ..., ait, se malè fecisse, quòd tam bene tractârit Ephraim, seu, quòd iam pinguefecerit Israelem. Indicat verò, Israelem abusum fuisse clementiâ, bonitate, & liberalitate Domini quia assuetus tantum triturationi, ibíque obesus factus, noluit postea sub iugo rectè arare Si verò cũ aliis ferè omnibus accipiamus verbum illud pro transire: transire super collum iuuencæ, est conscendere super eius dorsum & collum, & iugum vi illi imponere. Est autem ecliptica oratio, cùm ait: *Et Ego transiui super collum eius*, subintelligendum enim est Et iugum illi imposui, & ad arandum adegi, sed ipsa impatiens iugi. rectè arare noluit. Tria igitur indicat. 1. Ipsum Israelem ex Domini liberalitate, factum fuisse pinguem, obesum, potentem & omni rerum copiâ affluentem: ideò appellat obesum eius collum. 2. Cùm ita florerent regnum Israel, se per Prophetas iugum legis illi imposuisse, id est, verbum prædicasse & inculcasse, atque ad arandum, id est, ad Deum rectè colẽdum, quasi coegisse, ideò ait: *Transiui super obesum eius collum*. 3. Verùm innuit id quod supra dixerat, iuuencam hanc impatientem iugi, rectè arare noluisse, sed duos fecisse sulcos, inque illis fuisse obstinatam.

3. Facere aliquem equitare, Hebraica phrasi, est efficere, vt aliquis violenter & velociter è suis laribus in longinquam regionem transuehatur. Facimus enim equum equitare, cùm calcaribus ita premimus, vt faciamus illum e stabulo in longinquam regionem velociter currere, ac ceu transsultare. Cum igitur ait, *Et Ego equitare faciam Ephraim*, denuncians illi captiuitatem atque exsilium, indicat, se effecturum, vt totus ille populus tanquam indomita iuuenca è suo regno in longinquam regionem, i. in Assyriam, pressus ab Assyriis, violenter & velociter transuolet, idque propterea, quòd nimis obesus, neque sub iugo Domini esse, neque in agro rectè arare vult, sed tantùm delicias & quæstum triturationis amat.

4. *Arabit Iudas, & Iacob occabit*. Nomine *Iacob*, veniunt reliqui omnes filij Israel, qui cum tribu Iuda coniuncti erant, sed non erant è tribu Iuda. Verbis *Arandi & occandi*, venit obsequium & cultus Dei purus in Ecclesia. Est autem hic non comminatio, sed promissio. Cùm igitur ait: *Arabit Iudas & occabit ei Iacob*, indicat, expulsis è suo agro in perpetuam captiuitatem decem tribubus, propterea quod, vt iuuencę indomitę, rectè arare nolunt, se retenturum Iudã, & aliquot alias reliquias seminis Iacob, in suo vero ac puro cultu & obsequio, ideóque in Iuda & aliquot aliis reliquiis Israel, se Ecclesiam conseruaturum.

5. Ait autem primò, *Iuda arabit*, deinde, *Iacob occabit ei scil.* Iehudæ, quoniam tribus Iuda, cùm esset tribus regia, atque ex ea oriturus esset Messias, præire debebat omnibus reliquis filiis Iacob, in vero & puro cultu Dei pręstãdo, reliqui verò omnes eam subsequi, & si quid omissum fuisset à Iuda, illud resarcire, atque ita ad perfectam agricolationem Iudã adiuuare: ac proinde docet, in Ecclesia ordinem esse debere, vt alij præcedant, alij subsequantur in colendo agro dominico. & quidem eos qui in maiori dignitate sunt constituti, sicut erat tribus Iuda, aliis in obsequio & cultu Deo præstando præire, reliquos verò subsequi debere.

XII. *Seminate vobis ad iustitiam.*

1. Iustitiæ nomine, cùm de natura iustitiæ scripturæ loquuntur, veniunt plerunque hæc tria. 1. Remissio peccatorum, cum imputatione iustitiæ Christi, per misericordiam Dei. 2. Deinde ipsa cordis, hominísque renouatio ac sanctificatio. 3. Ipsa internæ inhærentísque iustitiæ opera. Hæc autem triplex iustitia ex verbo Euangelij in agro cordis nostri sato, & fide recepto, tanquam ex semine (semen enim est verbum Dei) seu ex fide in Deum & Christum, in verbo reuelatum, nascitur: nam & remissio peccatorum, simul cum imputatione iustitiæ Christi, fide recipitur, & spiritus regenerationis citra fidem non donatur & fructus internę iustitiæ è fide nascuntur, fide per caritatem operante. Seminare igitur ad iustitiam sc. habendã, est fide verbum Dei in cordibus nostris, tanquam in agris recipere, Deo fidere, totámque salutis fiduciam in Deo & Christo reponere, quoniam ex hac tanquã ex semente, omnis nostra oritur iustitia. Cùm igitur ait, *Seminate vobis ad iustitiam*, non iam hortatur in præsentia Israelitas ad resipiscentiam, quam summatim docet, ad quid antea semper illos hortatus fuerit per Prophetas: nempe, primò ad verbum Dei fide recipiendum & retinendum, quoniam ex hoc omnis nostra oriatur iustitia, & hoc quò ad Deum. Deinde verò quò ad proximum, ait: *Metite Chesedh*. Nomine autem *Chesedh* venit misericordia & beneficentia, beneficentia verò hæc erga proximum oritur ex fide in Deum Cùm igitur ait: *Metite beneficentiam*, nempe, tanquam fructum seminis ad iustitiam, sati, i. fidei: duo indicat. 1. Alteram partem doctrinæ diuinæ esse, vt, postquã fide recepimus verbum, totámque fiduciam salutis nostræ in Deo collocauimus, opera etiam pietatis, ipsámque beneficentiam in proximum, exerceamus. 2. Hanc verò beneficentiam meti ex semine fidei, seu fructum esse fidei, internæque iustitiæ: ac proinde cùm ait, *Metite*, non tantùm hortatur, sed etiam docet, quis fructus ex præcedenti semente nascatur & metatur. Nempe, fructus iustitiæ, id est, ipsa in proximum beneficentia.

2. Non ait autem simpliciter: *Metite*: sed, *Ad mensuram*. Indicat igitur in beneficentiæ & pietatis erga proximum operibus præstandis, mensuram esse seruandam, nempe, vt, quantum cuique opus est, & nostræ ferunt facultates, tantum etiam beneficentiæ & officij in quemque conferamus, sicut in Actis legitur: *Et distribuebant vnicuique pro vt cuique opus erat*. Et cùm (vt ait Apostolus) in omnes sint conferenda beneficia, maximè verò in domesticos fidei, ea conferri curemus.

3. Postremum quod ad nos attinet ipsos, ait Propheta *Niru lachem nir*. Arare autem arationem, est arationem renouare, seu, vt Hieronymus vertit, nouare nouale, est agrum

non semel, sed sæpiùs arare, ac euulsis inde spinis & malis herbis, quæ subinde succrescunt, renouare, quò meliores fructus possit & grandiores edere. Cùm igitur ait: *Nireu lachem nir* nouale vobis renouate, *tropicôs* indicat, hanc fuisse & esse tertiam totius diuinæ, non tantùm ad Israelitas, sed etiam ad nos, exhortationis particulam, nempe curemus, vt noster tum cordis, tum corporis ager, tam carnis mortificatione, quàm spiritus viuificatione quotidie renouetur, quò largiores & meliores beneficentię fructus, è semine Dei, ibi per fidem recepto, proferre possit. In nostrę igitur carnis mortificationem, & spiritus viuificationem continenter esse incumbendum.

4. Nomine *leth* venit *kairos* seu tempus opportunum. Is autem quærere Deum dicitur, qui suorum peccatorum vero dolore tactus & verè pertæsus, & misericordiæ ac iustitiæ Christi desiderio affectus per veram resipiscentiam à mundo auersus, ad Deum, qui se iustificet, in verbo quęrendum, atque in cœlis inuocandum, sese per veram fidem cõuertit. Porrò tamdiu tempus est quærendi Dominum, quamdiu Dominus est nobis placabilis: est autem Dominus tamdiu nobis placabilis, quamdiu nos possumus ex animo resipiscere, ideóque quandiu sumus diuinæ misericordiæ capaces. Cum igitur ait: *Tempus est quærendi Dominum*, duo facit. 1. Facit Israelitis spem salutis, quod Dominus adhuc ad misericordiam propensus sit, modo ipsi per veram resipiscentiam & fidem ad eum redire velint. 2. Deinde vero tacitè minatur, nisi maturè redeant in viam, quamdiu tempus est, & quamdiu Dominus illis est placabilis, fore, vt præcludatur eis salutis via, & nullam apud Dominum misericordiam reperire queant: non enim hoc tempus quærendi Dominũ, perpetuum fore. Ac proinde docet, nunquam quidem esse desperandum, quamdiu sumus in hac vita, quia adhuc tempus est quærendi Dominum, sed neque etiam procrastinandam esse resipiscentiam, & scelera continuanda: quia tempus quærendi Dominum, tandem elabitur, & nobis perpetuum esse non potest.

5. Dominus ad nos redire dicitur, partim, cùm suâ gratiâ in nostrum cor illabitur, & facit, se à nobis agnosci, & sentiri clementem & misericordem, partim cùm externis etiam beneficiis nos cumulando & à malis eripiendo, sese nobis adesse & præsentem esse declarat.

6. Nomine autem iustitiæ, quam dicitur Deus in nos pluere, venit omnis Dei erga nos bonitas: tam illa, quâ nos recipit in gratiam & iustificat & regenerat, quàm illa, quâ nos externis etiam beneficiis & temporalibus & æternis afficit. Cùm igitur ait: *Donec ipse veniat & pluat vobis iustitiam*, duo facit. 1. Indicat, si Israelitæ syncerè & ex animo quærant Dominum, dum tempus est illum quærendi, Dominum obuiam illis venturum, illos in gratiam recepturum, & quàm sit erga illos clemens & benignus, infinitis beneficiis declaraturum, neque illos operam perdituros, si ad iustitiam seminârint, quoniam tandem ipsam Dei erga se bonitatem, largiter è cœlis, instar magnæ pluuiæ effusam sentient. 2. Etsi Dominus certò ad nos venturus est, & illos tum variis beneficiis cumulaturus, tum è variis malis erepturus, si ex animo ab illis quæratur non tamen esse nimis festinandum, sed patientia opus esse. Illum enim etsi quærẽtes se, recipiat in gratiam: non tamen statim illos aut omnibus malis liberare, aut omnibus beneficiis cumulare solere. Venire enim ad nos, cùm ei lubet, ideo semper illum nobis esse quęrendum, idque cum patientia, donec ipse plenè veniat, & perfectam nobis pluat iustitiam, iuxta illud etiam Iesai. 28. *Qui crediderint, non festinent.*

7. Non ait autem simpliciter, *Dum iustitiam vobis emittat aut donet*, sed *pluat*. Duo igitur indicat. 1. Iustitiam illam aliunde, quàm è cœlo ad illos deriuandam, & aliunde, quàm è cœlo exspectandam, non fuisse. 2. Deum non parcè, sed largiter, suam erga illos bonitatem, instar pluuiæ, è cœlo effusurum: ac proinde docet. 1. Quidquid iustitiæ & boni habemus, totum illud è cœlo ad nos fluxisse. 2. Deum in illos, qui se quærunt, liberalissimum esse, & sua quàm largissimè conferre beneficia.

XIII. *Arastis iniquitatem.*

1. Arare impietatem pro seminare impietatem dixit. Sicut autem ille dicitur seminare ad iustitiam, qui verbum Dei fide recipit, totámque suę salutis fiduciam in Deo & Christo reponit, quia fides initium est omnis iustitiæ: ita contrà ille seminare impietatem dicitur, quia verba Dei sua infidelitate reiicit, suæque salutis fiduciam non in Deo, sed in se, suis viribus & creaturis aliis collocat, quoniam infidelitas omnis impietatis fons est. Metere verò iniquitatem, nempe ex impietate tanquam ex semine, est reliqua scelera omnia, ex ipsa infidelitate, à qua tanquam à semine proficiscuntur, tã in Deum & proximum, quàm in seipsos admittere. Cùm igitur ait: *Arastis impietatem, messuistis iniquitatem*, indicat, Israelitas iis, ad quæ Dominus per Prophetas semper hortatus illos fuerat, omninò contraria ex diametro admisisse, quoniam, cùm debuissent primùm seminare ad iustitiam, id est, verbum Dei fide recipere, totámque salutis suæ fiduciam, vt verbum Dei tradit, in Deo collocare, ipsi sua impietate, i. sua infidelitate verbum reiecerunt, suæque salutis fiduciã, non in Deo, sed in suis viis, i. in suis inuentis & suis viribus posuerunt, & cùm deinde debuissent colligere ad mensuram beneficentiam, id est, beneficentiam ex fide collectam in proximum exercere, ac postremò continenter cum carnis mortificatione, tum spiritus renouatione, seipsos, tanquam agros, renouare ipsi contrà messuerunt iniquitatem, i. scelera omne genus ex impietate profecta admiserunt.

2. Si legatur, *Comedistis fructum mendacem*: Comedere fructum mendacem, est non frui illis bonis fructibus, quos è tua sementi te fruiturum sperabas, seu est, tuâ spe, vt inani & vana, frustrari. Cùm igitur ait: *Comedistis fructum mendacem*, duo indicit. 1. Ipsos Israelitas sperasse, se fruituros multis bonis è sua illa impia religione, è suis iniquis consiliis, & suis fœderibus, tanquam fructibus suæ sementis: nẽpe quod essent diu in pace victuri, & regnum in perpetuum conseruaturi. 2. At verò frustratum iri suis inanibus spebus, quoniam ex tali semente impiâ, non, nisi malos fructus, colligere & comedere possint: ac proinde innuit, illos non solùm non conseruaturos regnum, sed etiam in captiuitatem esse abducendos.

3. Si verò legimus, *Comedistis fructum mendacij*. Comedere fructus mendacij est, iustas mendacij pœnas dare. Mẽdacium autem Israelitarum fuit: quòd tum animo credebant, tum verbis iactabant, tanquam verum, id, quod omnino erat falsum, nempe, si religionem mutent, si populum retineant, ne redeat Hierosolymam, si fœdera faciant cum gentibus, suum regnum in perpetuum conseruatum iri: hanc enim optimam esse conseruandi regni rationem, hoc autem totum falsum & mendacium fuit. Cùm igitur ait: *Comedistis fructum mendacij*, indicat, Israelitas hæc quidem iactasse, & sibi ex iis pacem & regni conseruationem promisisse, sed suâ inani spe frustratos, iustas sui mendacij pœnas, certò & breui daturos fuisse.

4. Quum ait: *Confisus es in viis tuis*, nomine viarum, intelligit omnia Israelis inuenta & instituta, quibus suum gubernabant regnum, vt noua & ab ipsis excogitata religio, nouę leges, noua cum gentibus fœdera, denique noua, id est, diuersa à lege Dei, vitæ ratio. Cùm vero ait, *Et in multitudine fortium tuorũ*, nomine *gibborim* fortium propriè quidem veniunt ipsi Israelitæ cum suis militibus, qui & numerosissimi & fortissimi erant, sed synecdochicè veniunt omnes Israelitarum vires. Non dicit autem simpliciter, *Confisus es in viis & in fortibus*, sed addit, *Tuis*. Tacitam igitur facit antithesin, inter vias Israelis & vias Dei, vires Israelitarum, & protectionem Dei. Cùm igitur ait, *Quia confisus es in viis & fortibus tuis*, duo facit. 1. Indicat, Israelitas contemto Dei verbo, quod docet, in solo Deo, spem omnem esse collocandam, totam suæ salutis, suíque regni conseruandi fiduciam in suis tum consiliis, inuentísque, tum viribus posuisse. 2. Deinde causam assignans, cur fructus mendaces, id est, malos, & præter suam spem, sint comesturi, hanc esse docet, quia scilicet reiecto Dei verbo, quod in solo Deo sperandum & fidendum esse docet, confisi sunt in suis viis & in suis viribus: hoc enim fuisse arare impietatem, quasi dicat, quia seminastis impietatem, id est, malam fecistis sementem, & quia messuistis iniquitatem, id est, malam etiam fecistis messem, malos etiam & mendaces fructus comedatis, necesse est, vestra autem mala sementis, vnde etiam mala messis profecta est, fuit vestra impietas, quòd scilicet reiecto Deo & eius verbo, & contemtis viis & protectionibus Dei, confisi estis in viis & protectionibus vestris. Ac proinde docet, hanc esse omnium peccatorum sementem, superbiam scilicet cum infidelitate coniunctam, quâ fit, vt contemto Deo & eius verbo, nobis ipsis sapientes ac fortes esse videamur, ideóque neglectis viis & protectionibus Dei, in nostris tum consiliis, tum viribus confidamus: & ideò qui talem faciunt sementem, talem etiam facturos messem, & postremò talibus etiam fruituros fructibus, nimirum malâ messe & mala semente dignis.

XIV. *Ideò surget.*

1. Illud *vau* est loco particulæ illatiuæ *halcen* ideò. Tumultus nomine venit ille totius alicuius vel regni vel ciuitatis strepitus, clamórque, qui in populo excitari solet, cùm se suúmque regnum vel ciuitatem, à potentissimo hoste ex impro-

improuiso & contra omnem expectationem, oppugnari aut obsideri audit ac sentit, ita vt omnes ad arma festinare cogantur. Et talem tumultum surgere populo, est talem tumultum in populo & per totam vrbem ex improuiso excitari. Cùm igitur ait: *Ideo tumultus surget in populo tuo, & omnes munitiones tuæ destruentur*, duo indicat. 1. Hostem Assyrium derepentè, & præter omnium Israelitarum exspectationem, regnum Israelis inuasurum, munitiones dirutorum, Israelitas partim occisurum, partim captiuos abducturum, ita, vt propter hunc repentinum, & horrificum hostis in Israel aduentum, futurus sit maximus in vniuerso populo tumultus, seditio, luctus & clamor. 2. Ideò verò hoc illis euenturum, quòd contempto Dei verbo, non in Domino, sed in suis ipsorum viis, tum viribus confisi sunt, atq; hunc illis futurum illius malæ sementis fructum, de quo dixerat: *Arastis seu seminastis impietatem, messuistis iniquitatem, ideo & comedetis fructum mendacem*.

3. Nomine *Schalman* venit rex Assyrius, alio nomine Salmanassar dictus. *Beth-Arbel* fanum fuit in Arbel, sed hoc nomine synecdochicè venit totum Arbel. Arbel autem, de quo cùm alibi, tum 1. Machab. 9. mentio fit, oppidum fuit in Israel, trans Iordanem respectu Iudeæ positum, vt in ipsa etiam Palestinæ mappa videre est. Illi particulæ *Mater super filios allisa est*, subintelligenda est particula *Beasseher*, in quo scil. bello, in Beth Arbel facto, mater allisa est, i. matres allisæ fuerunt super filios. Cum igitur ait, *Secundum vastare*, i. quemadmodum vastauit Salman Beth-Arbel in die belli (scil. contra Arbel) in quo bello matres allisæ sunt super filios, duos facit. 1. Historiam omnibus Israelitis notam & recentem commemorat, stragem sc. crudelissimam, quam nuper ediderat Salmanassar in Beth-Arbel, vbi nec sexui, nec ætati pepercit, sed filios in vlnis matrum vnà cum matribus crudelissimè interfecit, ita, vt matres super filios allisæ fuerint. 2. Hoc exemplo ante oculos posito, indicat, non absimilem vastationem & stragem sensuros reliquos quoque Israelitas, illos etiam, qui in munitissima vrbe Samariæ securi habitabant.

x v. *Sic sic faciet vobis Bethel.*

1. Nomine *Bethel* synecdochicè venit illud, quod non solùm in Bethel, verum etiam in toto Israelis regno admittebatur, sed quod in Bethel initium habuit, nēpe idololatria. Cùm igitur ait: *Sic sic fecit*, i. faciet, *vobis Bethel*, indicat, stragem illi, quę nuper in Beth-Arbel trans Iordanem edita fuerat, similem, in reliquis quoq; Israelis vrbibus, eis Iordanem per eundem Salmanassarem certò & breui editum iri: illam enim partem, quæ erat respectu Iudææ trās Iordanem, priùs expugnauit Salmanassar: deinde, traiecto mox Iordane, reliquam quoque partem regni Israelis, quæ erat cis Iordanem, expugnauit, horribilibus per omnes vrbes, oppida, & pagos, datis stragibus.

2. Non ait autem, *Deus, vel Salman*, sed, *Bethel sic faciet vobis*. Indicat igitur, etsi bellum contra Israelitas à Deo, tanquam primo autore, per Salmanassarem tanquā instrumentum & manum Dei, factum fuit: illud tamen bellum, neque Deo, neque Assyrio, sed soli ipsius Israelis idololatriæ, quæ initium habuit in Bethel, imputandum fuisse, ipsam enim Bethel, i. superstitionem, quæ nata fuit in Bethel, fuisse totius illius cladis caussam.

3. Neque simpliciter dixit *Sic faciet vobis Bethel*, sed addit, *propter malitiam vestram*. Nomine autem *Malitiæ*, venit voluntaria in idololatria & aliis peccatis animi obfirmatio. Indicat igitur, etsi Israelitæ in Bethel vitulum coluerunt: si tamen, agnito suo errore, tandem aliquando resipiscere voluissent, in tantam calamitatem haud eos casuros fuisse, sed quoniam in sua idololatria animos habuerunt obfirmatos, iccircò propter hanc malitiam & inflexibilitatem idololatriæ obstinatam, quæ erat in Israelitis, prædictam stragem eos vitare non potuisse. Totius igitur huiusce mali caussam non simpliciter esse ipsam Bethel, sed suam ipsorum malitiam & voluntariam in malo obstinationem.

4. Nec contentus semel dixisse, propter malitiam, ingeminat eam dicens, *Propter malitiam, malitiam vestram*, quasi dicat, ob nihil aliud, quàm tantùm ob istam vestram malitiam vestram, inquam, istam malitiam, quam celare non potestis, hæc mala vobis contingent. Duo igitur indicat. 1. Israelitarum malitiam & obstinationem, tam fuisse omnibus manifestam, vt eam inficiari aut dissimulare non possent. 2. Solam ipsorum malitiam tanti mali caussam fuisse, ita, vt aliò, præterquam in seipsos, culpam transferre minime potuerint. Ac proinde docet, nostrarum calamitatum caussas nullibi, quàm in nobis ipsis, hærere, easque esse nostras malitias: quia non simpliciter Bethel & templa Papistica ac superstitiones adferunt nobis cœli ac terræ siccitatem & penuriam, sed hęc nobis eueniunt propter malitiam, malitiam inquam, nostram, id est, voluntariam, malitiosam, inflexibilem in nostris idololatriis & aliis peccatis animi obfirmationem.

5. Aurora non diu durat, sed cùm sol exoritur, illa statim euanescit. Aliquem igitur in aurora succidi, est citò & quasi vno momento è medio tolli & perdi. Subest autem tacita antithesis, inter vnam momentaneam auroram & longum diem. Porrò *Regis* nomine, synecdochicè venit rex cum toto suo regno & populo. Cùm igitur ait: *In aurora succidendo succisus est* pro, succidetur, *rex Israel*. Duo facit. 1. Innuit regem Israel & vniuersum eius populum fiducia sui roboris inflatum (confidebat enim, vt dixit Propheta, in viis suis & in multitudine fortium suorum) putasse, neque sibi, neq; tanto regno, aliquid potuisse aduersi post multos annos contingere: ideòque sperasse, regnum illud, longo tempore, & quasi perpetuò duraturum. 2. Deinde illorum amentiam deridens, apertè pronunciat, regem tam potentem eum suo sc. populo, vnà aurora, i. vno mane, & quasi vno momento, è suo regno, quasi arborem è suo solo, succisum iri.

6. Neque simpliciter ait, *Succisus est*, sed, *Succidendo succisus est*. Succidendo autem succidi, phrasi Hebraica, est vehementi, & forti, & subita succisione succidi. Confirmat igitur id, quod de aurora dixit, totū regnum Israel, vno quasi momento, distractum iri: quia Assyrius non lente nec diu, in Israelitis è suo regno succidendis, ideòq; in toto regno vastando laborabit, sed fortiter, ideòque & citò omnes succidet. Erit enim, ceu vehementissima & subita tempestas, quæ vno momento perdet populum. Ac proinde docet, etsi sumus sani, iuuenes, fortes, potentes, ac benè rebus omnibus muniti: non tamen esse nobis longam diuturnámque huius mundi, nostrarúmque diuitiarum fruitionem promittendam: quia, quòd nobis in multos annos promittimus, solet plerumque Deus in vnà aurorà vnóque momento, præter omnium exspectationem succidere. Sic igitur iuxta verbum Dei in hoc seculo nobis viuendum, perinde ac si manè in aurora, simul hinc succidendi, & in aliud seculum transferendi.

ANALYSIS CAPITIS VNDECIMI.

CVm puer esset Israel, dilexi eum, & ex Ægypto vocaui filium meum.

1. Amoris Dei erga aliquem, nomine, venit illius cùm certa & æterna voluntas alicui benefaciendi, tum ipsa temporalis erga aliquem beneficentia. Cùm enim amare, sit benè velle, &, cùm res postulat, si possis, benefacere: id quo dicitur Deus aliquem amare, eum alicui & bene vult, i. certò vult benefacere, & reipsa, cùm est opportunum, benefacit. Porrò quia cui benè vult, etiam ab æterno benè voluit, cui verò benefacit, benefacit in tempore: icircò eius beneuolentia æterna est, beneficentia, temporalis, quatenus & nos temporales sumus. Cùm igitur ait: *Cùm adhuc puer esset Israel, amaui eum*, indicat, se Israel & ab æterno antè, quàm esset natus, benè voluisse, benéque facere constituisse, & in tempore, vbi scilicet natus fuit, cœpisse ei benefacere, suámque in eum beneficentiam continuasse.

2. Cæterùm triplex est Dei erga homines amor. 1. Communis ac generalis. Hic est erga vniuersum humanum genus, quatenus sc. omnibus hominibus tàm malis, quàm bonis, & ab æterno decreuit benefacere, & reipsa benefacit, tā super iniustos, quàm super iustos pluens, & tam super malos, quàm super bonos solem suum oriri faciens, & alia beneficia præsentem vitam spectantia, generatim in omnes conferens, de quo amore Sap. 11. *Diligis Domine omnia, quæ sunt, & nil odisti eorum quæ fecisti*. 2. Particularis ac specialis. Hic fuit erga specialem illum & vniuersum quidem populū Israeliticum, & nunc est erga vniuersam Ecclesiam & singulos, qui sunt in Ecclesia, tàm erga malos & hypocritas, quā erga bonos, & verè fideles, quatenus scilicet ex toto humano genere specialem sibi quandam Ecclesiam, cúmque visibilem & decreuit ab æterno colligere, & reipsa collegit, quā cum speciale fœdus iniit, & penes quam suum verbum, sua sacramenta, suum nomen, & alia specialia dona, non ad carnalem & præsentem, sed spiritualem & futuram vitam pertinentia deposuit, de quo speciali amore Malach. 1. vniuersos Israelitas Dominus alloquens ait, *Dilexi vos & dixistis, in quo dilexisti nos?* 3. Singularissimus ac specialissimus. Hic est ergà ipsos duntaxat ad æternam vitam electos, veròsque Dei filios quatenus scilicet ex toto visibili Ecclesiæ corpore, quosdam sibi in veram Ecclesiam delegit, & ad æternam vitam salutémque ab æterno amauit, quos etiam

in tempore efficaciter vocat, fide donat, iustificat, regenerat, & suo spiritu indesinenter regit, donec tandem ad æternam vitam perducat. Ad hunc specialissimum amorem, Apostolus Rom. 9 suprà citatum Malachiæ testimonium applicat dicendo: *Cùm nondum nati essent, aut aliquid boni egissent vel mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quòd maior seruiet minori. sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* De hoc amore & Christus Ioan. 17. *Et dilexisti eos sicut & me dilexisti.*

3. Triplex etiam est Israel. 1. Secundùm carnem & spiritum. Ij sunt electi ex populo Israelitico, qui & carnem traxerunt ex Israel, & filij sunt promissionis. 2. Alter secundùm carnem tantùm. Ij sunt, qui ex Israel secundùm carnem tantùm nati sunt, filij autem promissionis non sunt. 3. Secundum spiritum tantùm, non autem secundùm carnem. Ij sunt electi ex gentibus, de quibus Rom. 9. Cùm igitur absolutè ait Dominus: *Dilexi Israelem*, indicat, se amore, nõ tantùm generali, sed etiam speciali, & specialissimo cõplexum fuisse Israelem: Speciali quidem, vniuersum illum populum, qui ex Israel natus fuerat. Specialissimo verò, ipsum inprimis Israelem secundùm carnem & spiritum, deinde ipsum etiam Israelem secundùm spiritum tantum. Ac proinde docet, dictum hoc Domini: *Dilexi Israel*, non minùs ad nos, qui sumus tertius Israel, quàm ad primum & secundum pertinere.

4. Non ait autem simpliciter, *Dilexi Israel*, sed addit, *Cùm puer esset*, id est, etiam tùm dilexi eum, cùm puer adhuc esset & vix natus. Natiuitas autem populi Israelis fuit, cum ex Aegypto liberatus, quasi ex vtero, imò ex sepulcro, in lucem prodiit. Porrò, Deum aliquem amare cum primùm natus est, vel antè quàm natus sit, antequàm scilicet aliquid boni vel mali agere possit, est Deum aliquem ab æterno & gratis amasse. Cum igitur ait: *Cùm puer esset Israel, dilexi eum*, duo indicat. 1. Suum erga Israelem amorem, non nouum, sed antiquum, imò & æternum fuisse, quoniam &, quò ad voluntatem benefaciendi, (quæ prima amoris pars est) illum amauit ab æterno, & quò ad beneficentiam (quę amoris est pars secunda) non autem nunc primum, sed olim, cum adhuc puer esset, vix natus, id est, ex Aegypto liberatus, singularibus beneficiis præ gentibus omnibus illum cumulare cæpit. 2. Suum erga Israelem amorem, totum fuisse & esse gratuitum, quoniam, cum adhuc puer esset, id est cum instar pueri vix nati, nondum aliquid boni egisset, imò ne Deum quidem & Dei voluntatem cognouisse, illum tamen amauit. Ac proinde docet, suum erga nos secundum spiritum Israelitas amorem, & æternum & gratuitum fuisse quoniam amauit nos, cum adhuc essemus pueri, in peccatis scilicet nati, cum nondum etiam mali aliquid aut boni egissemus.

5. Primo loco ait, *Se Israelem dilexisse, tùm adhuc puer esset*, deinde multa & varia collata in eum beneficia, commemorat. Indicat igitur, primum & maximum beneficiũ, imò beneficiorum omnium, quæ in Israelem contulit, fontem fuisse, hunc æternum & gratuitum amorem quo Israelem est complexus. Ac proinde docet, primum etiam in nos collatum à Deo beneficium, hoc fuisse, quòd nos in Christo ab æterno, & gratis, ad æternam vitam dilexit.

6. Vocat Deus homines, aliquando quidem inefficaciter, vt cum per Prophetas verbis tantum externis vocat. aliquando efficaciter, cum ipse vi sui verbi efficit, vt ea fint, quę non erant. Vnde vocasse ex Aegypto, hic, est ex Aegypto liberasse, seu effecisse, vt, qui extra Aegyptum non erant, extra Aegyptum fierent. Cum igitur secundo loco ait *Ex Aegypto vocaui* scilicet Israelem, indicat, hoc fuisse secundum, quod in Israelem contulit, beneficium, ideóque primum sui æterni erga Israelem amoris, testimonium: nẽpe redemptionem ex Aegypto per Mosen mediatorem. Ac proinde docet, secundum præcipuum, quod in nos quoque Deus contulit, beneficium, ideóque primum & certum sui æterni erga nos amoris, testimonium, fuisse redemtionem à potestate Satanæ, peccati, mortis, & inferni, factam per verum mediatorem Christum.

7. Non simpliciter ait, *Vocaui ex Aegypto Israelem*, sed *filium meum*. Cum igitur tertio loco Israelem suum appellat filium, indicat, hoc fuisse tertium Dei in Israelem beneficium, quòd illum scilicet non tantum amârit, nec tantum ex Aegypto liberârit, sed etiam vocârit filium, id est, in filium sibi adoptârit. Ac proinde docet, hoc esse tertium pręcipuum, quo nos afficit Deus beneficium, quòd scilicet nos non tantùm ab æterno amauit in Christo, non tantùm per Christum redemit, sed etiam sibi in filios adoptauit, ideóque cœlestis æternique regni hæredes constituit.

II. *Clamauerunt ad eos, sic abierunt à facie eorum Baalim sacrificarunt.*

1. Cùm ait, *Clamârunt ad eos*, scilicet *Nebarim* Israelitas, non ait, Qui, neque Quoties, aut Quando, neque Quid clamârint, sed absolutè & indefinitè ait: *Clamârunt*. Intelligit autem Mosen & Prophetas, non semel & iterùm, sed indesinenter populum illum magno & continuo clamore ad resipiscentiam vocasse, & verum Dei cultum docuisse. Indicat igitur, hoc fuisse quartum Dei in Israelem beneficium, quòd scilicet, tanquam bonus pater, ab eo tempore, quo populum hunc sibi in filium adoptauit, alios indesinenter post alios Prophetas excitauit, qui, tanquam peritissimi pædagogi, puerum hunc in vera Dei cognitione, & in vero eius cultu instituerent, verbum Dei indesinenter docerent, &, si quando peccaret, ad resipiscentiam confestim reuocaret. Ac proinde docet, hoc etiam quartum esse illúdque singulare Dei erga nos pueros beneficium, perpetuam verbi in Ecclesia Dei prędicationem. quòd scilicet ab eo tẽpore, quo Christus communicatâ suâ nobis filiatione, ascendit in cœlum, reliquit nobis in Ecclesia pueris optimos pędagogos & pręceptores, Apostolos, Prophetas, pastores, doctores, & subinde alio post alio excitat qui nos purum Dei verbum doceant, ad veram resipiscentiam hortentur, & in vero Dei cultu retineant. vt Paulus Eph 4. elegantissimè explicat.

2. Abire à facie Prophetarum, est Prophetis nos admonentibus, verbum Dei docentibus, & ad Deum reuocãtibus per cõtemtum terga obuertere, & in contrariam partẽ per despectum nos conuertere. Cùm igitur ait: *Abierũt à facie eorum* scilicet Prophetarum clamantium, indicat, quantò maior fuit Dei erga Israelem amor & beneficentia, tantò maiorem fuisse populi in Deum ingratitudinem, quoniam cùm per Prophetas ad Deum, & ad verum Dei cultum, magno & indesinenti clamore vocaretur, ille contrà per contemtum & despectum, neglecto Dei verbo, ad suas idololatrias magis ac magis stabiliendas se conuertebat.

3. Non ait autem simpliciter: *Abierunt à facie eorum*, sed præmittit, *Sic*. Indicat igitur, sicut Prophetæ Israelitas indesinenter ad Deum vocabant, sic contrà, Israelitas obuertisse Deo per Prophetas vocanti terga, ad idola sese indesinenter conuertisse. Ac proinde docet, hoc esse extremæ in Deum ingratitudinis signum, cùm vocati à Prophetis & doctoribus ad synceram religionem & veram resipiscentiam, non solùm terga illis obuertimus, sed etiam magis ac magis animos in superstitionibus & peccatis obfirmamus.

4 Cum ait: *Baalim sacrificârunt, & sculptilibus suffumarunt*: explicat id, quod antè dixerat: *Abierunt à facie eorum*. Indicat igitur, Prophetas in hoc incubuisse, vt populum ab obsequio & cultu idolorum, ad verum Dei cultum reuocarent, populum verò contrà, contemto illo cultu, quem docebant Prophetæ, sese totum illis idolis consecrasse.

III. *Et Ego ambulare feci pedibus Ephraim, & tulit eos in brachiis suis, & cognouerunt, quòd sanauerim eos.*

1. In verbo *tirgalthi* *thau* præpositum est loco *He* literæ coniugationis hiphil constitutiuæ, quasi dicat, *hirgalthi*. Significat autem, *Pedibus ambulare feci, seu, docui*, quemadmodum faciunt nutrices, quæ sese ad infantium tùm paruitatem inclinantes, tùm imbecillitatem accommodantes, & cum illis simul gradientes, illos paulatim incedere, & se super suos proprios pedes firmare docẽt. Cùm igitur ait quinto loco: *Et ego pedibus ambulare feci Ephraim*, indicat, hoc fuisse quintum Dei erga Israelem beneficiũ: nimirùm plus, quàm maternam erga eum demissionem & clementiam, quòd scilicet Deus instar matris aut nutricis pro sua clemẽtia ad huiusce pueri mox nati, id est, ex Aegypto liberati tum animi, tùm corporis imbecillitatem sese demittens atque accommodans (scimus enim quoties populum, præ imbecillitate non tantùm corporis sed etiam animi & fidei, pœnituit itineris illius longi & grauis per desertum suscepti, & quoties cogitauit reditum in Aegyptum,) illum, suis quasi manibus, apprehendit ac sustentauit, & variis blanditiis alliciens, atque cum illo simul gradiens, idque nõ solum in persona Mosis, Iosuæ, & aliorum, sed etiam in nube, in columna ignis, & aliis suæ præsentiæ symbolis, illum pedetentim per desertum in terram patribus promissam deduxit, & ita puerum suis quasi propriis pedibus, incedere, sed à manibus Dei sustentatum, atque in via tùm deserti, tùm mandatorum Dei, progredi paulatim docuit, sicut & Deut. 12. alio simili expressit. Ac proinde docet, hoc etiam esse quintum Dei erga nos beneficium: nimirùm, clementissimam, eamque quotidianam, non carnalem sed spiritualem, non verbalem sed realem, internámque nostri per Spiritum sanctum in corda nostra illapsum, in via Dei institutionẽ, atque ad promissam æternã patriam per huius mundi desertũ, deductionem,

rem, seu, quòd Deus non contentus externam verbi prædicationem per Apostolos & doctores nobis in Ecclesia reliquisse, etiam instar clementissimæ nutricis, videns nos parvulos ad iter in cœlum & æternam vitam faciendum minime propter nostram imbecillitatem, esse idoneos, per suum spiritum, quasi è cœlo ad nos sese inclinans nos agit, & quasi suppositis manibus, sustentat, nostrósque mouet pedes, id est, affectus nostros ad rectè ambulandum, atque ita quotidie internâ sui spiritus actione, nos, ceu parvulos & imbecillos filios, paulatim, sed efficaciter docet, pedibus & affectibus nostris, per hoc desertum ad æternam vitam progredi. De qua continua & clementissima Spiritus sancti actione & motione in filiis Dei scribit Apostolus Rom. 8. filios Dei agi à spiritu Dei.

2. Assumsit eum in brachiis suis, refertur quidem primo loco ad Mosen, (Deus enim hîc loquitur.) sed tamen in Mose Deus ipse intelligitur. Persistit autem in Metaphora Matris vel Nutricis præcedenti, quæ si quando videnti, suos liberos in terram labi, confestim accurentes suis eos brachiis sublevant. Cùm igitur 6. loco ait: *Et sustulit eum in brachiis suis*, indicat, hoc fuisse sextum Dei erga Israelitas beneficium, maternam non solùm in ferendo populi infirmitate patientiam, sed etiam si quando populus per infirmitatem vel in aliquod peccatum laberetur, vel in malum aliquod incideret, ad illum accurrendi, eúmque ne periret, suis quasi brachiis, sublevandi solicitudinem, sicut historia Exodi & alij Mosis libri testantur. Ac proinde docet, hoc etiam esse sextum eiusdem Dei erga nos beneficium, quòd scilicet, non contentus, intus nos sui spiritus actione in via Dei instituere, &, vt nostris affectibus rectè gradiamur, efficere, si quando etiam per infirmitatem, vel in peccatum labimur, vel in calamitatem aliquam incidimus, non solum pro sua patientia nostras fert infirmitates, sed etiam, ne pereamus, confestim accurrit, &, suppositis suæ gratiæ manibus, sublevat. De qua sublevatione dixit Dauid Psal. 37. *Iustus, cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.*

3. Nomine *Sanitatum* venit tota salus, qua scilicet Dominus Israelem ex Aegypto liberauit, per desertum deduxit, & suis brachiis sustentauit. Verbo verò *Non cognouerunt*, significatur ingratitudo. Est autem hic liptote. Cùm igitur ait: *Et non cognouerunt*, indicat populū hunc verè, instar fatui pueri, amorem & beneficentiam Dei erga se non solùm non agnouisse, sed etiam in contrariam partem interpretatum fuisse. Scimus enim quoties populus expostulârit cum Mose, quod se eduxerit ex Aegypto. Tunc igitur beneficium non solum non agnouit, esse beneficium, sed etiā interpretatus est maleficium. Ac proinde docet hanc esse extremā ingratitudinē, cum non solum non agnoscimus beneficia, sed etiam de illis, tanquam de maleficiis, cum benefactore Deo expostulamus.

IV. *In funibus hominum traxi eos, denique funibus amoris, & fui eis vt qui sublevant iugum impositum maxillis eorum, vt admoneam ei cibum.*

1. Trahere hoc in loco est aliquem à proposito malo auertere, in ordine & officio retinere, atque ne ad vomitum ac mortē redeas, cohibere, & ad salutem quasi inuitum pertrahere. Cùm igitur septimo loco ait, *Et Ego traxi eum*, indicat, hoc fuisse septimum Dei erga Israelem beneficium, quòd, cùm Israel doleret, se fuisse ex Aegypto per Mosen in desertum deductum, ideóque sibi proponeret, non ampliùs Mosen, aut Deum in Mose per desertum ad terram promissam prosequi, sed in Aegyptum ad seruitutem redire, idque propterea, quòd (vt antè dixit) non cognoscebat, illam ex Ægypto in desertum deductionem, fuisse suam salutem, Dominus illum à malo suo proposito auertit, in ordine retinuit & quasi inuitum, in libertate, quâ eum donauerat, cōseruauit & post se in salutem traxit. Ac proinde docet hoc etiam 7. esse erga nos beneficium, paternam scilicet disciplinam, quâ si fortè aliquando grauati, Christum crucifixum in hoc deserto cum nostra cruce subsequi cogitamus, in luxim... que in animum redire ad Aegyptum, id est, ad mundum, ad voluptates, ad idololatrias, denique ad seruitutem hominum, legis, & peccati, mox Deus pater, quasi iniectâ manu, nos retrahit, auertit à proposito, retinet in ordine, trahit post se, & quasi inuitos retrahit ab hoc seculo nequam, ne cum hoc mundo damnemur, atque in ea, quâ nos semel per Christum donauit libertate conseruat: saluum enim omnino vult populum suum, quem præsciuit, & Israelem puerum suum, quem amauit.

2. Non autem ait *duxi eum*, quasi vel per se venientem, vel vltrò venire cupientem & volentem, sed ait TRAXI eum, quasi venire nolentem. Docet igitur, etsi nemo inuitus, sed volens seruatur: in nobis tamen antè, quàm trahimur, nullam ad salutem bonam præcedere voluntatem aut meritum, sicut & Dominus eodem verbo vsus docuit: *Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum.* Ioan. 6. 44.

3. Vincula hominum opponuntur vinculis brutorum & mancipiorum, duris loris, & ferreis catenis. Vincula autem humana (vt ipse explicat) sunt amores. Veniunt autem hoc nomine, tùm molliores & clementes leges, qualis est lex Dei in se, quæ, nisi amorem Dei & proximi, non mandat, tùm omnis humana & amabilis tractatio, qualis solet esse parentum erga filios. Cùm igitur octauo loco ait, se populum traxisse vinculis humanis, & vinculis amoris, indicat, hoc fuisse octauum in Israelem Dei beneficium: nimirum, quòd tametsi Israel, spectato ipsius fero & duro ingenio (quippe qui vitula erat indomita) opus habebat duris loris & ferreis catenis, sicuti durus quisque nodus duro opus habet cuneo: tamen Deus nunquam illos tractauit vel vt pecudes, vel vt mancipia duriter ac seruiliter, sed semper, vt pater filios clementer ac liberaliter, tùm lege amoris plena, tùm paternis & humanis officiis, illos in officio atque ordine retinendo. Ac proinde docet, hoc esse octauum Dei erga nos beneficium, quòd scilicet nos è mundo ad se & ad æternam vitam per hoc desertum trahit: vinculis quidem (quia alioqui in ordine sine vinculis retineri non possumus. Ea est nostra ferocia) at non belluinis, sed humanis, nō seueris & duris, sed suauibus atque amabilibus: nimirùm, vera Dei cognitione, sensu diuinæ erga nos bonitatis, & dilectionis, *πληροφορίᾳ* de condonatis nobis peccatis per Christum, certissimâ spe atque expectatione æternæ hæreditatis, denique aureâ caritatis tàm erga Deum, quàm erga proximum, catenâ, collis nostris per Spiritum sanctum iniectâ atque appensâ. Quam & Paul. Col. 3. omnis perfectionis vinculum vocat, sed in alium sensum.

4. Non ait autem simpliciter, *Traxi eo in vinculis humanis*, sed explicationis caussa addit *In vinculis amoris*. Docet igitur vincula quibus vinciendi & trahendi sunt homines, vincula esse amoris. Ac proinde qui non sinunt se vinculis amoris trahi, atque in officio & ordine contineri, sed opus habent duris loris ac ferreis catenis, non verè homines, sed se asinos & beluas esse.

5. Illud *bal* est pro *Min mebal* à desuper fauces, id est, à faucibus eorum, pro, à collis eorum. Vel etiam sic, vt subintelligas *Ascher*, hoc modo. fui sicut qui tollunt iugum (quod erat) super fauces eorum: ita *bal* propriam retinebit significationē. Alludit autem ad humanos & prudentes agricolas, qui haud sinunt suos boues, & præsertim tenellas iuuencas, graui semper iugo premi, sed subinde tollunt ab eis iugum, & ipsi potiùs suis manibus illud ferunt, quò illæ recreentur, & liberè in pascuis spacientur & pascātur. Metaphoricè verò tollere iugum à collo alicuius, est aliquem è dura seruitute liberare, aut aliquo grauiore onere leuare. Cùm igitur nono loco ait: *Et fui sicut qui tollentes iugū à collis eorum*, indicat, hoc fuisse nonum beneficium à se in suum populū collatum, quòd, quemadmodum humanus & prudens agricola, suam iuuencam non sinit semper esse sub iugo & graui onere premi: sic ipse tanquam bonus & humanus pater, filium suum Israelem neque voluit semper esse sub iugis gētium, sed etiam subinde à variis seruitutis generibus, quibus apud varias gētes premi solebat, liberauit, vt partim ex libros Mosis in libro etiam tùm Iudicum, tùm Regum apparet, neque ipse eum voluit vnquā nimis grauibus oneribus, sicut solēt terreni principes suos populos grauare, sed potiùs ipsum etiam suæ legis iugum leue illis reddidit, quatenus & legi promissiones de remissione transgressionum legis, per Christum, adiecit, & spiritum suum, quo legem seruare possent, omnibus obtulit, nemini denegauit, & reipsa multis donauit. Ac proinde docet, hoc etiam nonum esse erga nos Dei beneficium, quòd se licet à collis ac ceruicibus nostris, iugum illud duplex & grauissimum, per Christum abstulit, quorum vnum ab Adamo, alterum verò à Mose omnium nostrum collis impositum erat: de Adami iugo, testimonium extat in Ecclesiastico 40. cap. initio. Iugum hoc tres præcipuas habuit & habet partes. Peccatum, in quo sumus omnes concepti & nati, quódque in carne nostra semper inhabitat vsque ad sepulturam. Mortem, quæ in omnes homines pertransiit, & in eos, qui actualiter non peccârunt. Et molestias ac cruces huius seculi, tàm internas & nobis innatas, quàm externas, & à mundo inflictas, quæ partim animum, partim corpus premunt grauántque. Iugum hoc non solùm semel à nobis abstulit Christus, quatenus & nostrum peccatum in seipsum translatum sua iustitia & sacrificio deleuit, & mortem in seipsum deriuatam, sua resurrectione occidit, & cruces ac molestias in se susceptas suo in æternam felicitatem ascensu fugauit, sed quotidie etiam aufert, quatenus & peccatū, spiritu regenerationis donato, in dies magis ac magis

extinguit,& mortem mortisque sensum, spe resurrectionis donata, leuem,& quasi insensibilem, reddit,& cruces ac molestias, spiritu consolationis donato, abigit, immo & tucundas reddit, facitque vt eis gloriemur, vt Paulus Rom. 5. ait.

6. De iugo Mosis, testimonium extat Act. 15. *Quid tentatis imponere iugum ceruicibus discipulorum?* Iugum hoc triadem tres habuit partes: Innumerabilē prope præceptorum multitudinem: & præceptorum homini corrupto seruatu impossibilium grauitatem: & ipsam legis in transgressores maledictionem. Iugum hoc abstulit & aufert à nobis Christus: quatenus 1. innumerabilem præceptorum multitudinem, vt omnium ceremonialium, abrogauit, vniuersaque ad duo redegit, Dei scilicet & proximi dilectionem. Act. 15. Petrus,& vbique Paulus id testantur. 2. Quatenus legis alioqui seruatu impossibilis grauitatem, spiritu suo nobis donato aufert,& eam, restitutis per suum spiritum viribus, leuem & facilem, præsertim menti & spiritui, seu interiori homini nostro reddit, vt Paulus Rom. 7. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem.* De qua liberatione Rom. 3. *Lex spiritus vitæ, id est, viuificantis, liberat me à lege peccati.* 3. Abstulit hoc iugum Mosis, quatenus legis maledictionem in seipsum translatam, nobis, qui sumus in Christo, etsi non perfectè legi satisfacimus, abstulit,& benedictione donauit, vt Paulus Galat. 3. *Christus redemit nos de maledictione legis,&* Rom. 8. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo.* Hoc igitur fuit nonum Dei erga nos beneficium, perfecta scilicet Christiana libertas, seu, quòd omne graue iugum à collis nostris abstulit.

7. *At à na. ab* futurum in hiphil pro præterito, est declinare feci ad eum, scilicet puerum Israelem, cibum. Alludit autem tùm ad manna, aliósque cibos, quos è cœlo in desertum ad Israelem emisit, tùm ad rerum omnium copiā, quam illi in Palæstina sæpe abūdè & largiter suppeditauit. Cùm igitur decimo loco ait: *Et declinare ad eum feci cibum*, indicat hoc fuisse decimum Dei in Israel beneficium, maximam scilicet & incōparabilem liberalitatem, quòd scilicet Deus suo puero Israeli, abundè semper tàm in deserto, quàm in ipsa Palæstina, quidquid ad hanc vitam sustentandam necessarium fuerat, suppeditauit. Ac proinde docet, hoc etiam decimum esse Dei erga nos beneficium, diuinam scilicet liberalitatem, in suppeditandis nobis abundè & largiter omne genus cibis, esculentis,& poculentis, imò rebus omnibus ad præsentem hanc vitam feliciter & christianè transigendam necessariis: sicut et iam Dauid testatus est Psal. 37. *Iunior fui,& senui & non vidi iustum dere ictum, nec semen eius quærere panem.* Et Dominus Iesus Math. 6. *Quærite* (inquit) *primùm regnum Dei & iustitiam eius,& reliqua adiicientur vobis.*

8. Non ait autem simpliciter: *Dedi eis cibum*, sed, *Declinare feci*, quasi dicat, ne cogerētur huc & illuc cursitare, aut in sublime ascendere, aut descendere in profundum, ciborum sibi comparandorum gratia, sed vt commodè possent comedere, subieci illis cibos,&, quasi in præsepi ante ipsorum fauces, pabulum posui. Alludit autem imprimis ad māna & coturnices, quas è cœlo ad populum in desertum descendere & declinare fecit, vt in promptu haberet, quod ederet. Docet igitur hac locutione, omnes cibos, quibus alimur, non solùm à patre cœlesti nobis exhiberi, sed etiam e cœlo quodammodo ad nos iussu patris descendere quoniam, licèt è terra fruges & omnia ad vitam hanc nostram sustentandam necessaria, tanquam è penu Dei, nobis depromantur: quia tamen omnis & terræ & frugum vis è cœlo est vt è sole & pluuia: ideircò cibi omnes è cœlo ad nos verè dicuntur iussu patris declinare & descendere. Animi igitur semper in cœlum attollendi, atque inde, quidquid boni cupimus petendum & exspectandum, sicut etiam Dominus docuit, patrem qui in cœlis est, inuocare, vt ipse de cœlo det nobis quotidianum panem.

9. Conclusio horum quatuor versuum est, Immensus fuit Dei erga Israelem amor, id quod ex commemoratis beneficiis perspicuè apparet. Immensa igitur fuit Israelis in Deum ingratitudo, qui neque illius beneficia pro beneficiis agnouit, neque se vocanti aures præbuit, sed tergis obuersis ad idola se conuertit.

V. *Non reuertentur ad terram Aegypti, aut Assyrij, qui est rex eius, sed renuerunt conuerti.*

1. Cùm ait: *Non reuertentur in Aegyptum*, subintelligendum est, refugij gratia, tanquam ad asylum. Indicat igitur. Israelitas, si fortè Assyrius vel cum ipsis nollet amicitiam colere, vel etiam in bello potentior esse videretur: Aegyptum quidem, cuius cum rege fœdus habebant, tanquam vltimi refugij locum cogitasse: & sperasse, sed denunciat, illos propter suam in Deum ingratitudinem, sua inani spe defraudatum iri: præclusam enim illis fore viam in Aegyptum.

2. Neque locus hic pugnat cum loco cap. 9. vers. 3. & 6. quoniam illic de certis quibusdam asseruit, ituros quidem eos in Ægyptum, verùm Aegyptum non illis fore, vt temporale hospitium, sed vt perpetuum sepulcrum Hic verò de vniuerso populo generatim negat, illum in Aegyptum, vltimo refugij loco rediturum, quoniam maior populi pars ab Assur captiua in Assyriam erat abducenda.

3. Cùm ait: *Et Assur ipse rex eius, erit*, duo facit. 1. Pœnam prædictam confirmat, non redituros in Aegyptum: quia ab Assyrio aliò abducentur. 2 Nouam pœnam denunciat, illos fore captiuos regis Assur, duriorémque ipsos in Assyria, quàm patres ipsorum olim in Aegypto, seruitutem perpessuros.

4. Illud renuerunt ad redeundum, phrasis est Hebraica, pro renuerunt redire: est autem hic elegans *παρονομασία* inter: *Non reuertentur in Aegyptum,&; Quia renuerunt reuerti ad Dominum.* Indicat igitur, causam, cur non potuerit Israel, vt sperabat, redire in Aegyptum, tanquam vltimi refugij locum, fuisse, quoniam noluit ad Deum se vocantem redire. Ac proinde docet, ideò non posse impiis semper (vt sperant) liberas in hanc vel illam partem patere transitiones, quoniam ad Dominum nolunt transitiones facere, sed pergunt contumaciter illi resistere. Dominum igitur illos, ceu furiosos homines, vel potiùs beluas catenis vinctos tenere, vt non ad suum ipsorum, sed ad Dei arbitrium, huc aut illuc trahi cogantur.

VI. *Et irruet gladius in vrbes eius,& consumet vectes eius,& deuorabit propter consilia eorum.*

1. Nomine *Vectium*, per translationem (in portis enim ciuitatum maxima pars munitionum posita est) veniunt munitiones vrbium. Cùm igitur ait: *Et irruet gladius in vrbes eius,& consumet vectes eius,& deuorabit*, duo indicat. 1. Israelitas non paruam suæ salutis & defensionis fiduciam in suis munitissimis vrbibus habuisse. 2. At verò fiduciam hanc omninò inanem fore. Gladium enim Assyriorum penetraturum in munitissimas etiam vrbes,& munitiones quásque consumturum.

2. Cùm ait, *Propter consilia eorum*: *αἰτιολογία* est, cur sint non solùm ipsi Israelitæ (vt antè dixi) per Assyrium in captiuitatem abigendi, sed etiam ipsorum vrbes & munitiones per eundem Assyrium deuastandæ & destruendæ Duo igitur indicat. 1. Israelitas, cùm optimum eis daretur à Prophetis consilium, quomodo possent & se & suas vrbes ab hostibus seruare, nempe, si resipiscant, si ad Dominum redeant, si totam salutis fiduciam in Domino collocent ac fiment, Israelitas, inflatos suæ carnis prudentia, consilia Prophetarum, tanquam stulta, contemsisse, sua verò tantùm, quæ reuera erant contra Dominum, tanquam sapientissima probasse & secura fuisse Videntur autem talia fuisse Israelitis consilia. 1. Vt, si fieri possit, ipse Assur muneribus placetur,& amicitia renouetur Si verò non possit. 2. Conseruetur saltem amicitia regis Aegypti, vt ad eum si opus fuerit, possimus concurrere. 3. Benè interim muniantur vrbes, militibus & aliis rebus bellicis & commeatu. 4. Ea quam hactenus seruauimus religionem, sub qua semper felices fuimus, diligentiùs & studiosiùs, quàm anteà vnquam, retineatur & colatur. 2 Quod indicat, est tantùm abesse, vt hæc contra Dominum prudentiæ carnis consilia, possint Israelitis prodesse,& eos ab hostibus defendere, vt propter hæc, tanquam præcipuam ob caussam, sint & ipsi ab Assur capiendi, & suæ ipsorum vrbes expugnandæ, ac munitiones diruendæ. Ac proinde docet, humana consilia, quando sunt contra Dominum, non solùm non posse nobis prodesse, sed etiam præcipuam esse nostræ perditionis causam Nunquā igitur consilium Dei, vt nostra sequamur, esse deserendum, quoniā prudentia carnis inimicitia est aduersùs Deum,&, nisi Dominus custodiat ciuitates, frustrà vigilant, qui custodiunt eas.

VII. *Et populus meus suspensus ad rebellionem contra me,& ad excelsum vocabunt eum, simul non extollet.*

1. *Teluim* suspensus: suspensus autem hoc loco significat irrequietū & perturbatum & anxium. *Meschubbah* in malam partem accipitur pro rebellione. Iod in *Meschubbathi* passiue accipitur pro rebellione mei id est, contra me. *Lamed* præpositum dictioni *Meschubbathi* accipitur pro, propter. Cùm igitur ait: *Et populus meus suspensi* (erunt) *propter rebellionem mei*, id est, contra me, duo facit 1. Aliam à superioribus diuersam pœnam Israelitis denunciat, nempe, perpetuam animi afflictionem & conscientiæ cruciatum, seu,

seu, quòd in perpetuum animo erunt afflicto & perturbato, conscientia illos tanquam carnifice, semper & in æternum excruciante. Quibus verbis tacitè etiam pœnam æternam subindicat. 2. Caussam huius tanti mali assignat, eámque dicit esse, ipsorum contra Dominum rebellionem. Rebellionem autem vocat defectionem non tantùm a domo Dauid, sed in primis a Christo, & eâ religione, quam Dominus in suis scripturis tradiderat. Propter hanc igitur contra Dominum rebellionem, Israëlitas grauiter puniturum iri: primo, in corpore, quoniam ipsi frustrati suâ spe confugiendi ad Ægyptum, ab Assur in captiuitatem abducentur, vt in versu 5. dixit. Deinde in bonis etiam externis, &, vt vocant fortunæ, quoniam illorum ciuitates expugnabuntur, & omnes illorum munitiones & bona ab hostibus consumentur, vt in 6. versu prædixit. Tertiò, in ipso etiam animo, quoniam afflicto semper & excruciato animo tàm in hoc, quàm in alio sæculo erunt, vt in hoc versu innuit. Ac proinde duo docet. 1. Eos igitur esse verè contra Dominum rebelles, quicunque scientes & volentes, a religione, quæ in scripturis tradita est, ad ἐθελοθρησκείας vel in totum, vel in parte deficiunt. 2. Tales rebelles nunquam animo esse quieto & placato, sed semper afflicto & turbato, conscientia illos semper & æternùm accusante, damnante, puniente: hanc enim esse pœnam cum aliorum peccatorum tùm præsertim rebellionis contra Dominum, id est peccati in Spiritum sanctum.

3. Dum ait, *Ad altissimum vocabunt eum*, pro, vocant, (actum enim continuum significant hæc futura,) subintelligendum est, Prophetæ. Cum verò ait: *simul non eleuabit*, pro, non eleuat, subintelligendum est, caput, vt scilicet audiat Prophetas. Est autem λιτότης quasi dicat. Non solùm non caput eleuat, vt audiat Prophetas vocantes, sed omnes surdas præbent aures. Duo igitur indicat. 1. Prophetas quidem indefinenter populum Israëli, ab idolis & diis terrenis id est ab ἐθελοθρησκείαις ad altissimum, & ad purum Dei cultum in scripturis, reuocasse: at populum ita præfractum & obstinatum in suis idololatriis fuisse, vt non solum redire ad sanam mentem & ad verum Dei cultum, puriámque religionem noluerit, sed etiam Prophetas ad Deum se reuocantes, & verbum Dei docentes, verámque religionem proponentes, obturatis auribus, audire renuerit, sicut & Iehudæi aduersus Stephanum fecerunt Act. 7. Ac proinde explicans iis verbis, quæ fuerit illorum rebellio docet, hanc fuisse, quòd non solum ab altissimo, ideóque vero Deo, qui suprà in cœlis habitat, ad infernos & terrenos, ideóque falsos Deos defecerunt, sed etiam cùm à terrenis diis ad altissimum & cœlestem Deum per Prophetas reuocarentur, non tantum redire recusarunt, sed etiam vocantes ne audire quidem voluerunt. Papistas igitur verè rebelles esse contra Christum, quod non solum ab eius verbo ad humana figmenta & à vero Deo, ad idola colenda defecerunt, sed etiam, quòd reuocati non modò redire renuunt, sed ne eos quidem, qui se reuocant, audire volunt, immò & si possint, occidant.

VIII. *Quomodo te dabo Ephraim? quomodo te tradam Israel? quomodo dabo te? sicut Adma? & statuam te sicut Zeboim?*

1 Comminatio sæpiùs repetita de toto Israëlis regno destruendo, déque populo, in quam desperato, inter gentes, sine vlla spe reditus dispergendo, & generatim perdendo, fuit & sæpenumero suprà confirmata, & tandem, vt nos videmus, impleta. Præsens igitur promissio de mitigandis pœnis, deque reuocando & saluando tandem Israële: ad electos tantùm Israëlitas pertinet, & illorum causâ, ne auditâ totius Ecclesiæ dissipatione ab aliqua desperatione absorberentur, prædictæ comminationi subiecta fuit, & de reuocatione & salute tantùm spirituali, quæ per Christum erat futura, intelligenda est.

2. In Deum non cadit mutatio aut pœnitentia, nec dubitatio, aut consultatio, vlli humani affectus. In hac igitur promissione, vbi Deus hæsitabundus, & quasi contrariis affectibus in contrarias sententias raptus, ait: *Quomodo ponam te* (dedámne hostibus) *ô Ephraim?* Item, vbi quasi dolore & commiseratione confectus ait: Inuersum est cor meum, & pœnitudines meæ reuolutæ sunt, & mox, quasi priori mutatâ sententia, ait: *Non faciam furorem iræ meæ*: ἀνθρωποπαθῶς loquatur, necesse est.

3. Deus personam hominis, & quidē probi patris, qui liberos quidem improbos, sed eos tamē carissimos habet, induit. Solent autem huiuscemodi probi patres, quibus tales sunt liberi, à duobus contrariis affectibus sæpenumero, in diuersas cogitationes & deliberationes pertrahi, ab odio nimirum vitiorum quæ in liberis cernunt, & ab ipsorum liberorum amore. Ab odio quidem vitiorum, in eum subitaneum impetum, vt confestim perdere improbos liberos cogitent: ab amore verò liberorum, in eam maturam deliberationem, vt liberos ipsos perditos nolint. Cùm igitur Dominus ἀνθρωποπαθῶς loquens, & quasi apud se deliberans, ait: *Quomodo ponam te, ô Ephraim?* indicat, se quatenus spectat Israelis improbitatem, quasi ab odio & ira, ad eum prorsus perdendum impelli, sicut fecit Adma & Zeboim. Sed quatenus considerat, Israelem filium sibi esse carissimum atque ab æterno dilectum quasi ab amore, ne eum perdat, à priori retrahi deliberatione. Ac proinde docet, se vitia quidem in electis odisse, & propterea etiam electis irasci, ipsos verò electos amare, & propter hunc amorem, ipsa etiam vitia illis condonare, ipsos verò non posse perdere. *Quomodo enim ponam te Ephraim?* quasi dicat, scelera quidem tua aduersùs me, faciunt, vt cogitem te perdere, sed æternus meus erga te amor & electio, facit, vt non possim.

4. Neque simpliciter ait. *Quomodo te dabo* (scilicet hostibus perdendum, *ô Ephraim? Tradam te ô Israel?* Sed addit, *quomodo ponam te sicut Adma & Zeboim?* Adma autem & Zeboim, vrbes fuêre in Syria propter fœdas libidines, & in omne genus scelerum licentiam, igne e cœlo penitus consumptæ. Duo igitur indicat. 1. Se velle quidem Israelem in manus hostium tradere & castigare, sed non funditus, sicut olim Adma & Zeboim, perdere. 2. Scelera quidem Israelis longè grauiora peccatis Adma & Zeboim, postulare, vt eum omninò, sicut & olim Adma & Zeboim, euertat ac perdat, sed se propter firmum & stabilem, quo Israelem ab æterno complexus est, amorem, facere id non posse. Ac proinde electos, etsi propter sua peccata, non minùs, quàm reprobi mereantur, æternis ignibus adiudicari, propter ipsam tamen electionem, seu æternum Dei erga illos amorem, damnari non posse.

5. Neque statim ab initio affirmatiuè dixit, *Non ponam te sicut Admah*, sed priùs interrogatiuè, &, quasi secum partim deliberando, partim dolendo dixit: *Quomodo te ponam?* postea affirmatiuè pronunciauit, se nolle perdere, sed inquit. *Non faciam furorem iræ meæ.* Duo igitur etiam indicat hac forma dicendi. 1. Se nihil præcipitanter acturum contra Israelem, sed omnia cum matura deliberatione facturum. 2. Se, licèt castigaturus sit Israelem: non libenter id tamen, sed quasi cum dolore facturum. Ac proinde docet, se neminem præcipitanter punire, & cùm punit, præsertim electos, quasi inuitum punire.

6. Locutio illa, Inuersum est supra me cor meum, & altera, pœnitudines meæ reuolutæ sunt, idem valent. Vtraque autem locutione significatur & exprimitur interna commiseratio & paternus de perditione liberorum dolor, ideóque iræ positio, & prioris sententię mutatio. Est igitur, ac si dicat: Cor meū, id est, cor paternum & amoris plenū, in quo te ab æterno gestaui & amaui; ab ira quidem ferebatur, ad te, propter tua scelera, perdendum, sed à meo amore erga te inuersum est & conuersum ad clementiam.

7. Non ait autem simpliciter, *Cor meum inuersum est*, sed addit. *Supra me.* Cor autem nostrum inuerti & conuerti supra nos, est ab ira redire ad nos, seu iram deponere. Sicut enim qui irascitur, dicitur ire extra se, vnde & ira nomen habet, ita, qui iram deponit, redire ad se dicitur. Idem autem valet, cor inuerti supra se & redire ad se. Cùm igitur ait, *Cor meum inuersum est supra me*, indicat, se iram, quam conceperat contra Israelem, & à qua extra se contra Israelitas fuerat, posuisse, & recordatum esse se esse Israelis patrem, vt secundùm suam clementiam, non secundùm Israelis ingratitudinem, agat cum Israele.

8. Pœnitudines alicuius reuolui, est aliquem ab irâ ad commiserationes moueri, & ideò, mali quod antè aduersùs alium cogitârat, pœnitudine duci, & à priori sententia dimoueri. Cùm igitur ait, *Et pœnitudines meæ reuolutæ sunt*, indicat, ἀνθρωποπαθῶς, se ab ira contra Israelem, ad commiserationem illius esse conuersum, eóque sententiam de illo perdendo mutasse, sicut mox sequitur versu 9. mutatæ sententiæ pronunciatio.

IX. *Non faciam (exsequar) furorem iræ meæ, non perdam amplius Ephraimum: quia Deus fortis sum, ac non vir, in medio tui sanctus, non autem inuasurus ciuitatem.*

1. Facere furorem, est exsequi furoris sententiam. Cùm igitur ait, *Non faciam furorem iræ meæ*, significat, se nolle sententiam illam, quam iratus contra Israelem conceperat, exsequi, easque, quas cogitarat, de Israelitis pœnas sumere.

2. Non ait autem, *Non faciam iram meam*, sed *furorem*. Nomine autem *Iræ Dei*, venit aliqua castigatio at non talis, qualis respondeat grauitati nostrorum scelerũ. Nomine vero *Furoris*, venit vltio maxima, quæ grauitati scelerum respondeat. Atque ita quidem est etiam in filios, furor verò tantum in reprobos & inimicos. Cùm igitur ait: *Non exsequar furorem iræ meæ*, indicat, se quidem velle Israelitas aliquomodo, vti filios, castigare, sed nolle eos pro meritis suarum iniquitatum perdere. Ac proinde docet, filios Dei, etsi propter sua peccata à Deo castigantur nunquam tamẽ pro dignitate & meritis peccatorum suorum puniri: ad omnes enim filios Dei pertinet hæc Dei patris promissio: *Non faciam furorem iræ meæ*.

3. Cùm ait, *Non reuertar ad disperdendum Ephraim*, tacita subest antithesis in verbo perdendi, quasi dicat, reuertar quidem ad castigandum, sed non reuertar ad perdendum. Indicat igitur, etsi omnes Israelitæ fuerunt è regno suo expulsi & in captiuitatem abducti: illam tamen non fuisse omnimodam perditionem, tùm, quia non peruenit vsque ad totius populi interitum (seruatum enim fuit semen vsque ad Christum) tum quia omnibus electis fuit ad salutem.

4. Non ait autem, *Non veniam*, sed ait, *non reuertar*. Indicat igitur, etiam anteà se venisse in Israel, scilicet ad perdendum, nempe, quando venerat per Tiglatphalassar & Salmanassar, & multa oppida euerterat, multosque perdiderat, vt quarti libri Regum historia ante captam Samariam tradit.

5. Cum ait, *Quia Ego sum Deus & non homo in medio tui sanctus*, αἰτιολογία est, cur nolit & non possit Israelem ponere, sicut Adma & Zeboim, & cur inuersum sit illi cor supra se, & pœnitudines reuolutæ, curque nolit exsequi furorem iræ suæ, neque redire ad perdendum Ephraim. Opponit autem se Deum Israeli homini & totam salutis caussam in se vno collocat dicens: *Quia Ego Deus sum, non homo*. Indicat igitur, nullam in Israele caussam fuisse, cur vel remitti eis deberent pœnæ, vel peccata condonari, & ipsi saluari, sed totam in solo Deo fuisse, quia scilicet Deus sit, & non homo. Ac proinde apertè docet, salutis quidem effectum esse in nobis, quia nos saluamur, salutis verò caussam & omnem & totam esse non in nobis, sed in Deo, qui non est, vti nos, homo corruptus.

6. Ait, se nolle furorem iræ suæ in Israelem exsequi, id est, in totum prorsus, sicut eius scelera postulabant perdere, & hanc assignat αἰτιολογίαν, quia Deus sit, & non homo. Docet igitur, proprium Dei esse, misereri semper & parcere.

7. In hac promissionis, de non perdendo prorsus Israele, αἰτιολογία, non solùm ait, *Quia Ego sum Deus*, sed etiam addit, *Et non homo*, id est, homini similis. Nomine autem *hominis*, nõ venit integra hominis natura, sed naturæ corruptio, qua corruptione præter cætera factum est, vt homo, si offendatur, amorem sæpè conuertat in odium, implacabilis fiat, datam fidem infringat, iræ & aliis suis affectibus moderari non possit. Porrò hanc etiam promissionẽ & promissionis rationem subiecit Deus, vt electis in Israel consolationem afferret, & in spem salutis eos subleuaret. Duo igitur indicat. 1. Israelitas igitur, Deum humana mensura dimensos, similem homini illum existimasse, nimirũ, quòd læsus amorem conuertat in odium, scindat promissa, fiat implacabilis, & denique iræ suæ modum inuenire nõ possit. 2. Ex hac falsa de Deo opinione factum fuisse, vt conscij, se Deum læsisse, non solùm tristitia affecti, sed etiam à quadam suæ salutis desperatione quasi absorptos fuisse, ideóque illos fuisse, & reuera hac opinione fallos, & immeritò ista desperatione affectos. Ac proinde docet, illos, qui Deum humano more metiuntur & æstimant, tùm impiè, tùm perniciosè facere. Impiè quidem, quoniam Deus, vt ipse ait, reuera Deus est, & non homo, seu, non est, vt homo, implacabilis, in amore mobilis, in promissis inconstans. Perniciosè verò, quoniam illa falsa de Deo opinione, nihil, nisi salutis desperatio & ipsa tãdem æterna mors, adferri potest. Contra igitur & animi consolationem, & fidei ac spei firmitatem, denique salutem ipsam, ex hac vera doctrina fidelibus esse capiendam, quòd Deus non est corrupto homini similis, sed est placabilis, firmus in promissis, in amore constans, & quòd (vt per Iesaiam ait 55.) non sunt cogitationes Dei, sicut cogitationes nostræ, sed quantum distat cœlum à terra, tantùm distant cogitationes Dei à cogitationibus nostris.

8. Deum simpliciter esse *Kadhosch*, est Deũ esse numeris omnibus absolutũ, in quo nihil boni desiderari possit. Eundem verò esse in medio alicuius populi *Kadosch*, id est, sanctum, est populo illi esse gratuito fœdere iunctum, vt, sicut ipse sanctus est sic etiam populum suum, sanctum & perfectum gratis & infallibiliter reddat, quo fœdere non, nisi cum electis fere coniunctus est. Aliud enim non tantum generatim ad totum fœdus, in quo gratis promisit, se fore Deum, id est, cornucopię, id est, bonorum omnium, Abrahæ & semini eius, sed speciatim ad illam fœderis explicationem, quæ est 2. Samuel. c. 7. *Ego ero illi in patrem & ipse erit mihi in filium, qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* Cùm igitur caussam assignans cur (etsi velit Israelem castigare nolit tamẽ, nec possit enim omnino perdere) non contentus dixisse: *Quia Ego Deus sum & non homo*, subdit etiam, *In medio tui sanctus*, duo docet 1. Non ideò se non posse totum Israelem perdere, quia simpliciter sit Deus, & non homo, (non enim hoc pugnaret cum Deo, quia Deus est, totum enim populum Sodomitarum perdidit, & tamen mansit Deus) sed ideò se non posse totum perdere, etiam electos, quoniam non potest nõ stare sua gratuita promissione, quam suo electo Israeli in fœdere fecit, dicendo: *Quod si inique se gesserit, arguam eum in virga hominum, misericordiam autem meam, non dispergam ab eo.* 2. Se non solùm non posse Israelem perdere propter promissionem illi in fœdere factam, sed etiam non posse eum è malo bonum, & sanctum, non facere, ideóque tandem beatum non reddere, propterea quòd sit Deus in medio eius sanctus scilicet & sanctificans. Ac proinde duo docet. 1. Non pugnare quidem eum Deo, quia Deus est, quòd nos ob nostra scelera, in perpetuum, sicut & reprobos omnes, perdat, (est enim Deus iustus) sed ideò pugnare, quatenus Deus est in medio nostri sanctus, id est, gratuito fœdere nobis firmiter coniunctus & ita coniunctus, vt propter hanc caussam sese posuerit in medio nostri sanctum, vt nos quoque sanctificaret, & è malis bonos, & omnibus autem numeris perfectos redderet. 2. Salutem igitur electorum certam & infallibilem esse, non propter eos aut in se, sed propter fœdus in Christo. Hinc igitur electis perpetuo capiendam esse consolationem, & spem salutis confirmandam, quòd Deus, etsi nos castiget: non possit tamen perdere, quia Deus est, non simpliciter, sed Deus in medio nostri sanctus.

9. Dum vult electos consolatione afficere, & in spem salutis erigere, non est contentus dixisse, *Quia Ego sum Deus & non homo* sed coniungit simul alterum epitheton dicens: *In medio tui sanctus*. Indicat igitur, nomen Dei solius, nullam posse afflictis conscientiis consolationem afferre, (est enim Deus etiam iustus, & damnans sceleratos) sed totum hoc simul, *Ego sum Deus & non homo in medio tui sanctus*, ac ferre maximam. Ac proinde docet fidelibus & electis, nunquam Deum simpliciter, & in sua natura extra nos, sed in fœdere, quo nobis coniunctus est, & in Christo, per quem factum est, vt sit sanctus in medio nostri, semper esse contemplandum, quatenus scilicet Deus est non simpliciter, sed Deus noster in medio nostri sanctus.

10. Sic etiam sanctificans, sicut & Paulus loquitur, iustus & iustificans. Ergò nostrapte natura sumus impij & immundi. Omnis verò nostra sanctitas & iustitia, ex Deo est.

11. Cũ ait, *Non ingrediar vrbem*, nomine *Vrbis* intelligi venit Hierosolyma. Est autẽ in verbo, *Non ingrediar*, subintelligendũ Ibi tãtùm mansurus, & quasi vos deserturus omninò. Indicat igitur, etsi expulso Israele inter gentes, visus est Deus, quasi in solã vrbem Hierosolymã ingressus, apud Iudæos tantũ mansisse (illi enim soli iuxta nomen populi Dei etiam cultum Dei retinuerunt,) reliquas verò tribus prorsus deseruisse: se tamen reliquos Israelitas inter gentes dispersos nõ prorsus deserturum: adfuturum enim semper electis, etiam inter gentes dispersis, ne illi licet omnino pereant: Israelitæ autem tandem transierint in consortium gentium. Perpetuam igitur sui præsentiam, sed in spiritu & gratia, ipsis electis, etiam ex gentibus, vbicunque fuerint dispersi, promittit. Ac proinde duo docet. 1. Etsi, quò ad externa præsentiæ symbola, quæ sunt verbi prædicatio, & Sacramentorum administratio, id est, externus cultus, videatur tantùm Hierosolymis, id est, in visibilibus Ecclesiis, vbi hæc visuntur symbola habitare: non tamen ita ibi esse alligatum, vt electos reliquos, qui in iis Ecclesiis corpore non sunt, sed inter impios aut idololatras dispersi, prorsus deserat. Illis enim etiam adest spiritu & gratia, quando, etsi non corpore: animo tamen & spiritu, veræ Ecclesiæ, quæ est Hierosolymis, coniuncti sunt. 2. Deinde se non ita in vrbem cœlestem, Hierosolymam corpore ingressus esse, vt ibi tantum maneat, nos hic inter gentes deserens: nobiscum enim etiamnum esse & futurum esse, vsque ad seculi consummationem.

mationem, suo spiritu & variis suæ præsentiæ symbolis.

X. *Et post hac ambulabunt post Iehoua, qui veluti leo rugiet: ipse enim rugiet, & pauebunt filij ab occidente.*

1. Ambulare post Iehoua, est sequi Iehouam, tanquam suum Ducem, Caput, & Regem. Verbo autem *Ambulandi*, subintelligendum est: In suam patriam, postliminio scilicet redeuntes. Duo igitur promittit. 1. Electos Israelitas, postquam diu fuerint inter gentes dispersi, sine rege, & sine principe, tãdem habituros iterum regem, & ducem, qui eos à captiuitate liberet, & in patriam reuocet, non qualemcũque regem aut ducem, sed Iehoua Deum, vt, qui diu fuerunt *Lo-hammi* non populus Dei, tandem aliquando iterum fiant *hammi* populus Dei. 2. Ipsos Israelitas è captiuitate ereptos, spõte & vltro suum ducem Iehoua in patriam secuturos. Promissio autem hæc de reditu Israelis à terrena captiuitate in terrenam patriam, intelligi non potest, quando ab ea neque vnquam redierunt, neque vnquam redibunt, vt antè prædixit Propheta. Ergò deliberatione spirituali è captiuitate peccati & Satanę per Iehoua, id est, Christum facta, & de voluntario, per fidem & obedientiam, in æternam cœlestémque patriam reditu, quem Israelitæ secundum spiritum, Christum sequentes, faciunt, intelligatur, necesse est.

2. Nomine *Iehoua*, necessariò venit Christus. Hic enim ille est, quem veri Israelitæ è captiuitate spirituali postliminio liberati, tanquam suæ liberationis autorem, ducem & regem, in æternam patriam subsequuntur. Nomen autem Iehoua, nomen est essentiale. Ergò Christus verus, & essentialis Deus sit, necesse est.

3. Absolutè promittit, ac certò prædicit, omninò fore, vt electi Israelitæ, tandem è captiuitate liberati, Christum verum Iehoua, tanquam liberatorem & itineris ad cœlum ducem subsequantur. *Post Iehoua ambulabunt* inquit. Nemo autem ad Christum venire, & eum ad cœlum subsequi potest, nisi fide & fidei obedientia à Deo donetur: Vtrumque enim donum Dei est. Promittit igitur, se & fidem & obedientiam, quibus Christum ad cœlestem patriam, ad cœlestem Palæstinam per hoc desertum, continenter subsequantur, electis donaturum. Ac proinde docet, necessarium esse, vt electi omnes tandem aliquando, & in Christum credant, & Christum ad æternam vitam sequantur. Perire igitur illos non posse.

4. Cùm ait, *Tanquam leo rugiet. Leonis* nomine, venit Christus: *Rugitus* verò, Euangelij prædicatio. Porrò leo omnium animalium fortissimus est, & insigne est victorię. Duo igitur indicat. 1. Christum Iehoua in suo populo, è manibus hostium eripiẽdo, fore omnium suorum hostium longè fortissimũ, ita, vt nemo possit ei resistere. Victoriam igitur & populi redemtionem fore certissimam. 2. Modum verò seu arma, quibus populum suum è captiuitate Christus liberat, Ipsam esse Euangelii prædicationem.

5. Nomine *Maris* venit hic illa regio, vbi Israelitæ exsularunt, tã Ægyptus quàm Assyria, quæ regio respectu Indeæ occidentalis est. Filij igitur Maris, seu Occidentis, Ægyptij sunt & Assyrij, vt altero versu insequenti explicat. Sed horum nomine veniunt omnes Christi hostes, è quorum manibus electus populus erat eripiendus. Rugitus leonis animantibus omnibus terrificus & formidabilis est, & omnia concutit, ac pauore replet. Cùm igitur ait: *Cum ipse rugierit pauebunt filij à mari*, indicat, hunc esse prædicationis Euangelij in mundo, & apud hostes Christi effectum ac vim: nimirum, vt eos perterrefaciat, conturbet, cõcutiátq. & consternet, Spiritu sancto mundum arguente de peccato, de iustitia, de iudicio. Sic tum acta Apostolorum imprimis docent, tum res ipsa testatur, ad Euangelii prædicationem, tanquam ad rugitum leonis, confestim conturbari gentes, vrbes & regna.

XI. *Pauebunt, sicut auis (vel, vt passer) ex Misraim, & veluti columba ex terra Assur, collocabóque eos in omnibus suis, dixit Iehoua.*

1. Cum antea & Christum leoni, & eius prædicationem rugitui comparasset, nunc omnes Christi hostes, apud quos captiuus detinetur populus Dei, (nomine enim Ægyptiorum & Assyriorum ij omnes intelliguntur) infirmissimis ac timidissimis auiculis, passeribus & columbis comparat. Tantum autem abest, vt hæ auiculę, vtvt garriant, aliquid contra leonem & leonis propositum impedire possint, vt vno tantum leonis audito rugitu, confestim procul auolare, & alicubi se præ maximo timore abdere cogantur. Indicat igitur, electorum per Christum liberationem, salutem, & ad æternam vitam deductionem, à nemine, ne ab ipsis quidem inferorum portis, impediri posse, vtvt omnes Christi hostes fremant, tumultuentur, repugnent. Omnes enim esse instar auicularũ contra leonem, & omnes eorum fremitus & conatus, garritus tantum esse auicularum, cõtra leonis rugitum. Ac proinde docet, etsi nos imbecilles sumus, & similes ceruis: quandiu tamen Christum leonem ducem habemus, cúmque per hoc desertum in cœlum sequimur, minimè nobis esse ab harum auicularum garritu, metuendum, quando etiam (iuxta Ethnici dictum) formidabilior sit exercitus ceruorum, duce leone, quàm leonũ, duce ceruo. Forti igitur animo pergendum esse, & Christum ducem sequendum.

2. Cùm ait, *Et habitare eos faciam in domibus suis*, nomine *Domorum*, terrenæ & propriæ Israelitarũ domus intelligi nequeunt, quoniam ad illas habitandas neque vnquam redierunt, neque vnquam redituri sunt. Spirituales igitur & cœlestes domus, de quibus etiam Christus ait Ioan. 14. *in domo patris mei mansiones multæ sunt, propterea, vt recipiam vos in æterna tabernacula*, intelligantur, necesse est. Cùm igitur ait, *Et habitare eos faciam in domibus suis* absolutè promittit, se suos electos à captiuitate spirituali ereptos, ita in hoc deserto gubernaturum, & contra omnes hostes defensurum, vt tandem, velint nolint, hostes illi in suam patriam, id est, in cœtus felices & securos redeant.

3. Non ait autem simpliciter *Habitabunt*, sed ait *Habitare faciam* Indicat igitur in cœlum neminem suis viribus ascensurum ibique habitaturum, nisi Christus faciat eò nos ascendere & habitare. Donum igitur esse (vt Paulus ait, vitam æternam.

4. Neque ait, *Et reducam in domos suas*, sed ait, *Habitare faciam eos*. Verbo autem habitandi venit quieta, plena, perfecta, perpetuáque possessio. Indicat igitur, electos post confectum hoc iter, in cœlo quieturos, æternũmque ibi in summa voluptate victuros.

5. Neque ait, *Faciam habitare in domibus alienis*, sed, *Suis*. Indicat igitur, cœlum verè nostram esse domum: nostram, inquam, cùm iure electionis & prædestinationis (preparatum enim & destinatum nobis fuit ab æterno) tum iure redemtionis, seu iure belli, (Christus enim nostra carne indutus, in bello contra Satanam, cœlum nobis acquisiuit) tùm iure filiationis & hæreditatis: quia enim filij facti sumus Dei, per Christum, cœlum nobis tanquam paterna hereditas debetur.

6. Nec etiam simpliciter ait, *Habitare faciam*, quasi dicat, quoscunque Israelitas, sed eos, quos scilicet ab æterno amauit, quos redemit, qui denique post Iehouam Christum ambulant. Indicant igitur, solos electos per Christum redemtos, quique Christum fide & obedientia sequuntur in cœlo habitaturos.

7. In fine concionis subdit, Ait *Dominus*. Dominus autem mentiri non potest. Indicat igitur, promissiones has omnes veras & certissimas esse: ac proinde docet, firma fide eas esse nobis retinendas. Et, cum iam multis rationibus & beneficiis Dei in nos, satis supérque patefactus sit æternus Dei erga nos amor: eos autem, quos ab æterno amauit, procul dubio reuocaturus sit in cœlum, vt habitent in domibus suis: Nobis igitur dubitandum non esse, quin tandem aliquando simus in cœlo, id est, in ædibus nostris, feliciter, & æternùm cum Christo, nostro Iehoua habitaturi. Hac igitur spe fretis & fultis, forti & hilari animo post nostrum Iehoua fide & obedientia esse ambulandum.

ANALYSIS CAPITIS DVODECIMI.

C*ircumdederunt me mendacio Ephraim, & in dolo domus Israel: Iehuda autem adhuc d m n tu[illegible] cum Deo, & cum sanctis fidelis est.*

1. Nomine *Ephraim*, veniunt proceres regni Israel. Nomine verò *domus Israel*, reliquus populus. Nomine *Mendacij*, venit perfidia, qua quis contra suam promissionem fidémque datam aliquid vel omittit, vel admittit, tum quidquid ad veritatem impugnandam (neque enim veritas, nisi mendacio, impugnari potest,) adfertur. Nomine verò *Fraudis*, veniunt omnes speciosi, sed falsi prætextus & colores, quibus astuti homines ad suam aut perfidiam, aut aliam iniquitatem tegendam, vel excusandam, vtuntur. Cùm igitur ait: *Circumdederunt me mendacio Ephraim, & fraude domus Israel*, duo indicat. 1. Vniuersum illum populum, tàm proceres, quàm plebem, contra fidem Deo datam: nempe, inprimis de vnico vero Deo, ad ipsius præscriptum colẽdo, tùm de se, déque toto regno ad formam legis Dei informando, fecisse, atque ita in Deum perfidos & mendaces se-

pertos fuisse 1. Israelitas, cum huiusce perfidiæ & mendacij à Prophetis arguerentur, variis speciosisq. contra Prophetas coloribus, imposturis, & sophismatis, à bona (verbi gratia) intentione, ab exemplo maiorum, ab antiquitate, à miraculis à felici rerum successu, & aliis id genus, deductis, tum ad suam perfidiam excusandam, defendendámque, tum ad fucos simplicioribus faciendos, vsos fuisse. Ac proinde docet, hoc esse hypocritarum idololatrarum ingenium, vt non tantum perfidi sint in Deum, sed etiam suam perfidiam variis semper imposturis obtegere, ac pertinaciter defendere conetur.

2. Non simpliciter ait: *Vsi sunt aduersus me mendacio & fraude*, sed, *Sebhabuni*. Verbum autem hoc significat, non simpliciter circumdare, sed circumdando obsidere. Indicat igitur Deus, se in Israel ab vniuerso populo, tanquam à numerosissimo hostium exercitu, vndequaque perfidia, mendaciis & imposturis circumseptum, & quasi obsessum, fuisse. Ac proinde docet, & Israelitas, & alios idololatras tum maximè se Dei hostes declarare, cum non solum perfidi in Deum sunt, sed etiam suam perfidiam atque impietatem, variis contra Prophetam sophismatis & imposturis, quasi eos, ne elabantur, obsidendo, defendunt.

3. Arma, quibus Israelitæ, Deum in Prophetis ipsos impietatis perfidiæ accusantem, suæ impiæ religionis aduersus Prophetas defendendæ, atque conuincendi Deum in Prophetis falsi, caussam defenderunt, fuerunt tantùm mendacia & fraudes. Docet igitur idololatras, vniuersósque impios homines, nihil, quo se suásque impietates aduersus Prophetas defendant, habere, nisi mendacia & fraudes & imposturas, atque hæc propria esse illorum arma. Quidquid igitur à Papistis ad suas ἐθελοθρησκείας defendendas, aduersus apertum Dei verbum adferri potest, totum illud nihil aliud esse, quàm mendacia & fraudes.

4. Dominari cum Deo, est, vnà cum Deo, id est, secundum legem Dei, tanquam veri & supremi regis, aliquod regnum, cum quo ad politiam, tum maximè quo ad religionem gubernare. Cum igitur opponés Iudam ipsi Israeli ait: Iudam adhuc dominari cum Deo, duo simul facit. Nā & regnum Iehuda apertè laudat, & regnum Israel obliquè damnat, quòd, licèt in Iehuda multa essent vitia: externus tamen cultus purus ibi retinebatur. Contrà verò, Israel religionem à Deo præscriptam, superstitionibus corrupit. Ac proinde docet, illos Magistratus non dominari cum Deo nec Deum cum illis, qui sua regna non curant, tum quo ad politiam, tum præsertim quò ad religionem, iuxta præscriptum legis Dei, administrari. Qui autem non dominantur cum Deo, contra Deum dominentur, necesse est, iuxta illud Christi: *Qui non est mecum, contra me est*.

5. Fidelem esse cum sanctis, hoc in loco est, fidem, vnà cum reliquis sanctis & fidelibus patribus, Deo seruare, seu, est, eam religionem quam, à Deo traditam & ab antiquis nostris, patribus posteris, quasi per manus, relictam, accepimus, puram adhuc & integram, fideliter retinere. Cum igitur ait: *Iehudam adhuc fideles esse cum patribus sanctis*, duo itidem simul facit. 1. Disertè laudat Iehudam, quòd eam, quam à suis vere antiquis & sanctis patribus, Abraham, Isaac, & Iacob, Mose, & aliis acceperat religionem, puram adhuc, id est, talem, qualem ab illis accepit, fideliter retineat. 2. Contrà verò obliquè damnat Israelitas, quod religionem, quam à sanctis patribus puram acceperant, suis variis ἐθελοθρησκείαις corruperint.

6. Coniungit vtrumque, &, dominari cum Deo, & fidelem esse cum sanctis, id est, cum veteri & sancta Ecclesia. Docet igitur, neminem posse esse fidelem, cum sancta veteri Ecclesia, id est, veram religionem, quam vetus sancta Ecclesia coluit, fideliter sequi, qui non etiam dominetur cum Deo, id est, puram à Deo traditam de religione doctrinam, qua Ecclesia regatur, retineat. Hallucinari igitur Papistas, qui tactāt, se cum sanctis fideles esse, religionémque, quam vetus Ecclesia sancta secuta est, fideliter retinere, cum non dominentur cum Deo, id est, cum non regant Ecclesiam iuxta illam puram de religione doctrinam, quam Deus in scripturis Ecclesiæ tradidit.

II. *Ephraim pascis*, vel pascit se *vento, & persequitur Eurum*, Orientem, *omni die mendacium & vastitatem multiplicat: & fœdus cum Assur percusserunt, & oleum in Misraim deportatur.*

1. Pasci, vel pascere se vento, est, ventosis & vanis, seu inanibus spebus, se quasi alere, fulcire, ac sustentare. Hoc autem est, in rebus vanis, quæ te fallant, fiduciam & spem collocare. Eurus, seu, subsolanus ventus est in Iuda præsertim tempestuosus & perniciosus. Quare persequi Eurū, est non solum inanibus spebus se ipsum fallere, sed etiam perniciem à se, instar venti, fugientem, persequi, idque tamdiu, donec eam assequaris. Cum igitur ait: *Ephraim pascit se vento, & sequitur Eurum*, indicat, Israelitas non solum contra Prophetarum comminationes, vanis spebus, quas in suis tum idolis, tum fœderatis regibus firmarant, se inaniter fulciuisse, sed etiam illis vanis spebus exitium sibi atque iram Dei vltrò comparasse. Ac proinde docet, eos omnes, qui deserto Deo, spem in rebus vanis collocant, tàm fatuos esse, atque illi sunt, qui, neglectis optimis & solidis cibis, vento, eóque pernicioso, os, stomachumque implent, séque ingurgitant.

2. Nomine *Cazabh*, id est, mendacij veniunt hoc in loco vanæ spes, quas in suis falsis cultibus fœderatisque regibus posuerunt Israelitæ, quásque nomine venti antea intellexit. Nomine verò *vastitatis*, venit totius regni exitium, iráque Dei, quam antea nomine Euri, significauit. Cùm igitur ait: *Quotidie multiplicat mendacium & vastitatem* præcedentem figuratam locutionem explicans, apertè indicat, Israelem quotidiè & suas inanes spes in suis falsis cultibus & fœdere sibi coniunctis regibus, aliisque rebus vanis, firmasse, & hisce suis inanibus spebus non solum frustratum fuisse, sed etiam sui totiúsque regni exitium sibi comparasse, atque iram Dei, vt Paulus loquitur, in dies grauiorem thesaurizasse.

3. Ambire fœdus cum aliquo, signum est spei ac fiduciæ quam in eo collocaris, ideircò autem prohibuerat Deus Israelitis, ne fœdera cum gentibus inirent, quoniam volebat, vt totam suæ protectionis atque salutis fiduciam in se vno Deo reponerent. Nomine *Olei*, veniunt synecdochicè, reliquæ omnes facultates. Illi autem particulæ, *Oleum in Ægyptum portatur*, subintelligendum est, in donum, ad amicitiam Ægyptiorum ambiendam. Cum igitur ait: *Fœdus cum Assyriis feriunt, & oleum in Ægyptum portatur*, indicat, hanc vnam præter reliquas vanæ Israelitarum spei, fuisse speciē, quòd scilicet, vt se aduersus Prophetarum comminationes munirent, venati sunt sibi, abnegato Deo, amicitiam regis Assyriorum, à parte vna, ab altera verò Ægyptios, magnis etiam ad eos missis muneribus conciliare studuerunt, quo tùm illorum, tum istorum, auxilio, in suo se regno firmare ac stabilire possent. Ac proinde docet, spem salutis omnem ita in vnico Deo nostro, sub cuius tutela sumus, esse collocandam ac firmandam, vt nullo modo huc atque illuc mentibus nostris transcurramus, neque hinc inde humana nobis subsidia accersamus: hoc enim esse, quasi in Ægyptum, vel in Assyriam, Deo neglecto confugere.

III. *Etiam lis est Iehoua cum Iehuda, & ad visitandum super Iacob*, paratus est, *secundum vias eius, secundum opera eius, rependet ei.*

1. Litem Deo esse cum aliquo, est Deum habere, de quo cum aliquo palàm coram toto mundo, tāquam coram iudice, expostulet, id quod non tantùm verbis per Prophetas, sed etiam flagellis (sed mitioribus,) per tyrannos, facere solet. Sicut autem tum Deus dicitur nolle ampliùs cum aliquo litigare, cum de illo, tanquam præfracto ac desperato, vltimum supplicium, ceu iustus iudex, sumere decreuit: ita dicitur cum aliquo adhuc litigare velle, cùm nondum omnem salutis spem de illo deposuit. Cum igitur ait: *Lis etiam cum Iehuda Domino est*, tria indicat. 1. Ipsum Iehudam etsi adhuc, quò ad externum cultum, quem purum retinet, dominetur cum Deo, & fidelis sit cum sāctis, respectus Israelis: non tamen prorsus innocentem, aut ab omni culpa immunem esse: Deum enim habere, de quo possit cum eo, coram etiam vniuerso mundo, tanquam coram iudice, expostulare. 2. Deum statuisse, ipsum etiam regnum Iehudæ, non verbis tantum, sed etiam flagellis, palam coram vniuerso mundo, tanquam in iudicio, iniquitatis conuincere. 3. Deum nondum penitus omnem salutis spem de Iehuda, abiecisse, ideò nolle ad mortem, sed ad salutem illum castigare, velle enim, tanquam actorem, actionem aduersus illum, in iudicio adhuc instituere, non autem, tanquam iudicem, vltimum de eo supplicium sumere. Ac proinde docet, dum adhuc nobiscum litigat ac disceptat Deus, vel obiurgationibus, vel etiam flagellis, & lenioribus correctionibus (id quod facit, dum sumus in hoc mundo, ceu in iudicio,) nondum esse de nostra salute desperandum. Cēdendum igitur Deo in hac lite & resipiscendum, nec expectandum, dum personam actoris deponat, & sumat personam iudicis, qui nolit amplius litigare, sed extremum de nobis supplicium sumere.

2. Cùm paulò antè laudarit Iehudam à fide, nunc tamen etiam accuset: indicat igitur, comminationem hanc Iehudæ factam non minùs ad Israelem, quàm ad Iudam pertinere. Ad Iudam quidem, vt intelligat, etsi externum cultum purum adhuc retinet: se tamen non esse ex omni culpa & peccato exemptum: quare ne superbiat, sed sua agnoscat peccata & resipiscat. Ad Israelem verò, vt discat, si Iehudæi, qui præ Israelitis sunt sanctissimi, quippe qui adhuc dominentur cum Deo, & cum sanctis fideles sunt, breui trahendi sunt à Deo in iudicium & castigādi, se igitur, penes quem nihil est boni, quippe cui & religio tota corrupta, & mores omnes sunt perditissimi, manum Dei effugere nullo modo posse: quare, ne sit securus, sed timeat Deum & resipiscat.

3 Nomine *Iacob* venit populus Israel, id est, 10. tribus: ipsæ enim & nomen & cognomen patris retinebant. Verbo verò *Visitādi* hoc in loco venit vltimum supplicium, quod Deus de Israelitis erat sumturus. Est autem antithesis quædam inter verbum castigandi & visitandi. Cum igitur ait: *Et ad visitandum super Iacob* scilicet Deus paratus est, tria igitur indicat. 1. Grauiora igitur esse Israelis peccata, quàm Iehuda 2. Idcircò grauius supplicium de eis Deum sumturum, quam de Iehuda, cùm nolit cum hoc sicut cum Iehuda litigare, sed super eum visitare. 3. Israelem enim prorsus de peraturum esse.

4. Neque simpliciter ait: *Visitabit Dominus super Iacob*, sed. *Ad visitandum* scilicet accinctus & paratus est. Indicat igitur, Israelis supplicium & fore grauissimum, & tam in foribus esse.

5. Neque simpliciter ait: *Dominum visitaturum super Iacob*, sed addit: *Secundùm vias eius*. Nomine autem *viarum*, veniunt mores & tritæ, inueteratæque in peccatis consuetudines. Indicat igitur, supplicium Israelis fore iustissimum, nec ipsum Israelem suprà, quàm meritus sit, puniтum iri.

6. Neque hac particulà contentus, addit: *secundum studia, seu opera eius, reddet ei*. Indicat igitur Israelem non posse vllo modo de Deo conqueri, quòd graue de se suppliciū sumat: quoniam Deus nihil pœnarum Israeli infligit, nisi id, quod sibi ipse suis operibus malis cōparauit, atque in eius, tanquam fidi depositarij manum, sibi suo tempore reddendum deposuit. Ac proinde docet, quicquid pœnarū & suppliciorum recipiunt à Deo homines, tam in hoc, quàm in altero seculo, totum illud fuisse priùs ab hominibus suis sibi operibus comparatum, atque manum Dei, tanquam in manum depositarij depositum sicut & Paulus Rom. 2. *Thesaurizas tibi iram in die iræ scilicet tibi reddendam*. Quare si Dominus suo tempore fideliter illis suum depositum reddit, non esse cur de eo conquerantur.

I. *In Vtero supplantauit fratrem suum, & fortitudine sua praualuit Angelo.*

II. *Praualuit inquam Angelo & superior fuit, fleuit & rogauit eum: in Beth el inuenit eum, ibi locutus est nobiscum.*

1. Commendat Propheta Iacobum totius Israelitici populi patrē, à singulari pietate, virtute & heroicis pro diuina benedictione habenda & retinenda factis. Mox suū populum hortatur, vt ad suum Deum redeat, fidēmque in Deū semper & beneficentiam in proximum seruet. Deinde verò eundem vocat Chanaan, ipsiúsque vitia & scelera profert in lucem. Indicat igitur, hanc præsentem patriarchæ Iacobi commendationem, ad duo potissimùm spectare. 1. Eò, vt ab exemplo tanti patris, ipsi quoque filij, quis Deus sibi sit colendus, quidque sibi, vt suo deo grati fiant, faciendum, perdiscant: nempe, vt eum solum Deum, quem ipsorū pater coluit ipsi quoque colant, &, vt non contenti nomine & cognomine patris, ipsius quoque pietatem & virtutem imitentur. 2. Eò singulariter spectare, vt ex commendatione pietatis & virtutis patris Iacobi, qua pietate & virtute meritò & nomen Iacobi & cognomen Israelis sibi comparauit clariùs & luculentiùs, quanta sit filiorum Israel impietas, atque improbitas, quàmque immeritò & Iacobi & Israelis, à cuius pietate & virtute prorsus degenerarunt, nomina iactent, tùm ipsis Israelitis, tum reliquis gentibus appareat; atque hinc etiam consequenter appareat, Dominum igitur cùm visitabit super hunc populum Iacob, ad factorum iustissimè, quoniam non visitabit super populum, nisi secundùm vias eius, (vt antè promisit) & non reddet ei nisi secundùm opera eius.

2. Commendaturus Propheta pietatem & virtutem patriarchæ Iacob, incipit ab iis, quæ, cùm adhuc in vtero matris esset, agitatus à Spiritu sancto pro habenda cœlesti diuináque benedictione, præclarè gessit: nempe, à supplantatione, qua fratris Esau pedem, ne prior ille nasceretur, sua manu præripuit, & consequenter à conflictu, quem pro primogenitura, ideóque pro diuina benedictione, quæ ad primogenitum pertinere videbatur, cum fratre Esau in vtero matris fecit. *in vtero*, inquit, *supplantauit fratrem suum*: ad historiam enim Gen. 25. alludit.

3. Porrò illa supplantatio, harum 7. rerum symbolū ac testimoniū fuit. 1. Diuini cuiusdam sed occulti, desiderij, quo Iacob. cùm adhuc tamen vti iudicio naturaliter non posset, ineffabiliter tenebatur priori loco nascendi. Quia enim manu plantam pedis Esau in lucem ingredientis, tenuisse visus fuit, argumento fuit, eum mirabili quodā, sed hominibus occulto modo voluisse fratrē, ne prior ille nasceretur, impedire. Et consequenter, 2. loco, symbolum fuit, pij ac sancti desiderij, quo (vt dictū est) mirabiliter afficiebatur Iacob diuinam benedictionē consequendi. Neque enim cupiebat prior nasci, nisi propter hanc benedictionē, quæ naturaliter ad primogenitum pertinere videbatur. 3. Testimonium fuit, Iacobum non potuisse nascendo fratrē anteuertere, ideóque non potuisse natu fratre Esau maiorem fieri. Si enim potuisset prior nasci, plantā fratris Esau sua manu retinere visus non fuisset. Quare, quo ad naturales vires minorem seu inferiorē fuisse fratre Esau. Proinde 4. loco symbolum fuit diuinæ electionis, seu diuinæ erga Iacobum, & non erga Esauum dilectionis & gratiæ argumentóque fuit, benedictionem illam, pro qua conflictū fecerat cum fratre prædestinatam fuisse Iacobo & non Esau. Sic enim habebat promissio facta Rebeccæ, *duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex vētre tuo diuidentur, alter altē altero erit robustior, & maior seruiet minori.* Quid igitur Iacob non potuerit aut robustior aut maior natu fratre Esau esse, id diuina ex gratia factum est, vt Iacobo minori Esau maior seruiret. 5. Igitur loco symbolum fuit regni & domini Iacob in Esau, non quidē in persona Iacob & in personam Esau, sed in gente Iacobea id est, Israelitica, in gētē Esau scil. Idumæam, idque ad tempus, nempe annos circiter 163. initio facto à Dauide, cuius typus fuit manus Iacob, qua plantam pedis Esau apprehendit, per reliquū tempus quinque regum insequentium Solomonis, Roboami, Abiæ, Azæ Iosaphati (quorum quinque regum typi fuerunt quinque digiti manus Iacob) vsque ad Ioram regem Israel. Primum enim Dauid Idumæos, tanquam pedem Esau apprehendit, & regno Israelis subiecit: deinde reliqui quinque reges insequentes imperium in Idumæos continuarunt. Ita maior seruiuit minori. Sub Ioram verò iugum Israelis excusserunt Idumæi, vt est 4. Reg. 8. iuxta vaticiniū Isaaci ad Esau, Gen. 27. dicens: *in gladio viues & seruies fratri tuo, tempúsque veniet, quo excuties & solues iugum eius de ceruicibus tuis.* Ita planta Esau fuit in manu Iacobi annos circiter 163. Supplantatio igitur illa symbolum fuit temporalis dominij Iacobi super Esau, iuxta promissionem: *Maior seruiet minori*. 6. Symbolum imperij & dominij Christi super omnem carnem, & super reprobos, quorum typus fuit Esau. Etsi enim promissio illa: *Maior seruiet minori*, cuius symbolum fuit supplantatio Iacobi, aliqua ex parte impleta fuit in Iacob, eo quo ante diximus, modo: (conceptio enim Iacobi typus fuit incarnationis Christi, & supplātatio typus dominij vilis & infimi secundùm carnem, super omnes principes, potentes) propter Christum tamen inprimis facta fuerat, & in Christo perfectum habitura erat cōplementum. Is enim ex Iacob minore natu orturus erat. & huic Christo non solùm Esau maior, natu & tota eius gens, sed omnes principatus & potestates erant seruituri & subiiciendi: nam flectendum illi erat omne genu, etiam reproborum omnium quorum typus fuit Esau, tanquam domino & regi regum, & domino dominantiū Huc facit visio Danielis de statua: *omnes montes erant vsis lapidi Christo subiiciendi*. 7. Proinde postremo loco supplantatio illa Iacobi quæ symbolum fuit prædictæ promissionis in ipso Iacobi semine, atq; inprimis in Christo complendæ symbolum necessariò fuit, Iacobum fore patrem Ecclesiæ, & ex ipso nasciturum Christum mundi seruatorem, regem regū, & dominum dominantium. Horum omnium symbolum fuit supplantatio Iacobi ad maximam autem Iacobi laudem hæc omnia pertinent. Cùm igitur Propheta laudes Iacobi celebraturus, eiúsque pietatem & virtutem commendaturus, exorsus ab iis, quæ ei contigerūt, quæque præclarè gessit, cùm adhuc esset in vtero, ait: *in vtero supplantauit fratrem suum*, hæc præcipuè indicat. 1. Iacobū, cùm adhuc esset in vtero matris, & ideò naturaliter omni destitutus esset iudicio: actum tamen à Spiritu sancto mirabili quodam & ineffabili modo percupiuisse diuinam erga se gratiam, benedictionem, & pro illa assequenda nihil non egisse, ita, vt etiam plantam fratris, ne prior nasceretur.

& ita benedictionem sibi præriperet, retinuerit. 2. Quia suis viribus quod cupiebat obtinere non potuit, & licet plantã Esau apprehenderit, ne prior tamen nasceretur, impedire nequiuit, ex Dei gratia electum fuisse, vt & benedictionem ipse assequeretur & fieret dominus ipsius Esau & pater Ecclesiæ: imò idcircò tantum plantam Esau apprehẽdisse, nec illo aut natu, aut corporis viribus maiorem fieri potuisse, vt hac ratione in eo impleretur promissio antea Rebeccæ facta: *Maior seruiet minori.* 3. Fuisse ex gratia Dei electum, vt ex se nasceretur Christus mundi redemptor, in quo perfectum haberet complementum promissio: *Maior seruiet minori.* Fuisse igitur ipsos etiam Israelitas in patre suo Iacob electos ex gratia, vt essent Ecclesia & populus Dei, ex quibus nasceretur Messias verus ipsorum seruator & Dominus. 4. Denique supplantationem illam symbolũ fuisse imperij non temporalis tantùm, sed inprimis spiritualis, quod in semine Iacob futurum erat super gentes etiam reprobos: ideóque supplantationem hanc perpetuæ admonitionis loco omnibus Israelitis esse debere, ne scil. sinant se subijci gentium idolis & vitijs, sed potius ipsi reliquas gentes omnes sibi, id est, regno Christi, subijcere studeãt. Ingratissimos igitur & ignauos esse præsẽtes Israelitas. Ingratos quòd tantum Dei beneficium non agnoscãt. Ignauos quòd, cùm deberent reliquas gentes omnes regno Christi subijcere & ad Christum verum regem regum osculandum & adorandum pertrahere, ipsi contra, deserto vero Deo & regno Christi, alienis dijs & profanis gentium regibus sese, tanquam vilia mancipia, turpiter dedunt atque subijciunt.

4. Verbũ *hakabh* alludit ad nomen *Iahakabh*, quòd scilicet pater Israelitarum iure appellatus fuit Iacob, nempe quia rem ipsam præstitit, quam nomen etiam illud significat. Supplantauit enim fratrem Esau, vt illũ sibi subijceret, eique dominaretur. Indicat igitur Israelitas iniuria iactitare nomen Iacob, quòd non solùm non curant reliquas gentes supplãtare, regnóque seminis Iacob, id est, Christi subiugare, sed etiã sponte gentibus gentiúmque dijs & superstitionibus seipsos turpiter dedũt, illorúmque fœdera, missis etiam amplissimis muneribus, ambiunt. Ac proinde docet, illos reuera ad semen Iacob non pertinere, frustráque Iacobi & Christi nomine gloriari, qui non solum non curant reliquos populos, suos secundum carnem fratres regno Christi subiugare, sed etiam seipsos impijs reliquarum gentium regnis, falsis dijs, vltrò subijciunt: officium enim veri seminis Iacob esse, populos omnes supplantare, id est, Christi regno, quò ad eius fieri potest, subiugare.

5. Non ait autem simpliciter, *Supplantauit Esau*, sed *fratrem suum, &c. in vtero.* Supplantatio autem illa, vt dictũ est, symbolum fuit diuinæ erga Iacobum dilectionis, seu æternæ electionis, quòd scil. ipse non autem Esau, & seruãdus foret, & futurus esset pater Ecclesiæ. Indicat igitur Iacobi electionem, non fuisse ex sanguinibus, neque ex volũtate carnis (erant enim ambo fratres, & quidem ex vno cõcubitu: vt Paulus ad Rom. 9. concludit) neque ex operibus (cum enim in vtero esset, idéóque nihil boni egisset, electus fuit, & in huius signum, supplantauit fratrem,) sed ex gratia Dei. Quare neque semen eius fuisse electum, vt esset Ecclesia Dei ex sanguinibus, vel ex voluntate carnis, vel ex volũtate viri, sed ex gratia Dei. Non igitur habere Israelitas quo glorientur. Ac proinde docet, nostrûm, qui sumus veri Israelitæ, neminem vel ex dignitate naturę, vel sanguinis, aut ex nostris meritis, sed tantum ex Dei gratia, ad regnum Christi electum ac prædestinatum fuisse.

6. Cum ait, *Et in virtute sua dominatus est Deo* (& in versu 5. subdit) *Et dominatus, vel luctatus est cum Angelo, & præualuit, plorauit & supplicauit ei*, laudat patriarcham Iacob à virtute non tam corporis, quàm animi & fidei, quòd scilicet in lucta illa cum Angelo, seu, in illa Dei tentatione, quę Gen. 32. describitur, non permiserit se superari, sed ita strenuè ac fortiter repugnarit, vt superior fuerit Angelo. Victoria autem illa Iacobi, quam ex lucta cum Angelo reportauit, alterũ symbolum fuit suæ electionis, quo cõfirmata ei fuit promissio, *Maior seruiet minori*, quódque, cũ præualuerit Deo, multò magis præualiturus foret fratri suo maiori Esau. Perstringit igitur præsentes Israelitas eósq; accusat defectionis à virtute & constantia patris, quòd scil. cuiuis tẽtationi facilè & statim succumbant, &, cum fortiter, exemplo patris, esset illis contra omnes tentationes pugnandum, curandúmque, vt dominarentur Deo & hominibus, & quasuis potestates ac principatus, tam in cœlo, quàm in terra spiritualiter sibi subijcerẽt: contra ipsi ignaui, mox desertâ luctâ, neglectóque officio, dedũt se turpiter diabolo, subdunt se dijs gentium, confugiunt ad impios Ægypti & Assyrię reges, eorúmque ambiunt fœdera. Quare indicat se non esse verum semen Israel, sed, vt posteà dicet, Chanaan, ideóque neque promissionem illam: *Maior seruiet minori*, ad illos pertinere. Ac proinde docet, hoc esse verum symbolum nostræ electionis, veræque è spirituali semine Israel conceptionis & natiuitatis, cum scilicet exemplo Israelis contra omnes tentationes fortiter pugnamus: non tam corporis, quam fidei & spiritus viribus curamúsque, vt in omni lucta cum Satana, mundo, cum Deo ipso, simus superiores: Contrà verò hoc symbolum esse reprobationis, cum quis exemplo Israelitarum, cuius tentationi facilè succumbit, ac præsertim cum diuinas sibi promissiones à Satana eripi permittit.

7. *Illo verò Sara*, & *illo nomine Elohim* alludit ad nomen ab Angelo impositum Iacobo scilicet *Israel*: ex illis enim duobus componitur. Duo igitur facit. 1. *Indicat*, sicut iure vocatus fuit *Iacob*, qui supplantauit fratrem in vtero: ita iure vocatum fuisse *Israelem*, quia præualuit Deo. 2. Obliquè perstringit *Israelitas*, sicut immeritò gloriãtur nomine *Iacobi*, ita iniustia appellari *Israelitas*, cum omnibus Dei tentationibus facilè succumbant, neque vnquam curent, præualere Deo & hominibus in tentationibus.

8. Propheta tum in hoc secundo quarti versus, tum in primo quinti versus membro, fidus est Mosis in ea Iacobi historia, quæ in Gen. cap. 32. habetur interpres. Octo autem sunt articuli, seu præcipua illius historiæ capita quæ partim ibi à Mose narrantur, partim hic à Propheta vel innuuntur, vel explicantur. 1. *Ille*, quo cum luctatus est *Iacob*. 2. Lucta inter *Iacobum* & suum Antagonistam. 3. Victoria, quam *Iacob* a lucta reportauit. 4. Virtus, qua *Iacob* suo Antagonistæ præualuit, victórque euasit. 5. Luxatio, seu vulnus, quod *Iacob* à suo Antagonista in ea lucta accepit. 6. Constantia *Iacobi* in postulanda à suo Antagonista benedictione. 7. Noui nominis impositio. 8. Ipsa benedictio, quam *Iacob* a suo accepit Antagonista.

Articulus 1.

9. Quòd ad primum, ait Propheta, *Iacobum* dominatũ fuisse, seu, in ea lucta præualuisse ipsi *Elohim*. Nomine autem *Elohim* etsi aliquando veniunt Angeli: propriè tamen ac præsertim hoc in loco, venit verus & æternus Deus *Iehouah*, vt ipse Propheta versu sexto clarius explicat, vbi dicit, *Va Iehouah Elohe hatzebhaoth.* Aperte igitur docet, illũ, qui aggressus fuit *Iacobum*, & quo cum luctatus est *Iacob*, fuisse non aliquem hominem, non angelum aliquem creatum, bonum vel malum; sed verum Deum *Iehouah*.

10. Non ait autem *El* in singulari, sed in plurali *Elohim*. Est verò reipsa tantum vnus Deus, nõ plures. *Innuit igitur*, etsi vnus tantum sit *essentia* Deus: plures tamen esse personas.

11. Verus Deus fuit ille, quo cum luctatus est Iacob Moses tamen illum appellat *Iish* virum. *Indicat igitur*, Deum humani corporis formam sumsisse, inque specie illa, instar viri, *Iacobo* apparuisse, cumque eo humano more luctatum fuisse.

12. Propheta eum quem vocauit *Elohim* Deũ, posteà vocat *Malach* Angelum: Non potest autem idem esse & verus Deus creator, & Angelus aliquis creatus: Affirmat autẽ in versu 6. illum, quem vocauit *Elohim*, esse verum Deum *Iehouah* creatorem. *Indicat igitur* eum, quo cum luctatus est *Iacob*, fuisse & esse verum tum Deum creatorem sua essentia, tum Angelum, non essentia sed alio modo, nẽpe officio.

13. Omnis *Malach* siue essentia, siue alia ratione, verbi gratia, officio, Angelus, internuncius quidam est, & intermediarius, ab vno ad aliũ, vel alios missus, sicut eius notatio docet, & officiũ confirmat. Omnis autem Angelus mittitur à Deo ad homines. Omnis ergo Angelus internuncius quidam est & mediator inter Deum & homines. Huc illud Heb. 1. *Sunt enim administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæredes erunt salutis.*

14. Angelus omnis, internuncius scilicet & mediator inter Deum & homines, alius sit ab iis, inter quos est mediator & internuncius, seu, alius sit ab eo, id est, à Deo, à quo mittitur, & ab iis, ad quos mittitur, necesse est. Angelus igitur iste, quẽ & Iehoua & Elohim vocauit Propheta, alius fuerit & sit à Deo, à quo mittebatur, & cuius erat apud homines internuncius, necesse est.

15. Angelus iste qui & verus est Elohim & *Iehoua*, alius à vero Deo Iehoua, *dele* esse non potest, quia vnus tantum *vsia* est Deus: saltem igitur persona, seu *hypostasi*, *opinione* alius sit ab eo Deo à quo mittebatur, oportet. Ac proinde cum Propheta eum, quem verum Deum *Iehoua*, qui vnus tantum est *vsia*, asseruit, simul etiam Angelum vocet personarum in vno Deo multitudinem, quas nos vocamus Patrem, Filium, Spiritum sanctum, concludat, necesse est.

16. *Iste Iehoua* & Elohim, quo cum luctatus est *Iacob*, Angelus etiam, id est, mediator quidam & internuncius

fuit,

fuit, & est, inter Deum & homines. Nomen autem Angeli & mediatoris, atque primę personę patri, neque tertiæ personæ Spiritui sancto conuenit, nec in Scripturis vnquam illis tribuitur, sed tantùm secundæ personæ, id est filio. Vnus est enim mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus. Indicat igitur Propheta, idque apertè, cũ quo cum luctatus est Iacob, quia & Angelus simul & Iehoua appellatur & est, fuisse & esse filium Dei, secundam in trinitate personam. Ac proinde docet, quoties in Scripturis reperitur nomen Angeli, qui simul etiam Iehoua appelletur, quãdo neque nomen Iehoua conueniat creaturis, sed tantum Deo, neque nomen Angeli conueniat illi Iehoua, qui est pater, aut illi Iehoua qui est Spiritus sanctus, sed tantum illi Iehoua qui est filius, ibi semper & necessariò intelligendum esse filium Dei, Iesum Christum.

17. Filius Dei etiã ante incarnationem Angelus fuit appellatus: Nomen autem Angeli, nomen est internuncii & mediatoris. Cùm igitur Propheta filium Dei appellet Angelum, indicat filium Dei, & ante quàm homo fieret, fuisse inter Deum & homines mediatorem.

18. Docet Propheta, filium Dei etiam ante quàm fieret homo, fuisse inter Deum & homines mediatorem. Simul igitur etiam docet, filium Dei non fuisse aut esse mediatorem, catenus tantùm quatenus homo est, quando mediator fuit cùm non esset homo.

19. Filius Dei mediator est inter Deum & homines. Mediator autem alius sit & aliquo modo diuersus ab iis, inter quos est mediator, oportet. Nõ potest autem mediator esse ea parte, quà vnum atque idem est prorsus cum iis, inter quos mediatorem agit: Nemo enim mediator esse potest inter seipsum, sed tãtùm inter alios à se diuersos. Est autem filius vnus atque idem cum Patre & Spiritu sancto, [illegible], seu, qua est Deus, item vnum atque idem cum hominibus naturâ, seu, quà est homo: diuersus est autem & in diuinis, id est, in eo, quod Deus à Patre, & à Spiritu sancto, personâ tantum, seu, quatenus filius est & [illegible] & in humanis, id est, in eo quod homo, à reliquis hominibus, personâ tantùm & tali quidem personâ in qua natura tum diuina, tum humana simul vnitæ sunt, seu, in eo, quod homo à reliquis hominibus diuersus est, quatenus scilicet alius est ab illis homo; nempe non tantum numero, sed etiam qualitate: quia scilicet conceptus est è Spiritu sancto, natus ex virgine, filius Dei, existens sine peccato, plenus gratia & veritate. Mediator igitur est ex parte Dei, non qua simpliciter Deus est (esset enim mediator inter seipsum) sed qua talis est, vt ita di[cã], Deus, seu, vt sanius loquar, qua talis est persona in diuinis id est, quà [illegible] & filius est. Ex parte verò hominum mediator est, non simpliciter, quà homo est, & quatenus natura est vnum nobiscum (sic enim esset mediator inter seipsum & Deum) sed qua talis est homo conceptus scilicet è Spiritu sancto, natus ex virgine, filius Dei sine peccato, plenus spiritu, iustitia & sanctitate.

20. Hic filius Dei ante incarnationem in forma viri apparuit Iacobo, cùmque eo luctatus est, & sub eadem viri forma, aliis quoq. patribus apparere solitus fuit: Solus autem filius in forma talis viri apparere solitus fuit, nunquam autem vel Pater, vel Spiritus sanctus. Indicauit igitur (vt Iustinus, Tertullianus & Irenæus optimè colligunt) illo quasi præludio, se & quidem solum, tandem aliquando carnem humanam [illegible] assumpturum: & inter homines familiariter versaturum.

21. Angelus in forma viri, quo cum luctatus est Iacob, fuit verus Iehoua. Angelus autem ille fuit filius ille Dei, qui postea factus homo, vocatus est Christus. Christus igitur verus est & essentialiter Deus Iehoua.

Articulus II.

22. Quòd ad secundum, nempe luctam, sic ait Moses: *Va Ieabhek Isch himmo.* Hãc innuit Propheta, cum ait, *Et dominatus est Angelo & præualuit*, scilicet in ea lucta, quam Moses describit. Deus in forma viri corporaliter aggressus est Iacobum, corporale eius femur tetigit, illúdque corporaliter emarcuit, corporaliter & visibiliter claudus ex illa lucta remansit Iacob. Corporalis igitur, eáque visibilis fuit illa inter Iacobum & Angelum luctatio.

23. Luctatio illa vict[o]riáque Iacobi, quam ex luctatione retulit, diligenter, tanquam res grãuis & memoratu digna describitur à Mose. Ea tanti fuit ab Angelo æstimata, vt propter eã honorificũ Israelis nomen imposuerit Iacobo, dicens: *Quia præualuisti Deo* Ea tãquam res, quæ ad magnã Iacobi laudem pertineat, accuratè in publica concione recitata fuit à Propheta: eáque ad imitandum Israelitis proposita & denique ad vtilitatem Ecclesiæ, perpetuis literis & monumentis mandata Non fuisset autem res valdè notabilis, vel tanti nominis impositione digna, vel ad laudem Iacobi multum faciens, vel toti Israelitarum Ecclesiæ ad imitandum proponenda, vel denique monumentis tam diligenter consecranda, si purè corporalis fuisset, sique tantum corporis viribus contra corporalem Angeli vim, non autem etiam viribus fidei & spiritus, contra spirituales, internásque tentationes pugnasset Iacob: fuit igitur partim spiritualis, partim corporalis luctatio, sed externa internæ symbolum fuit.

24. Narrat Moses: Iacobum audito Esau fratris aduentu, sibi totíque suæ familiæ, ne scilicet omnes ab eo interficerentur, suúmque semen contra Dei promissionem prorsus extingueretur, vehementer metuisse. Mox itaque Deũ rogasse, vt, suæ promissionis memor, se & totam suam familiam defenderet à fratre Esau, ac tum de improuiso inuasum à quodam viro, id est, ab Angelo, cum eo luctatum fuisse. Indicat igitur hos fuisse internos, spiritualésque hostes, & quandam de promissione diuina diffidentiam, hãcque fuisse spiritualem, internámque illius luctationem, quòd scilicet sicut externè cum viro illo viribus corporis: sic internè cum metu hoc & diffidentia, viribus spiritus: fide nimirum & oratione luctaretur.

25. Luctatio illa exemplum & typus quidam fuit omniũ tentationum, quibus cum reliqui omnes Israelitæ luctaturi erant & quotidie luctantur. Luctatio autem duplex fuit: vna externa, & in carne: altera interna, & in spiritu. Docet igitur, duo esse tẽtationum genera, quasdam enim esse externas, alias internas: quasdam in carne: alias verò in spiritu: nec solere in nos externas inuadere tentationes, q[uin] etiam ab internis vexemur.

26. Deus, vt explicat Propheta, in specie viri ipse fuit, qui aggressus est Iacobum, & quo cum luctatus est Iacob Fuit autem illa luctatio, vt dictum est, typus & exemplũ omniũ tentationũ, à quibus Israelitę omnes vexantur. Indicat igitur Propheta, etsi verũ est, nos à Satana, à mundo, & à carne tentari: Deum tamen, primum in tentationibus nostris locum obtinere: quoniam & Satan & mũdus & caro, ministri sunt Dei, qui ad nos tentandum, subinde à Deo excitantur & mittuntur. Sicut & in Iobi tentatione apparet, qui & ab ipso Satana, & ab hominibus tentatus, Deum tamen primum huiusce tentationis autorem fuisse confessus est dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit*, & Num. 13. *Hoc enim facit Dominus, vt vos tentet.* Ac proinde admonet, cùm tentamur, nobis esse oculos ad Deũ attollẽdos, sciendúmque, nobis esse negotium, ideóque esse luctandum, non tantùm cum carne & sanguine, sed imprimis cum Deo, tanquã aduersario, sub viri forma nos aggrediente, id est per carnem & sanguinem, mundum & Satanam nos tentante.

27. Deus non iccircò sub forma viri fortis aggressus est Iacobũ, vt illũ perderet, sed tantùm, vt illius vires & fidem examinaret, probarétque: Neque iccirco illũ aggressus est, vt illũ vinceret, sed contra potiùs, vt ab eo vinceretur. Docet igitur, finem tentationum, quibus nos tentat Deus, non esse, vt perdamur, sed tantùm, vt fides nostra probetur, neq. vt confundamur, sed tantùm, vt in lucta exerceamur, virẽsque fidei nostræ luctando augeantur. Satanam quidẽ tentare nos ad malũ, & vt perdat, sed Deum neminem ad malum, neque ad perniciem, sed potiùs ad salutem tẽtare, sicut & Abraham tentauit. Ac proinde docet, si Deus non tentat ad malum (vt ait Iacobus c. 1.) sed ad bonum, neque ad perniciem, sed ad salutem: prauas igitur cupiditates, à quibus quotidie vexamur, non immitti neque instillari nobis à Deo, sed eas nobis ingenitas à natura, partim sponte foras prodire, partim à diabolo in hũc finem, vt peccemus excitari. Deum igitur, etsi nos tentet: nullo tamen modo autorem esse peccati: quia ad malum neminem tentat, nulláśque prauas cupiditates instillat.

Articulus III.

28. Quòd ad tertium, id est, victoriam, sic ait Propheta 4. versu: *Et dominatus est Deo*, nec hoc contentus, addit etiam in quinto versu idem repetendo: *Et dominatus est Angelo*, & tertio subdit, *Et præualuit.* Indicat igitur Propheta hac repetitione, Israelem reuera fuisse in ea lucta superiorem, victorémque ac triumphatorem, proinde iure Israelem vocatum, quia reuera præualuit & dominatus est Deo.

29. Moses dicit, finem victoriæ, quam è dura lucta reportauit Iacob fuisse, vt pulso fratris metu, pulsáque illa quę è metu suborta fuerat, diffidentiâ, magis ipse confirmaretur, fore, vt præualeat Esau, cum præualuerit in lucta ipsi Deo. Indicat igitur, vt paulò antè, fratris supplantationem, ita etiam hanc maximam, quam de lucta cum Deo retulit Iacob, victoriã, symbolum fuisse illius promissionis: *Maior seruiet minori*, ideóque Deo in hac lucta dum voluit Iacobum esse superiorem, hoc fuisse propositum, vt Iacob hac victoria tanquam symbolo, in promissione illa confirmare-

tur, *Maior seruiet minori.* Non igitur esse sibi, suóque semini ab Esau maiore natu metuendum, quoniam necesse sit, vt ea impleatur promissio: *Maior seruiet minori.*

30. Victoria Iacobi, alterum sigillum fuit, quo promissio, *Maior seruiet minori*, fuit cõfirmata. Nõ igitur Iacobo fuisse ab Esau, licèt maiore & potentiore metuendum. Promissio aũt illa non tantùm ad personam Iacobi, sed ad totũ eius semen, atque ad Christũ inprimis verũ Israelis semen, pertinebat. Victoria igitur Iacobi, non tam ad personã Iacobi quàm ad totum eius semen, præsertim ad Christum pertinuit. Trium verò rerum symbolum fuit. 1. Ipsum Iacobũ, qui in lucta præualuit Deo, præualiturum etiam fuisse hominibus, id est, nõ solum Esau maiori natu & omnibus qui cum eo erant equitibus quadringentis, sed etiam in suo semine ipsi semini Esau, id est, Idumæis, illósque sibi, vt impleatur promissio, subiugaturũ. 2. Symbolum fuit, Christũ, qui ex semine Israelis nasciturus erat, in ea luctatione, quę sibi in cruce pro salute totius Israelis futura erat, cũ Deo, id est, cum iudicio & iustitia Dei, cum morte, mundo, Satana, & inferno ministris Dei, fore victorem, effecturúmq. vt, iuxta promissionem, *Maior seruiet minori*, omnis principatus & potestates, sibi in conspectu mundi omnium tuturmo, subiicerentur ac seruirent, omne denique genu cœlestium, terrestrium, & infernorum flecteretur. 3. Postremò symbolum fuit, omnes reliquos veros non secundum carnem tantum, sed secundum spiritum Israelitas, in omnibus suis cum Deo luctationibus id est in omnibus suis tentationibus, etsi diu ac fortiter luctandum sit: fore tamen tãdem aliquando idque in virtute veri Israelis Christi, superiores, omnésque tandem inimicos, mundum, Satanam & mortem nobis esse subiiciendos, vt etiam in nobis impleatur promissio, *Maior seruiet minori.* Ac proinde Propheta cõmemoratione huius victoriæ Iacobi, docet, proprium omnis veri Israelis esse, ita strenuè in omni luctatione, id est, omni tentatione se gerere, & ita fortiter pugnare, vt tandem fiat superior ac triumphator.

31. Docet Propheta, ac Iacobi victoria, verbo præsertim *Dominãdi & praeualendi* eps repetito, proprium veri Israelis esse, ita in omni tentatione se gerere, & strenuè pugnare, vt tandem fiat superior. Ergo, dum laudat Patriarcham Iacob ab hac victoria, obliquè damnat eius filios Israelitas, conuincítque, eos non esse ex vero semine Israel, hoc argumẽto. Proprium veri Israelis est, ita in omni lucta strenuè se gerere, vt semper fiat superior. Patet hoc non solùm à promissione illa: *Maior seruiet minori*, sed inprimis ab exemplo patris vestri Iacob. Atqui vos in omni spirituali lucta semper estis inferiores, & mox succumbitis. Deserto enim Deo dedistis vos diabolo, idolis, & turpis gentium regibus. Non igitur estis verum Israelis semen. Sed quid? Chanaan. Ac proinde docet, qui sint veri Israelitæ secundum spiritum, & qui tantum secundum carnem.

Articulus IV.

32. Quò ad quartũ, nempe virtutem qua Iacob superior fuit Angelo in lucta ait Moses: *Videns autem Angelus, quod praeualere non posset*: Propheta verò: *In virtute sua.* Lucta Iacobi cum Angelo fuit & corporalis & spiritualis, vt antè ostensum est. In vtraque autem fuit superior, idque virtute sua. Virtus itaque hæc, qua strenuè pugnauit & præualuit, non tantùm corporalis, sed inprimis spiritualis fuit.

33. Lucta spiritualis, fuit contra metum fratris & diffidentiam de promissione diuina, ex metu fratris subortam. Contra metum autem, pugnatur spe, & contra diffidentiam, fide. Virtus igitur spiritualis, qua pugnauit Iacob, fuit fides, animíque fortitudo & constantia in promissione diuina, de se, suóque semine defendendo, firmiter retinendã. Ac proinde docet, hanc esse propriam omnis veri Israelis virtutem, qua mundum & omnes mundi tentationes vincere possit, firmam scilicet fortémque in diuina promissione fidem, vt & Iohannes 1. Eph. cap. 5. ait. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.*

34. Virtus spiritualis, quá in lucta vicit Iacob, fuit fides, animíque in retinendis promissionibus diuinis constantia. Hæc autem, donum est Dei. Non ergo propriè & simpliciter virtus sua fuit, sed Dei.

35. Etsi virtus propriè Dei illa fuit, quia à Deo, verum tamen dicit Propheta, cum ait: *In virtute sua.* Indicat igitur, fidem illam & virtutem ideò Iacobi fuisse, quia à Deo ei donata fuerant. Ac proinde docet, quæcunque nobis donantur, ea verè nostra fieri, fidem igitur & reliquas virtutes, quibus à Deo donamur, & nostras esse, & non nostras, sed Dei. Nostras, quia in nobis sunt à Deo donatæ: non nostras, sed Dei, quia non ex nobis, neque natura nobis innatæ, sed ex Deo, id est, ex gratia Dei sunt.

37. Virtus hæc, qua Iacob superior in lucta Deo fuisse dicitur, magis Dei erat, quàm Iacobi. Deus igitur magis seipsum vicisse dicendus est in Iacobo quam Iacobus Deum. Ac proinde docet, cum simus in tentationibus superiores, quoniam simus per virtutem Dei quæ est fides, donum sit. licet Dei, nihil in nobis esse gloriandum: non enim propriè nos, sed Deum in nobis esse victorem, sicut & Paulus ait: *Non ego autem, sed gratia Dei, quæ mecum est.*

37. Deus est qui pugnabat, seu luctabatur cũ Iacob. Deus etiam est qui sua vi vicit seipsum in Iacob, quoniam virtutem se vincendi & sibi dominãdi, dedit Iacobo. Illius igitur virtutis suæ exercuit in Iacob contra seipsum, quamuis fuerit pro seipso contra Iacobum. Ac proinde docemur, cùm Deus & nobiscum in tentationibus luctator, & idem tamen facit, vt nos simus contra se victores, Deum quasi sinistra, quæ debilior est, contra nos pugnare, dextra verò, quæ fortior est, nos in pugna contra se iuuare.

38. Propheta caussam victoriæ Iacobi hanc fuisse docet, quod virtute Dei, id est, non tantum corporis viribus, sed fide inprimis dominatus fuerit. Indicat igitur à contrario, caussam cur Israelitę in omnibus tentationibus vincerentur, fierentque semper inferiores, fuisse, quòd fide destituti essent. Ac proinde docet, ideò nos in nostris luctationibus sæpenumero manere inferiores: quia vera fides in nobis non est.

39. Moses de virtute Iacobi loquens, ait: *Videns autem Angelus quod praeualere non posset*: virtus autem Iacobi, fides fuit. Docet igitur, ita Deum suis alligatum esse promissionibus, vt, cùm nos adferimus virtutem fidei, qua, cum reliqua Dei dona in promissionibus contenta, tum contra Deum in tentationibus victoriam obtineamus, Deum quasi resistere non posse, quin, quod volumus, obtineamus: idcoque, quin in tentationibus Deo ipsi præualeamus: Deum cuim fide à nobis vinci.

Articulus V.

40. Quò ad quintum, vulnus sc. quod Iacob à suo Antagonista inter luctandũ accepit: Iacob, etsi in lucta superior est Angelo ab Angelo tamen vno solo contactu luxatur. Angelus igitur hoc suo cõtactu indicauit Iacobo, se si voluisset, redigere illum in nihilum potuisse. Quare se non ideò victum a Iacobo fuisse, quòd simpliciter resistere nequiuerit, sed quia vinci quam vincere, maluerit, imò quia in seipso vinci, in Iacobo verò vincere voluerit. Virtutem igitur qua Iacob præualuit Angelo, Angeli magis, quam Iacobi fuisse, & victoriã, quam Iacob è lucta retulit, Angelo, seu, Deo potius, quàm Iacobo adscribendam fuisse. Ac proinde docet, etsi veri secundum spiritum Israelitæ in lucta cum Deo, id est in tentationibus, sæpenumero superiores fiunt: nunquam tamen ita superiores fieri, quin aliquod vulnus, si non in spiritu, saltem in femore, id est, in carne, recipiant. Inde igitur patefieri, cùm è lucta tentationũ reportamus victoriam, non id nostris viribus, sed Dei in nobis & pro nobis pugnantis, voluntate & virtute fieri: quoniam si vel minimum temporis nos auxilio suo destitutos, nostris tantum viribus pugnare sinat, mox non luxamur solum sed penitus fracti & obtriti perimus.

41. Angelus reddit Iacobũ in lucta victorem, eundem tamen etiã suá lucta luxat. Victoria autem potius ad maiorẽ cõtra hostes fiduciam, & animũ sumendum facit. Vulnera verò accipere & debilitari, ad deprimendam nostri cõfidentiam hostesq. timendos pertinet. Indicat igitur, se voluisse, Iacobum & Dei in se vincentis virtutem, & sui in carne luxati infirmitatẽ, agnoscere, quò sibi disceret, & fiduciã de Dei contra Esau & hostes omnes protectione, esse sumendã & omnem vanam sui suarumque virtũ confidentiam si quã forsasse sumserat, deponendã. Ac proinde docet, Deũ solitum esse in lucta cum suis electis, ita illis sua virtute adesse, vt eos, ... reddat victores, & eosdẽ tamen sæpenumerò ita ad tempus in suis tentationibus deserere, vt inde sine vulneribus discedere non possint, & illud quidem in hunc finem, vt discamus, de Dei contra quouis hostes protectione nunquam nobis esse diffidendum: hoc verò, in hunc alterum, vt sciamus, in nostris, humanisque viribus nullam vnquam collocandam esse fiduciam.

42. Propositum Angeli in ea cum Iacobo lucta, fuit, vt Iacobus, qui metu fratris consternatus erat, erectus fortisq. factus, spem conciperet, fore, vt, qui præualuit Deo præualeret etiam hominibus, nimirum, Esau fratri eiusque comitibus: Luxatio autem, tantum abest, vt potuerit fortiorẽ in carne reddere Iacobum, vt etiam imbecilliorem reddiderit, & tantum abest, vt potuerit spem victoriæ contra Esau ei dare, vt etiam maiorem desperationem ei addiderit. Angelus igitur, luxando Iacobum, indicat, hanc Iacobi luxationem ideò à se ordinatam fuisse, vt Iacobus, quò magis se imbecillum & eneruatũ videret in carne, eò fortior fieret

in spiritu

in spiritu, & quò minùs videret, se posse suis viribus contra Esau præualere, eò magis in Dei protectione fideret, atque ita, quò magis de suis viribus desperaret, eò magis spes in Dei auxilio augeretur. Luxationem igitur Iacobi in carne, plurimum ad spem victoriæ contra Esau in Deo collocandam ac firmandã profuisse. Ac proinde docet, huc omnes verorum Israelitarum, id est, electorum luxationes seu infirmitates & imbecillitates à Deo ordinatas fuisse, vt quotidiè magis ac magis de nobis, nostrisque viribus desperemus, & quò magis de nostris viribus desperamus eò magis omnem nostræ salutis & contra hostes nostros victoriæ spem in Deo seu in Angelo, id est, in Christo collocemus ac firmemus & quò infirmiores simus in carne, eò fortiores simus in spiritu. Omnes igitur infirmitates plurimum electis ad salutem prodesse: quia, quò magis per eas infirmatur spes detrimentosa quæ in humanis viribus ponitur, eo magis erigitur & firmatur spes salutaris, quæ in sola Dei gratia est ponenda.

43. Luxatus fuit Iacob, non in brachio, manu, aut digito, sed in femore, atque ita luxatus, vt deinceps semper claudicarit. Ex femore autem Iacobi luxato, nascituri erant omnes Israelitæ. Angelus igitur luxando Iacobi femur, mysticè indicauit, fore, vt, sicut Israelitarum pater claudicaueratin carne, ita ipsi claudicarẽt in religione. Quã claudicationem eis exprobrauit Elias 1. Reg. 18 *Quamdiu claudicatis in duas partes: Si Iehoua est Deus sequimini eum. Si Baal sequimini illum.* Carnalem igitur luxationẽ & claudicationẽ Iacobi, spiritualis Israelitarũ claudicationis, typũ fuisse.

44. Neque verò luxatum fuit vtrumque femoris latus, sed vnum tantùm, ita, vt non vtroque pede, sed vno tantùm claudicarit. Duo autem pedes in corpore patriarchæ Iacobi, quorum alter rectus, alter sinister erat, typi fuerunt duplicis, qui ex se nasciturus erat Israelis: quorum vnus fuit sinister id est secundùm carnem tãtùm, seu, reprobus: alter dexter, id est, secũdùm carnem & spiritum, seu, electus. Sicut igitur vnus atque idem Iacob, cui pes vnus erat dexter, alter sinister vtriusque populi, electi scilicet & reprobi in suo populo imaginem gessit: dextro quidem, electi: sinistro verò, reprobi: ita sua non vtriusque, sed vnus tantùm pedis claudicatione, typicè præmonstrauit, fore, vt non omnes Israelitæ, sed tantùm reprobi spiritualiter, id est, in religione claudicarent.

45. Iacob in suo corpore, typus fuit totius Ecclesiæ Dei, quæ ex suo femore nascitura erat. Ecclesia autem Dei, quę fuit in Israel fuit vna atque eadem cum ea, quę futura erat post verũ Israelem Christũ ex Israelitis secundùm carnẽ, & ex Israelitis secundũ spiritũ. Sicut igitur sua vnius pedis claudicatione in se, indicauit fore, vt in suo populo pes sinister id est reprobi claudicarent, pes verò dexter, id est, electi rectè incederent: ita eadem claudicatione præsignificauit fore, vt in Ecclesia Christi, alii semper, id est, reprobi claudicarent, alii verò vt electi rectè incederent.

46. In vno & eodem Iacobo fuit caro & spiritus, tanquã duo pedes alter rectus, alter claudus, alter sanus, alter infirmus. In omni autẽ pio viro sicut & in Iacobo, est & caro & spiritus: caro quidem infirma, spiritus autẽ fortis & prõptus. Iacobus igitur vtroque suo pede non solum sui spiritus & suæ carnis naturam officiúmque expressit, sed etiam spiritus & carnis cuiusque hominis pii imaginem gessit: dextero quidem & recto, spiritus: sinistro autem & claudo, carnis. Ac proinde in seipso, tanquam in speculo, sua perpetua claudicatione præmonstrauit & docuit omnes veros Israelitas, id est, electos & pios, in finem vsque seculi, dum sunt in hac carne, claudicaturos: spiritu quidem prompto seruiendo legi Dei, carne autem infirma legi peccati: & spiritu quidem cœlum versus rectà ascendendo, carne autem terram versus declinando.

47. Et Iacobus imaginem cuiusque hominis pii gessit, & eius cum Angelo lucta, tentationum, quibus à Deo tentamur & probamur, typus fuit. In lucta autem illa, quò plus infirmata fuit caro Iacobi, luxato femore, eò fortior redditus fuit spiritus. Docuit igitur, in Israelitis omnibus, dùm Deus cum eis luctatur, id est, tentationibus probat, carnem quidem infirmari, aliquo semper accepto vulnere, at quò magis caro infirmatur, eo valentiorem contra tentationes spiritum fieri.

Articulus VI.

48. Quò ad sextum, nempe Iacobi in petenda benedictione constantiam: Angelus vt refert Moses, petit à Iacobo, vt se dimittat. Iacobus verò, etsi ab Angelo luxatus, fortiter tamen illum retinet, ac ait *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Propheta verò de Angelo verba faciens, ait: *Luxit & supplicauit ei* scilicet Iacobo. A[illegible] Angelus dicitur luxisse, cùm scilicet vi detẽtus à Iacobo, supplicauit ei, vt se dimitteret dicens: *Dimitte me.* Ad eã enim Angeli supplicationem alludit Propheta. Non fuisset autem Angelo opus supplicatione præsertim cum fletu factã, nisi Iacobus illum fortissimè retinuisset, constantissiméque petiisset, vt Moses refert, dicendo: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Cùm igitur & Propheta dicat, Angelum cum fletu supplicasse Iacobo, vt scilicet se dimitteret, & Moses addat, Iacobum respondisse: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi:* vterque laudat patriarcham Iacobum à fortitudine & constãtia fidei, in benedictione petẽda: obliquè verò Propheta perstringit Israelitas ignauiæ atque inconstantię quòd sc. inconstantes in religione, & fracti minis regis Assur, Deum deseruerint, eius benedictionem ac fauorem neglexerint, & ad reges gẽtium, eorúmque deos defecerint. Ac proinde docet, hoc esse proprium verorum Israelitarum, (etsi in lucta cum Deo, id est, in crucibus, quibus Deus nos tentat, & quasi nobiscum luctatur, & vulnera a Deo accipiant in carne, & Deus videatur illos sic vulneratos, sine sua benedictione & fauore deserere.) proprium, inquam, esse verorum Israelitarum, in tali lucta positorum, & sic in carne à Deo luxatorum: Deum tamen non auersari, neque à se dimittere, sed constantia fidei & fidelis precationis illũ discedere simulantem, retinere: fide enim & oratione retinetur, sicut in oratione Mosis apparet, cum Mosi pro populo oranti, ait Dominus *Dimitte me* benedictionémque, id est, fauorem & gratiam tantisper petere, dum eam obtineant, dicendo: *Non dimittam te nisi benedixeris mihi.*

49. Iacob petit, sibi a suo Antagonista benedici: non benedicitur autem maiori à minore, sed minori semper à superiore. Agnouit igitur Iacob, suum Antagonistam non hominem sicut ipse erat, fuisse, sed aliquem homine maiorem & superiorem, nempe, Deum.

50. Iacob, etsi ab Angelo videt se luxatum: illũ tamen à se dimittere non vult, sed violenter eum retinendo, cõstanter illius petit benedictionem, idque tantisper, dùm eam accipiat. Docet igitur patriarcha Iacob suo exemplo, Israelitas omnes tanta fide in Deum prędito, & in precationibus ita erga Deũ affectos esse debere, vt licèt multa à Deo in carne vulnera accipiant: propterea tamen eum nũquã deserãt, sed forti ac violenta fide illũ retineant, sic, vt & Iobi verba docent: *Etiamsi me occiderit,* (ecce luxationem) *in hoc Ego sperabo,* quasi dicat, firma fide, & certa spe eum retinebo.

Articulus VII.

51. Quò ad septimum, nominis scilicet mutationem, cùm antea propriè appellaretur Iacob, excellentiori nomine vocari eum deinceps voluit Angelus, Israelem, ratione etiam adiecta: *Quia præualuisti Deo & hominibus.* Quidquid autem egit Angelus in ea lucta cum Iacobo, eò spectabat, vt Iacobum metu fratris consternatum, erigeret, spémque illi faceret fore, vt non per naturales ipsius vires, sed per gratiam Dei, Esau & omnibus ipsius comitibus præualeret: forti igitur ac bono animo esset. Apparet igitur, hanc etiam nominis mutationem ad eundem finem ab Angelo ordinatam fuisse, nempe, vt huiusce nominis admonitione consideret. si Deo præualuit in lucta, multò magis se præualiturum hominibus.

52. Iacob vicit Deum in lucta. Qui autem in pugna vincuntur, captiui & serui fiunt eorum à quibus fuerunt victi, inque eorum potestates transeunt. Israel autem, significat dominum & principem Dei. Cùm igitur Angelus, id est, Deus ipse Iacobum vocat & vocari vult Israelem, spontè fatetur, se à Iacobo victum, ideóque se illius quasi captiuum & seruum factum fuisse.

53. Deus, dùm imponit Iacobo nomen Israelis, vltrò fatetur se illius factum esse captiuum, & quasi seruum. Proprium autem captiuorum est, vt semper sint prestò ad suorum dominorum obsequia & defensiones. Hoc igitur nomine indicare voluit Iacobo, se fore semper prestò, ad eum contra omnes hostes defendendum, atque ad ei in omnibus, quæ ad eius salutem facerent, obsequendum.

54. Hoc nomine indicat Deus Iacobo, se tanquã eius captiuũ, fore semper præsto ad eum cõtra hostes suos defendendum, nemo autem fortior est Deo. Hoc igitur nomine non solùm præteritam victoriam in perpetua memoria Iacobo esse voluit, sed etiam futuram promittere, spemque certam facere Iacobo, vt, cùm semel præualuerit Deo, illumque, quasi captiuũ sibi reddiderit, omnibus quoque reliquis hostibus, Deo secũ & pro se pugnante, semper præualeat: omnem igitur Esau & hominum metum ponat. Ac proinde docet, omnes, qui reuera appellantur & sunt Israelitæ, eos quasi dominos & victores esse Dei. Deum autem illorum quasi famulum atque captiuum, sed voluntarium. Deo igitur cum nobis Israelitis pugnante, & ad nostra obsequia semper parato, nil esse timendum.

55. Deus vult hoc nomine, vt Iacob semper recordetur, se semel fuisse Dei victorem, vt memoriale, inquam, ei, foret perpetuum præteritæ, & spes futuræ victoriæ: ac proinde, ne dubitet in posterum, quin eius Dei, quem vicit, virtute victurus sit reliquos hostes omnes. Vincitur autem Deus ab omnib. Israelitis fide. Admonet igitur eos omnes, qui veri sunt Israelitæ, & semel fide vicerunt, dubitandum eis non esse, quin multò magis omnes reliquos hostes, mundum, Satanam, & mortem sint victuri, & qui in tentatione cum Deo fuerunt victores, quin in reliquis quoque per eius gratiam futuri sint superiores.

Articulus VIII.

56. Quòd ad octauum, id est, quòd ad benedictionem, quam & Iacob à suo Antagonista Deo petit, & Deus illi præstitit, sic ait Moses: *Et benedixit ei in eodem loco*. Benedicere autem, cum ad homines transfertur, est tùm animo, tùm verbis alicui benè precari, seu, ea bona, quæ præstare non potes, alicui à Deo optare atque petere, non vulgareque est amicitiæ testimonium. Cum vero ad Deum, quia Deus omnia potest, & benedicit non tantum verbis, sed factis: Benedicere, est bene facere, seu, ea bona, quæ cupis, quæq. tibi sunt salutaria, præstare. Quisque autem cupit primo loco Dei fauorem & gratiam: deinde reliqua Dei tum spiritualia, tum corporalia beneficia. Atqui Iacob in oratione ad Deum, quæ est Gen. 32. duo hæc summopere desiderabat atque petierat, nimirum, Dei erga se fauorem, & consequenter aduersus Esau & hostes omnes protectionem. Cum igitur ait Moses: Israelem petiisse à suo Antagonista, quem nouerat esse Deum, benedictionem, Deúmque illi benedixisse in eodem loco, duo indicat. 1. Ipsum Iacobum de hac vna imprimis re, fuisse solicitum, de diuino scilicet erga se fauore, déque diuinæ anteà sibi factæ promissionis confirmatione & complemento. 2. Deum pium Iacobi votum exaudisse, id est, & Iacobum ipsum partim animi fortitudine intùs donatum, partim in promissione de diuina protectione confirmatum, metu fratris liberasse, & promissionem de multiplicando eius semine, è quo futurus erat Christus, ideóque de eo per Christum seruando & beãdo, non tãtum externis verbis, sed internâ etiam ἐνεργείᾳ per Spiritum sanctum ipsi Iacobo cõfirmasse. Ac proinde duo docet. 1. Hoc esse proprium verorum Israelitarum officiũ, vt hac vna de re, de Dei scilicet benedictione & gratia soliciti, eam vnam assiduè, ardenter constantérque à Deo petant, donec eam consequantur. 2. Deum etsi simulatque ipsius benedictionem petimus: hanc tamen non mox exaudit, facere non posse (sic enim verbo se ipsum vltrò alligauit) quia tandẽ aliquando preces nostras, si nos in eis perseueremus, exaudiat, ac nobis, sicut & Iacobo benedicat.

57. Iacob non accipit benedictionem, nisi post confectam luctam, reportatámque victoriam. Duo igitur docet. 1 Eos, qui tentati tentationibus succumbunt, nullam Dei benedictionem habituros. 2. Eos etiam, qui strenuè pugnant, non priùs tamen perfectam Dei benedictionem, consecuturos, quam luctam absoluerint, deque illa victoriam reportarint, vt & Paulus de se dicebat 2. Tim. 4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, in reliquum reposita est mibi corona iustitiæ*.

58. *Beth-el* est pro *Bebethel* in Bethel. Duo futura *Iomtzaennu*, inueniet eum. & *Iedhabber* loquetur, pro præteritis accipiuntur. Alludit ad duas historias in Genesi. Ad illam ca. 28. Ibi enim primò describitur visio, quã apparuit Dominus Iacobo in Bethel, & cum est allocutus. Et ad illam, quæ est in c. 35. Ibi enim altera narratur visio, qua apparuit iterũm Dominus Iacobo in Bethel, & locutus est cum eo. In vtraque autem duo in summa continentur. Vnum ex parte Dei, & hoc est ipsius Dei promissio facta Iacobo, vtrobique enim Deus pòst quàm sese patefecit iis titulis *Iehouah el elohim schaddai*, promittit Iacobo, se eius semen aucturum, daturum ei terram Abrahæ promissam, inque eius semine gentes benedicturum. Alterum ex parte Iacobi, est ipsa Iacobi fides, fideique obedientia. Iacobus enim audita promissione, credit & in huiusce fidei testimonium, offert Deo sacrificium, & votum ei vouet, locúmque, in quo locutus est Dominus cum eo, vocat Bethel. Cum igitur ait: *In Bethel inuenit eum*, duo facit. Primò commendat Dei gratiam & fauorem erga Iacob, quòd scilicet illum sui manifestatione, subque colloquio dignatus fuerit, & consequenter secundò, celebrat fidem ac pietatem ipsius Iacobi, eámque Israelitis imitandam proponit.

59. Etsi verò in illis duabus historiis, ad quas hic alludit Propheta, non legitur Deus omnibus Israelitis, sed soli Iacobo locutus fuisse: Propheta tamen non ait *Vedhabber himmo* locutus est cum eo, sed *vedhabber himmanu* locutus est nobiscum. Indicat igitur Propheta, etsi soli Iacobo, non autẽ omnibus Israelitis, bis in Bethel apparuit Dominus: promissionem tamen, quam & ibidem fecit, de eius semine in immensum augendo, déque non solum eo, sed etiam gẽtibus in ipso semine, id est, Christo benedicendis, non ad solum Iacobum, sed etiam ad omnes Israelitas pertinuisse. Ac proinde & obliquè perstringit Israelitas, quod iamæ gratiæ sint obliti, iam iámque promissionem neglexerint, & nos docet, quæcunque & dicta & scripta fuerunt a Domino ipsis patribus, ad nostram doctrinam fuisse dicta & scripta, vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus.

60. Non ait autem simpliciter: *Inuenit eum*, sed addit locum, dicens: *In Bethel*. Duo igitur facit. 1. Indicat, sicut iste, pater Israelitarum, vocatus fuit primò Iacob, quia supplantauit fratrem, deinde Israel, quia præualuit Deo: ita etiam iure, locum illum vocatum fuisse à Iacob Bethel, quia ibi Dominus inuenit eum, & locutus est nobiscum. 2. Docet, cum locus ille vocetur Bethel, quia ibi apparuit Dominus & locutus est nobiscum, id est, cum Israele: Igitur sicut Iacob ibi sua obtulit sacrificia non idolis, sed illi *El* à quo nominata fuit Bethel, & à quo ipse vocatus fuit Israel, ita etiam debere Israelitas nullum aliũ colere Deũ, præter illum *El*, quem & ipsorum pater coluit, & vnde iam ipse, quàm Bethel suum nomen acceperunt. Quare, cùm præsentes Israelitæ in Bethel adorent vitulos, non autem *El*, tria mala fecisse. 1. Tanquam fœdifragos à suo vero *El*, vnde nomen habent, &, qui eos inuenit in Bethel, & cum eis locutus est, nimis turpiter defecisse. 2. A pietate sui parentis Israel, cum maxima totius seminis infamia degenerasse. 3 Locum ipsum è Bethel in Bethauen sua impietate & iniquitate commutasse. Ac proinde docet, non satis esse, quod Dominus in Bethel vel alio in loco nobis apparuerit & locutus fuerit, nisi etiam ipsius verbum, quod locutus est nobis firma fide retineamus. Vanos igitur esse, qui Hierosolymam religionis caussa pergunt, aut sepulcrum Christi inuisunt, cum & verbum Christi Hierosolymis prædicatum contemnant, & Christi mortem pro totius mundi peccatis sacrificium, non agnoscant.

VI. *Et Iehoua Deus Zebaoth, iehoua memoria eius.*

1. *Iehoua* nomen est Dei essentiale a verbo Sum deductũ, & tum ad Dei essẽtiam, tum ad suarum promissionũ veritatem ac complementum refertur, quòd scilicet Deus & verè sit ὢν, à quo πάντα τὰ ὄντα, & quæ promittit, verè, vt ita dicam, faciat esse, id est, præstet & compleat. Exercitus autem Domini, sunt res omnes ab ipso conditæ, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Quare *Elohe hatzebhaoth*, nomen est plenæ super omnia à Deo condita, potestatis, & παντοκράτορα significat. Cũ igitur ait, *Et Iehoua Dominus Zebaoth*, duobus epithetis Deo propriis declarat, quis fuerit ille, qui cum Iacobo luctatus fuit, quique Iacobum inuenit in Bethel, & cum eo ideóq. cum omnibus Israelitis locutus est, & consequenter, à quo cum ij sa Bethel, tum ipse Israel nomen accepit: ille nimirum verus & æternus Deus, qui est & *Iehouah* ipsum scilicet verum ὤν, quique omnia, quæ loquitur seu promittit, præstat ac facit, vt tandem sint, & *Elohe hatzebhaoth*, id est, παντοκράτωρ seu rerum omniũ conditor ac Dominus, quique rebus omnibus tanquam suis exercitibus, tum ad pœnas de suis hostibus sumendas, tũ ad suos filios à malis omnibus defendẽdos vtitur. Ac proinde docet, quis sit verus Israelis Deus, ille nimirum, qui primò est *Iehouah* in se, ὁ ὤν, æternus scilicet, quique à nullo est, vel fuit, deinde, qui est *Iehouah* in suis promissis, id est, qui locutus est cum Iacob, & reliquis patribus & Prophetis, & per illum nobiscum, & quæ locutus est, ac promisit, præstitit ac quotidiè præstat. tertiò, qui est *Elohe hatzebhaoth*, παντοκράτωρ, rerum scilicet omnium conditor ac moderator & Dominus. Iisque tribus notis agnosci verum Israelis Deum & à falsis gentium diis discerni.

2. Illud affixum in *Zichro*, si ad Iacobum referatur, sensus est, nomen *Iehouah* in memoria Iacobi perpetuò insedisse, id est, nullum alium Iacobo, fuisse Deum, nisi Deum Iehoua: celebrat igitur veram Iacobi pietatem, eámque suis Israelitis imitandam proponit. Si verò ad Deum refertur. alludit Propheta ad illud Domini in Exodi c. 3. cum dixit Mose: *Sic dices filiis Israel: Iehouah Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, &c. misit me ad vos: hoc nomen meum* (est) *in seculum, & hoc Zichri, id est, memoriale meum* (est) *in generationem & generationem*, quasi dicat, hoc est nomẽ, per quod volo, vt filij Israel mei semper recordentur, verum scilicet Deum esse illum, qui vocatur Elohe Iehoua, & prçter hunc alium nullum esse Deum. Cum igitur ait *Iehouah Zichro*, tria concludit Propheta. 1. El seu Deum Israelis, à quo Israel est denominatus, esse eundem ipsum, qui Iehoua semper

semper fuit appellatus. ὁ ἄν, à quo πάντα τὰ ὄντα. Hoc autem nomine appellatus fuit, idque verè Deus ille, quem Abrahã, quem Isaac, quem Iacob coluerunt, quíque per Mosen populum eduxit ex Ægypto, qui legem dedit in monte Sina, qui denique populum in terram Chanaan introduxit. Hunc igitur quem Israelitarum patres coluerunt, ipsis quoque Israelitis esse colendum. 2. Hunc verum Israelis Deum, nomen hoc Iehoua perpetuo sibi retenturum, velléque se hoc nomine a falsis dijs, sicut hactenus discretus fuit, sic etiam perpetuò in posterum discerni, velle enim, vt hoc nomen sit in sua Ecclesia, tanquam perpetuus liber memorialis, in quo, quis sit verus Ecclesiæ Deus agnoscatur. Quidquid igitur nobis vnquam, tanquam numen ad adorandum propositum fuerit, diligenter esse dispiciendum, sitne tùm in se, tum in verbis suis Iehoua, annon: & si non sit, illud etiam non esse pro vero Deo agnoscendum, imò tanquam vero Deo inimicum, penitus esse reijciendum. Reijciendos igitur esse vitulos, quos Israelitæ, tanquam Deos colunt, cum non sint Iehoua. 3. Si Iehoua est *Zichro*: Iehoua autem significat eum, qui primò ita per se est, vt ab eo & per eum, & in eo sint omnia & qui, secundò sua semper præstat promissa: debere igitur in cuiusque Israelitæ memoria hæc duo penitus ac perpetuò esse infixa. Primum, Deum scilicet nostrum, semper viuere, summum esse bonum, & bonorum omnium autorem, quare semper & super omnia esse amandum. Alterum, Deum nostrum in suis promissis semper esse veracem, quare illi semper esse fidendum. Christus autem est primum ille ὁ λόγος, qui semper fuit apud Deum, & ita apud Deum fuit, vt Deus esset iste λόγος. Deinde est ille λόγος, per quem omnia, quæ sunt, facta sunt, & sine quo factum est nihil, quod factum est: & postremò est ille, in quo omnes promissiones habent, vt Paulus locutus est, suum etiam & Amen, id est, complementum. Christum igitur esse ipsum Iehoua, ac consequenter, ipsum *Zichro*, in quo scilicet tanquam in memoriali verus agnoscitur & videtur Deus, & iuxta quem non est Deus.

VII. Et, id est, igitur etiam Tu ad Deum tuum redito, misericordiam & iudicium custodi & fide Deo tuo semper.

1. Illud *vau* non tantùm est copulatiua particula, Etiam, sed locum habet illatiuę particulę, Ergò. Indicat igitur Propheta, se cùm vellet Israelitas ab idolis ad verum Deum colendum exhortari, tali argumento vsum fuisse. Verus Israelis Deus, à quo pater vester & Bethel & vos Israelitæ nomẽ habetis, est, primò, qui elegit Iacobum & in Iacobo vos omnes, cum in vtero fratrem supplantauit: & qui, secundò, Iacobo tanquam victori benedixit nomenque ei mutauit è Iacobo in Israel, quando luctatus cum eo, siuit se Iacobi aduersus fratrẽ animandi caussa à Iacobo vinci: & qui, tertiò, non semel, sed iterùm in Bethel apparuit Iacobo promissionẽmque illi & semini eius fecit & confirmauit: denique qui nos omnes, quum adhuc essemus in lumbis Iacobi, in Bethel inuenit & locutus est nobiscum. Is enim *El* à quo nomen habes Israel, est *Iehouah Zichro*, & *Iehouah Elohe hatzebbaoth*, is est tuus & verus Deus. Hunc autem solum coluit pater vester Iacob, & pro huius benedictione habenda, quasi luctatus est cum fratre in vtero: deinde luctatus est cum ipso Deo, nec eum prius voluit dimittere, quàm ab eo benedictionem accepisset: & postremò in Bethel obtulit ei sacrificium, votúmque ei vouit, se semper illum culturum. Par igitur est, vt tu etiam illum colas. Ergò etiam tu redito.

2. Non ait autem *Venito*, sed *Redito*. Indicat igitur, Israelitas priùs fuisse cũ suo Deo vero, sed deinde ab eo ad alienos Deos defecisse. Quare dùm eos hortatur, vt redeant ad Deum suum, obliquè eos rebellionis accusat, & perfidiæ.

3. Hortatur Propheta Israelitas, vt suam illam speciosam, & omnibus Israelitis receptam religionem, in qua & ipsi & ipsorum patres, multa secula vixerunt, deserant, & ad Deũ redeant. Reditur autem ad Deum, dùm reditur ad eius verbum, seu, ad vitam & religionem, iuxta purum verbum, reformandam. Docet igitur, sine vllo timore deserendas esse omnes religiones, quæ cũ verbo Dei pugnant, vt redeamus ad Deum: Et illos, qui talibus religionibus, quantumvis antiquis, quantũvis speciosis, desertis, redeunt ad eam, quæ in verbo Dei est præscripta, non, tanquam apostatas, esse improbandos & damnandos, sed potius, tanquam verè resipiscentes, esse laudandos, hancque veram esse resipiscentiam, quum scilicet neglectis falsis cultibus reditur ad verum, atque antiquum Dei cultum, in eius verbo præscriptum.

4. Nomine *Chesed* venit non tantum interna misericordia, sed etiam externa in proximum beneficentia. Nomine verò *Mischpat* venit rectum & æquum. His autem duobus nominibus synecdochicè veniunt omnia caritatis erga proximum officia, quæ in altera tabula continentur. Verbo *Sperandi in Domino*, venit synecdochicè totus verus Dei cultus, tam internus, quàm externus, qui in prima tabula summarim descriptus est. Cum igitur non contentus dixisse in genere: *Et tu redito ad Deum tuum*, sed specialim addidit: *Beneficentiam & iudicium custodito, & sperato in Domino Deo tuo semper*, docet, in iis duabus potissimum rebus positum esse verum ad Deum reditum seu veram resipiscentiam: in caritate erga proximũ, & in solida, perpetua, firmáque fide in Deum, ac proinde veram resipiscentiam, nil aliud esse, quam totius nostri & animi & corporis vitæ, ac religionis, ad puram Dei legem, quę summarim nil mandat, nisi fidem in Deum, & caritatem in proximum, reformationem.

5. Non ait autem facito misericordiam & iudicium, sed Custodito. Nec simpliciter ait: Spera in Deo tuo, sed addit, Semper. Indicat igitur veram resipiscentiam, cum perseuerantia in ipsa caritate & fide, esse coniunctam, alioqui veram & salutarem non esse resipiscentiam.

6. Neque de altera pœnitentiæ parte loquens, quæ in prima tabula continetur, dixit: Ama Deum semper, vel obedi Domino semper, sed ait Spera. Docet igitur, hanc pręcipuam esse diuini cultus partem, firmam scilicet & perpetuam in Deo fiduciam ac spem, de Dei scilicet erga nos beneuolentia, remissione peccatorum, nostráq. per Christum salute: ac proinde, etsi omnia reliqua transgressi simus, mãdatum hoc saltem diligenter esse custodiendum, vt scilicet speremus in Domino.

7. Nec ait simpliciter, *Spera*, sed addit, *Semper*. Docet igitur, etiamsi in multis peccatis, tanquam in altissimo gurgite toti sæpenumerò immersi esse videamur: caput tamen fiduciæ ac spei, semper esse in Deum eleuandum, atque tollendum: Et, etsi Deus videatur nobis esse omninò infensus, & ceu de patre hostis effectus: nunquam tamen de eius misericordia esse desperandum, sed sperandum in Domino semper quemadmodum & Iob de Domino dicebat *Iob.* 13. Etiamsi me occiderit, in eo sperabo: nullum enim esse tempus, quo, & nullum esse tam graue peccatum, propter quod in Domino sperandum non sit, quando iubemur sperare in Domino semper.

8. Neque ait, Spera in tuis patribus, aut in tuis operibus, sed tantum, In Deo. Docet igitur, neque in sanctis, neque in meritis, neque vlla alia in re, præterquam in Domino Deo, spem nobis esse collocandam.

9. Nec simpliciter ait, Spera in Deo, sed addit, Tuo. Deus autem fit noster Deus, cum illum firma fide credimus, propter Christum, nostrum esse Deum. Docet igitur, neminem verè in Domino sperare, nisi prius firma fide sibi persuadeat, Deum, propter Christum, suum esse Deum: ac proinde spem ex fide nasci, & sine fide veram spem esse non posse.

XVII. Chenaã, in manu eius statera doli, id est, dolosa *ad fraudandum amauit*, id est, amat fraudare. Vel *Mercator est, in manu eius sunt lances dolosæ, opprimere amat.*

1. Nomine Chenaan aliquando quidem venit mercator, sæpius ipsa Palæstina: at hic propriè venit populus ipse Chenanæus. Alludit tamen etiam ad nomen mercatoris, dũ eos accusat rapinæ & fraudis, & stateram dolosam in manibus eos gestare dicit. Erant autem Chenanæi homines idololatræ, incircumcisi, & scelerati. Est verò hæc oratio abrupta & stomachi plena, & duo subintelligenda sunt: Vnũ negatiuum, vos non estis Israelis aut Abrahæ filij: alterũ affirmatiuũ: sed estis Chenaan. Atque hæc est, ceu propositio, quã posteà per partes explicat. Cum igitur Propheta suos Israelitas abrupta oratione & magno cum stomacho, & verbo contumelioso appellat Chenaan, duo indicat 1. Se vsq. adeò ob Israelitarum peruicaciam stomachatum, illisque iratum fuisse, vt præ sancta ira non potuerit suam absoluere orationem, sed vno tantum verbo, Chenaan, suum in eos stomachum erumpere coactus fuerit: insignem igitur fuisse illorum peruicaciam. 2. Israelitas solitos quidem fuisse nomen Israelis & populi Dei, à gentibus incircumcisis segregati iactare, sed eos vsque adeò à pietate Israelis, ad impietatem & vitia Chenaan degenerasse, vt verius Chenaan quàm Israel appellari possint, & verò etiam debeant. Dum ergo eos vocat Chenaan, pronũciat palam, eos non esse populũ Dei, neque ad Ecclesiam Dei pertinere, sed esse Ethnicos, incircumcisos, & nebulones omni vitiorum genere omnibúsque turpitudinis notis insignes. Ac proinde docet, non satis esse, quod aliquis populus nomen retineat populi & Ecclesiæ Dei, nisi etiam res ipsa, id est, vera pietas, religio & virtus, quæ propria sunt Ecclesiæ Dei accedant.

2. Stateram dolosam esse in manibus alicuius, seu, ali-

ex redemtione facta per Christum, non agnoscunt, Deum nostrum esse Deum.

3. Nomine *Mohedh*, venit tempus illud statum & solenne, quo populus ex Ægypto liberatus, dum in deserto sub tentoriis habitaret, ad certum locum, vt ad domum sanctuarij, vnà cum Mose conueniebat, ad Deum colendum, & ad verbum eius audiendum: fuit autem illa populi in deserto peregrinatio, illúdque tempus *Mohedh*, cum habitarent sub tentoriis, duplicis rei argumentum. Vnius quidem, quod fuerint captiui in Ægypto: alterius verò, quòd iam essent ex Ægypto liberati. Cum igitur ait: *Adhuc te faciam habitare in tentoriis seu tabernaculis: secundum dies Mohedh*, id est, conuentus, vel solennitatis, duo facit. 1. Minatur, se iterum illos è sua hæreditate & regno in captiuitatem Ægyptiacę similem, nempe in Assyriam expulsurum, vt ibi, sicut olim in deserto, sine propria vrbe, sine ædibus, quasi sub tentoriis habitent. Deinde consequenter obliquè promittit, se rursus tamen illos è seruitute, sicut & olim ex Ægypto liberatorum: non fuit autem hoc impletum, nec implebitur in decem tribubus carnaliter & temporaliter quum ex sua captiuitate Assyriaca in suam patriam nunquam sint aut reuocati aut reuocandi. Redemtionem ergo per Christum è seruitute peccati mortis, & Satanæ, cuius typus fuit illa ex Ægypto liberatio, & adsertionem in veram spiritualem, Christianámque libertatem, ac denique per hunc mundum, tanquam per desertum, in cœlestem terram introductionem promittit.

4. Non ait autem simpliciter: *Faciam te habitare in tabernaculis*, sed addit, *Secundùm dies Mohedh*. Dies autē *Mohedh*. tempus erat illud, vt dixi, statum & solenne, quo, cum essent in deserto filij Israel simul conueniebant ad certum locum, vt ante domum sanctuarij, ad Deum colendum & verbum audiendum. Promittit igitur se effecturum vt filij Israel, quādiu fuerint in hoc deserto, id est, in mundo cœtus habeant Ecclesiasticos, vbi certis & statis temporibus conueniant ad Deum colendum & verbum audiendum. Ac proinde docet, fieri non posse, propter hanc Dei promissionem, vt Ecclesia quamdiu in hoc mundi deserto peregrinatur, maneat sine aliquo cœtu, vbi & verbum audiat & sacramenta administrentur, & Deus colatur.

5. Caussa cur nouam captiuitatem minetur fuit, quia Israel primę ex Ægypto liberationis, ideóq. Dei, qui eos inde liberauerat, obliti fuerant. Non enim ampliùs recordabantur. Deum fuisse & esse illorum Deum è terra Ægypti, & ex illa obliuione è populo Dei facti fuerunt Chenaan, iniqui in proximum & impij. Finis igitur, cur etiam nouā per Christum redemtionem promittat, est, vt hoc nouo & maiori beneficio, veros Israelitas sibi magis quàm vnquā antea deuinciat, perpetuam sui memoriam in illorum cordibus firmiùs infigat, ac consequenter ex hac sui memoria, quotidiè magis ac magis illi renouentur, facti in proximū iusti & in Deum pij. Ac proinde docet qualis sit finis redēptionis per Christum, vt scilicet de manibus inimicorum nostrorum liberati, perpetuò tanti beneficij memores, & pietati in Deum, & charitati erga proximum studeamus, dum ad æternam vitam perueniamus: quemadmodum & Paulus dicit *Tit* 2. Apparuit gratia saluatoris nostri Dei omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegata impietate & secularibus desideriis sobriè (quo ad nos) iustè (quo ad proximum) & piè (quò ad Deum) viuamus in hoc seculo.

XI. *Et locutus sum super* ad *Prophetas: & Ego visionem multiplicaui, & per manum Prophetarum proposui similitudines.*

1. Dominus, populi crimen exaggerans ait, se neque verbo suam voluntatem simpliciter declaráre (est enim loqui super Prophetas) neque visionibus suum verbum obsignātibus ac confirmantibus (multiplicauit enim visiones) neque quibusuis similibus, & humanis dicendi figuris, tropis, modis suam voluntatem suo simplici verbo significatam clare ac dilucidè per Prophetas explicantibus & amplificātib. (per manus enim Prophetarum proposuit similitudines) Israeli defuisse. Indicat igitur, Israelem, dum voluntati Dei non obtemperauit, nullā obtēdere excusationem potuisse, ideóque ex deliberato consilio Deo rebellem esse voluisse. Atqui Deus ille, qui olim multifariam, multísque modis loquebatur patribus per Prophetas, nouissimè locutus est nobis per filiū, & qui olim sub aliis spectris & visionibus, tanquam in speculis sese vtcunque conspiciendū Prophetis exhibebat, nouissimè palam manifestatus est nobis in carne, & qui olim per ministerium Prophetarum figuras & similitudines, quibus suam declararet voluntatem, proponebat, nobis reipsa nouissimè per filium sub oculos subicit, séque & suam voluntatem in filio visibilem reddidit. Docet igitur, illos, qui hodiè verbo Dei pertinaciter reluctantur, prorsus esse perditos, cùm nullam vel minimam suæ contumaciæ adferre possint excusationem, ideóque multò grauiores pœnas luituros, quàm luerint olim Israelitæ. Sic & Apostolus ad Hebræos argumentatur.

2. Non ait autem simpliciter, locutus sum Prophetis, aut ad Prophetas: sed *hal Hannebhiim*. At *hal*, præter alia duo significat, super & apud. Duo igitur indicat. 1. Verbum, quod per Prophetas prædicatum fuit, fuisse non è terra, sed ex alto, id est, è cœlo super eos à Deo factum. 2. Ipsum Dei verbum apud Prophetas tanquam fidos depositarios fuisse depositum, vt per & penes illos in Ecclesia tum ad pios verè voluntatem Dei docendos, tum ad reprobos omni suæ proteruiæ excusatione spoliandos, seruaretur. Ac proinde duo docet. 1 Quidquid in nomine Domini Prophetæ prædicārunt, fuisse & esse ipsissimum Dei verbum è cœlo ad eos factum. 2. Quidquid de voluntate Dei scitu necessarium est ad salutem, illud totum abundè in scripturis Prophetarum, adde posteà, & Apostolorum contineri. Minimè igitur quempiam, si vel voluntatem Dei ignoret, vel agnitam non præstet, excusari posse.

3. Nec ait in singulari, *Locutus sum super Prophetam*, sed in plurali *super Prophetas*: nempe quàm plurimos. Indicat igitur. 1. Se non tantùm Mosi, tanquam singulari Prophetę, sed etiam aliis Prophetis locutum fuisse. 2. Cadentibus aliis, alios subinde excitatos fuisse Prophetas in populo Dei, vt nunquam Ecclesia fuerit sine Prophetis, Dei voluntatem docentibus. Omnino igitur inexcusabiles esse, quotquot Deo sunt rebelles.

Cùm ait, *Visiones multiplicaui*, subintellige, Et numero & specie. Indicat igitur, se & sæpenumero & sub variis spectris, ipsis patribus & Prophetis apparuisse, & quasi visibilem se reddidisse.

5. Diuinarum autem visionum triplex fuit finis. 1. Vt Prophetæ de præsenti, Dei certiores facti, de ipsa quoque doctrina quam in visionibus audiebant, cum à Deo esset, ne dubitarent, atque ita, ceu sigillum fuerunt diuinæ doctrinæ. 2. Vt illis visionibus præsertim cum sub forma vni apparebat, fides de incarnatione filii Dei confirmaretur, tandem scilicet aliquando fore, vt filius Dei in nostra carne ἐνσαρκωθεὶς assumta, toti mundo manifestaretur. 3. Vt illis visionibus tanquam fulcris, doctrina & spes de videndo tandem Deo, sicuti est, fulciretur & firmaretur.

6. Nomine Manus Prophetarum, venit ministerium propheticum. Nomine similitudinum, veniunt synecdochicè omnes humani tropi, figuræ, phrases, modique docēdi inter homines vsitati. Cùm igitur ait: *Et per manum prophetarum assimilaui*, seu, similitudines proposuit, indicat Deus se non locutum fuisse Prophetis, & per Prophetas populo, prout suam decebat maiestatem: nimirum, sua diuina & propria (vt ita dicam) nobis verò incognita lingua, sed prout nostro captui & infirmitati congruebat: nempe, humanis iísque variis docendi modis Ac proinde docet, non ideò Deū per Prophetas & Apostolos in scripturis fuisse locutum, vt non intelligatur, sed vt maximè intelligeretur. In hunc enim finem ab eo propositas fuisse similitudines, id est, Deum vsum fuisse in loquendo humanis vsitatísque dicendi modis. Scripturas igitur esse intelligibiles, ideóque eas non tantùm doctis & sapientibus huius seculi, sed etiam indoctis ac simplicioribus modò cū fide vsitatas inter homines dicendi formas teneant ad legendum & intelligendum, esse propositas.

XII. *An in Gilead iniquitas: certè vanitas*, vel, tantum mendacium *fuerunt: in Gilgal boues immolarentur: etiam altaria istorum sunt tanquam acerui in fulcris agrorum.*

1. *Gilhadh* est pro *Begilhadh*. Fuit autem Galaad vna è ciuitatibus refugij cis Iordanem in tribu Gad, Leuitis habitanda & gubernanda ex mandato Domini tradita. Hæc cum debuisset esse tutum refugium innocentibus, id est iis, qui per imprudentiam & casu aliquem occidissent, vitio Leuitarum, facta fuerat asylum latronū: sicut supra docuit Propheta, quam & cap. 6. vocauit ciuitatem operantiū iniquitatem. Venit autem nomine Galaad non tātum ciuitas illa particularis, sed synecdochicè totum regnum Israel. Nomine verò iniquitatis, venit, cum omne peccatum, tum idololatria. Porrò interrogatio ironicè legenda est. Cum igitur ait: Num in Gilead iniquitas? duo facit. 1. Indicat, Israelitas, ac præcipuè Leuitas, qui ministerio diuino erant consecrati, solitos fuisse iactare & gloriari, apud se nullam esse iniquitatem, id est, idololatriam, ideóque solitos fuisse admonitiones Prophetarum contemnere. 2. Ha-

ironia declarat, omninò iniquitatem esse in Galaad & cõsequenter in toto Israelis regno. Est igitur sensus. Num fortè in Galaad, quia est ciuitas refugii, ciuitas Leuitarum, qui profitentur se diuino ministerio præ cæteris omnibus singulariter esse deditos, nulla est iniquitas? quasi dicat, imò maximè ibi est iniquitas.

2. Cùm ait, *Tantùm mendacium fuerunt*, id est, sunt, vel, *certè vanitas fuerunt*, duo facit. 1. Indicat Israelitas, & præsertim Leuitas in Galaad solitos quidem fuisse multa adferre argumenta, ducta præsertim à bonis suis intentionibus, quibus probarent, apud se non esse iniquitatem & idololatriam, & se esse innocentes. 2. Sed pronũciat, ea coram Deo mera fuisse mendacia, imposturas, paralogismos, & vanitates. Ac proinde docet quæcunque hypocritæ ad suas idololatrias defendendas & se iustificandos adferunt, ea nihil habere solidi, sed mera esse mendacia, quæ nihil illis coram Deo prodesse possunt.

3. Gilgal de quo habet Propheta, in regno fuit decẽ tribuum, vbi & templum erat, atque altare celeberrimum. *Sadha* est pro *Sadhe* agri. Altaria esse sicut aceruos lapidum super sulcos agrorũ, est passim erecta esse altaria permulta, idque, quò faciliùs & commodiùs quisque Deo sacrificare, cúmque colere possit, metaphora sumta ab aratoribus, qui, si agros habent lapidosos, lapides solent in varios aceruos colligere, idque, vt aratrum faciliùs trãsire possit: subest autẽ tacita antithesis, inter sacrificare boues in Gilgal, altariáque multiplicare, & obedire Deo. Alludit enim ad illud 1. *Reg.* 15. Melior est obedientia quàm victima. Cũ igitur ait: *In Gilgal sacrificant*, duo facit. 1. Proponit eos fucos, quibus se defendebant Israelitæ: nimirum quod in honorem Dei non parcant sumtibus, non enim animalia paruula, sed boues, neque vnum, sed multos sacrificare neque id in vno tantum loco, sed cum multis in locis, tum præsertim in celeberrimo oppido & templo Gilgal, vbi scilicet olim etiam Iosua cum vniuerso Israele celebrauit Pascha, erexit 12. lapides Iordanis, renouauit circumcisionem, vbi denique ablatum fuit opprobrium Ægypti ab Israele. Ios. 4. 5. Deinde, quòd non vnum tantùm habeant altare, sed multa & passim ea erigant, instar aceruorum in agris, idque in hunc optimum finem, vt faciliùs scilicet quisque possit sine longinquis peregrinationibus sacrificia Deo offerre: hæc autem omnia studia spectata præsertim bona intentione, à qua sunt profecta, & bono fine, in quem sunt instituta, non tantùm non videri esse improbanda sed maxima potius laude euehenda. Nõ igitur apud se esse iniquitatem, sed pietatem vigere. 2. Cæterùm iis ipsis locis, quibus se defendere volunt Israelitæ, vtitur Dominus ad eos iniquitatis conuincẽdos, apud illos enim esse iniquitatem, qui non obtemperant simpliciter verbo Dei, sed contra illud faciunt. Verbum autem Israelitis omnibus mandasse, vt vnum tantùm haberent templum & vnum altare, idque tantùm Hierosolymis, extra quam vrbem sacrificia offerre nemini licitum esset. Cùm itaque Israelitæ iniquitatis accusati, sui defendendi, atque excusandi caussa, iactent se sacrificare boues, idque in Gilgal, & altaria instar aceruorum in sulcis agrorum passim multiplicasse, idque hoc sanctissimo consilio, vt faciliùs ab omnibus sacrificia offerri Deo possint, dùm se volunt defendere, manifestè se suis telis confodiunt & iniquitatis conuincunt. Ac proinde duo docet. 1. Hypocritas idololatras, cùm arguuntur iniquitatis, seu idololatriæ, solitos esse sui defendendi & excusandi gratia, in medium proferre suam sedulitatem & diligentiam in cumulandis altaribus, offerendis Deo multis magnisque sacrificiis, quòd non parcant sumtibus aut laboribus, quòd ab optimis ducantur ad hæc studia intentionibus, nempe, vt Deo seruiant & gratificentur. Hanc autem sedulitatem, bonásque intentiones, non nisi probari Deo posse. 2. Cæterum secundo loco docet, quòd, quo plus iis nugatoriis verbis se excusant, suásque ἐθελοθρησκείας, defendunt, eò magis seipsos iniquitatis & superstitionis conuincant. Deum enim nihil hæc humana studia, atque has sedulitates & bonas intentiones morari, sed obedientiam tantùm à nobis requirere.

XIII. *Et fugit Iacob agrum Aram: & seruiuit Israel propter uxorem, & propter uxorem custodiuit gregem.*

1. In hoc versu Propheta ad historiam Genes. 28. 29. alludit. Tria autem dicit de Iacob. 1. Quod fuerit profugus à domo patris sui, dùm scilicet fugiens à facie Esau, venit in regionem Syriæ ad Labanum. 2. Quòd fuerit famulus Labani, dùm scilicet ei inseruiuit pro vxore, id est, pro Rachele in vxorem habenda. 3. Quòd non honorificum aliquod, sed vile seruituris genus seruierit, nimirùm, quòd custos fuerit gregis & homo pecuarius. Duo igitur facit. 1. Tacitè perstringit Israelitas & ingratitudinis aduersus Deum, & inanis superbiæ cõtra proximum. Indicat enim Israelitas oblitos tantæ gratiæ, seu diuini erga se beneficii (quòd scilicet Dominus & se & suum ipsorum parentem Iacobum, non propter vllam suam dignitatem, sed ex mera gratia elegisset) suíque erga Deum debiti officii, (quòd scilicet propter tantum Dei beneficium debuissent Deo in perpetuum iuxta ipsius legem inseruire & grati esse) solitos tantum fuisse, contra reliquas gentes omnes suum genus extollere, quòd scilicet nati essent ex magno illo patriarcha Iacobo, & hac inani carnalique gloria contentos suum erga Deum officium neglexisse. 2. Indicat, eos nihil habere, cur secundum carnem glorientur & suum genus extollant. Eos quidem natos ex Iacobo esse, verum est sed quali homine secũdum carnem & mundum? misero, profugo à domo patris sui: fugit enim in agrum Syriæ. 2. vili famulo: seruiuit enim pro vxore. 3. homine pecuario. Insanos igitur esse, quod suæ originis, qualis fuerit, sint immemores, iacténtque, cum suam genealogiam, idque contra reliquas gentes omnes, quasi reliqui omnes sint pecudes, ipsi verò soli nobiles, &, quasi nati ex Ioue: cum tamen ex vilissimo homine prodierint. Ac proinde docet hanc verè intolerabilem esse insaniam, quòd quis scilicet oblitus, vnde & ipse prodierit, nempe ex Adamo communi omnium parente, eóque ingrato, & per peccatum vilissimo homine, suam tamen, nescio, quam generis nobilitatem iactet, & se super reliquos efferat. Non igitur in carne, sed in Domino tantum esse gloriandum.

2. Nec simpliciter ait: *Inseruiuit*, sed addit & ingeminat: *Pro vxore*. Alludit autem ad coniugium Iacobi cum duabus Labani filiabus In eo verò coniugio tria præcipua fuerunt vitia. 1. Quòd coniugium cum Lea, legitimum initio non fuit, cùm ibi consensus Iacobi desideraretur. 2. Quòd etiamsi postea, vt creditur, assensus est Iacob primo connubio: illud tamen deinde pollutum fuit πολυγαμίᾳ contra diuinam matrimonij institutionem, dum non contentus Lea, ipsam quoque Rachelem voluit in vxorem. 3. Quòd præter πολυγαμίαν incestus etiam accesserit, dum scilicet duas sorores in eodem thoro habuerit Iacob. Indicat igitur, hac etiam adiecta particula, non tantum non habere Israelitas, cur suam iactent genealogiam, sed potius cur debeat aliqua ex parte illos pudere, cum & quidam illorum nati sint ex coniugio, quod initiò fuit suapte natura illegitimum, & deinde omnes ex patre & polygamo, & incestuoso. Ac proinde docet, multos, qui suas iactent antiquas & nobiles genealogias, si omnia, quæ sui maiores gesserunt, penitius considerent, sæpenumerò inuenturos, cur debeat eos pudere suorum maiorum, suæque originis, tantum abest, vt in iis debeant superbire.

XIV. *Et per Prophetam ascendere fecit Dominus Israel ex Ægypto, per Prophetam quoque custoditus est.*

1. Exitus Israel de Ægypto fuit ceu altera Israelis natiuitas Nomine Prophetæ, venit Moses. Cum igitur ait, *Et per Prophetam*, duo facit. 1. Indicat, Israelitas, sicut primam natiuitatem, nempe ex Iacobo, iactare solebant: sic etiam natiuitatem alteram, nempe ex Ægypto, iactare solitos fuisse, quòd scilicet ipsi essent ille populus, qui, inuito & repugnante potentissimo rege Ægypti, ex Ægypto egressus, terrorem toti orbi incusserit, potentissimos quosque reges in terra Chenaan expugnarit, omniáque regna occuparit. 2. Illorum superbiam deridet: docens, non esse, cur ea de re glorientur in seipsis atque superbiant: non enim ipsos suis viribus ex Ægypto, éque manibus Pharaonis euasisse, sed Dominum fuisse, qui illos ascendere fecerit ex Ægypto, idque per suum Prophetam Mosen. Meminerint igitur se fuisse mancipia in Ægypto, vbi, nisi Dominus per Mosen inde eos eripuisset, in perpetuum futuri erant miserrimi. Quare potius eos habere, cur humilientur, quàm, vt in seipsis superbiant. Ac proinde docet, cum redemtio Israelis ex Ægypto per Mosen, typus fuerit redemtionis nostræ è regno Satanæ per Christum, docet inquam, non esse, cur de hac redemtione in nobis gloriemur, quòd scilicet sumus Christiani, nati ex Christianis, reliqui verò infideles: quoniam neque nostris viribus redemtionis nos, neque propter nostra merita facta est hæc redemtio, sed per Christum, idque ex mera Dei gratia, esse potius, cur in nobis ipsis humiliemur, quoniam nostrapte natura eramus filij iræ, sicut & reliqui gentes, idololatræ, alieni à testamento, sine Deo in mundo. Quòd

h,m ul-

fi, multis aliis in regno Satanæ relictis, inde nos in regnū Christi filij dilecti translati sumus, id factum esse Dei gratia per Christum primum quidem in sua persona, cùm scilicet mortuus est in cruce pro nobis nondum natis deinde in suo spiritu, cùm scilicet nos efficaciter per suum spiritum vocauit, & iustificauit. In Deo igitur, non in nobis esse gloriandum.

2. Etsi verò nomine Prophetæ intelligat Mosen: non tamen ait per Mosen, sed, per Prophetam. Nomen autem Prophetæ, nomen est interpretis Dei & legis diuinæ. Cùm igitur redemtionem ex Ægypto commemorans, ait, eam fuisse factam per Prophetam, tacitè innuit, finem illius redemtionis fuisse, vt Israelitæ facti iam populus & Ecclesia Dei, fine eam ie ab hoc Propheta gubernari, Prophetam audirent, legemque à Deo per hunc Prophetam promulgatam custodirent. Ac proinde docet, finem nostræ per Christum redemtionis fuisse, vt hūc Prophetam Christum (de quo antea Moses Deut. 18. *Prophetam de gente tua suscitabit Dominus.* & de quo pater dixit: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui. Hunc audite* Mat. 17.) audiamus totamque nostram vitam ad ipsius verbum componamus, & Deo per Christum in perpetuum simus toti, quantiquanti sumus, addicti.

3. Non solùm autem ait, per Prophetam eos fuisse ex Ægypto liberatos, sed etiam per eundem Prophetam seruatos ac custoditos, ne scilicet ab hostibus perderentur. Innuit igitur, eò grauiorem esse Israelitarum ingratitudinem, quòd non solùm semel liberati ex Ægypto, sed etiam semper seruati ab hostibus per eundem Mosen à Domino in deserto, donec per Iosuam introducti sunt in terram Chenaan: ipsius tamen Dei legem per eundem Mosen promulgatam neglexerint, suisque idololatriis, vt versu insequēte docet, Deum ad irā prouocarint. Ac proinde docet, hoc etiam nos à Deo per Christum beneficium accepisse, quòd non solū nos per eum sumus semel è regno Satanæ erepti, sed etiam per ipsum quotidiè in hoc deserto, ab omnibus hostibus seruamur, idque tātisper dum in perfectam æterni regni possessionem introducamur. Grauissimam igitur esse omnium nostrorum in Deum ingratitudinem, si non eius Euangelium vera & stabili fide complectamur, & ad ipsius normam tùm religionem omnem, tum vitam totam componamus.

XV. Prouocauit Ephraim indignationem amarissimam, ideo sanguis eius super eum diffundetur, & opprobrium eius reddet ei Dominus ipsius.

1. Nomine *tamrurim*, quæ dictio præter alia significat etiam excelsa, veniunt hoc loco altaria, sacella, & idololatriæ omnes, quæ ab Israelitis in locis excelsis admittebantur: ponitur enim continens pro contento. Cùm igitur ait: *Irasci fecit*, scilicet Deum Ephraim *tamrurim*, apertè demonstrat, Israelem totius liberationis ex Ægypto finem euertisse, quoniam cùm debuisset suo obsequio se erga Deum gratum præbere, sicque Dei erga se beneuolentiam in perpetuum conseruare, ipse contrà cum aliis peccatis, tùm inprimis suis idololatriis, Deum ad iracundiam prouocauit.

2. Etsi verò aliis etiam præter idololatriam sceleribus, iram Dei aduersus se prouocarunt Israelitæ: non ea tamen commemorat, sed tantùm idololatrias, quæ scilicet in excelsis locis ab Israelitis admittebantur. Docet igitur, nihil esse, quod magis ira Dei, aduersus mundum prouocetur, quàm idololatria.

3. Nomine iræ Dei, veniunt flagella. Non ait autē simpliciter, *Iratus est Dominus* sed hiphil, *Irasci fecit* scilicet Dominum ipse Ephraim in *tamrurim*. Indicat igitur, Israelem non habere, cur de Deo conqueratur, si sentiat Deū se ferientē sibi infensum & iratum, quoniam ipse Ephraim iram Dei aduersus se prouocauit. Ac proinde docet, Deum per se nō irasci, sed nobis ad iram seu ad flagella nobis infligēda nostris sceleribus prouocari. Neminem igitur, cùm sentit Deum sibi iratum habere, cur de Deo, vel de ministris Dei, sed tantùm de se ipso conqueratur.

4. Primùm *vau* in *vethamau* est loco illatiuæ particulæ Igitur: *Natasch* est de sententia R. D. Kimhi, requiescere, de sententia R. A. Ezra, effundere. Subintelligitur autē quem ipsa effudit, hoc modo. Sanguis, quem ipse Israel fudit, requiescet, vel effundetur super eum. Alludit autē ad sanguinem animalium, quem fundebant Israelitæ in suis impiis & idololatricis sacrificiis. Sanguinem autem illius manere seu requiescere, vel effundi super aliquem, est culpā alicuius peccati alicui adscribi illiusque pœnas talis peccati luendas irrogari. Cùm igitur ait: *Ergò sanguis eius super eum effundetur, vel requiescet super eum*, indicat Israelem, qui suis idololatriis prouocauit aduersus se iram Dei, iustissimas suæ iniquitatis pœnas daturum.

5. Nec simpliciter ait, *Sanguis eius super eum requiescet*, sed addit *Et opprobrium eius reddet ei Dominus*. Nomine autem opprobrij venit primùm idololatria quoniam, dum colimus idola loco Dei, honorémque Dei inuisibilis & incorruptibilis, ad visibiles corruptibilésque creaturas transferimus, magno afficimus Deum opprobrio & contumelia. Deinde venit etiam pœna talis opprobrij seu idololatriæ probrosa. Deū autem rependere alicui suum opprobrium, est Deū de aliquo sumere pœnas suæ idololatriæ & opprobrij illius, quo Deum afficere voluit. Cùm igitur ait: *Et opprobrium eius reddet ei Dominus*, duo indicat. 1. Israelem, quum præter verbum Domini altaria instituit, boues sacrificauit, vitulos & Baalim coluit, affecisse Deū maximo opprobrio. 2. Deum igitur iuxta legem talionis vicissim affecturū Israelem, idque iustissimè, suo ipsius opprobrio, id est, probrosas, cásque iustas pœnas sui opprobrij de eo sumturum. Ac proinde duo docet. 1. Quidquid præter verbum Dei in religione instituimus: etsi nostra, vt vocāt, intentio bona est, & huc spectare videtur, vt Deum maiore in dies honore & reuerentia afficeremus: illum tamen totum coram Deo, merum esse opprobrium, & contumeliā in Deū. 2. Qui talibus opprobriis Deum afficitur, probrosas omninò pœnas sui opprobrij daturos, sicut & Paulus Rom. 1. docet: Cùm se crederent esse sapientes, stulti facti sunt, mutarúntque gloriam incorruptibilis Dei, per similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volatilium, & quadrupedum, & reptilium. Quapropter etiam tradidit illos Deus per cupiditates cordium suorum in immūdiciam, vt ignominia afficiant corpora sua inter se mutuò.

6. Etsi verò Israel Deum pro suo Deo vero non agnoscebat, quia eius iugum excutere prorsus volebat: Propheta Deum tamen illius appellat Deum.

ANALYSIS CAPITIS DECIMI TERTII.

CVm loqueretur Ephraim, tremor erat: eleuauit caput suum in Israel: sed peccauit in Baal & mortuus est.

1. Nomine *Ephraim*, hic venit ipsa tribus Ephraim, ac præsertim eius capita & reges. Illi membro, *Cum loqueretur Ephraim tremor*, subintelligendum inuadebat eos, Tremorem autem omnes inuadere, cùm aliquis loquitur, est, aliquem tanta maiestate & potentia præditum esse, vt ad solam illius vocem omnes contremiscāt. Fuit autem duplex status ipsius Ephraim. Vnus & prior antè quàm à vero Israelis Deo ad falsos gentium Deos defecisset. Alter & posterior pòst, quàm, neglecto vero Deo Iehoua, coluit Baalim. Cùm igitur ait: *Dum loqueretur Ephraim, tremor*, Propheta priorem commemorans atque commendans statum, illúmque posteriori anteponens, indicat, tribum Ephraim eiusdémque capita ac principes antè, quàm Deos alienos colere cœpissent, tantæ potentiæ ac maiestatis non solùm apud suos, sed etiam apud exteros fuisse, vt vel ad solam ipsius Ephraim vocem, omnes soliti fuerint toto animo, vt ita dicam, & artubus contremiscere.

2. Quòd Ephraim antè, quàm ad superstitiones delaberetur, omnibus fuerit formidabilis, ita, vt cùm vel loquerētur, tremor omnes inuaderet, commemoratur à Propheta, tanquam singulare Dei erga Ephraim beneficium. Docet igitur, quòd vnus quispiam, rex vel princeps inter multos populos tanta excellat potentia, tantáque præditus sit autoritate, vt illum vnum omnes metuant, vtque illius vnius dicto, tam multi parere non detrectent, totum hoc non ex ipsius principis virtute, sed ex Deo proficisci: Deum enim illum vnum esse, qui tàm multorum hominum, iugi alioqui suapte natura impatientum, corda ad vnius principis timorem, obsequium, & reuerentiam flectat.

3. Cùm subdit. Extulit, Hu in Israel, nomine Israel venit totum Abrahæ genus. Illud *Hu* ipse, vel ad Ephraim refertur, vel indefinitè positū κατ' ἐξοχὴν, pro ipso Deo (sicut & cap. 10. vers. 2. de multorum sententia) accipitur. Si ad Ephraim referatur, subintelligatur, se, vel caput suum per Dei gratiam, hoc modo: Ipse Ephraim, per Dei gratiam, eleuauit se in Israel, pro, eleuatus & exaltatus est à

Deo in Israel. Si verò *Ha mot'i ζ* positum est pro ipso Deo subintelligitur accusatiuus, Ephraim, sic: Ipse Deus exaltauit Ephraim in Israel. Alludit autem Propheta ad multiplicem exaltationem: primùm quidem ad illam qua, cum 12. essent filij Israel, è quibus duodecim tribus constituendæ erant: ipse tamen Ephraim Iosephi filius, eo honoris exaltatus fuit, vt ipse quoque inter filios Israel censeretur, & ex eo tribus vna denominaretur. Deinde ad illã, qua cum esset minor natu ipso Manasse, & debuisset eo esse inferior: fuit tamen ei prælatus. Gen. 48. tertiò ad exaltationem illam alludit, qua exaltatus fuit ad principatum, vt princeps & dux esset totius populi, vt fuit Iosua è tribu Ephraim: postremò ad exaltationem illam, qua exaltatus fuit ad regiam dignitatem, vt fuit Iarobeam primus decem tribuum rex. Duo igitur facit. 1 Indicat caussam cur cum loqueretur Ephraim, tremor omnes inuadebat: quia scilicet Deus illum extulerat in Israel super omnes reliquas tribus, excepta tribu Iuda, quanquam etiam hanc superauit potentia & hominum numero. Deinde tacitè damnat Ephraim, quòd, cum tantum honoris Deus in illam tribum contulerit, ipsa tamen Deum magna affecit contumelia, dum, deserto Deo, ad idola defecit. Ac proinde duo docet. 1. Si princeps vnus est toti populo formidabilis, hoc ideò fieri, quia Deus illum exaltauit in populo, suúmque illi dedit gladium. 2. Quòd quis ad altiorem dignitatis gradum euectus est à Deo, eò grauiorem esse culpam, si in Deum peccet. 4. Peccare in Baal, est colere Baal. Baal autem idolum fuit à Sydoniis sumtum atque in Israel introductum. Et si verò initium superstitioni in Israel, non fuit à Baal, sed à vitulis: hanc tamen idololatriam primo loco ponit Propheta quia grauior illa priore, vtpote à gentibus desumpta. Cùm igitur ait: *Peccauit in Baal*, duo facit. 1 Indicat Israelitas nullo modo excusabiles fuisse, quoniam non contenti, cultum Dei suis commentis & conflatis vitulis corrupisse, Baalem etiam à gẽtibus profanis mutuati sunt & gentium inquinamentis se polluerunt. 2. Caussam mutat. status Ephraim, è tanta potentia & felicitate, in qua paulò ante fuerat, ad tantam imbecillitatem & miseriam, in qua tunc erat, ita, vt parum à morte differret: caussam, inquam regni & iam supra modum infirmati, & mox etiam funditus interituri, indicat fuisse, cum reliqua peccata, tum in primis idololatriam.

5. Sicut triplex est generatio: Corporalis, cum quis è semine viri conceptus nascitur: Spiritualis, cum quis per Spiritum sanctum e filio Adami in filium Dei regeneratur: & Ciuilis, cum ex infimo gradu ad dignitatem aliquam promouetur, vel è misera seruitute, in felicem libertatem asseritur: ita etiam triplex mors: Corporalis, cum anima à corpore separatur: Spiritualis, cum homo, per peccatum gratia Dei, quæ est animæ vita, spoliatur: & ciuilis, cum quis sua dignitate & potentia aut regno, denique sua felicitate priuatur. Nomine autem mortis, hoc in loco venit propriè ciuilis mors. Verbum vero illud: *Et mortuus est*, duo respicit, tum præsentem, in quo tunc erat Israel, tum mox futurum, statum. Cum igitur ait, *Et mortuus est*, alterum Israelis statum qualis in præsentia sit, & qualis etiam breui futurus sit demonstrans, docet regnum Israelis propter suam idololatriam, tum eo vsque extenuatum esse, vt parum absit ab exitio, tum breui ac certo funditus interiturum. Ac proinde toto hoc versu docet, si regna nostra floreant, vel nos in aliquo simus dignitatis & honoris gradu, hoc ex Deo prorsus erga nos gratia proficisci: quia scilicet Deus nos exaltat. Si verò vel regna nostra infirmentur, vel nos è gradu dignitatis, officij, & honoris, in quo anteà positi eramus, deijciamur & quasi moriamur, hoc nostra culpa fieri, quia scilicet ingrati in Deum, peccamus in Baal.

Et nunc adiecerunt ad peccandum, id est, pergunt peccare, *& fecerunt sibi conflatile ex argento suo in intelligentia sua, idola, opus artificum totum: de eis ipsi* sacerdotes *dicunt. homines qui sacrificant, vitulos osculentur.*

1. Bifariam aliquis dicitur adijcere ad peccandum. 1. Cũ peccatis anteà per infirmitatem admissis aut per ignorantiam obstinatam etiam adijcit malitiam, id est, obstinatè & malitiosè pergit, sicut cœperat peccare. 2. Deinde cum nõ solùm, vt cœperat, pergit eadem admittere peccata, sed etiam noua peccatorum genera comminiscitur, & addit scelera sceleribus. Cùm igitur ait: *Addiderunt ad peccandum*, peccatum Israelis amplificans, accusat eos tum obstinatæ malitiæ in suis idololatriis, tum nouarum, quas subinde comminiscantur, superstitionum, seu, quod nolint vllum peccandi vel finem vel modum facere.

2. Nõ ait autẽ simpliciter: *Adiecerunt peccare*, sed præmittit, *Et nunc*, quasi dicat, postquam semel tergum Deo verterunt, & à vera pietate ad superstitiones defecerunt, semper peccarunt & in suis superstitionibus progressi sunt Israelitæ, ita, vt etiam nunc pergant sine vllo fine & modo peccare. Docet igitur, sicut, si quis ex alta turri se inceperit deijcere, fieri non potest, quin totus præceps in profundum vsque letaliter ruat: ita fieri non posse, simulac quis, tergis Deo versis, ex altissima turri verbi & nominis Dei, ad humanas terrenasque voluptates, doctrinas, superstitiones, aliásque iniquitates sese semel deiecerit, fieri nõ posse, quin totus deinde præceps, ni Deus illũ retrahat, in profundum scelerũ omniũ licentia sibi quidvis agendi sumta, feratur. Quare initio cauendum esse, ne à Deo, id est, ab eius verbo vel latum vnguem ad dextram aut sinistram declinemus.

3. Non contentus dixisse, *Addunt peccare*, subdit, *Et fecerunt sibi conflatile.* Quare indicat, quomodo adiecerunt peccare: quia scilicet non solum obstinata malitia in suis peccatis perseuerant, sed etiam nouas quotidie superstitiones veteribus addunt, & idola sibi multiplicant.

4 Nec simpliciter ait, *Fecerunt conflatile*, sed addit, *Sibi*, idem, in suum vsum. vsus autem cõflatilis, id est, idolis, quatenus idolum, nullus esse potest, nisi cultus. Indicat igitur, Israelitas in hunc finem conflatile fecisse, vt ipsi me illud colerent. Talis autem cultus exitium adfert. Israelitæ igitur, dum sibi ipsi conflatile fecerũt, sibi etiam ipsis exitium parasse ac mortem asciuisse.

5. Nec simpliciter ait, *Conflatile sibi fecerunt*, sed addit, *Ex argento* quo nomine synecdochice venit etiam aurum. Aurum autem & argentum, aliáve metalla non sunt à Deo condita, vt ex eis fiant idola, sed vt eis homines ad commercia inter se vicissim contrahenda, & ad alios legitimos vsus vtantur. In idolis autem Deus cõtumelia afficitur. Accusat igitur Israelitas, quod beneficiis Dei, ad Deũ in idolis contumelia afficiendum, abusi sint.

6. Nec simpliciter ait, *Ex argento*, sed addit, *Suo*. Argentũ autem & reliquæ opes non fuerunt Israelitarum ex lucro aut hæreditate, sed tãtum, quia à Deo rebus illis omnibus donati fuerant. Docet igitur, quæcunque bona habuerunt Israelitæ, verè fuisse ipsorum, quoniam à Deo donata illis fuerunt. Ac proinde illud verè nostrum esse, quod nobis à Deo donatur, sicut Iephte scitissimè respõdit regi Ammõ.

7. Neque hoc contentus Propheta, subiicit, *In sapientia sua*. Sua aũt dicit, quoniã prudentia & sapientia propria Israelis fuit prudentia carnis, quæ est inimicitia aduersus Deũ. Tacitã verò facit antithesin, inter sapientiã suã, id est, Israelis, & sapientiã Dei, quæ reuelata erat in verbo. Indicat igitur, radicẽ nõ solũ idolorũ, sed omnis mali in Israel hãc fuisse, quoniam Israelitæ contemta Dei sapientia, suam ipsorum tantum sapientiã secuti. Ac proinde docet, initiũ omnis idololatriæ & corruptelarũ in Ecclesia, imò iniquitatum omniũ, hoc esse, quòd scilicet aures nostras sapientiæ & verbo Dei obseramus, nostræ vero tantũ prudentiæ carnis prębemus & aperimus. A contrario igitur, initium veri cultus & denique omnis boni hoc esse, cum aures, tum nostræ tum omnium hominum prudentiæ occludimus, soli verò sapientiæ Dei in verbo reuelatæ, operimus.

8 Vox idoli Hebraica, *hotzebh & hetzebh*, dolorẽ etiam significat. Alludit aũt Propheta hac voce, etiã ad hãc significationẽ. Cum igitur non contentus dixisse, *Fecerunt sibi conflatile*, maioris explicationis caussa addit *hatzabim* idola sc. fecerunt sibi, nempe, ad adorandum: vesaniam populi deridens, indicat, Israelitas, dum sibi fecerunt idola, dolorẽ quoque, nempe pœnarũ, qui ex cultu idolorũ cõsequitur, sibi ipsis creasse: graues enim pœnas suæ idololatriæ illos daturos: malũ igitur tã culpæ, quàm pœnæ ex ipso Israele esse, auxilium tantum à Deo. Ac proinde docet, quicunque faciunt sibi ad cultũ *hatzebim* in vna (vt ita loquar) significatione, videlicet, idoli, eosdem etiam sibi facere *hatzebim* in altera significatione, nempe, doloris, quia omnes idololatræ grauissimis doloribus & pœnis afficiendi sunt.

9. Cum subdit, Opus artificum, totum hoc subintelligẽdum est. quod sibi fecerunt ad cultum, nempe, conflatile & idola. In idolo autem duo sunt. Materia, aurum, argentum, lignum, aut lapis, & forma idoli. Materia, opus est Dei, nõ artificum. forma tantum adiecta, opus est artificum. Idololatræ autem non adorant materiam idoli, quæ est opus Dei, sed tantum adiectam formam, quæ est opus artificum: nam neque ante adiectam, neque post destructam idoli formam, quispiam aurum, aut lignum, aut lapidẽ adorat. Quare apparet, verum esse, totum hoc, quod colunt idololatræ, artificum opus esse. Cùm igitur ait, totum hoc

opus

opus artificum, quasi palpabilem reddens, insaniam Israelitarum, docet consequenter, quàm monstrosus sit omnium idololatrarum furor, cùm eò vsque insaniæ cæci ferantur, vt deserto vero Deo, cæli & terræ opifice, id quod tãtùm opus est artificum, id est arte ab hominibus fabrefactum, tanquam Deum, adorent, ac consequenter putent, ex vili materia deos ab hominibus arte fieri posse.

10. Illud, *Ipsis ipsi dicunt*, est, se inuicem hortãtur: nimirum ad colendos vitulos, & sacrificia humanorum etiã corporum vitulis offerenda. Osculari vitulos, est vitulos, tanquam suos deos & patronos, osculari. Osculum enim symbolum est ac testimonium non tantùm amoris, sed sæpe etiam subiectionis & fidei, vt in Ps.2. *Osculamini filium*, & professionis cult⁹, seu, adorationis, vt 3. Reg 19. *Reliqui mihi 7000. viros, qui non curuarunt genua antè Baal, nec osculati sunt eum.* Cùm ait, Sacrificant hominem, alludit ad illã prodigiosam fœdissimámque superstitionem, cum sc. Israelitæ suos liberos immolabãt Deo Meloch. Sunt autem verba sic construenda, *Ipsi* Israelitæ *ipsis*, id est, sibiipsi mutuò *dicunt*, id est, se inuicem hortantur, iis nimirum verbis *sacrificãtes hominem vitulos osculentur*, id est, singuli nostri vitulos colant & adorent, sacrifitia illis omnia vel humani etiam sanguinis offerentes. Peccatum igitur Israelitarum exaggerat, primùm in eo, quòd non solùm ipsi fecerunt sibi vitulos, & eos colunt, sed etiam, quòd se inuicem hortantur ad talem idololatriã continuãdã. Deinde in eo, quòd non solùm alia animalia, sed etiam ipsos homines, parentes nimirum, proprios liberos immolent ac mactent, quo nihil portentosius. Postremò in eo, quòd non solùm mactãt liberos: sed etiam offerunt eos nõ Deo, sed vitulis, quo nihil indignius: ideóque toto hoc versu optimè explicuit, quot & quibus modis adiecerint ad peccandum. Ac proinde docet, quò tandem insaniæ feratur homo, simul ac à Deo defecerit, & simulac, neglecti Dei verbo, suæ propriæ sapientiæ aures præbet.

III. Propterea erunt sicut nubes matutina, sicut ros manè transiens, sicut gluma quæ à turbine exagitatur ex area, & sicut fumus de fumario egressus.

1. Nubes matutina etsi in sublimi vagetur & spatietur: orto tamẽ sole mox euanescit. Ros quoq;, orto sole, liquescit, & in euanidũ vaporẽ dissipatur. Gluma, licet ad tẽpus cũ frumẽto mixta in area quiescat: mox tamẽ excitato turbine, ex area vno momẽto per aerẽ dispergitur. Fumus quoque, licet quãdiu est in camino, densã efficiat caliginem, ita, vt quasi solidũ corpus esse videatur: vbi tamen egressus est è fumaria, mox à ventis huc & illuc agitatus: dispaset & euanescit. Cum igitur de Israele ait: *Propterea erunt sicut nubes matutina*, vltimũ regni exitium denuncians, indicat, regnũ illud, etiãsi quasi in horto, fœcũdũ esse videatur, & pingue, & quasi nubes in cœlo superbiat, & quasi gluma in area, nullo flante vento, quietũ & securũ esse videatur, denique etiãsi sicut fumus in camino, dẽsissimum, numero sc. hominum, opibus & potentia, &, quasi inexpugnabile censeatur. breui tamen excitato sole, & excitato turbine iræ Dei, in nihilum redactum iri. Ac proinde docet, nihil esse tam firmum & potẽs, quod mox vento iræ Dei flãte, nõ euanescat.

2. Non dixit autẽ, Et erunt sicut magnæ nubes, sed sicut nubecula matutina, neq; sicut magni imbres, sed sicut ros, tenuis sc. & exiguus, neque, sicut immensi palearum aceruì, sed, sicut gluma, tenuis scilicet & exilis, neque sicut ignis, sed sicut fumus: deinde illud etiam quicquid est, nubeculę, roris, glumæ, & fumi, breui penitus extinctum iri prædixit. Duo igitur indicat. 1. Regnum Israelis, cùm hæc prædiceret vehementer fuisse extenuatum, sed tamen non penitus destructum: aliquid enim adhuc splendoris, & virium, potentiæ, & hominũ superfuisse, quod simile erat nubeculæ, rori glumæ, fumo in camino. 2. Sed totum etiam hoc quod superest, breui, & vno quasi momento, planè extinctum iri.

IV. Et Ego Iehoua Deus tuus è terra Ægypti, & Deum præter me non es expertus, ac seruator nullus est præter me.

1. Cùm Dominus ait: Ego autem Iehoua Deus subintelligendum est, Solus, sic: Ego autem solus sum & fui Iehoua, Deus tuus è terra Ægypti. *Iehouah* autem à verbo quod significat esse deducitur. Esse autem propriè soli Deo conuenit, tum quòd ipse solus propriè & per se est, tum quòd reliqua faciat esse, & suas semper promissiones impleat. Cum igitur ait: Ego autem Deus tuus, discernens se ab aliis omnibus falsis diis, docet, se solum verum esse Deum, quia per se est, & rerum aliarum omnium conditor, suáque semper præstans promissa. Sed igitur solum, non autem vitulos & alia idola, fuisse & esse colendum.

2. Non ait autem simpliciter: Ego Iehoua Deus, sed addit *Tuus*. Deum esse alicui Deum, est, Deũ, esse alicui cornucopiæ & bonorum omnium. Cum igitur ait: *Ego Deus tuus à terra Ægypti*, indicat se fuisse Israeli primum quidem liberatorem ex Ægypto, & deinde ab illo tempore, bonorum omnium, quæ habuit Israel, liberalissimum largitorem. Tacitè igitur ingratitudinis accusat Israelem, quòd scilicet, cùm ei ipse fuerit semper Deus suus è terra Ægypti, ipse tamen Israel deserto Deo vero, ad colenda idola se conuertit.

3. *Ego autem*, inquit, *Deus tuus*. Deus autem quib. est Deus, sese & suam voluntatem variis modis, tum verbis, tum factis patefacit, id quod reipsa apparet in Israelitis mox ex Ægypto liberatis. Indicat igitur, Israelem nullo modo posse aliquam obtendere ignorantiam, quâ se excuset, quasi ignorarit, quis esset Deus suus, & quæ Dei sui voluntas.

4. Etsi verò Deus, quò ad se & in sua prædestinatione semper etiam ante liberationem ex Ægypto, fuit Israeli Deus suus: non tamen ait, *Ego semper Deus tuus*, sed tantum ait, *Ex terra Ægypti*. Hoc autem ideò adiecit, quia ante, quàm fuisset populus è terra Ægypti liberatus, similis fuit mortuo & quidem sepulto, ac perinde fuit, ac si nullus esset. Liberatio verò ex Ægypto, quasi altera populi fuit natiuitas, & secunda generatio, cui accessit, Dei sui, diuinæque voluntatis cognitio per legem mox in monte Sinai traditam. Indicat igitur, etsi quò ad prædestinationem, Deus etiam ante liberationem ex Ægypto, erat Israeli Deus suus: tamen reipsa tum primum factum fuisse Israeli Deum suum, cùm ipse Israel ex Ægypto liberatus, & quasi renatus ac Dei diuinæque voluntatis cognitione donatus, factus fuit Deo populus suus: sunt enim relatiua, Deus & populus, & non est Deus alicui populo Deus suus, quin & ipse populus sit Deo populus suus. Ac proinde docet, etsi, quo ad prædestinationem, Deus fuit semper electis Deus suus: reipsa tamen tùm primum fieri illum nobis Deum nostrum, cùm etiam nos simus Deo populus suus, id est, cùm per Spiritum Sanctum regeneramur atque renascimur, & fide Euangelium amplexi, Deum, Deique erga nos voluntatem in Christo agnoscere incipimus.

5. Post liberatum populum ex Ægypto, Deus vsque adeò perspicuè & quasi continenter, nõ solùm infinitis prodigiis ac perpetua gubernatione sui præsentiam populo patefecit, sed etiam disertis verbis suæ legis, & perpetua per Mosen aliósque deinceps Prophetas prædicatione suam volũtatem reuelauit, & sacramentis confirmauit, vt nulla Dei & diuinæ voluntatis ignorantia ab Israelitis obtendi posset. Cùm igitur post obiurgatam populi idololatriam, & denunciatum totius regni exitium, mentionem facit liberationis ex Ægypto dicens: *Ego autem Deus tuus è terra Ægypti*, indicat Israelitas omnino esse inexcusabiles, nullámq; ab eis ignorantiam, qua se excusent, obtendi posse, quoniam post liberationem è terra Ægypti, in hunc vsque diem semper institutus fuit in schola Dei, & Deum Deique voluntatem variis modis reuelatam ac confirmatam agnouit, vel saltẽ agnoscere potuit: merito igitur se vltimum illi exitium denunciasse. Ac proinde docet nullam etiam nobis, qui è terra Ægypti, i. è seruitute Papistica liberati sumus, excusationem relinqui, quasi ignoremus Dei voluntatem, quoniam ab eo tempore, quo erepti fuimus è terra Ægypti, instituti fuimus in schola Christi, ita, vt eius voluntatem ignorare non possimus: nostra igitur scelera grauiora esse illorum, qui nondum ex Ægypto liberati sunt.

6. Cùm ait, *Extra me non agnosces*, duo facit. 1. Alludit ad legem, quam tradidit in monte Sina. Vbi primũ præceptum hoc fuit: *Ego Dominus sum Deus tuus: Non habebis deos alienos coram me. Tu agnosces me pro tuo vero Deo. Ego enim sum ille Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, & extra me non cognosces alium Deum.* 2. Indicat, quis fuerit liberationis ex Ægypto finis: nimirum hic, vt populus hunc Iehouah, qui se liberauit ex Ægypto, pro suo vero Deo agnosceret & coleret, & præter hunc nullum alium. Euincit igitur, defectionem Israelitarum, & nimis fœdam ac prodigiosam, & inexcusabilem fuisse: fœdam ac prodigiosam, quia, quum finis liberationis ex Ægypto & omnium deinceps beneficiorum Dei in Israelem, fuerit, vt hunc Iehouah pro suo vero Deo agnoscerent ac colerent, & præter hunc neminem, ipsi tamen turpissimè, deserto vero Deo Iehouah, ad deos gentium defecerint. Inexcusabilem verò, quoniam legem habuit, quæ hoc illi mandaret dicendo: *Deum extra me non agnosces.*

7. Cùm posteà subdit, *Et Saluator nullus præter me*, illud *vau* vim habet *aitiologias* seu causalis particulæ. Quia. Nomine vero *Seruatoris*, venit verus, perfectus & absolutus Seruator. Duo igitur facit. 1. Probat se solum fuisse

Israelis verū Deum, quia ipse solus fuit verus eius seruator. 2. Tacite infert. Israelem igitur, perperam & contra omnem rationem egisse, quòd, cùm nullum habuerit seruatorem, qui se liberarit ex Ægypto & liberatum semper seruarit, prę ter Iehoua, imò cùm nullus alius seruator reperiri præter Iehoua posset: ipsi tamen alios præter hunc pro suis diis agnouerunt & coluerunt. Ac proinde duo docet. 1. Si hæc ratiocinatio vera est, hæc igitur duo esse correlatiua Deum & seruatorem, ita vt, qui verus seruator est, ille etiam solus verus sit Deus, &, qui verus Deus est, ille etiam solus verus sit seruator. 2. Quicunque igitur alios præter verum Deum Iehoua, pro suis seruatoribus agnoscunt, illos, verum Deum Iehoua abnegare & alios præter Iehoua deos instituere. Illi autem qui suæ salutis spem aut fiduciam in alia re, quàm in Iehoua reponunt, ij certè rem illam pro suo seruatore agnoscunt. Quicunq; igitur vel in suis operibus, vel in sanctis mortuis, vel aliis in rebus extra Iehouam spem suæ salutis collocant, eos abnegare Iehoua esse verum Deum, & alios præter Iehoua constituere deos, quo nihil magis blasphemum in Deum dici potest.

V. Ego agnoui te in deserto, in terra siccitatum.

1. Cum ait, Ego, subintelligendū est. Solus, sic: Ego solus te noui. Nomine autē Cognitionis Dei, hoc in loco, venit tum ipsa secreta electio, qua Deus populū sibi elegit in populū, & in filiū, tū ipsa aperta declaratio & approbatio, qua Deus populū hunc, palā per Mosen declarauit, suum esse populum & filium, tum ipsa realis & paterna cura atq. solicitudo, qua reipsa populum hunc Deus protexit. Cùm igitur ait: Ego te solus cognoui in deserto, probat ab effectu, se solum fuisse verum Israelis seruatorem: se enim solum illum agnouisse, i. primum elegisse in populum, deinde apertè pronunciasse, illum suum esse populum tertiò, curam etiam illius semper suscepisse, illúmque seruasse. Ergo se solum fuisse illius seruatorem, ac proinde, se solum verum eius Deum. Indignè igitur fecisse Israelitas, quòd alios sibi deos fabricarint.

2. Non ait autem simpliciter, Ego te noui, sed addit in deserto. Nec hoc contentus, maioris explicationis causa addit In terra siccitatum. Desertum autem illud, Terra siccitatū, dicitur: quia ibi omnia arida & sicca erant, nullaq; vel esculenta, vel poculenta, aut ibi suapte sponte nascebantur, aut eò aliundè aduehebantur. Præter autem omnem naturæ ordinē Deus in deserto & terra siccitatū agnouit, fouit, aluit, sustentauit Israelem, cibis nimirū è cœlo demissis, & aqua è durissimo silice diuinitus expressa. Cùm igitur ait: *Ego te noui in deserto in terra siccitatum*, apertissimè ab effectis supernaturalibus demonstrat, se verè fuisse populi huius seruatorem. Quę cum ita sint, nimis fœdam igitur fuisse populi impietatem, quod, cùm & ex Dei lege, in qua edoctus fuerat ab eo tempore, quo eductus fuit è terra Ægypti, didicerit, & deinde ex tot manifestis Dei beneficiis in ipso deserto reipsa senserit, solum Iehoua fuisse suum seruatorem, ideóq; suum verum Deum & patrem, illo tamen neglecto, alios deos sibi fabricarit, atque coluerit.

VI. Iuxta pascua sua saturati sunt, saturati sunt, inquā, *& eleuatū est cor eorum, idcircò obliti sunt mei.*

1. Cùm ait, *Iuxta pascua sua*, subintelligendum est opima & pinguia. Nomine autem *horum pascuorum*, venit Palæstina, terra lacte & melle fluens: subest autem antithesis, inter desertum, terrámque siccitatum, de qua ante locutus est, & inter hæc pascua, nempe pinguia, seu terram lacte & melle fluētem. Cùm igitur postquàm dixisset: *Ego te cognoui in deserto in terra siccitatum* nunc subdat, *Iuxta pascua sua*. primū confirmat, se omnibus modis declarasse quòd fuerit populi huius seruator, quoniam & in deserto supernaturaliter illū sustentauit, & deinde in Palæstinam lacte & melle fluentē, tanquam in opima pascua, ipse. vt bonus pastor, populum, vt ouium gregem deduxit, ibiq; naturalibus cibis non ampliùs è cœlo demissis, sed è terra naturaliter natis pauit. Deinde, cùm hæc ita se habeant, tacite demonstrat, populum hunc omninò fuisse & esse ferum atque intractabilem: quoniam, licèt & in deserto supernaturalibus cibis, & in Palęstina opimis pascuis largiter donatus à Deo fuerit: (quibus ex rebus satis apertè cognoscere potuit, Deum suum verum esse seruatorem & Deum.) nunquam tamen adduci potuit, vt voluerit hunc solum Iehoua seruatorem & Deum suum solum agnoscere & colere, sed ab eo ad deos gentium turpiter semper defecit.

2. Nec simpliciter ait, *Iuxta pascua* sed addit, *Sua*. Indicat igitur, quidquid regnorum & bonorum occupauit Israel in terra Chanaan, verè suum fuisse, non alienum, ideóque sine vllius iniuria iustissimè ea bona ab Israele occupata fuisse, tanquam sua, hac tamen de causa, quoniam Dominus regnorum omniū Dominus, disertis verbis Israel totam eam terram. & longè antè promiserat, & postremò dederat: quēadmodū Iephthe libr. Iud. 11. ad regē Ammon, qui Israelitas accusabat latrocinij, quòd iniustissime & violenter aliena sibi regna vsurparint, scitissime respondit.

3. Neque verò ait, *Iuxta pascua sua pasti sunt vel expleti sunt*, sed *saturati sunt*. Quod verbum plus est, quàm expleri, cùm expleri sit simpliciter plenum fieri, saturari autem, supra modum. Nec semel hac voce contentus, eandem repetit. Indicat igitur, Israelitas, vbi in terram Chanaan introducti à Domino fuerunt, opibus sibi largiter donatis a Domino, non sobriè & ad necessitatem vsos, sed præ nimia repletione abusos fuisse.

4. Cor alicuius eleuari, est superbire, seu superbia inflari contra Deum. Cùm igitur ait: *Eleuatum est cor ipsorum, & propterea obliti sunt mei*, indicat: quinam fructus Israelitarū saturitatem consecuti sint, nimirum superbia primum, seu animi contra Deum elatio, & deinde Dei obliuio.

5. Damnat Dominus, quòd post, quàm Israelitæ ad pascua opima fuerunt deducti primùm se in pascua illa, i. in bona huius seculi ingurgitauerint: deinde, quod saturati, superbia inflati fuerint postremò, quòd saturati & superbia inflati obliti sint Dei. Indicat igitur à contrario, finem cur in ea pascua tam opima deduxerit Dominus populum suum fuisse. 1. Vt ex illa bonorum omnium copia, sibi à Domino data, agnoscerent; quanta esset Dei sui Iehouah erga se bonitas ac liberalitas, atque perpetuò Dei sui Iehouah recordarentur. 2. Deinde, vt inde discerent esse humiles, bona illa omnia Deo, non sibiipsis accepta ferendo. 3. Postremo cogitarent, ea sibi bona à Domino data fuisse, ad vsum huius præsentis vitæ, non autem ad abusum, ideòque etsi videbant, se esse in pascuis opimis: illis tamen parcè & sobriè, quantum opus foret, non autem, ad nimiam repletionem, vterentur. Cæterum Israelitas prorsus contra Dei voluntatem & propositum fecisse, quoniam primùm in ea pascua nimis se ingurgitarunt: deinde ex saturitate, seu, ex ingurgitatione, superbia inflati fuerunt contra Dominum. Postremò ex ingurgitatione bonorum huius seculi & ex animi superbia prorsus obliti sunt Dei, & legis diuinæ. Populum igitur fuisse prorsus indomitum & intractabilem quando & in deserto diuinitus pastus, & in Palæstina, id est, in pascuis opimis constitutus, suum tamen Deum nunquam agnoscere voluit, neque in eius obsequium & in ordinem cogi vnquam potuit. Ac proinde duo docet, 1. Finem, cur Dominus omne genus bonis nos donet, esse, vt ea perpetuam in nobis Dei memoriam retineant & conseruent: deinde, vt inde consequenter discamus timere Dominum, & omnia illi bona accepta referre: postremo sciamus, nobis esse data, non, vt in ea nos ingurgitemus, sed tantum, vt ad necessitatem præsentis vitæ, i. sobriè & parcè illis vtamur. Id quod electi faciunt. 2. Ipsos reprobos, sicut & Israelitæ fecerunt, Dei liberalitate semper abuti: quoniam & in bonis huius seculi, nimis se immergunt: deinde ex rerum abundantia superbiunt, postremò ipsius etiam Dei penitus obliuiscuntur. In impiis igitur abundantia generat ingurgitationem, ingurgitatio superbiam, hæc atque verò Dei obliuionem.

VII. Et ero illis tanquam leo, tanquam pardus in via Assur, vel, ad viam Assur, vel in via insidiatus.

1. Dominus exitium regni denuncians Israelitis, ait, se fore illis instar leonis & pardi: sunt autem hæc animalia fortissima simul ac crudelissima. Indicat igitur, se fore illis hostem, eúmq. crudelissimum ac potentissimum, cui resistere non possint, ideóque Israelitas crudelissimè à Deo per regem Assur tractatum iri.

2. Nec simpliciter ait se fore illis, tanquam leonem & pardum, sed addit: *hal derech Aschur*. Illud autē *Aschur*, est nomen Toar, Insidiator, sicut & Chaldæus Paraphrastes vertit, vt sit sensus: Ero illis tanquam pardus, qui in via insidiatur viatoribus, vt eos rapiat, scindat, & deuoret. Qui autem a talibus pardis in via capiuntur, & præter spem capiuntur, & crudelissimè dilaniantur. Indicat igitur, Israelitas nō solum crudelissimè tractandos esse à Domino, tanquam à leone & pardo, sed etiam id futurum præter ipsorum spem, cum scilicet se securos esse putabunt.

3. Si verò *Aschur* pro Assyriis capitur. Dominus nō solum denunciat Israeli vltimum exitium, illúdque cum magna crudelitate coniunctum, sed etiam prædicit, vnde illud futurum sit, nempe, ab Assyriis, in quibus tamen Assyriis suam fiduciam collocabant Israelitę, fore scilicet, vt illorum ope, se contra Dominum defendere possent.

VIII. Et occurram illis, tanquam vrsus orbatus suis catellis, *& disrumpam claustrum cordis eorum, & deuorabo ibi eos, tanquam leo. Bestia agri*

agri, id est, siluestris, *scindet eos*.

1. Vrsus fera est suapte natura crudelissima, sed cùm orbatus est suis catellis, ira accensus, fit etiam crudelior, & si quem habeat obuiam, quoniam putat ab eo suos sibi catellos sublatos fuisse, crudelissime illum aggreditur, & omnia cordis claustra disrumpit, id est, totum dilaniat, & vsque ad cor in varia scindit frustra. Cùm igitur Dominus non contentus dixisse, se fore, tanquam leonem & pardum, qui insidiari velit in via viatoribus, addit, se etiam, illis occursurum, tanquam vrsum suis catulis orbatum, & omnia cordis illorum claustra (vt scilicet facit vrsus) dirupturum, nec hoc contentus amplificationis gratia addit: Et tanquam leo deuorabo eos: ibi, cōfirmat, totum Israelis regnum destructum & quasi dilaniatum iri, idque crudelissimè.

2. Cùm addit, *Bestia agri*, id est, siluestris, *scindet eos*, synecdochice est, quasi dicat, Denique omnes bestiæ agri, id est siluestres dilaniabunt eos. Nomine autem *harum bestiarum* intelligit Assyrios. Indicat igitur, à quibus sint dilaniandi Israelita, nimirum, à populis barbaris, ideóque crudelissimis.

IX. Perdidit te, Israel, quia in me auxilium.

1. Cùm ait, *Perdidit te ò Israel*, indefinita est oratio, ideóque emphatica, sed subintelligendum est aliud aliquid præter me, nimirum tua iniquitas, defectio scilicet à me ad idola, & fiducia, quam à me ad idola, ad reges, & ad tuas munitas vrbes transtulisti. Duo igitur indicat. 1. Israelitas solitos fuisse sui exitij caussam in Deum transferre, quod scilicet Deus non illis bene vellet, nec staret suis promissis. 2. Sed eos falli: caussam enim sui exitij alibi, quàm in Deo sibi esse quærendam, nempe in seipsis: suam enim iniquitatem, atque in primis defectionem à Deo ad idola, & fiduciam quam cùm in solo Deo collocare debuissent, eam tamen in idolis & suis regibus & ciuitatibus posuerunt. Illud esse quod perdidit Israelem.

2. Illud Ki, *αἰτιολογία* est, qua probat, caussam exitij Israelis, non in Deo, sed alibi, nempe in ipso Israele esse quærendam. Cùm ait, *In me*, subintelligendum est, solo, vel, tantum. Cùm ait, *Auxilium*, subintelligendum est, omne, sic, In me vno & solo est omne auxilium tuum. Cùm igitur ait, *Perdidit te, Israel*, (aliquid scilicet aliud præter me, nimirùm, tua à me ad idola defectio, tuaque, fiducia, quam à me ad idola, & reges, & munitas vrbes transtulisti.) *Quia in me, tantum, auxilium tuum*, (scilicet & fuit & est positum) tria facit. 1. Pronunciat, in se vno semper fuisse & esse auxilium, & salutem Israelis positam, ideóque in se vno salutem Israeli esse quærendam. 2. Infert: Non igitur in Deo, sed alibi nempe in seipsis, Israeli suæ perditionis causam quærēdam quia, si in Domino tantùm est auxilium & salus Israelis, non igitur in Domino esse perditionem, seu perditionis Israelis causam. 3. Indicat, caussam perditionis Israel fuisse fiduciam, quam à Domino ad idola, & ad suos reges, & ciuitates denique ad opes & vires suas transtulerat, ideóque defectionem à Deo ad idola & mundum. Nā si in Domino tantùm, & non in aliis rebus est auxiliū & salus Israelis: Salus igitur & auxilium omne erat in solo Deo Israeli quærendum, & salutis fiducia in solo Deo collocanda. Atqui Israel, neglecto Deo, salutem quæsiuit in idolis, regibus, & vrbibus. Defectio igitur hæc à Domino ad idola & reges mundi, fiduciáque quam à Domino ad idola & opes huius seculi transtulit, illud est, quod perdidit Israel. Est igitur, ac si dicat: Quod deficiens à me, defecisti ad idola, & auxilium salutémque tuam in idolis & regib. quæsiuisti, hoc te perdidit Israel. Quare? quia in me vno cùm reuera positum sit omne auxiliū tuum, in me etiam vno erat quærendū. Ac proinde tria nos docet. 1. Omne auxilium nostrum & salutem totam esse in Domino solo positam, ideóque in solo Domino quærendam. Non igitur eam vel à nostris, vel ab aliorum viribus, operibus ac meritis, pendere. 2. Quia in solo Deo, non in nobis est omne auxilium nostrū: Non igitur caussam nostræ perditionis in Deo, sed in nobis esse quærendam. 3. Quia in solo Deo est nostra salus & auxilium: Hanc igitur præcipuam esse nostræ perditionis caussam, cum scilicet, neglecto Deo, salutem alibi, quàm in Deo, quærimus.

X. Vbi rex tuus nunc? qui saluabit te in omnibus vrbibus tuis? & iudices tui de quibus dixeras, da mihi regem, & principes?

1. *Ehi* hoc in loco per metathesin accipitur, pro *Aieh* vbi, &, *Ephe* pro nunc. Cum igitur ait, *Vbi rex tuus nunc? vt seruet te in ciuitatibus tuis? vrbibus tuis, & iudices tui?* duo facit. 1. Indicat Israelitas salutis suæ fiduciam in suis regibus & vrbibus munitis collocare solitos fuisse. 2. Hanc Israelitarum fiduciam, tanquam inanem deridet, quòd scilicet ipsorum rex à quo salutem expectabant, eos in suis munitis vrbibus seruare nō posset. Ac proinde docet omnem, quam in rebus huius seculi fiduciam reponunt homines, vere esse inanem, & ideò tanquam inanem, deridendam.

2. Cum verò addit: *Quos dixisti, id est, quos petiisti, dicens, Da mihi regem & principes*, alludit primò ad illā defectionem, quæ est 1. Reg. 8 cùm scilicet Israelitæ, reiecto Samuele, regem sibi dari petierunt: deinde ad illam, quæ est in 3. Reg. 12. cùm scilicet Israelitæ, reiecto regno Iehudæ, quod legitimum fuerat regnum, sibi in regem elegerunt Iarobeā Nabathi filium. Cum igitur non contentus irrisisse vanam Israelis in suis regibus fiduciam, ipsam etiam tùm primam tùm secundam, à Deo ad homines defectionem commemorat, duo facit. 1. Tacitè accusat Israelitas defectionis à Deo ad homines, & consequenter ad idola: mutatio enim regni in Israel, initium fuit mutatæ religionis. 2. Docet, fiduciam quam à Deo ad idola & homines transtulerant, initium ab illa defectione sumsisse.

XI. Dabo, pro dedi, *tibi regem in ira mea, & auferam in furore meo.*

1. Illud *Ethen* futurum est pro præterito dedi. Dare autem aliquid in ira, Hebraismus est pro dare ex ira, seu propter iram. Quod verò datur ex ira, malum est & spectat ad pœnam peccati. In nomine *Melech* synecdoche est. Eo enim nomine veniunt primum quidem Saul primus in se nine Abrahæ rex, isque malus: deinde speciatim Iarobeam Nabathi filius, & deinceps reliqui omnes decem tribuum reges impij omnes & idololatræ. Cùm igitur postquàm dixisset. *Quos petiisti dicendo, Da nobis regem & principes*, subdit, *Dedi regem in ira mea*: quatuor facit. 1. Reuocans in memoriam Israelitis, quod Samueli dixerat. 1 Samuel. 8. *Audi vocem populi in omnibus, quæ dicunt tibi: Non enim te reprobant, sed me reprobarunt, ne regnem super eos*: Diserte fatetur, se Israelitarum petitionem cùm regem sibi dari petierunt exaudiuisse, sed ex ira, non ex amore. 2. Indicat, populū, cùm desiderauit & petiit regem, peccasse. 3. Indicat se, cum regem Saulem toti populo, tùm speciatim Iarobeam & reliquos deinceps reges decem tribubus dedisse, non ad salutē, sed ad pœnam, suorum scilicet scelerum. 4. Innuit, omnes hosce reges quos dedit ex ira fuisse malos, quando boni reges non nisi ex amore, & gratia, à Deo dati possunt. Ac proinde docet. 1. Reges omnes & principes nobis à Deo dari: bonos quidem ex amore, malos autem ex odio & ira: ideóque bonos quidem ad nostram salutem, malos autem ad nostrorum scelerum vltionem. 2. Non semper nobis vtile esse, vt preces nostræ à Deo exaudiantur, nimirùm, cùm pugnant cum voluntate diuina in verbo reuelata. Etiam preces Israelitarum exauditas fuisse à Deo, cùm dedit regem, sed in ipsorum malum, quia ex ira dedit. Ex ira autem dedit, quia petitio contra Deum fuit.

2. Non ait autem absolute & simpliciter. *Dedi regem in ira mea*, sed ait, *Tibi* nempe ò Israel. Alioqui intur autem non Iehudam, sed decem tribus. Innuit igitur, se Iehudæ quidem aliquos dedisse reges non ex ira, sed ex amore & gratia, nōn ad pœnam, sed ad salutem. Israeli verò, quotquot habuit reges, ex ira omnes & ad vltionem suorum scelerum dedisse, & consequenter in Iuda multos fuisse bonos reges, in Israel verò omnes malos & tyrannos, quia omnes ex ira.

3. Illud verbum, Et auferam, tam pro præterito, Abstuli, quàm pro futuro, Auferā, accipitur. Auferre autem solet impijs Dominus malos reges ex ira, cum vel peiores ex ira illis daturus est, vel regnū penitus est destructurus. Cùm igitur ait, *veekkach* in furore meo, duo indicat 1 Sicut, quoscunque reges Israeli impios dedit, dedit ex ira: ita quoscunque etiā abstulit, se ex ira contra eundē in priori Israelem abstulisse, vt scil. peiores illi daret, id quod in omnibus tribuum regibus apparet. Et sicut, quoscunque adhuc erat daturus ex ira daturus erat: sic se tandem omnes ex Israele ablaturum fuisse, vt scil. totū penitus regnum euerteretur, ipsique inter gentes sine rege ac principe dispergerentur. Regnū igitur Israel ex ira Dei & initium sumsisse, & finem habiturum esse. Ac proinde docet, quæcunque iniuste à Deo petimus si cōcedantur, nobis ex ira Dei & dari, & tandem etiam eripi Impios igitur ac reprobos nihil possidere, quod nō & ex ira Dei datum possideāt & quidquid possident, tandem etiam aliquādo ex ira Dei illis ablatum iri Omnia igitur quæ occupant impij, ex ira Dei & initium habuisse, & finem habitura esse.

XII. Ligata, vel designata est iniquitas Ephraim, & reconditum est peccatum eius.

1. Cùm ait, *Ligata vel designata est iniquitas Ephraim*, subintelligendum est, à me Deo. Et cum ait Recōditū est peccatum eius, subintelligendum est, apud me Deum. Iniquitatem autē alicuius obsignatam esse à Deo & reconditā esse apud Deum, est, Deum, licet conniueat, illius tamen iniquitatem

tissimè locum hunc adduxisse 1. Cor. 15. ad probandum etiam liberationem corporum nostrorum à morte ad æternam vitam per Christum futuram defendit (nam in liberatione per Christum à spirituali captiuitate, etiam resurrectio corporum ad æternam vitam continetur.) Si, inquiam, sensum hunc recipiamus Dominus postquam vltimum exitium toti populo in vniuersum denunciauit hanc, de more Prophetarum, promissionem de redemtione electorum, quæ futura erat per Christum, in qua resurrectio corporum continetur, erigendorum piorum caussa adiecit: deinde aliis duobus versibus insequentibus ad exitium totius populi in vniuersum denunciandū & confirmandum redit.

2. Si etiam nomine *Mortis* propriè intelligatur ipsa mortem, quam Paulus ait per peccatum ingressam esse in mundum, itque in omnes homines, duplex etiā potest esse sensus. Primus, vt sit quasi argumentum à maiori ad minus, quo Dominus probat se non solùm posse, sed etiam velle (modò ipsi velint resipiscere) à captiuitate liberare, hoc modo. *Ego liberabo* in fine scilicet seculi) *eos* (omnes Israelitas, etiam reprobos) *à potestate sepulcri & mortis, id est, excitabo illorum corpora è sepulcris, & ab æterna mortis potestate. & ero pestis tua ò mors, & exitium tuum ò sepulcrū, atque hoc sanctè & infallibiliter promitto nec me vnquam huius promissionis pœnitebit. Est enim pœnitudo abscondita ab oculis meis. Ergo multo magis possum & paratus sum eos si velint resipiscere à captiuitate Assyriorum, in qua futuri sunt, tanquam mortui in sepulcris, liberare.* Si hunc sensum recipiamus, qui & facilis est, & cum contextu non pugnat, imò & locum, 1. Cor. 15. ad propositum citatum à Paulo fuisse confirmat, Dominus tria facit. 1. Certam & absolutam de resurrectione corporum promissionem proponit, eámque, confirmat dicendo: *Pœnitudo est abscondita ab oculis meis*, quasi dicat, non possum videre cur me debeat huius promissionis pœnitere. Tacite infert, se igitur & posse & paratū esse Israelitas à ciuili morte liberare, si ipsi scilicet velint resipiscere. 3. Sed quia Israeliq sūt, vt stolidus fœtus, quippe qui non curant ex angustiis crucis per pœnitentiā se eximere: idcirco innuit, illos esse omnino perituros, vt ante prædixit, & vt mox confirmabit. Alter sensus erit, vt sit simplex & absoluta promissio ad electos de futura salute, & redemtione per Christū facienda: sed hoc adiecto, vt scilicet in liberatione à morte & sepulcro, synedochen esse intelligamus, pro liberatione ab omnibus electorū inimicis, quorum inimicorū postremus, id est, qui postremo destruitur, est mors, vt ait Paulus, atque ideo mortem tantùm nominasse, quia est illa, quæ postremo destruitur, Si hunc sensum, qui certè simplex est & nihil habet absurdi, & optime facit ad probandam, vt facit Paulus, corporum, quæ est pars redemtionis per Christum, resurrectionem si, inquam, hūc sensum recipiamus, Dominus promissionem hanc ad pios inter Israelitas, post denunciatum exitium toti populo, erigendos & consolatione afficiendos inseruit, & indicat, etiamsi totum populi corpus sit periturum: Electos tamen tandem aliquando à morte seruatum iri.

3. Non ait autem simpliciter, *Liberabo* sed ait, *Ephdem*. Verbum autem illud significat redimere id est, non simpliciter liberare, sed precio seu, λύτρῳ redemtionis dato, liberare. Idem etiam significat alterum verbum *Gaal* iure affinitatis redimere. Vnde *Goel* affinis, ad quem pertinebat redemtio possessionum. Filius autem Dei ille est, qui hic loquitur. Indicat igitur, quomodo fuit liberaturus veros Israelitas secundùm spiritum, λύτρῳ scilicet sui sanguinis persoluto.

4 Neque ait simpliciter, *Liberabo à sepulcro & à morte*, sed à *manu*. Nomine autem *manus* venit potestas & imperium. Imperium vero & potestas mortis est æterna moriendi necessitas, cui omnes homines sunt obnoxij Cùm igitur ait: *Liberabo de manu*, per prosopopœiam dominetur Christus, se redemturum Israelitas & omnes non à simplici necessitate moriendi, sed ab illa æterna necessitate perpetuò sub morte manendi.

5. *Debber* pestis est. *Ratabh*. exitium. *Ebi* potest esse & verbum futuri temporis ero & aduerbium loci vbi, vel per metathesin, pérve epenthesin literæ *he*, inter *aleph* & *Iod* quasi *ai* vbi. Si pro verbo capias, confirmatio est promissionis: *Liberabo eos à morte*. Esse autem pestem mortis & exitium sepulcri, est occidere & destruere mortem & sepulcrum, vt 1. *Cor* 15. exponit Paulus dicēs: Nouissimus autem hostis aboletur. Mors autē nō destruitur, nisi per vitā, & mortis destructio, nil est, nisi vitæ restitutio, quemadmodum Paulus docet. 1. *Cor*. 15. dicēs: Cùm autē mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est, Absorpta est mors in victoria, & 2. *Tim*. 1. Qui mortē quidem aboleuit, vitam autem in lucem produxit. Cùm igitur ait Ero pestes tuæ, ò mors, quatuor facit. 1. Confirmat promissionem manifestè factam, mortem scilicet tandem interemtum iri & abolitum iri vitam igitur in lucem producendam & eos, qui detinentur à morte in vitam esse reuocandos. 2. Docet, se illum fore qui mortem destruat per suam fortiorem vitam morte valentiorem, suam scilicet vitam mortuis communicando 3. Ac proinde, se esse illum, in quo sit æterna vita, vísque vitæ vi mortis potentior. Non potest esse hæc vis, nisi in Deo 4. Indicat igitur illum, per quem destruetur mors, fore Deum. Hic autem fuit Iesus Christus. Iesum Christum igitur verum esse Deum.

6. Non ait autem *Fui, vel sum*, sed *Ero pestes tuæ, ò mors, ero exitium tuum, ò sepulcrum*. Indicat igitur, etsi vis abolendi mortem semper fuit in verbo, id est, in Christo: reipsa tamen non fuisse perfectum mortis exitium, seu, mortem vere aboleuisse, nisi tum primùm, cùm ipse corpus suum demortuum e sepulcro ad immortalem vitam sua virtute reuocauit. Etsi enim antea quosdam etiam, tum in veteri testamento, tum in nouo e mortuis ad vitam reuocauerat: non tamen e manu, seu & potestate mortis plane liberauerat, ideóque non fuerat ipsum mortis exitium, quia mortis adhuc necessitate obnoxij manserunt, qui fuerant resuscitati, denuò enim rùrsum morituri. At cum suum ipsius corpus è sepulcro ad vitam immortalem excitauit, quia Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominatur: tum demum Christus cœpit esse vere mortis exitium.

7 Est autem Christus mortis exitium trifariam 1. In seipso, cùm, vt ante dictum est, corpus suum à mortuis ad immortalem vitam excitando propterea quòd non poterat, vt est in actis, à morte, tanquam ab eius manu, detineri, potestatem mortuos perpetuò apud se retinendi, morti ademit. 2. Deinde ex parte in electis, primò, cum mortis metū illis adimit, deinde cùm eos quotidie per mortem corporis, ad æternam eámque felicem animi vitam (hoc est enim [Greek] contra mortis propositum) traducit. 3. Postremò in vniuersum in omnibus hominibus, non solùm in electis, sed etiam in reprobis, cùm scilicet tam reproborum quàm electorum corpora ad corporalem eámque perpetuam vitam resumendam e sepulcris excitabit. Illorum quidem, vt æternum crucientur: istorum verò, vt æternū beentur. Ac proinde docet, si quis nos mortis timor aliquando incessat, in hanc Christi promissionem intuēdum esse, certóque sciendum, Christum factum iam esse & multo etiam perfectius fore, in fine scilicet seculi, mortis exitium. Non igitur metuendam esse mortem, cum iam suum exitium inuentum sit, Dominus scilicet Iesus à mortuis excitatus. Atque hæc sane omnia docet præsens hic locus, si illud *Ebi* pro verbo ero accipiamus.

8. Si verò *Eh* pro, vbi, capias, quemadmodum & Paulus accepit, nomine *pestis & exitij* venit exitiale mortis venenum, id est, peccatum (vt Paulus explicat 1. *Cor*. 15. dicens: Aculeus autem mortis, peccatum) per quod scilicet venenum à Satana, tanquam à venenata bestia, toti humano generi inflictum, mors in mundum ingressa, omnes sibi homines subiugauit, eos etiam, qui non peccârunt in similitudinem præuaricationis Adæ, i. actuale peccatum, vt infantes, originali tātum peccato infectos. Cum igitur ait, *Vbi mors pestes tuæ? vbi exitium tuum, ò sepulcrum*: Christus non tam suo, quam omnium fidelium nomine per prosopopœiam morti, quasi hosti iam prorsus deuicto & exterminato insultat. Tria autem docet. 1. Quia pestis & exitiū mortis (quo scilicet mors facta est & in mundū ingressa omnes sibi subiugauit) est ipsum (vt Paulus interpretatur) peccatum, originale scilicet quod est totalis naturæ infectio: peccatum autem hoc per Christum ablatum est, primum quidem, quia non imputatur: deinde indies magis ac magis infirmatur & tollitur: postremò, quia certò tandem aliquā-do funditus & nobis exterminabitur. Ergo qui certo credit, remissionem peccatorum, & peccatum per Christum omnino tolli, ei nullo modo à morte sibi esse metuendum Eam enim quatenus per Christum & suis suis armis, sua scilicet peste & exitio, id est, peccato, exarmata & quotidie exarmatur, eatenus etiam esse expugnatam & deuictam. 2. Etsi mors non est adhuc prorsus in nobis expugnata: (id enim tantum fit in fine seculi,) quia tamen certo est certius, vnà cum perfecta peccati exterminatione, ipsam quoque mortem tandem aliquando per Christum exterminatum iri: idcirco posse, & vero etiam debere fideles morti, cum præsertim nos tenere vult, tam secure insultare, atque si iam prorsus esset deuicta & exterminata. 3. Veram & optimam semper esse consequentiam,

dololatris, iisque pertinacibus. Cum igitur ait, *Quoniam exacerbauit Deum suum*, Indicat, ipsum etiam Israelem non debere, cur de Deo conqueratur, quòd secum crudeliter agat: quoniam, quòd ita duriter tractetur, ipse Israel est in caussa, quippe qui suis idololatriis, aliisque sceleribus maximis, adiecta pertinacia, iram Dei aduersùs se excitauit. Non igitur Israelem vllas daturum pœnas, nisi quas ipse sibi prometitus est.

3. Non contentus in genere dixisse, *Samaria desolabitur*, specialim etiam addit, *In gladio cadent*, non ait autem *omnes*, sed indefinitè, *cadent*, nempe multi ciues Samariæ & incolæ regni. Indicat igitur, non solum euersum iri regnum Israel, & diruenda oppida, sed etiam multos ciues & incolas regni ab Assur esse interficiendos.

4. Neque hoc contentus, Deus etiam species horribilis illius cladis proponit dicens: *Paruuli eorum allidentur, & grauida eorum scindentur.* Non solent autem hostes hoc facere, etiam cum magnoperè sæuiunt, nisi ad extremam vsque iram prouocentur. Indicat igitur, horribilem, & post hominum memoriam, ne fando quidem auditam stragem, futuram in Israel, cùm Dominus per Assyrium debitas de Israele pœnas sumet. De regno igitur Israelis omninò actum esse quoniam Samaria, ad est, totum regnum desolabitur, ipsi verò Israelitæ gladio cadent, (nempe magna illorum pars) quin & paruuli allidentur, nimirum parietibus, & grauidæ gladiis scindentur. Iustam autem futuram hanc vltionem, quoniam ipsi exacerbarunt suis scilicet sceleribus, Deum suum.

ANALYSIS CAPITIS DECIMIQVARTI.

C*Onuertere Israel ad Iehouah Deum tuum, quoniam corruisti per iniquitatem tuam.*

1. Propheta hortatur Israelem ad pœnitentiam, vtque ad Iehouah Deum suum redeat. Nemo autem ad Deum redire vel audet, vel potest, nisi spe veniæ concepta. Indicat igitur, Israeli, in tanta sua iniquitate & rerum omnium desperatione, aliquam etiamnum veniæ spem esse sumendam, inq ue Dei misericordia reponendam: ac proinde docet, maximis etiam iniquitatibus nunquam esse de Dei misericordia desperandum.

2. Concluserat superiùs, nullam esse spem veniæ Israelitis reliquam: de ipsis enim omninò actum esse propter ipsorum peruicaciam. Hic verò spem veniæ facit, non pugnat autem secum Spiritus sanctus in Propheta: pugnaret verò, nisi diuersos habuisset populi respectus. Indicat igitur, se in superiori certáque extremi exitij denuntiatione, totius corporis populi respectum habuisse: præsertim verò concionem ad paucos quosdam, eósque solos electos, diresisse. Ac proinde docet, etsi totus mundus simul pereat: electos tamen semper excipi, perireque non posse, propterea, quod regnum Christi, quod ex electis constituitur, æternùm permaneat, necesse est.

3. Cum hortatur Israelem ad resipiscentiam, ait: *Cõuertere, seu, reuertere ad Iehouam Deum tuum.* Non hortatur autē, vt conuertatur ex parte, & simulatè, sicut hypocritæ faciunt, sed vt totus & toto corde conuertatur. Docet igitur, veram resipiscentiam, esse veram seriámque totius hominis ad Deum conuersionem, id est mentis, voluntatis, omniúmque affectuum ad voluntatem Dei in lege reuelatam, transformationem, totiúsque vitæ renouationem.

4. Hortans populum ad resipiscentiam, non ait simpliciter: *Conuertere ad Iehouam Deum*, sed addit, *Tuum.* Deus autem nemini est Deus, nisi per Christum mediatorem. Docet igitur, neminem ad Deum conuerti posse, nisi firma fide statuat, Iehouam Deum, suum esse Deum, idque propter Christum. Ac proinde sine fide in Christum, nullam veram esse posse resipiscentiam.

5. Non simpliciter hortatur populum ad resipiscentiã, sed rationem addens, *Quoniam corruisti in iniquitate tua.* Aliquem autem corruisse in sua iniquitate, est, propter suam iniquitatem perditum esse. Indicat igitur, Israeli omninò necesse esse, vt ad Deum conuertatur, ni perpetuò in ea, in quam corruit, perditione esse velit.

6. Cùm populum ad resipiscentiam hortatur, commemorat ei tum suam ipsius iniquitatem, tum eam, in quam corruit perditionem dicens: *Quoniam corruisti in iniquitate tua.* Indicat igitur, hinc incboandam esse resipiscentiã, nimirùm, à cognitione peccati, & sensu iræ Dei contra peccatum. Ac proinde docet, resipiscentiam, conuersionem esse totius hominis ad Deum, ex solida peccatorum cognitione, & serio Dei timore profectam.

> II. *Accipite vobiscum verba, & reuertimini ad Iehouam, & dicite ei, omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum & reddemus vitulos labiorum nostrorum.*

1. Cùm ait, *Accipite vobiscum verba*, nomine *verborum* veniunt non verba hominum, sed Dei, quæ scilicet ipse mox docturus erat populum. Accipere autem verba Dei, est Deum verba facientem attente audire, docilem sese Deo præbere, eiúsque verbum, tàm legem quàm promissiones fide recipere atque amplecti. Cum igitur Propheta populum hortatus est, vt sese ad Deum conuertat, eundem secum verba Dei iubet recipere, seu sese docilem Deo præbere, tria facit. 1. Innuit, Israelem solitum fuisse Prophetis verbum Dei docentibus obsurdescere, seu, Deo in Prophetis loquenti aures occludere, ideóque hinc factum fuisse, vt à Deo penitùs ad idola defecerit. 2. A contrario igitur indicat, hoc fore optimum Israeli suæ ad Deum conuersionis initium, si sese Deo in Prophetis loquenti docilem præbeat. 3. Ac proinde, redire ad Deum, nihil aliud esse, quàm ex animo redire ad verbum Dei, iuxtáque illud totam vitam componere.

2. Vbi dixit: *Accipite vobiscum verba* scilicet Dei, mox subdit, *Et conuertimini ad Iehouam* Indicat igitur, hoc esse redire ad Deum, vt ante diximus, nimirum, redire ad scholam Dei, & ei se docilem præbere.

3. Propheta Israelem non solùm ad resipiscentiam exhortans, sed etiam veram resipiscẽdi rationem docens: primo loco iubet eum docilem sese præbere Deo dicẽs: *Accipite vobiscum verba*: secundo loco, iubet eum respondere Deo, nimirùm, iuxta verba, quæ à Deo secum acceperũt dicens: *Dicite ei.* Respondere autem Deo iuxta verba ab eo audita & accepta, est præbere se Deo iuxta eius verbum obsequentem. Cum igitur non contentus dixisse, *Accipite vobiscum verba, & reuertimini ad Iehoua*, subdit: *Dicite ei*, indicat, debere Israelitas non solùm sese dociles præbere Deo, eius verba recipiendo, sed etiam obsequentes iuxta recepta eius verba ei respondendo, & suam confessionem ac probationem faciẽdo. Ac proinde docet, in vera resipiscẽtia, necessariam esse quandam inter Deum loquentem & nos Deo respondentes harmoniam, nimirũ, vt Deo in scripturis loquenti consentienter respondeamus, nos ei obsequentes præbendo: vt, verbi gratia, siue aliquid iubeat, nos id facturos: siue aliquid promittat, nos illud petere, ex animo respondeamus, idque iuxta eandem verborum formã, qua & Dominus nos alloquendo vsus est, quemadmodum Dauid suo exemplo docet, cum Deo dicenti, *Quærite faciem meam*, ipse consentienter respondens ait: *Faciem tuam Domine requiram.* In vera igitur resipiscentia necessariam esse hanc mutuam inter Deum siue iubentem, siue promittentem, & inter nos siue mandatis obsequentes, siue promissis fidem adhibentes, consensum.

4. Propheta formam confessionis ac precationis, qua populum vt in sua ad Deum conuersione volebat, præscribens, ait, *Dicite omnem tolle iniquitatem, & da bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Indicat igitur, quę sint illa verba quæ iussit Propheta secum recipere, & deinde Deo dicere, seu respondere nimirum, confessionem ac probationem hanc, *Omnem tolle iniquitatem.*

5. Confessio hæc atque precatio, tum ex lege Domini, tum ex eiusdem Euangelio desumta est. Ex lege quidem, quatenus fatentur, se iniquitatem admisisse: per legem autem cognitio peccati. Ex Euangelio verò, quatenus ex fide, veniam iniquitatum precantur, & bonum seu gratiam & Spiritum sanctum sibi dari petunt: per Euangelium autem peccatorum venia in Christo oblata agnoscitur & recipitur. Docet igitur, quæ sit illa, quæ in vera resipiscentia, inter Deum in scripturis loquentem, & inter nos Deo secundum eius scripturas respondentes, harmonia requiritur: nimirum, vt ex ipsius Domini lege peccata nostra agnoscamus, & confiteamur, & ex Euangelio gratiam eius in Christo nobis oblatam, fide amplectamur, & fiducialiter petamus, ita, vt mutua semper sit inter Dei doctrinam, seu, inter legem & Euangelium, & inter nostram tum probationem, consensus.

6. Propheta populum ad veram resipiscentiam & exhortans & instruens, non ait: *Accipite vobiscum oues aut boues, quos in sacrificium Deo offeratis*, sed ait: *Accipite vobiscum verba & dicite* (hæc nimirum verba, eáque ex corde) *Omnem tolle iniquitatem.* Docet igitur, ad veram resipiscentiam, ideóque ad assequendam peccatorum remissionem, non humana, carnaliáque sacrificia, sed humilem pecca-

rorum confessionem, synceramque ex fide profectam precationem, esse necessariam. Hanc enim verum esse, Deóque gratum sacrificium.

7. Non ait autem simpliciter, *Dicite, omnem tolle iniquitatem*, sed ait, *Dicite ad eum, nempe, Iehouam*. Docet igitur, peccatorum veniam, non ab angelis, neque ab hominibus, sed à solo Deo esse petendam, ipsúmque solum esse, qui omnem tollere possit iniquitatem.

8. Iubentur Israelitæ hoc modo precari Iehouam: *Omnē tolle iniquitatem*. Verbū autem illud significat leuare, quēadmodum, cùm quis leuatur onere. Duo igitur docemur. 1. Peccatum onus esse graue, quo conscientiæ premuntur: sicut & Dauid ait *Ps. 38*. Et sicut onus, &c. 2. Cùm verò peccata condonantur, conscientias magno onere leuari.

9. Iehouæ soli dicunt, *Omnem iniquitatem tolle*. Solus autem Christus est, qui tollit iniquitatem: sicut & Ioannes Baptista testatur dicens: *Ecce agnus Dei qui* (solus) *tollit peccatum mundi*. Docemur igitur, Christum verum esse Iehouam.

10. Non simpliciter aiunt, *Tolle iniquitatem*, sed addunt: *Omnem*. Agnoscunt igitur & fatentur, se non vnius, sed multarum reos esse iniquitatum. Proinde docemur, in vera resipiscentia iniquitates nostras esse agnoscendas, & quantumuis multæ grauésque sunt, nihil tamen Domino esse dissimulandum.

11. Israelitæ iussi resipiscere, docentur sic Domino dicere: *Omnem tolle iniquitatem*. Tollit autem iniquitatem bifariam: Primùm, cùm eam condonat, seu, non imputat: Deinde, cùm eam in nobis, id est, in carne nostra inhabitātem sensim mortificando abolet. Docemur igitur, non solùm veniam peccatorum, sed etiam peccati inhabitantis abolitionem, seu, carnis mortificationem, a Deo esse petendam, ideóque veram resipiscentiam studio mortificandæ carnis constare.

12. Cùm addunt *vekach-tobh*, verbum *Lakach* hoc in loco eandem habet significationem, quam etiam in Ps. 68. vers. 19. Cùm Dauid Dominum alloquens ait, *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem*, Lakachta Mattanoth Ba Adam, *accepisti dona in hominibus*. Ibi autem significat, dare, sicut Apostolus ad Eph. 4. locum illum citans & ad Christum applicans interpretatus est dicens: *Christus ascendit in altū, captiuam ducens captiuitatem dedit dona hominibus*. Nomine autem *Boni* veniunt omnes Dei benedictiones, præsertim spirituales, atque inprimis spiritus regenerationis. Propheta iubet fideles petere, non solum, vt omnis tollatur iniquitas, quæ scilicet in ipsis est, sed etiam, vt detur sibi bonum, quod scilicet non in ipsis, sed in Deo est, atque inprimis ipsius Dei spiritus, qui, cum carnem mortificando, tum spiritum viuificando, sese regeneret: Docet igitur, hanc esse omnium, quæ in oratione petenda sunt, summam, vt nimirum petamus, & mala, id est, peccata, quę ex nobis, & in nobis sunt, tolli, & bona, quæ in Deo & ex Deo sunt, atque in primis eius spiritum, per quem fiamus nouæ creaturæ, nobis donari.

13. Petunt, sibi dari à Deo bonum, Duo igitur fatentur. Nihil in se esse boni. 2. Omne bonum esse & dari à Deo.

14. Israelitæ veram à Propheta docti resipiscentiam petunt à Domino, sibi dari bonum, atque inprimis spiritum, qui se regeneret & ex malis faciat bonos. Regeneratio autem in eo sita est, vt & veterem hominem exuamus, & nouum induamus, seu, vt caro mortificetur & spiritus viuificetur. Docent igitur, veram resipiscentiam cum carnis mortificatione tum spiritus viuificatione constare.

15. Pij Israelitæ pro maximis, quæ à Deo petunt, beneficiis, nihil ipsi Deo vicissim promittunt, nisi vitulos labiorum. Hoc autem nomine veniunt laudes Dei, seu, gratiarum actiones, cum scil. Dei bonitatem, gratiam, misericordiam deprecantes, gratias illi vni pro beneficiis omnibus ex animo agimus. Cum igitur dicunt, *Et reddemus vitulos labiorum nostrorum*, agnoscunt & fatentur, se quidem quidquid habent, etiam animam ipsam, pro tot erga se Dei beneficiis Deo debere, sed simul etiam agnoscunt & fatentur, se nihil, quod Deo vicissim rependant præter laudes, quibus Dei bonitatem celebrent, habere: Ac proinde docet, hoc quoque nobis esse faciendum, fatendum scilicet quidquid habemus boni, totum illud deberi Deo, sed nobis nihil esse quod Deo vicissim recompensationis loco rependere possimus, nisi, vt eius bonitatem prædicemus & laudibus celebremus: quemadmodum & Dauid fassus est dicens: *Quid retribuam Domino pro iis, quæ tribuit mihi? Calicem salutis accipiam, & nomen Domini inuocabo*. Psal. 116. 12. 13.

16. Non dicunt autem simpliciter, reddemus vitulos, sed addūt, labiorum nostrorum. Alludunt autem ad sacrificia, quæ in lege pro acceptis beneficiis, cum scilicet vota soluebant, Deo offerebantur. Et quidem sic loqui, à Propheta nomine Dei iubentur. Docent igitur. 1. Hoc esse verum Deóque gratum sacrificium, sacrificium scilicet laudis & gratiarum actionis. Reliqua verò legis sacrificia per sese Deo grata non fuisse. 2. Sacrificia omnia in regno Christi fuisse abolenda, hoc vnum duntaxat piis in regno Christi relinqui sacrificium, nimirum, sacrificium laudis & gratiarum actionis.

III. Assur non saluabit nos: equo non vehemur: neque dicemus amplius, ô Deus noster, operi manuum nostrarum: quia per te misericordiā consequitur pupillus.

1. Nomine *Assur* venit quidem primo loco ipse rex Assur cum tota sua potentia, sed synecdochicè veniunt reliqua omnia præsidia, in quibus Israel aliquo modo, suæ suique regni salutis spem collocarant. Cum igitur aiunt: *Assur non saluabit nos*, duo faciunt. 1. Cum in genere tantum superius fassi sint, se peccasse, cum dixerūt, *Omnem iniquitatem tolle*, hic quibus in rebus peccarint, explicant: & primum quidem in eo, quòd salutem, quam à solo Deo exspectare iubebantur, ab Assyriis Deo diffisi, sperarint. 2. Se verè ab hoc peccato indicant resipuisse: se enim iam tandem agnoscere, inanem, immo & detrimentosam fuisse eam, quam in Assur, & aliis humanis præsidiis fiduciam collocarant. Se igitur omnes huiuscemodi spes abiicere, & in solo Deo suę salutis spem ponere atq. firmare. Ac proinde duo docent. 1. Hanc esse primam pestem quæ exitium hominibus adferat, nimirum cum spem à Deo ad creaturas transferimus. Hanc igitur primo loco esse agnoscendam & damnandam. 2. Veram resipiscentiam, seu perfectam ad Deum conuersionem, non esse, vbi non in totum & penitus omnibus creaturis renunciamus, & in solo Deo salutis spem reponimus.

2. Cum ait. *Super equum*, id est, equos, non conscendemus, subintelligendum est, vt huc atque illuc auxilij ab Assur & aliis fœderatis, amicísque hominibus, petendi caussa, cursitemus. Duo igitur etiam hic faciunt. 1. Fatentur se etiam alias hoc fecisse, & ita se vehementer etiam hac in re peccasse, cum ad solum Deum, spiritu & precibus esset confugiendum. 2. Suam testificantur resipiscentiam, dum promittunt, se non amplius peccatum hoc admissuros: se enim posthac in sua statione mansuros, à solo Deo è cœlo salutem exspectando. Ac proinde docent, cum opus habemus auxilio aliquo, non esse anxiè huc & illud cursitandum, sed quietè & tranquillè à Domino illud esse expectandum, quia, vt per Iesaiam inquit: *In quiete & silentio erit fortitudo vestra*.

3. Nomine *Operum manuum nostrarum*, veniunt tum idola, tum cultus omnes à nobis excogitati, & quasi manibus nostris, parati. Dicere autem talibus manuum nostrarum operibus: *Dij nostri*, est, tum idola ipsa, tanquam Deos colere, tum nostris superstitionibus fidere, seu salutem ab idolis, nostrísque superstitionibus, tanquam à Deo, sperare. Cum igitur aiunt: *Nec dicemus*, duo itidem faciunt. 1. Agnoscunt, & fatentur, se idola, quæ habuerunt, suis manibus fecisse, & ea tanquam Deos coluisse, inque suis superstitionibus salutis fiduciam collocasse, sique Deo & vero Dei cultu neglecto. 2. Resipiscentiam demonstrant, dum promittunt, se non amplius idola, sed solum verum Deum, vero & puro suo cultu, culturos.

4. Illud, in quod recumbere homines vllo modo possunt, aut creator est Deus, aut creatura. Rerum autē creatarum, duo sunt genera. Aliæ enim sunt terrenæ, vt homines, & quidquid ad humanam politiam, vitámque pertinet: aliæ cœlestes, vt angeli, diui, diuæque demortuæ, & quidquid religionem spectat. Ac priores quidem res veniunt Israelitis synecdochicè nomine Assur. Alterius verò generis, nomine operum manuum suarum, seu, idolorum. Ipsi autem Israelitæ in sua resipiscentia ex animo dicunt, de Assur quidem, *Assur non saluabit nos*, de idolis verò, *Non dicemus amplius operibus manuum nostrarum, dij nostri*. Indicant igitur, se ex animo omnibus tàm prioris quàm posterioris generis rebus valedixisse, vt in vnum solum rerū omniū conditorē Deum recumbant. Ac proinde docent, illos nondum ad Deum verè esse conuersos, qui nondum penitus rebus omnibus creatis, suo spiritu renunciarunt, vt in vnius solius veri Dei Iehouæ sinum, omnem ab eo salutem, & quauis in re opem, certa spe exspectando, recumbant.

5 No-

5. Nomine *Pupilli*, venit pius quisque, nimirum, qui suæ tum ignorantiæ, tum nuditatis & inopiæ conscius omnes humanas de se, déque aliis creaturis omnibus spes, abiicit, atq. è cœlo ab vnico Deo omnem suam opem salutémque expectat. De quo pupillorum genere & Dominus Iesus locutus est, cùm dixit: *Nisi efficiamini, vt paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Metaphora sumta à paruis pupillis qui, cùm & animi prudentia, & corporis viribus destituantur, semper ab alieno pêdent auxilio, ideóque hoc nomine vera Dei Ecclesia, quæ cœtus est talium pupillorũ, intelligitur. Illud *Quia* αἰτιολογία est, cur nolint ampliùs pij Israelitæ, neque ab Assur, neque ab idolis, sed à solo & vero ipsorum Deo omnem sperare salutem: *Quoniam*, inquiunt, *in te scilicet solo misericordiam consequetur pupillus*, & tale est Israelitarum argumentum, quo se in hoc sancto proposito, omnem scilicet humanam & superstitiosam spem abiiciẽdi, & in vnum Deum recumbendi confirmant. *Tu solus, ô Deus, pater es vere pupillorũ, qui scilicet variis flagellis humiliati, omnes vanas spes abiiciunt, & in te vnum recumbũt, iij in te & per te solum, misericordiam cõsequi solent. Hoc nouimus è tuis scripturis, quæ te patrem pupillorũ appellant. Atqui nos sumus pupilli miseri, afflicti, omnique humano auxilio destituti. Nõ dubitamus igitur, quin simus à te solo misericordiam cõsecuturi: ac proinde libenter renunciamus creaturis omnibus, & in te vnum recumbere volumus.* Cũ igitur causam reddũt, cur nolint ampliùs vllum vnquam cum Assur, vel cum idolis habere negotium, sed velint omnem suam spem in vno solo Israelis Deo collocare, & hanc esse dicunt, quoniam norint nunc, solum verum Israelis Deum, eum esse, per quem pupilli consequi misericordiam possint & soleant, aperiè indicant se ideò resipiscere: quia nunc de Dei misericordia & bonitate agnoscant id, quod antea ignorabant seu, nõ credebãt. Ac proinde docent, veram resipiscentiam ex vera Dei cognitione proficisci, cum scilicet verè agnoscimus, Deum patrem esse pupillorum, ideóque & nostrum, & propter eum solum consequi nos salutem posse.

6 Non aiunt autem, *Quoniam in te misericordiã consequi potest pupillus*: sed aiunt: *Quoniam consequetur*. Indicant igitur se certos esse de Dei erga se misericordia & beneuolẽtia: ac proinde docent, fidem non tantum Dei potentiam spectare sed de eius etiam voluntate, quòd scil. velit id, quod potest certò præstare, minimè dubiam esse.

IV. Ego sanabo defectiones eorum, amabo eos, populum voluntarium, cum auersa fuerit ira mea ab eo.

1. Certò & absolutè promittit Dominus, se defectiones electorũ Israelitarum sanaturum. Sanare autem defectiones, idem est, quod &, omnem tollere iniquitatem, sicut superius precati sunt Israelitę. Docet igitur, se preces ex verbis Dei desũtas, seu, iuxta verbũ Dei factas, exauditurũ esse.

2. Sanaturum se ait defectiones, seu iniquitates. Bifariã autem sanat Dominus iniquitates 1. In conspectu suo, cum scilicet eas non imputat. 2. In nobis, cum scilicet eas quasi putida hulcera in carne nostra hęrentia, igne sui spiritus adurit, & nos ad sibi obsequendũ, sanos reddit. Cũ igitur ait, *Sanabo defectiones eorum* vtrũq. sanationis genus promittit.

3. Non ait autem, *Iniquitates* sed *Rebelliones*. Rebellio autem omnium iniquitatum grauissima est. Qui autẽ maiorem offensam condonat, mitiores etiam condonet, necesse est. Indicat igitur, se omnes condonaturum iniquitates.

4 Necverò ait, *Condonabo aut remittam*, sed *Sanabo*. Sanare autem, officium est medici, & non nisi morbi sanantur. Duo igitur docet, & iniquitates nostras esse morbos, & se nostrum esse medicum.

5. Medicus noster est ipse Iehoua. Christus est medicus noster, sicut ipse testificatus est. Christus igitur est ipse verus Iehoua.

6. Morbi non sanantur, nisi medicamentis. Medicamentũ autem iniquitatum nostrarum, est passio & sanguis Christi: sic Iesaias 53. docuit de Christo dicens: *Iniquitates nostras ipse tulit, & dolores nostros ipse pertulit & liuore eius sanati sumus.* Cum igitur Christus ait, *Sanabo rebellionem eorum*, apertè vaticinatur de morte sua, seu, se suo sanguine electorum omnium iniquitates sanaturum.

7. Etsi adsit medicamentum & medicus, nisi tamen ægroto medicamẽtum applices, morbus sanari nullo modo potest. Instrumentum autem, quo spirituale hoc medicamentũ sanguinis Christi, ægrotis electis applicatur, duplex est: Vnum quo offertur, & hoc est verbũ tam visibile quàm audibile: alterum, quo recipitur, & hoc est fides. Hæc autem est donum Dei. Cum igitur non dicat, adferam medicamentum ad sanandum sed absolutè dicat: *Sanabo eos*, tacitè præmittit, se electos fide, qua reipsa sanentur à suis iniquitatibus, donaturum.

8. Amor Dei erga electos bifariam capitur. Aliquando pro ipso eos seruandi & beandi decreto: hic autem amor ab æterno in Deo fuit, sicut Io. 17. Christus testatus est, cùm de Apostolis, electísque omnibus patrem alloquens, ait, *Et cognoscat mundus, quia tu dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Dilexisti autem me ante constitutionem mundi.* Aliquando pro ipsa beneficentia, qua scilicet eos reipsa seruat, regenerat, aliísque illius amoris effectis, donis scilicet suis afficit, & denique beat. Cùm igitur non dicat: *Amaui*, sed *Amabo eos*, indicat, se non de illo priori amore loqui (hoc enim amore ante constitutionem mundi amauit) sed de posteriori. Ac proinde promittit, se post cõdonata peccata, seu, post patefactam peccatorum condonationem, reliqua omnia amoris sui beneficia, quæ ad electorum salutem & gloriam pertinent, in eos collaturum.

9. Non dicit autem simpliciter *Amabo eos*, sed addit etiam *Nedhabhah*, quæ vox sponte & liberaliter significat. Ait autem se Israelitas, id est, non electos omnes sponte & liberaliter amaturum. Primâ igitur huius vocis significatione indicat, nihil in nobis fuisse vnquam aut esse, quod se ad nos amandos, beneficiísque afficiendos commouerit, sed sua sponte, id est, sua gratuita voluntate fuisse permotum. Ac proinde omnia nostra excludit merita, & suum erga nos amorem, totum esse merè gratuitum ostendit. Altera verò huius vocis significatione, liberaliter, indicat, suum erga nos amorem esse beneficum ac liberalem. Illis igitur, quos tali amore gratuito scilicet & liberali complectitur Deus, nihil boni deesse posse.

10. Non dicit autem primo loco, *Amabo eos*, deinde, *Sanabo rebelliones eorum*, sed primò *Sanabo*, deinde, *Amabo*. Docet igitur, Deum hoc, de quo loquimur, amore, neminem complecti, nisi post peccatorum per Christum condonationem & eos, quibus nondum condonata sunt peccata, Deo esse exosos.

11. Sicut in Deo nullus est amoris affectus: ita nullus propriè est furor aut ira: sicut tamen ipse pro nostro captu nobiscum loquitur, & ponit in se erga pios amorem: ita idem Deus statuit in se aduersus impios iram & furorem. Furor autem & ira Dei aduersus ipsorum etiam electorum iniquitates, non potest remitti, nisi in Christo mediatore, sicut pater de cœlo Matth 3. & 17. disertè pronunciat: dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, id est *in quo solo placatus sum.* Cum igitur ait: *Quia auersus est furor meus ab eo*, scilicet Israele electo, duo indicat, 1. Se quatenus Israelitas id est, electos omnes, extra Christum, in Adamo peccatis onustos, ante etiam iacta mundi fundamẽta, suæ æternę pręscientiæ oculo intuitus est, ipsis etiam electis iratum, & furore quasi accẽsum aduersus ipsos, fuisse. 2. Cùm verò oculis in Christum mediatorem conuersis, ipsos quoque electos in ipso Christo pro illis quasi sacrificium offerente, & supplicante, contemplatus est, totum se remisisse furorem.

12. Illud *Quoniam auersus est furor meus ab eo*, αἰτιολογία est, cur dicat, se Israelis rebelliones sanaturum, & gratuito, liberalique amore cõplexurum: *Quoniam*, inquit *auersus est furor meus ab eo.* Furor autem Dei, vt ante dictum est, ab electis non auertitur, nisi per Christum, quatenus scilicet Deus oculis in Christum defixis eos vt Christi membra, cõtemplatur. Fuimus autem ab æterno Christi membra per prædestinationem, quatenus scilicet suapte & gratuita voluntate, elegit nos, vt essemus Christi membra, & tanquam Christi membra, ad eandem salutem & gloriam, ad quam & caput Christum, nos prædestinauit. Docet igitur, hunc esse nostrę salutis ordinem, nimirum. 1. Quòd primum gratuita sua voluntate ad salutem & æternam vitam elegit nos in Christo. 2. Quòd etsi furor ille aduersus nos, (quatenus extra Christum, ab ipsa etiam æternitate intuitus est nos) accensus fuit: vbi tamen nos, iam in Christo pro nobis intercedente ad iustitiam & sanctitatem electos, contemplatus est, mox ipsius furor à nobis auersus fuit. 3. Quia furor fuit in Christo remissus, nostras sanauit iniquitates, id est, non imputauit, neque imputat. 4. Post peccatorum cõdonationem gratuito & liberali amore complexus est & quotidie cõplectitur, quatenus scilicet omne genus beneficiis, præsertim quæ ad salutem & æternam vitam attinent, ex suo illo æterno amore profectis, nos cumulauit, ac cumulat, idque tãtisper, dum ad æternam vitam perducat. Ac proinde docet, nobis semper ad Christum esse recurrendum: quippe, in quo primum nos elegit: deinde, in quo nobis est placatus, seu, furor illius à nobis auersus est: tertiò, in quo & per quem nostras sanauit rebelliones: denique, in quo nos gratuito & liberali amore semper complectitur.

V. Ero illi, tanquam ros, florebit tanquam lilium, & propagabit radices suas velut Libanon.

1. Deus per Prophetam illam superioris promissionis particulam, nimirum, *Amabo eos sponte & liberaliter*, explicaturus, id est, præcipua quædam sui erga singulos & vniuersos veros Israelitas amoris effecta narraturus, primo loco ait, *Ero illi tanquā ros, & ipse germinabit tanquā liliū*. Nomine autē *Roris*, venit ipsius Dei gratia, seu, Spiritus sāctus, quem in corda electorū instillat eósq. regenerat, agit, regit, tuetur, cōseruat. Nomine verò *Lily*, tū quisq. electus, tū vniuersus electorū cœtus seu Ecclesia Dei intelligitur. Cùm igitur primo loco ait: *Ero sicut ros Israeli, & ipse germinabit sicut liliū*, promittit Ecclesiæ Israeliticæ renouationē, eo, subitā, inexpectatámque instaurationē. Ac proinde docet, hoc esse primùm post remissionē peccatorū, sui erga Ecclesiam, & vnumquodque Ecclesiæ membrum amoris beneficium, quòd scilicet spiritum suum, tāquam rorem in corda nostra instillat, eósq. regenerat, & facit, vt hoc rore adspersi ac viuificati, mox instar liliorū florescamus & germinemus.

2. Non est autē vsus simplici voce spiritus, sed roris. Ros autem præter alias proprietates. 1. Ex alto descendit. Indicat igitur hoc simili: spiritum, quo Ecclesia regeneratur, non esse è terra, sed è cœlo. Ideò Christus *Io.* 3 Nisi quis renatus fuerit desuper. *Item*, Induemini virtute ex alto: ac proinde docet, cùm regeneramur, nulla re terrena, sed tantùm rore Spiritus sancti nos regenerari. 2. Ros cùm descēdit, sine strepitu descendit, & non nisi ab iis, supra quæ descendit, illius vis sentitur. Indicat igitur, spiritum, quo regeneramur, ita placidè in nos descendere, vt à mundo minimè, tantùm verò ab iis, qui regenerantur, ipsius vis sentiatur & agnoscatur. Ideò Christus de hoc spiritu loquens *Ioh.* 14. *v* 17 Quē, inquit, mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manet, & in vobis erit. 3. Ros vita est plantarum & herbarum Indicat igitur, vitam electorum esse spiritum regenerationis, & vigorem totum, quo spiritualiter alimur ac sustentamur, oriri è cœlo, à Deo.

3. Nec simpliciter dixit, *Et ipse germinabit*, sed addit, *Sicut liliū*. Lilium autem primò quidem vi roris recepti vna nocte derepente & præter spem surgit Voluit igitur indicare, tūc populum ad nouam vitam excitatum iri rore Spiritus sācti, cùm videbitur planè desperatus: ac proinde docet, nunquam esse desperandum: quia, cùm Ecclesia videbitur, ceu arbor planè arefacta & mortua: tunc vi Spiritus sācti vno momento, præter mundi spem resurget, ac viuificabitur, germinabitque sicut liliū. Deinde, lilio nihil est (ait Plinius lib. 21. cap. 5.) fœcundius. Voluit igitur indicare, populum qui alioqui tamen sterilis erat, & ceu mortuus, post receptū rorem, fore fœcundissimum. Ac proinde docet, electos, qui ante receptionē Spiritus sancti, sterilissimi sunt, accepto spiritus rore, mox fieri sanctarum virtutum, cogitationum, desideriorum operum, fœcundissimos. Primū itaque amoris Dei erga Ecclesiam beneficium post condonata peccata, esse repentinam, seu insperatam, eámque fœcūdissimam cùm cuiusque electi regenerationem, tum totius Ecclesiæ renouationem ac viuificationem.

4. Arbores, dicuntur radices suas percutere, cùm eas altè defigunt. Libani autem arbores, altissimas habent radices. Quę verò altas habent, benéque defixas radices, firmissimę sunt, ita, vt non à quouis vēto facilè conuelli possint. Cùm igitur secundo loco ait, *Percutiet*, id est, defiget *radices suas, tanquam libani*, scilicet arbores, promittit Deus, se suo rore effecturum, vt Israelitica Ecclesia nō solùm, tanquā lilium subitò, & præter omnium expectationem reflorescat, sed etiā, tāquam arbor libani, radicibus altè defixis, firmissima in perpetuum maneat, nimirū in Deo, ideóq. & in mundo. Ac proinde docet, hoc esse alterum sui erga Ecclesiā amoris beneficium, nimirum quòd illā tam in vniuersum, quàm in singulis membris, in Christo & eius spiritu ita firmam reddit, vt auelli à Christo, & eius spiritu ampliùs non possit, ideóque nec penitus è mundo tolli, sicut & Christus dixit: *Et portæ inferorum non praualebunt aduersus eam*. Secundùm igitur beneficium, esse Ecclesiæ, & cuiusque electi firmitatem seu firmam in Christo perseuerantiam.

V I. Ibunt rami eius teneri, vel diffundent se, eritque tanquam oliua gloria eius & odor tanquam Libani.

1. Ramos alicuius arboris ire, seu, proficisci, est arboris ramos longè latéque extēdi. Hoc autē nihil est, quàm arborem ampliari. Cum igitur tertio loco ait: *Ibunt rami eius*, promittit, se suo rore effecturum, vt Israelitica Ecclesia, quasi arbor, non solum firma permaneat, ita, vt non possit amplius conuelli, sed etiam, vt longè & latè sese per totum scilicet terrarū orbem diffundat, & quotidie ex ipsis etiam crucibus maiora sumat incrementa, tātum abest, vt extingui amplius possit. Ac proinde docet, hoc esse tertium amoris Dei erga nos beneficium, Ecclesię scilicet seu regni Christi amplificationem, & quotidiana cuiusque electi, in ipsa fide & pietate incrementa.

2. Cū Dominus quarto loco ait: *Et erit sicut oliua gloria eius*: promittit, se effecturum, vt Ecclesia Israelitica, quæ & tunc erat, & in captiuitate multò magis futura erat, tā coram Deo, quàm coram hominibus, ingloria ac deformis, quippe quæ omnibus suis tam internis quàm externis ornamentis: nimirū & re & nomine Ecclesiæ, magno hominū numero, principatu & sacerdotio, verbo & prophetia sacramentis & cœtibus Ecclesiasticis, denique reliquis omnibus, quæ ad Ecclesiæ gloriam & decorem pertinēt ornamētis, erat spolianda: Promittit inquam, Deus, se effecturum hoc suo rore, vt hæc Ecclesia iterum emergat speciosa, felix, & gloriosa, sua illi pulchritudine & forma per Christum restituta: immò maioribus quàm vnquam antea fuerit, ornamentis ornata gloria & honore coronata. Ac proinde docet, hoc esse quartum hoc Dei in suam Ecclesiam beneficium, quod ea ex deformissima propter peccatū, atq. ingloria formosam ac gloriosā tū coram se Deo, & angelis suis, tum corā piis hominibus, quotidie magis ac magis reddit.

3. Non dicit autem simpliciter: *Gloria eius erit magna*, sed *Decor seu gloria eius erit sicut decor & gloria oliuæ*. Decor autem & gloria oliuæ, in iis tribus potissimum rebus sita est, 1. In perpetua eius viriditate: semper enim viret. 2. In magna fructuum vbertate est enim admodum frugifera. 3. In ampla ramorum extensione: latè enim se diffundit Indicat ergo, In tris potissimum rebus decorem & gloriam Ecclesiæ consistere. 1. In viriditate, sed spirituali: hæc est Christi iustitia tam imputata quàm inchoata, qua tam coram Deo, quam coram hominibus, Ecclesia Christi & quisq. fidelis, rore Spiritus sancti perfusus perpetuò virescit atq. florescit est fides, sapientia, spes, amor, cum erga Deum, tum erga proximum, denique virtutes omnes, quæ ex vigore spiritus Christi, è cœlo in nos, tanquam in sua membra instillato, oriuntur His enim, tanquam foliis semper virentibus, Ecclesia, donata Christi iustitia, perpetuò floret, sicut de iusto scriptura loquitur: *Iustus, vt palma florescit*. In hac igitur viriditate primum sita est gloria & decor Ecclesiæ. 2. In magna fructuum vbertate: ij fructus bona sunt opera, quæ fides per charitatē operatur. 3. Postremò in ampla ramorū extensione. Hæc est Ecclesiæ (vt antè declaratum est) per totum terrarum orbem, cum suis cœtibus Ecclesiasticis, cum prædicatione verbi, cum administratione sacramentorum, cum publicis precibus denique disciplina Ecclesiastica, diffusæ, amplitudo. In iis rebus omnibus gloria & decor Ecclesiæ Christi situs est.

4. Ex libani arboribus maxima oritur flagrantia. Cum igitur quinto loco ait: *Et odor ei erit sicut libano* promittit quoque, se effecturum, vt Ecclesia Israel non solum sit gloriosa in se, sed etiam mirabilem fragrātiam vbicunque locorum fuerit, ad omnes longè latéque diffundat. Ac proinde docet, hoc esse quintum Dei in Ecclesiam beneficium, quòd eam reddit omnibus odoriferam, facitque, vt suauissimā Christi in se inhabitātis fragrantiam ad omnes diffūdat. Fragrantia hęc, seu bonus odor, est ipsius notitię Christi per Ecclesiam quà ad eius fieri potest, cum gentibus omnibus communicatio. Cōmunicatio autem hæc, partim prędicatione Euangelij & confessione fidei, partim sancta vita & odorifera cum omnibus consuetudine fit: sicut 1. Io. 1 docuit dicens: *Quid vidimus & audiuimus, annūciamus vobis: vt & vos cōmunionem habeatis nobiscum, & communio nostra sit cum patre & filio eius Iesu Christo*. De qua fragrātia & Paulus 2. Cor. 2. *Deo autem gratia, qui semper triumphat per nos in Christo, & fragrantiam notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco. Christi enim fragantia sumus Deo in omni loco, aliis quidem odor mortis ad mortem, aliis odor vitæ ad vitam*. Quintum igitur Dei in nos beneficium est, quòd, quemadmodū impij, quia mortui sunt, & putida sunt cadauera, fœtidi sunt, & vbique pessimè olent: sic nos fideles, quia viui Christum odoriferis vnguentis, (de quibus vnguentis in cantica canticorum. *Ad odorem vnguentorum tuorum curremus*) delibutum nobiscum gestamus, in omni loco reddit odoriferos: non enim bonus iste odor ex nostra natura, sed ex Christo in nobis inhabitante proficiscitur.

V I I. Conuertentur sedentes in vmbra eius, in vitam producent se vt frumentum, & germinabunt tanquam vitis odor eius, tanquam odor vini Libani.

1. Verbum *schubh*, non solum significat conuerti, sed etiam refrigerari: quemadmodum etiam Psal. 19. *Lex Domini immaculata* Meschibhath Naphesch *conuertens, id est, refrigerans,*

refrigerans & consolatione afficiens animam. Habitare sub vmbra, est quiescere sub vmbra: est autem elegans allusio in *Iaschubhu Ioschbhe.* Nomine verò *vmbra arboris,* id est, Ecclesiæ protectio intelligitur. Alludit autem ad defatigatos viatores, qui, si quam vmbrosam & deinde etiam benè olentem arborem videant, ad eam declinant ibi sedentes, & sedendo magnam capiunt refrigerationem & quietem. Cùm igitur sexto loco ait, *Conuertentur sedentes,* duo promittit. 1. Se effecturum, vt multi (ex gētibus scilicet) odore & fragrātia huius arboris, id est, Ecclesiæ Israelis percepta, ad eam conuertantur, & in ea acquiescant. Atque hæc est gentium vocatio. 2 Eos omnes, qui ad Ecclesiam confugerint, & sub eius vmbra sederint, magnum capturos refrigerium, consolationem, pacem, suis nimirùm cõscientiis, antea in via peccatorum defessis & ab æstu iræ Dei afflictis. Ac proinde docet, hoc esse sextum Dei erga Ecclesiam beneficium, nimirū, refrigerium & pacem animorum, & quietem, quam fideles omnes in Ecclesia inueniunt & capiunt: de qua Rom 5. Iustificati ex fide pacē habemus cum Deo, *& alibi,* Et pax Christi, quę exsuperat omnē sensum, exsultet in cordibus vestris.

2. Ait, *Quicunque ad Ecclesiam confugerint, & sub eius vmbra sederint, refrigerium & pacem conscientiis inuēturos.* Nemo autem est, qui hoc refrigerium adferre possit, nisi Christus, sicut ipse ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. Et Ego reficiam vos.* Tria igitur docet. 1. Quot quot igitur sunt extra Ecclesiam, omnes esse afflictos & sine vlla solida cõsolatione ac refrigerio, propterea, quòd & peccatis grauantur, & ab ira Dei conficiuntur. 2. In sola Ecclesia Christi, verā pacem, quietam & refrigeriū conscientiarum reperiri: quia in sola etiā Ecclesia peccata remittuntur, quia ibi etiā Euāgelium prædicatur, & sacramēta administrantur. 3. Id eóque in sola Ecclesia Christum, qui solus peccata remittit, & pacem afflictis conscientiis adfert, inueniri posse.

3. Solus Christus est, qui in Ecclesia peccata remittit, qui suo spiritu cõsolatur, qui verbo per pastores prędicatio, intus eos afficit, qui in sacramētis per pastores administraris seipsum credentibus donat, qui denique defatigatos & afflictos regenerat, sicut ipse ait: *Venite ad me omnes.* Ergò, etsi Propheta dat Ecclesię, quòd adferat refrigeriū & quietem animis defatigatis, indicat tamē, se hoc nō facere, nisi quatenus Christus in Ecclesia, & per Ecclesiam id præstat.

4. Nomini *Dagan* frumentum, subintelligendum est illud *Caph* quod etiam præponitur *gaphen* viti. Frumentum dicitur viuificare seipsum, cum satum, seipsum auget multum proferens fructum: non potest autem sic viuificare seipsum, nisi per mortē, sicut Paulus docet dicēdo: *Stulte quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur.* Et Dominus Iesus: *Nisi frumentum cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Vitis etiam nōbenè germinat nisi superfluis palmitibus putata.* Duo simul promittit: Augmentum viuificationis spiritus, sed per carnis mortificationem, item corporum resurrectionem, seu, ad meliorem vitam excitationem, sed per mortem. Non enim simpliciter ait, *Viuificabunt se,* sed, *Sicut frumentum,* nempe moriendo: Neque simpliciter, *Germinabit,* sed, *sicut vitis,* nempe, putata. Ac proinde docet, hoc esse septimum Dei in nos beneficium, nimirùm, quòd, quemadmodum frumentum, etsi moriatur in terra: tamen tantùm abest, vt exstinguatur in terra, vt etiam per eam mortem gloriosius resurgat ac viuificetur & augeatur: ac, quemadmodum vitis etsi cædatur, putetur, suísque palmitibus spolietur: tamen tantùm abest, vt non propterea suos proferat fructus, vt potiùs ea ratione multò magis germinet: ita Deus primò, etsi variis nostram carnem crucibus affligit, cædit: tantùm tamen abest, vt propterea pereat spiritus, vt potiùs per hanc carnis mortificationem, multò magis spiritus viuificetur: deinde, etsi vult, vt omnes moriamur, & in terra sepeliamur: tamen tantùm abest, vt propterea penitus exstinguamur, vt potius per hanc mortem non solum animos, sed etiam ipsa corpora ad meliorem, nempe, æternam & beatam vitam reuocet. Non igitur vel cruces, vel tyrannos, vel mortem esse metuendam, quoniam hæc, & ad maiorem spiritus viuificationem, & ad gloriosiorem corporum resurrectionem faciunt, idque virtute roris Spiritus sancti è cœlo in corda & corpora nostra instillati, quemadmodum & Paulus dixit Rom. 15.

5. *Zecher* pro odore capitur, vina libani vina sunt prędstantissima & odorifera. Cùm igitur pòst, quā dixit de Israele, *Germinabit sicut vitis,* subdit, *odor eius erit, sicut odor vini libani,* perinde est, ac si dicat: Et post, quàm germinarit, sicut vitis, proferet vinum, quale etiam in monte libano nascitur, præstantissimū scilicet ac suauissimum, optimique odoris. Nomine autem *huiusce odoriferi vini,* veniunt opera Deo grata. Promittit igitur octauo loco, se effecturum, vt Israel, postquam instar vitis, benè putatus, id est, mortificatus fuerit, proferat fructus spiritus suauissimos, id est, opera Deo grata, & odorifera. Ac proinde docet, hoc esse octauum Dei erga suos electos beneficium, quod efficit vt iàm in hoc seculo post carnis mortificationem, quàm in altero seculo post carnis resurrectionem, fructus spiritus proferant suauissimos, qui sunt verus in Deum & proximum amor & vera huiusce amoris effecta. Hic autem verè perfectus amor, in altero seculo post carnis resurrectionem locum habebit in electis Dei: tunc enim verè seruabitur à nobis præceptū, *Dilige Dominum Deum tuum toto corde.* Quo quid ipsi Deo & proximo nostro suauius?

VIII. Ephraim dicet: Quid mihi amplius cum idolis? Ego exaudiam & contemplabor eum, Ego ero ei, vt abies virens, ex me fructus tuus præsto est.

1. Cùm ait *Ephraim,* subintelligendum est, Dicet, nimirùm, ex corde, *Quid mihi* Hoc autem ex animo dicere, testimonium est veræ resipiscentiæ. Resipiscentia verò est donum Dei, vt 2. Tim. 2. Paulus disertè docet. Absolutè autem & simpliciter pronunciat Dominus, Ephraim tandem aliquando dicturum: *Quid mihi amplius cum idolis?* Absolutè igitur & simpliciter promittit, se effecturum, vt Ephraim resipiscat, atque ita prædictæ superius promissiones in Ephraim impleantur. Ac proinde docet, hoc esse aliud, nempe, nonum Dei in suos electos beneficium: quòd scilicet electos donat resipiscentia quò promissiones reliquæ omnes de salute æterna suum in eis cõplementum habere possint.

2. Non dicit autem simpliciter, Ephraim dicturum, *Nihil mihi posthac negotij erit cum idolis,* sed eum interrogatione & sarcasmo, *Quid mihi amplius cum idolis?* quasi dicat. Nihil est, cur eum idolis vllum debeam ampliùs habere negotiū. Hoc autem non diceret Israel, si idola vllam possent adferre vtilitatem. Docet igitur hac interrogatione idola prorsùs esse inutilia, imò & perniciosa, ideóque omninò esse fugienda, sicut & Ioannes suam absoluens epistolam, hoc: quò melius & diutius mentibus fidelium infigeretur, præcipit dicens: *Fugite idola.*

3. Deum alicui respondere, est aliquando, vt hoc in loco, Deum alicuius vota exaudire: alludit autem ad preces quas superius pij Israelitæ iussi fuerūt à Propheta ex verbis Domini componere, & ad Deum fundere, dicendo, *Accipite vobiscum verba: & dicite ad eum: Omnem tolle iniquitatem.* Cum igitur ait, *Ego respondi,* pro respondebo, promittit, se Israelitarum preces exauditurum. Ac proinde docet, hoc esse decimum Dei in electos beneficium, quòd illorum vota & preces, ex verbo Domini conflatas, exaudit.

4. *Schur* cum puncto in dextro cornu, est defixis & intētis oculis aliquem intueri: hoc autem allegoricè, est omni cogitatione & cura in alicuius salutem incumbere, ita, vt quasi ne oculos quidem ab eo auertas. Cum igitur ait, *Et adspexi eum* promittit, se non solum preces Israelis exauditurum, sed etiam suapte sponte perpetuam illius curam suscepturum. Hoc igitur est vndecimum Dei in electos beneficium: quòd suæ paternæ prouidentiæ oculos ab eis nunquam auertit, vt etiam Dauid Ps 34. dicit. *Oculi mei semper iustos.* Quare tacitè monitat, vt nos quoque vicissim in Deum defixos semper oculos, fidei, inuocationis & amoris habeamus, sicut idem Dauid ait: *Oculi mei semper ad Dominum.*

5. Abies arbor est, tum procera & ampla, tum semper virens, tum frigida, ideóque sub sua vmbra sedentes semper refrigerans. Dominus autem comparat se huic arbori, propter hasce prædictas qualitates. Cum igitur ait: *Ego tanquā abies virens,* scilicet ero Israeli, promittit, se effecturum, vt Israelitæ & consequenter electi omnes non solum perpetuò maneant sub eius vmbra, id est, tutela & protectione, sed etiam, vt sub hac Dei tutela positi, maximum atque perpetuum sentiant refrigerium.

6. Est autem hoc, quod Ecclesiæ promittit Dominus refrigerium, duplex: vnum in hoc, alterum in altero seculo. Refrigerium in hoc seculo itidem duplex: vnum spirituale, & hoc perpetuum: alterum corporale, & hoc ad tēpus. Spirituale itidem duplex est: Vnum est in conscientia, ab æstu, seu à sensu iræ Dei. Æstus autem irę Dei est, cū electi sentiunt, propter admissas iniquitates, se reos esse coram Deo æternæ mortis. Ab hoc æstu Dominus electos refrigerat, cū facit, vt sentiant, sibi propter Christum condonata esse peccata, Deum esse placatum, ideóque se ab æterna morte redemptos. Primum igitur spirituale refrigerium, est sensus reconciliationis & condonationis peccatorum propter Christum. Alterum verò spirituale refrigerium est in corde, re-

frigerium, inquam, ab igne, seu à fornace concupiscentiæ semper ardente. Ab hoc æstu refrigerat nos Deus, cùm aqua sui spiritus ignem hunc, si non in totum & penitus, saltem ex parte indies magis ac magis exstinguit. Corporale verò refrigerium est aliqua, sed subinde interrupta, Ecclesiæ quies, quies, inquam, ab æstu mundi, seu, à tyrannorum persecutionibus & aliis crucibus: neque enim continenter & perpetuò sinit Deus suam Ecclesiam suósque fideles in cruce, sed subinde eos sua vmbra abies ista refrigerat. Atque hæc de refrigerio in hoc seculo. Refrigerium verò in altero seculo, est perfecta & æterna cùm animi, tum corporis, ab omni malorum omnium æstu requies. His igitur modis Deus est suæ Ecclesiæ, tàm in hoc, quàm in futuro seculo, abies semper virens.

7. Cum ait, *Ex me*, subintelligendum est tantum. Cùm ait, *fructus tuus*, subintelligendum est omnis. Præteritum autem pro futuro positum est, quasi dicat, Tandem senties, ô Israel omne tuum bonum ex me vno semper fuisse & esse: malum verò aliunde, quàm ex me: quemadmodum & versu 9. cap. 13. dixit: *Perditio tua ex te, ex me vero tantum auxilium tuum.* Duo igitur promittit, se effecturum. 1. Vt Israelitæ & electi omnes, multos habeant fructus, seu, bona, nimirum tam in hoc, quàm in altero seculo, & tam corporalia quam spiritualia. 2. Vt sentiant, veréque agnoscant, omnes hosce fructus non ex seipsis, sed ex solo Deo proficisci. Ac proinde docet, nihil boni aut in nobis esse, aut à nobis vel fieri, vel recipi posse, quod non sit ex Deo tanquam ex fonte, vnde bona omnia tam spiritualia, quàm corporalia, in nos indesinenter fluunt.

8. Non dicit autem fructus tuus ex me est, sed, ex me inuentus est. Docet igitur, etsi omnes fructus nostri ex Deo sint: ex Deo tamen esse, non semper à nobis agnosci. Cùm igitur agnoscimus, eos ex Deo esse, hanc cognitionem, aliud esse singulare etiam Dei beneficium.

9. Neque dicit. *Fructus ex me*, sed *fructus tuus*. Docet igitur, quidquid boni habemus, vel facimus, vel recipimus, verè nostrum esse, sed non ex nobis, ideóque nostrum esse, & non nostrum.

10. In fine promissionum omnium hanc collocauit, nempe *Fructus meus ex me inuentus est*, id est, efficiam, vt sentias, omne tuum bonum ex me solo esse. Nomine autem fructuum veniunt omnia illa bona, quæ antè promisit. Admonet igitur, Israelem, cùm ea, quæ supra promissa sunt, bona receperit, recordetur, sciátque, ea omnia se nec vnde, nisi à Deo accepisse. Ac proinde nos quoque admonet, vt huiusce dicti semper recordemur: *Ex me fructus tuus inuentus est*: ideóque semper nobis confusionem, Deo autem omnem tribuamus laudem & gloriam.

IX. *Quis sapiens, & intelliget hæc? intelligens, & sciet ea? quia recta via Iehoua & iusti ambulabunt in eis, præuaricatores vero corruent in eis.*

1. Cùm ait, *Quis sapiens, & intelliget hæc*, illud *hæc*, non tàtùm ad ea, quę in hoc capite continentur, sed ad omnes, quas Propheta per annos minimum septuaginta habuit conciones, refertur: *Sapientia in genere* (vt à sapientibus fuit definita) *est perfecta diuinarum, humanarumque rerum, caussarúmque, quibus hæ res continentur, scientia. Intelligentia verò seu, scientia, est aliqua etsi non perfecta, & aliquarum, etsi non omnium rerum ac caussarum cognitio*, vnde semper plus est esse sapientem, quàm intelligentem. Cæterùm in scripturis duplex est sapientia & intelligentia. Vna diuina, altera humana: vna spiritus, atque è cœlo, altera carnis, atq. è terra ideóque vna ex diametro cum altera pugnat: sicut Paulus docet dicens *Rom.* 8 Prudentia carnis inimicitia est aduersus Deum, ita vt (sicut idem Paulus 1. Cor. 1. docet) *qui vult esse sapiens* (scilicet sapientia diuina) *stultus fiat* (id est, humanam deponat sapientiam) *necesse sit.* Ac diuina quidem in hominibus sapientia, est quædam diuinæ sapientiæ, seu, diuini splẽdoris per Spiritum sanctum communicatio, qua homines ita certò Deum & Dei voluntatem agnoscunt, vt etiã citra scripturarũ peritiam, vera à falsis, bona à malis, diuina à nõ diuinis discernere facilè possint, qualis fuit in Apostolis etiam ante, quàm plenam scripturarum peritiã legendo essent consecuti *Intelligentia verò, seu scietia est Dei diuinæque voluntatis cognitio, è sacris literis, vi tamen Spiritus sancti acquisita* Qua, sed nõ, nisi per collationem scripturarum, quasi per lapidem Lydium, etsi non omnia Dei mysteria profundáque iudicia, vera tamen à falsis, bona à malis, diuina à non diuinis discernere possumus, qualis est in Christianis omnibus, sacrarũ literarũ mediocriter peritis. Vnde etiam in scripturis plus est, esse sapientẽ, quàm intelligentem aut scientem, cùm sapiẽtia (sicut Augustinus lib. confessionum 13. cap. loquitur) in Ecclesia sit, tanquam luminare maius, & intelligẽtia, luminare minus. Cùm igitur Propheta de suis concionibus loquens, ait: *Quis sapiens & intelliget ista?* quatuor facit. 1. Indicat, in Israele paucos fuisse, qui suis concionibus, tanquam Dei verbis fidem adhibuerint, imò ferè omnes ipsius doctrinam, tanquam è suo capite, non autem ex Deo, profectam, calumniatos fuisse, ac superbe reiecisse, quòd scilicet non potuerint Prophetæ verba intelligere atque percipere. Ac proinde docet, hanc esse Prophetarum Dei sortẽ, vt à paucis sibi credatur: sicut & Iesaias ca. 53. querebatur: *Domine quis credidit auditui nostro.* 2. Hoc fuisse factum inde, quòd, quum sibi in suis oculis viderentur esse sapientes, id est, cùm præditi essent sapiẽtia carnis, destituti erant sapientia & scientia Dei. Est enim perinde, atque si dicat Propheta. Si vel sapientia, id est, radio aliquo illius supernæ lucis, essetis præditi, ô Israelitæ, quemadmodum sunt Prophetæ Dei: vel, si saltem aliquam scripturum Mosis intelligentiam teneretis, & cum illius scriptis mea verba cõferretis, etiã hæc, quæ dico, intelligeretis & cognosceretis, nimirum, vera esse ex Deo, ideóque illa probaretis & acciperetis, sed, quoniam neque vlla verę gutta sapientiæ in vobis est, neque vllam scripturarũ intelligentiam habetis (quanquã & magnam sapientiam & singularem rerũ omnium intelligentiam iactatis: iccircò fit, vt nemo inter vos sapiens aut intelligens sit, qui hæc, quæ prædico, intelligat aut perspiciat, sed omnes potius ea tanquam somnia absurda & falsa, improbetis ac respuatis. Perstringit igitur illorum non solùm stultitiam ac cęcitatem, sed etiam superbiam, quòd, cum essent insipientes & imperiti rerum diuinarũ, sibi tamen sapientiam & rerum omniũ intelligentiam arrogabãt. Ac proinde docet, illos qui præditi prudentia carnis, destituti sunt sapiẽtia & spiritu Dei, non posse ea, quę sunt Dei, percipere sicut & Paulus docet, 1. *Cor.* 12. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei & Christus, *Matt* 11. Abscõdidisti hæc à sapientibus & reuelasti paruulis. 3. Docet duo esse media, quibus omnia quæ dicuntur & fiunt præsertim in religione, agnosci possint, verane, an falsa sint, bona, an mala, ex Deo, an secus. 1. Sapientiam & certam luminis diuini coruscationem, qua omnia, quæ Dei sunt, ab iis quæ non sunt Dei, etiam citra scripturarum cognitionem discernũtur. 2. Intelligentiam, id est, veram scripturarum cognitionem. Quæ ambæ ita coniunctæ sunt, vt nunquam inter se illarum iudicia pugnent. 4. Postremò cum Israelitas, tanquam insanos perstringat, quod verbo Dei à se Propheta prædicato, non esse subiiciant, docet, initium sapientię esse, cum quis suæ prudentiæ valedicens, verbo Dei sese dedit ac subiugat.

2. Cùm ait, *Quia via Domini recta*, illud *Ki* pro certè hoc loco capitur Nomine *Viarum Domini*, teste etiam Hieronymo, veniunt Dei verba per Mosen & Prophetas ad Israelem facta, quæ ideò viæ Domini appellantur, quòd per ea, tanquam per viam rectam, populum suum ad æternam salutem deducere volebat, sicut & Dauid eodem modo ea vocat, *Ps.* 119. Viam mandatorum tuorum cucurri. Nomine *Recti*, venit id, quod nullo modo reprehendi potest. Cùm igitur ait: *Certè via Domini recta scilicet sunt*, quatuor facit. 1. Sententiam hanc sacrilegæ Israelitarum temeritati, qui verba Prophetarum, ideóque Dei verbum contemnebant, imò & tanquam non rectum blasphemabant & reiiciebant, opponit, ac perinde est, atque si dicat. Obstrepite, quantum velitis, ô Israelitæ, certè viæ Domini, quas scilicet vobis ostendo, & per quas ad æternam salutem vos deducere cupio, etiamsi vos eas tanquam non rectas, superbè respuatis: sunt tamen in se rectissimæ: & pij hoc comprobabunt: quia in eis ambulabunt, quanquam impij in eis semper impingant. 2. Cùm scripturas, seu, verba Dei vocet vias, docet, verbum Dei veram esse viam, qua è regno Satanæ & tenebrarum, in regnum Dei æternum peruenire possimus. Est autem propriè via ad cœlum, Christus ipse, sicut de se testatur, dicens: *Ego sum via.* Docet igitur, ideò verbum Dei viã ad regnum cœlorum appellari: quia Christum veram viam nobis ostendit. 3. Dum scripturas vocat vias, easque rectas, rectum autem non est id, quod aliquo modo reprehendi potest. Docet igitur, scripturas esse perfectissimas, nihilque in eis desiderari aut reprehendi posse. 4. Ac proinde postremò docet, si scripturæ viæ sunt ad salutem rectæ: Scripturas igitur ad salutem & æternam vitam sufficere, & extra scripturas nullam esse ad salutem rectam viam.

3. Ostendit Propheta, ideò Israelitas non agnoscere vias, quas ipse docet, vias esse Domini, easque rectas, quia destituti erant tum vera Dei sapientia, tum scripturarum intelligentia. Ipse autem affirmat, eas vias esse Domini easque rectas. Indicat igitur, se tum Dei sapientia, tum scripturarum intelligentia præditum esse.

4. Cum ait, *Iusti ambulabunt in eis*, confirmat sententiam,